DE ANTIQUIS
ECCLESIÆ RITIBUS
LIBRI TRES

EX VARIIS INSIGNIORUM ECCLESIARUM PONTIFICALIBUS, SACRAMENTARIIS,

MISSALIBUS, BREVIARIIS, RITUALIBUS, five MANUALIBUS,

Ordinariis feu Confuetudinariis, cùm manufcriptis, tùm editis;

EX DIVERSIS CONCILIORUM DECRETIS, EPISCOPORUM STATUTIS ALIISQUE PROBATIS AUCTORIBUS PERMULTIS

COLLECTI ATQUE EXORNATI

A REVERENDO PATRE DOMNO

EDMUNDO MARTENE

PRESBYTERO ET MONACHO BENEDICTINO E CONGREGATIONE S. MAURI.

EDITIO NOVISSIMA

Ab eodem Auctore tertiam ultra partem aucta, & novis uberrimis Indicibus locupletata.

A C C E D U N T

I. Tractatus de antiqua Ecclefiæ Difciplina in Divinis celebrandis Officiis.
II. De Monachorum Ritibus Libri V. denuo illuftrati.
III. Manufcriptorum Opufculorum, ad Monachorum Ritus Appendix.

TOMUS QUARTUS.



ANTUERPIÆ, MDCCLXIV.

PROSTANT VENETIIS

In Bibliopolio Jo: Baptistæ Novelli, fub Signo REDEMPTORIS.

ILL.MO AC REV.MO DOMINO,

DOMINO LUDOVICO CALLINO

EPISCOPO CREMENSI

EDITOR OPERIS
S. P. D.

QUod erat ſummopere in votis , mihique a diuturnis temporibus vehementer expetitum, ILL.ME *ac* REV.ME PRÆSUL, *ut publico quopiam obſequii argumento , quanti æſtimem Te , atque colam , orbi univerſo manifeſtarem ; id tandem per ſummam certe humanitatem, qua cæteris virtutibus tuis decus addere atque ornamentum conſueviſti, ultra ſpem, meritumque meum contigiſſe lubenter aſpicio. Quid*

enim vel mihi ardentius exoptandum, vel fortunatius evenire unquam potuisset, quam Te Virum, tantum praeclara, & generosa stirpe progenitum, atque in excelso Sacratissimi Praesulatus fastigio collocatum, eo usque descendisse, ut liberaliter permitteres, hoc Monasticorum Rituum volumen celeberrimo Nomini tuo inscriberem; quo non modo praesenti aevo, verumetiam posteris omnibus devotionem erga Te meam, studiumque tui obsequentissimum palam profiterer. Caeterum, ut aperte dicam, haud equidem miror, abundare Te humanitatis officiis, cum ex ea Familia progenitus sis, quae rebus belli domique peregregie gestis decus, meritumque jure sibi comparavit genuinae Nobilitatis, quae ad tenuis fortunae hominis se comiter, benigneque demittere non abhorret. Callina Gens, quam Tu modo haud mediocriter illustras, protulit quamplurimos Viros, quorum praeclare gesta, adhuc in veterum Historiis ad nostri, ac posteriorum institutionem consignata leguntur. Unum satis superque sit e tam florenti, vastoque campo seligere, Getium Callinum, qui cum Damascenae Urbis moenia ab Cruce-signatorum exercitu obsidione premerentur, omnium primus, admota scala, muros conscendit, & contra refertissimam Saracenorum manum rem fortiter gerens insigne vexillum defixit; tamque diu adversus Hostes erectus atque alacer stetit, donec pluribus jam tentatus vulneribus, atque impar ferendae Hostium turbae, per eandem scalam, sublato vexillo, impavidus repedavit. Quod luculentum facinus ob oculos Christiani exercitus patratum adeo Imperatorem Conradum permovit, ut ei pro Gentilitio stemmate auream scalam, albumque in aureo campo Vexillum indulserit, quod ad Posteros transmisit in perenne fortitudinis, ac bellicae virtutis suae monimentum. Atque non multo post Brixiana Urbs fortissimo civi suo applaudens militarem Pileum Getio dandum decrevit, qui ab Abbate S. Faustini, pompa celeberrima, singulis annis recurrentibus, omnium praestantiori, qui per id temporis degeret, impertiri consueverat: quo solemni Ritu etiam caeterorum Equitum ab Urbe delectorum Dux constituebatur. Hoc memorando Getii exemplo incitati quamplures Gentiles tui, militiae, ac belli studiis, artibusque adeo inclaruerunt, ut operosum nimis, atque prolixum foret, singulos recensere Melitenses Equites, aliosque sacris Militaribus Ordinibus adscriptos, qui rem Christianam armis, & sanguine augere, tuerique perpetuo satagerunt. Atque hinc Familia tua ad eum decoris, & famae gradum adscendit, ut semper inter primas nobilioresque constituta, praecipuis honorum muneribus, non interrupta saeculorum serie, in Patria perfuncta sit. Testis mihi, ut veteres mittam, Claris. Pater tuus, qui ab Serenissimo Venetiarum Dominio eo loci semper est habitus, ut non uno existimationis, & amoris argumento, quam sibi carus acceptusque foret, saepissime ostenderit. Quoniam autem Christiana Respublica non armis modo viriumque robore, verum etiam, & multo quidem magis, vitae probitate, sapientia, optimisque consiliis juvatur; non defuerunt in Gente Tua praeclarissimi Viri, qui hoc laudis genere potissimum celebrantur. Vivit adhuc, vivetque imposterum nunquam intermoriturum nomen Mutii Callini Jadrensis Archiepiscopi, qui Tridentino Concilio interfuit, tantaque praestitit doctrina, & Ecclesiastica eruditione, ut nemini gravissimorum illorum Patrum secundus extiterit. Hujus Tu vestigia pressius secutus ita vitam, moresque tuos instituisti, ut dignus tandem evaderes, qui Ecclesiae Cremensi praeficereris. Ecclesiasticis eapropter studiis ab ineunte aetate innutritus hoc Edmundi Martene de Monasticis Ritibus eximium opus, benigno hilarique vultu excipies. Et quamquam eorum nihil latere Te possit, quae in priori editione fuerant evulgata, tamen si tibi suppetet otium per eumdem Librum rursus excurrendi, quam plura noviter addita deprehendes, quae ipsius Claris. Auctor partim ex celebratissimis jam editis Operibus delibavit, partim vero ex ineditis Manuscriptis nunc primum ad omnium revocavit usuram; unde huic editioni nostrae pretium accessit haud quaquam mediocre. Videbis, quam solliciti, accuratique fuerint veteres Monachi in absolvendis officiis omnibus, quae sive Deum, sive reliquos hominum respiciunt. Cernes, quanta fuerit apud eos rerum Divinarum cura, quanta in Dei laudibus persolvendis vigilantia, quanta in Sacramentorum usu diligentia, quam denique sedulam navarint operam, in hospitibus, ac egenis excipiendis, fovendis, alendisque. Quae cum singula lustraveris, facile dignosces Monachorum virtutes fuisse Te sub Episcopalibus infulis aemulatum. Virtutum omnium Cultor egregius, quarum studium Apostolus Paulus praescribit Episcopis, unam praeceteris, Principibus, Nobilibusque Viris maxime dignam, delegisti. Benignitas ea est, quam adeo tui propriam effecisti, ut vel ipso ore tuo ad lenitatem semper composito etiam tantum intuentibus exprimas. Hac duce ita florentissimi Gregis Tui, nec non exterorum animos devinxisti, ut Te omnes incredibili propemodum veneratione, & amore prosequantur. Et sane nihil magis homines protrahit, allicitque, quam suavitas concinnitasque

tasque morum, præsertim si in eo hominum genere occurrat, quorum dignitas & munus sibi gravitatem atque severitatem videtur tantummodo copulare. Hac ego humanitate tua fretus, illectusque, confisus sum, me tibi sistere, Te alloqui, librumque noviter a me recusum offerre, quem velim accipias in perenne obsequii mei argumentum, virtutisque tuæ sincerum testimonium. Faxit Deus Optimus Maximus, ut diutissimo tempore incolumis atque sospes vivas: sic enim diutius gaudebit Brixia optimo Cive, Cremensis Urbs Religiosissimo Pastore recreabitur, ego humanissimo Mecœnate gloriabor.

Dabam Pridie Kal. Octob. MDCCXXXVIII.

EDITORIS MONITUM.

EGregium opus Clariss. V. *Edmundi Martene* de Antiquis Ecclesiæ Ritibus *anno proxime elapso, magnis ditatum incrementis, publicæ luci reddidimus: nunc amicorum precibus, atque re ipsa sollicitati istud quoque* de Antiquis Monachorum Ritibus, *ut bene de Republico litteraria, quod unice satagimus, mereremur, illi eidem adjungere opportunum, & commodum arbitrati sumus. Perspeximus enim utrosque ritus tam arcte semet complecti, ut ægre ab invicem divelli, ac separari paterentur. Ac quemadmodum plerumque ritibus Ecclesiarum Monachi sese accommodarunt; ita subinde Ecclesiæ ipsæ Monachorum ritus nonnullos usurpare, atque ad hunc usque diem retinere dedignatæ non sunt. Accedit, hoc Monasticorum rituum volumen non levi accessione ab ipso Clariss. Authore locupletatum esse, & quamplurima typorum sphalmata, quæ in Parisiensi editione irrepserant, fuisse sublata. Tandem, quod operæ pretium nobis videtur, adjecta est ad calcem* APPENDIX *non exiguæ molis, quæ primo exhibet loco antiquas* Consuetudines *insignis Monasterii S. Vitoni Virdunensis, quas Cl. Author ab Eruditissimo Viro Domno* Augustino Calmet *Abbate Senonensi recepit, erutos ex Vitoniano MSto, quæ nunc primum typis donantur. Hosce consequitur* Capitulum generale *Nigrorum Monachorum Provinciæ Coloniensis, & Trevirensis anno MCCCCXXII. in Monasterio S. Maximini ad Muros Trevirenses celebratum, quod ad hoc temporis ineditum, ex MSto Codice S. Laurentii Leodiensis descriptum est. Postremum locum obtinet* Regula S. Stephani *Ordinis Grandimontensis Institutoris, quam cum MSto Codice S. Victoris comparavit Cl. Author, præviisque illustravit observationibus. Ut vero majori luce res ad Grandimontensem familiam spectantes perfunderentur; aliquot Romanorum Pontificum Epistolæ, Statuta, aliaque plura id generis Ordinem Grandimontensem respicientia hactenus inedita, ab Authore Clariss. collecta heic in apertum protrahuntur. Hac porro ingenti accessione facile intelligent omnes, librum aliqua ex parte novum in hac editione nostra recusum fuisse. Neque enim amamus nos, quod plerique solent Typographorum lucelli gratia, librorum jam editorum numerum dumtaxat augere; sed quotquot imprimi curavimus, effecimus semper, ut iis aliquid accederet, quo pristino operi novus decor conciliaretur, haberentque litterati viri, quod eorum studiis conducere non minimum posset. Quæ ita quum sint, existimamus, Ecclesiasticæ antiquitatis, & disciplinæ monasticæ studiosos hoc volumen eodem modulo, ac typis impressum, quibus tria priora de antiquis Ecclesiæ ritibus, lubenti promtoque animo suscepturos, nobisque addituros fore animum, ut majora in dies pro fovendis litteratorum studiis moliamur, perficiamusque.*

A U-

AUCTORIS
PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Etsi post editas tot gravissimorum Scriptorum de Ritibus Ecclesiasticis lucubrationes, idem iterum argumentum tractare supervacaneum prorsus nonnullis fortasse videbitur; hanc tamen de Antiquis Monachorum Ritibus collectionem piis Lectoribus haud ingratam fore speramus; non solum quod ea sit sacrarum rerum natura, ut quamdam sui reverentiam religiosis mentibus inspirent; sed etiam quod delitescentes hactenus, ac pene oblitæ Majorum nostrorum consuetudines ac ceremoniæ in ea contineantur; quarum cognitio haud parum conferre poterit, tum ad excitandum in nobis avitæ virtutis desiderium, divinumque illum fervorem excitandum, quo succensi fuerunt ii, quos vel ut parentes colimus, vel ut fratres sociosve ejusdem propositi suspicimus; tum ad prælucendum iis, qui regularis observantiæ disciplinam postmodum restituere aggredientur: quos duos potissimum hujusce operis fructus esse posse conjicimus: atque utinam hæc conjectura ut spes nostra non frustretur.

Et certe quis Majorum nostrorum sedulitatem in divinis celebrandis officiis, reverentiam in offerendis sacrificiis, diligentiam in exequendis sacris muniis, religionem in recolendis Christi mysteriis, pietatem in Sanctorum festis, attenta mentis consideratione revolvat, qui statim ad æmulanda charismata meliora non excitetur, moveatur, impellatur? Quis continuam, etiam in labore manuum psalmodiam, jugem sacræ lectionis meditationem, altum in omni fere loco & tempore silentium, assiduum orationis studium observando, non continuo a vanis terrenisque desideriis abducatur? Quis obsequia in infirmos, sollicitudinem in morientes, preces & suffragia pro defunctis legat, ut non optet dissolvi, ut citius esse possit cum Christo?

Jam vero si quis aliquando, Deo dante, collapsam in cœnobiis regularem observantiam instaurare meditatus fuerit; non pauca his in ritibus reperiet, quibus, quasi norma quadam ad ordinem optimum rectamque disciplinam restituendam, uti valeat. In primis advertere erit celeberrimum illud S. Benedicti effatum: *Nihil operi Dei præponatur*, quanta religione ab antiquis observatum sit Monachis; (*) qui peregre profecturi, audito ad divinum officium signo, si nondum pedem e monasterio extulissent, equo desiliebant psallentium choro adjungendi: Missam privatam celebraturi vestes sacras exuebant: caput novacula radentes, imperfectam tonsuram dimittebant, ut quantocius ad opus Dei concurrerent; quod stantes, nudis capitibus, oculis in terram defixis, psalmos ex corde modulantes, omni interim artificum in oratorio strepitu cessante persolvebant. Hic reperiet chori aditum

(*) Vid. Chronic. Andiense Spicil. tom. 9. pag. 451.

tum solis religiosis hospitibus reseratum, sæculares viros rarius in Monachorum sacris admissos, aliquando etiam penitus exclusos, ecclesiæ januas extra divini cursus officii omnino clausas fuisse, aliaque id genus permulta, quibus pax, quies, & religio solent in monasteriis conservari. Hic prospiciet quanto apud Majores nostros silentium fuerit in pretio, quod ne levi quidem verbo violarent, manibus digitisque in linguas mutatis, signo sibi necessaria postulabant: id quod tanta religione custodiebant, *ut qui in loquela digitorum nesciret exprimere fabam, caseum, vel ova; vel in talibus errantes corripere, vel corrigere, vel negligere, vel contemnere*; hunc Abbatem habere recusarent: qua de re scribens ad Remensem Archiepiscopum Stephanus Tornacensis queritur de Elnonensibus Monachis. Denique de receptione & institutione novitiorum, de correptione culparum, de cura & sollicitudine infirmorum, de legibus foras proficiscentium fratrum, de jejunio & secessu Adventus, & Quadragesimæ, aliaque hujusmodi quæ singillatim recensere præfationis ratio non sinit, occurrent plurima, quibus optima in cœnobiis stabilitur disciplina.

Præterea licet in gratiam Religiosorum præsertim hanc veterum monasticorum rituum collectionem ediderim: non iis tamen solis utilitatis aliquid adlaturam confido; sed aliis etiam, maxime clericis virisque ecclesiasticis: quibus præter alios ritus, perplura de Missæ sive solemnis, sive privatæ sacrificio, de Sacramentorum, præsertim Extremæ unctionis, & sacri Viatici administratione, deque modo adjuvandi infirmos ad mortem, ut alia interim non pauca prætermittam, ultro se offerent & scitu dignissima, & pietati fovendæ aptissima. At rescire optabit forte an aliquis qua occasione, quo ordine, qua methodo, quibusve ex libris hos ritus collegerim.

Cum ad res monasticas, & maxime Benedictinas, animum adjicere decrevissem, ut huicce operi manum & calamum intenderem; auctor fuit mihi in primis noster Johannes Mabillonius, qui cum vidisset probassetque, quem super Regulam S. P. Benedicti scripseram commentarium; hortatus est etiam ut antiquos Monachorum ritus, quorum aliquos, plurimis tamen prætermissis, jam attigeram, unum in volumen redigerem; ratus ad commune monasticæ reipublicæ commodum hujusmodi studium posse aliquid aliquando conferre. Optimi Patris, studiorum meorum adjutoris, mihique impense amici consiliis parui; non eo quidem animo, ut laborem meum publici juris facerem (neque enim me eum existimabam, qui luce publica dignum aliquid edere valerem,) sed præsertim ut religiosæ solitudinis otia, immo furtivas, ut ita dicam, & subcessivas post regularem observantiam horas in pium aliquod & mihi saltem utile opus impenderem.

Atque ut omnes veterum Monachorum ritus, quantum fas esset, uno hoc in volumine complecterer; illud in libros quinque dividere visum est: quorum primus quotidianos ritus repræsentaret: secundus contingentes infra hebdomadam mensemque: tertius annuos exhiberet: quartus eos qui ad Sanctorum festa pertinent: quintus denique extraordinarios incertisque temporibus contingentes ob oculos poneret.

Hos omnes ex variis Ordinariis, Consuetudinariis, Ritualibusque tum manuscriptis, tum editis, ex diversis Italiæ, Germaniæ, Angliæ, Galliæque præsertim monasteriis acceptis unum in corpus redigere conatus sum.

Ad Italiam spectant antiquus Ordo celebrandi divini officii in domo S. Benedicti (idest in Ecclesia Cassinensi) ante Pascha, Rituale, sive Ordinarium ejusdem monasterii tempore Oderisii Abbatis descriptum, & Farfenses consuetudines. Primum ex MS. codice Augustano ante annos nongentos exarato vulgavit noster Mabillonius in veterum Analectorum tomo IV. eumdem postea paulo auctiorem tempore Bertharii Abbatis descriptum reperit in monasterio Cassinensi, mihique ultro, uti & alia multa, communicavit. Ordinarium Cassinense inveni Parisiis in domo institutionis Oratorii Domini Jesu, ubi ad calcem Breviarii ejusdem monasterii litteris Longobardicis scriptum asservatur, mihique a R. P. domus Institutionis Bibliothecario benigne commodatum est. Farfenses consuetudines ex MS. codice Vaticano annorum circiter 700. Romæ existens descripsit noster Johannes Durandus, easdemque esse cum Romanis S. Pauli, nobis post incœptam hujus operis editionem transmissis, deprehendi.

Germaniæ ritus antiquos, quales sæculo decimo in omnibus passim monasteriis observabantur, exhibuit eodem MS. Einsidlensis ante annos 700. exaratus.

Con-

Consuetudines Angliæ veteres habemus, tum in Regulari concordia Monachorum Sanctimonialiumque Anglicæ nationis, quam sub Eadgaro Rege composuit S. Dunstanus, non quasi novas aliquas ceremonias inducens, sed potius antiquas, uti ipse testatur, a superstitiosis vitiosisque ritibus expurgatas confirmans; tum in Statutis Lanfranci, quæ integro post sæculo in præcipuis Angliæ Abbatiis recepta erant.

Multo plura nobis suppeditarunt Galliæ monasteria. Ex Corbejensi habuimus vetus Calendarium cum ordine celebrandi divini officii in Majori hebdomada; utrumque ab annis circiter 800. scriptum, antiquum Ordinarium ab annis 600., consuetudines a 3000., & Rituale cum recenti Calendario anno 1411. a Stephano *De Renty* Officiali compactum: cum prædicto Corbejensi ordinario extant antiquæ Cluniacensis monasterii consuetudines tempore S. Hugonis a Bernardo Cluniacensi monacho scriptæ, longe auctiores iis, quas Spicilegii tomo IV. ex Udalrico vulgavit noster Acherius. Ab his haud multum discrepant Divionenses S. Benigni, quas ab annis circiter 600. eleganter scriptas ex Divionensi monasterio accepi cum Rituali de novitiorum professione, & mortuorum sepultura. Ex ejusdem quoque Asceterii bibliotheca Beccensis monasterii Rituale annorum circiter 400. mihi suppeditatum est, Beccenses insuper Usus antiquos reperi in monasterio Lyrensi, quorum duplex exemplar uno in volumine continetur, unum brevius annorum circiter 500. alterum auctius annorum 400. Lyrenses Consuetudines exhibuerunt duo codices MSS. qui annos 300. superare non videntur. Collectaneum S. Petri supra Divam anno 1273. exaratum est, Ordinarium ejusdem cœnobii non multo post. Ejusdem videntur esse ætatis Consuetudines S. Dionysii in Francia, quas in duplici codice MS. offendi; uno in Dionysiano monasterio ante annos 400. scripto; altero paulo post in locupletissima bibliotheca Colbertina, quem cum Tullensi S. Apri Ordinario annorum 400., & Consuetudinibus Canonicorum Regularium S. Ruffi annorum 500. pro solita in omnes, sed in nostros præsertim urbanitate humanissime mihi commodavit ejusdem bibliothecæ Præfectus Stephanus Baluzius, eruditione clarissimus, libris editis omnibus notus, & adjuvandis viris litteratis natus. Præter hos duos Consuetudinum S. Dionysii codices, tertium insuper, at recentius scriptum occurrit mihi in Dionysiano monasterio, quo semel tantum aut secundo usus sum. Ab his non multum recedunt Compendienses S. Cornelii, quæ, ut & Laudunenses S. Vincentii, Parisienses S. Germani, duplexque Breviarium Parisiense annorum sunt 300. Rituale Anianensis monasterii lacerum annos habet 400. Porro quod de ætate MSS. hic ponimus, non sic intelligi volumus, quasi tunc primum instituti essent Ritus in iis contenti: nam longe antiquiores esse pro explorato habetur; sed ætatem hic annotamus non Rituum, sed codicum, ex quibus si quod deduci queat argumentum, non de Rituum recenti institutione, sed de constanti eorum ab antiquis traditione ad ea usque tempora quibus descripti fuerunt eorum libri, interpretandum est: quamvis haud eamus inficias, nonnullos subinde processu temporis iis insertos fuisse, quos facili negotio deprehendent rerum antiquarum periti.

Præter enumeratos monasticorum Rituum codices sive manuscriptos, sive editos, qui singulis cœnobiis singuli proprii fuisse videntur; insigniorum etiam Ordinum, seu Congregationum, puta Cartusiensium, Cisterciensium, Grandimontensium, Bursfeldensium, & Casalinorum Usus, & Consuetudines scrutatus sum. Cartusienses repræsentarunt Statuta Guigonis, Statuta Risferii, (antiqua solent appellare) Statuta Guillelmi Raynaldi, (nova dicuntur) Statuta Francisci a Puteo in tertia compilatione contenta, ac tandem Ordinarium Cartusiense anno 1581. typis Parisinis mandatum, cum Missali anno 1541. impresso. Cistercienses complectitur Nomasticon Cisterciense, in quo continentur liber Usuum, Instituta, Institutiones, antiquæ & novellæ definitiones Capitulorum generalium Ordinis Cisterciensis. Grandimontenses offendimus in Consuetudinibus Guillelmi Pellicerii primi Grandimontensis Abbatis, qui una cum Statutis nonnullis ejusdem ordinis MSS. asservantur in bibliotheca S. Germani a Pratis. Bursfeldenses in Ordinario, & Ceremoniali ante annos ducentos; Casalinorum item in Ceremoniali anno 1531. compilato habentur.

Præsentem igitur collectionem ex his omnibus libris adornavi, in quibus quidquid reperi, confirmare, quidquid deest, supplere studui ex diversis Sanctorum Actis, monasteriorum Chronicis, & Historiis, antiquis Monachorum Regulis, aliis-

aliisque probatis Auctoribus perpluribus, quorum laudatas a me sententias ansulis includi curavi. In fine habes duplicem Indicem; unum Voces Exoticas minusque usitatas explicantem; alterum Rituum hoc in volumine contentorum. Ceterum cum alienis curis hujus editionis executionem demandare coactus fuerim; fieri minime potuit, ut absente me, Typographis Scripturæ minus pictæ nondum assuetis, errata quædam non subrepserint; tametsi laudare satis nequeo diligentiam ac sollicitudinem urbanissimi viri Johannis Anissonii, Civis ac Bibliopolæ Lugdunensis, qui non modo operis editionem, verum etiam ejusdem correctionem quantum ipsi per curas varias, & negotia quibus distrahitur, licuit, in se suscipere non est gravatus.

Ceterum si hanc Rituum monasticorum collectionem fratribus nostris, quorum præcipue causa hunc laborem aggressus sum, aliisque rerum sacrarum studiosis viris probari intellexero, ad consimilem Rituum ecclesiasticorum editionem, operam ac diligentiam meam applicare non refugiam.

INDEX

INDEX
LIBRORUM, ET CAPITUM
HUJUS TOMI QUARTI.

LIBER PRIMUS.

De Ritibus quotidianis.

LIBER SECUNDUS.

De Ritibus per hebdomadam, & mensem contingentibus.

LIBER TERTIUS.

De Ritibus per annum contingentibus.

LIBER QUARTUS.

De Festis.

LIBER QUINTUS.

De Ritibus incertis temporibus contingentibus.

CAP. VII.

APPENDIX.

FACULTAS REVERENDISSIMI P. GENERALIS.

FRater CLAUDIUS BOISTARD humilis Superior Generalis Congregationis S. Mauri in Gallia, Ordinis S. Benedicti: *Libros quinque de Antiquis Monachorum Ritibus, & variis Ordinariis, Consuetudinariis, Ritualibusque MSS. ex Antiquis Monachorum Regulis, ex diversis Sanctorum Actis, Monasteriorum Chronicis, & Historiis, aliisque probatis auctoribus permultis collectos studio & cura* D. EDMUNDI MARTENE, *ejusdem Congregationis Presbyteri & Monachi*; & a quibusdam nostræ Congregationis Theologis examinatos & probatos, typis mandari permittimus. Datum in Monasterio S. Germani a Pratis, die 25. Novembris anni 1687. sub signo & sigillo nostro, & Secretarii nostri subscriptione.

Fr. CLAUDIUS BOISTARD, Generalis.

De mandato Reverendissimi Patris Superioris Generalis.

Fr. GEORGIUS LAUVEL, Secretarius.

DE

DE ANTIQUIS MONACHORUM RITIBUS LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

De Ritibus Quotidianis.

CAPUT PRIMUM.

Quo ritu veteres Monachi nocte surgerent.

I. IN quotidianis veterum Monachorum ritibus scribendis, non tam materiæ dignitatem, quam ipsam exercitiorum seriem attendendam existimavi. Quapropter ab ipso diei principio exordium ducens, ante omnia antiquum Monachorum surgendi modum referre mihi proposui: ubi quatuor potissimum exponenda sunt. 1. Quanam hora veteres Monachi surgerent. 2. Quomodo horam illam observarent. 3. Quo pacto sese excitarent. 4. Denique quænam surgendo præstarent.

II. Primum quod spectat, licet unam surgendi regulam Prophetæ Regis exemplum, qui media nocte surgebat ad confitendum Deo, sibi proposuerint, quotquot exstitere veteres Monachi; tamen quia, ut bene notavit Cardinalis Bona, medium noctis duobus modis sumi potest; stricte pro eo temporis puncto, quod æqualiter distat ab exordio noctis, & ab ejus termino; & late, pro quocumque temporis spatio, quod est inter duo ejusdem noctis extrema: hinc varia apud eos exorta est surgendi diversitas. Alii enim stricte & ad litteram prophetica verba accipientes, ne uno quidem momento citius aut tardius media nocte surgebant: Tales erant qui ad galli cantum vigilias nocturnas celebrabant, de quibus S. Chrysost. homilia 59. ad popul. Antioch. & homil. in Ep. 1. ad Timoth. *Galli cantu continuo Præpositus assistit, pulsatque modice pede jacentem, sicque omnes uno pretious excitat*; nam gallus tunc primum cantare incipit, cum mox in suo cursu medium iter peregit, & declinare incipit; unde etiam in antiquis Missalibus prima Missa quæ in die Natalis Domini media nocte celebrari solet, inscribitur *Missa in galli cantu*. Tales etiam haud dubium erant qui sub Sancti Basilii institutis agebant; (Reg. fus. c. 37.) ter enim nocte laudes Deo persolvebant; scilicet noctis initio, media nocte, & ante diluculum. Similiter qui Abbatis Isaiæ regulam observabant, in cujus num. 57. lego: *Medium noctem ad invigilandum orationi decerne, alteram vero medietatem requiei corporis sui*. Noctis medio pulsante matutinali signo, vita S. Berlendis Sæc. 3. Bened. parte 1. pag. 18. S. Columbanus etiam in regulæ c. 7. ad nocturnas vigilias medium noctis assignat, sicuti & regula MS. incerti auctoris cap. 2. Sed & Sanctimoniales in S. Eudociæ parthenone viventes *de more* circa mediam noctem surgebant, ex ejus vita n. 33. apud Boll. 1. Mart. Eadem hora surgunt etiam nunc alii communites Ordines Religiosi, quod & summa cum laude observant Cathedralis Ecclesiæ Parisiensis Canonici.

III. Alii vero quibus plus cordi erant vigiliæ quam somnus, etiam ante mediam noctem strato exsurgebant ad confitendum Deo, quales erant S. Ursi Abbatis discipuli, * qui media nocte in oratorio vigilasse leguntur apud Gregorium Turonensem; quos proinde antea surrexisse oportebat. Ex his insigne nobis exemplum suppeditat Ruffinus ** in illis fratribus, qui quatuor noctis horis dormiebant, quatuor psallebant, quatuor laborabant: ad quos nostra ætate accedunt Monachi Cartusienses, qui quotidie duabus ante mediam noctem horis surgentes, maximam ejus partem Divinis laudibus impendunt, quamvis in sui prima institutione longe tardius surrexisse facile colligas ex Guigonis Statutis, cap. 29. quæ vigilias ita determinans, ut facto post nocturnos intervallo, *quod ad plus septem pœnitentiales Psalmos capere valeat. Sequantur deinde Matutinæ Laudes, quas a Calendis Octobris usque Pascha lux terminat, exinde inchoat.*

IV. Ex opposito S. P. Benedictus insignis Monachorum Patriarcha, & discretione præcipuus, Reg. c. 8. habita infirmitatis humanæ ratione discipulos suos modice amplius de media nocte dormire constituit, ut jam digesti & alacres surgerent ad vigilias nocturnas celebrandas hora noctis octava. (*a*) Quomodo autem intelligenda sit illa noctis octava hora, a nobis expositum est in Commentario Regulæ Benedictinæ cap. 8. Non defuerunt tamen e nostris, qui etiam media nocte surgerent, ut sunt Bursfeldenses in Germania, Vallisoletani in Hispania, & pleræque Sanctimoniales in Gallia.

V. Mediam Magister tenuit viam. Hic nimirum habita ratione temporum, hyeme quo prolixiores sunt noctes, ante gallorum cantum; æstate qua breviores, postea discipulos suos surgere instituit: Reg. mag. c. 33. „In officio nocturno, *inquit*, uno tempore psallantur ante pul-„lorum cantum in hyeme nocturni, dicente Prophete: „Media nocte surgebam ad confitendum tibi; & de æsta-„te item dicit, Nocte vigilas spiritus meus ad te Deus. „Hoc est de parte aliqua noctis post pullorum jam can-

tum si-

* l. de vit. Pat. c. 10.

** l. 3. de vit. Patr. n. 199.

(*a*) Eandem horam ad surgendum Canonicis assignat Crodegangus Metensis Ep. in Regula pro ipsis edita cap. 15. Spicil. g. tom. 1. & ordo Romanus in Cœna Domini.

„ tum signum fiat surgendi. Sed hoc a vigilantibus in „ hyeme cavendum est, ne nocturnos psallus aut excedat aut deprehendat, quia largent noctes in tempore „ hyemis.

VI. Simile aliquid de Parisiensibus nostris S. Germani reperio in antiquis eorum consuetudinibus manu exaratis, in quibus legitur: (Dominica prima in Adventu Domini debent pulsari Matutinæ circa mediam noctem, vel „ ante; ita quod non gravetur conventus; & sciendum „ quod debent pulsari Matutinæ de nocte e festo S. Augustini usque ad Dedicationem; & de die debent pulsari „ e Dedicatione usque ad dictum Festum Beati Augustini; c. 3. hoc est a die Aprilis 21. ad diem Aug. 28.

VII. S. Fructuosus Bracarensis Episcopus ter nocte laudes Deo a suis Monachis persolvi constituit, scilicet ante mediam noctem, media nocte, & ante Matutinum. Hos omnes superabant Abbatis Ammonii discipuli, quorum, teste Paladio, (Monum. Eccles. Græc. tom. 3. p. 164.) *quidam tota nocte nequaquam dormiebant; sed sedentes, vel stantes usque ad mane perseverabant in oratione.*

VIII. Sed cum illis temporibus non essent horologia, quæret aliquis quo modo statutas sibi surgendi horas, quas per diem ex cursu solis, vel ejus umbra metiebantur, nocte dignoscere possent; & hoc est secundum, quod hic nobis exponendum proposuimus. Illud vero sex potissimum modis præstabant. Nam primo antiqui Monachi, teste Cassiano L. 2. c. 17. ex aspectu siderum nocturnæ synaxeos horam explorabant: „ (Is autem, *inquit*, cui religiosi „ conventus commonitio, vel synaxeos cura committi- „ tur, non passim, ut libitum est, nec prout nocte fuerit „ expergefactus, aut opportunitas eum somni proprii seu „ insomnii coartat, fratres etiam ad quotidianas vigilias „ exsuscitare præsumit; sed quamvis eum consuetudo diuturna hora solita evigilare compellat; tamen sollicite frequenterque stellarum cursu præstitutum congregationis „ tempus explorans ad orationis eos invitat officium.) Idem a nostris Cluniacensibus observatum fuisse colligitur ex relatione de miraculis S. Hugonis, quæ habetur in Bibliot. Clun. pag. 448. & e Sanctimonialibus S. Odiliæ Hoemburg. ex quibus una „ [sanctarum feminarum, cujus „ ministerium erat horam divini officii prævidere, surgens „ egressa est foras, ut stellis contemplatis, sciret si jam „ esset tempus ad signum nocturnale pulsandum,) ut „ scribit Anonym. in vita S. Odiliæ n. 17. & Append. ad sæc. 3. p. 493. „ Similiter Drogo ex Cœnobita Floriacensi factus eremita, explorabat stellarum in ortu competentis horæ adventum, in qua Deo & protectori suo „ laudum præconia sancto persolveret Benedicto, teste Aimoino in lib. 1. de mirac. S. Bened. nn. 15. sæc. 4. pars. 2. p. 361.

IX. Secundo ex lectionis prolixitate, aut psalmorum numero, quos observator horarum reciteras, præstitutum vigiliarum tempus agnoscebat, „ (Porro psallendi sibi faciat consuetudinem, *inquit Petrus Damiani Opusc.* 13. „ c. 17. si discernendi horas quotidianam habere desiderat notionem; ut quandocumque solis claritas, sive stellarum varietas nubium densitate non cernitur, illic in „ quantitate psalmodiæ quam tenuerit, quoddam sibi velut horologium metiatur.) Hunc ritum indicat Conc. Turon. 2. c. 14. statuens, ut *schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut Abbate, aut Præposito gubernante, ut dum duo vel tres vicissim & legunt, & excubant, alii consolentur.* Ubi obiter observandum est, in nonnullis olim monasteriis aliquos ex fratribus tota nocte vigilasse, qui reliquos hora præstituta excitarent. Sic Regula Magistri c. 31. duos quotidie fratres vigilare constituit, ut alios statuta ad vigilias hora expergefacerent, quos & *Vigilgellos* nominat; duos autem vigilare jussit, ut si quem forte somno opprimi contingeret, alter ejus fratres suscitandi vices expleret. Hi in Ordine S. Benedicti erant Decani sive seniores, qui nocte solliciti super Decanias manebant, vigilias noctis custodientes, & lectos frequenter circumeuntes, ut docent Hildemarus & Bernardus Cassinens. super Reg. S. Bened. c. 22. Hujus rei praxim videre est in vita S. Leobini; * „ (cui obbedientiæ „ humiliter cellarium creditum & temperandarum cursus horarum, & vigiliarum diligentia committitur. Qua „ occupatione detentus per diem se lectioni vacare non „ posse comperiens, declinantibus ad dormiendum monachis „ pernoctabat orans: & in vita Aicadri Abbatis n. 28. „ Quadam nocte ille Pastor egregius *vigilias divinas* super „ gregem Dominicum faciens fratribus omnibus *præter custodies* in lecto soporatis, vidit in parte meridiana umbram horribilem, &c.

X. Tertio ex cereæ ardentis candelæ consumtione. Ita Divionenses S. Benigni consuetudines cap. 6. de Apocrisario seu principali Sacrista: *Horologium, inquiunt, dirigit, & diligenter temperat: de quo cum fieri possit et aliquando fallatur, ipse notare debet in cereo, & in cursu stellarum, vel etiam lunæ, ut alios surgere faciat.*

XI. Quarto clepsydris sive aquariis horologiis utebantur; hinc Hildemarus: *Qui hoc rationabiliter vult facere, horologium aqua illi necessarium est.* **

XII. Quinto gallorum cantu ut plurimum regebantur Monachi, ad quem etiam nonnulli vigilias celebrabant. Regula S. Posthumio ab Angelo tradita n. 15. „ (Experrectis nulla de sæcularibus caussa ingerenda, donec ad galli „ cantum fraternarum orationum communis hora succedat:) S. Joannes Chrysostomus Monachorum vitam describens in homil. 59. ad popul. Antioch. „ (Postquam gallus cantavit, „ statim veniens Prælatus, & pede solum simpliciter cædens omnes excitavit; mox stetim surgentes stant hymnos canentes propheticos multa cum vocis consonantia.) Regula vivendi Monachis a S. Davide præscripta apud Boll. 1. Mart. *Pullorum vero cantu exciteti, Orationi & genuflexioni operam dantes, totam deinceps noctem insomnem ducebant.* Galli cantum observabant haud dubium nostri Meldenses S. Faronis, quorum basilicæ sonus signi cum gallo plaudenti respondisse dicitur apud Hildegarium in vita S. Faronis c. 120. sæc. 2. Similiter qui sub S. Philiberto in Quinciacensi monasterio vivebant: *Hi etiam gallo canente nocturnale initiantes officium* leguntur in vita S. Aicadri Abbatis n. 8. sæc. 2. p. 956. Idem de Stabulensibus nostris asserendum est, de quibus Godescalcus in vita Sancti Laedeberti Episcopi n. 5. sæc. 3. part. 1. p. 71. *Citius*, inquit, *gallorum cantus adfuit, nec mora fratres monasterii pulsato signo ingrediuntur ad vigilias.* Denique posterioris temporibus excitatoriis usi sunt horologiis paulo ante vigilias aliquem ex fratribus edito strepitu excitantibus, reliquos mox excitaturum. Horum usus ab annis amplius quadringentis videtur apud Bernardum Cassinensem in Regulæ Benedictinæ cap. 8. ita scribentem: „ (Facta autem jam hora octava, modicum erit amplius de „ media nocte, quando surrexit, *horologio excitante*, qui „ habet horologium custodire, & accensis lucernis Ecclesiæ, quæ poterant propter prolixitatem noctis fuisse „ obscuratæ, et pulsatis campanis ad dormientium fratrum „ excitationem potuit transire dimidia octavæ horæ, antequam surrexerint Fratres.) Ubi etiam obiter observandum est, eum, cui alios excitandi cura commissa erat, solitum fuisse Ecclesiæ lampades accendere, priusquam surgendi signum faceret, quem forte ritum respicit locus ex miraculis S. Marii Abbatis n. 4. (Sæc. 1. Bened.) ubi dicitur: *quod quadam vice quidam vir Religiosus ejusdem vici Dei basilicæ custos cum circa medium noctis ad Ecclesiam veniret, ut lumen lampadi daret, extinctam reperit.* Et Anonymus in l. 3. de gestis sanctorum Rotonensium cap. 5. (Sæc. 4. part. 2. p. 218.) *cum autem custos ex more vigilasset, ut lampades recrearet &c.* Ubi vero surgendi horæ advenisset, is cui alios expergiscendi cura commissa erat, qui ut plurimum erat (*a*) Abbas seu Prælatus, ut supra vidimus ex S. Joanne Chrysostomo; quod etiam erga Clericos olim præstabat Episcopus, ut adnotavit Mabillonius noster agens de cursu Gallicano in Appendice ad Liturgiam Gallic. n. 40. Fratres excitabat, idque variis modis pro consuetudine locorum, nutu ac voluntate Abbatum.

XIII. Primo enim alii propter silentii religionem dormientes solo corporis motu excitabant, ut patet ex citato Joanne Chrysostomo in homil. 59. ad pop. Antioch. & in Epist. 1. ad Timoth. *Galli cantu continuo Præpositus assistit, pulsat modice pede jacentem, sic una omnes protinus excitat.*

XIV. Secundo voce aliqua altius prolata & decantata; & ita excitabantur Pachomiani: „ (Audito signo excitantis, *inquit Reg. S. Pachomii*, aut voce psallentis, omnes surgant currentes ad orationem; & in Vita S. Pachomii, c. 45. l. 1. de vit. Pat. „ ab hora nona usque „ ad illud tempus quo frater qui nocturnis orationibus præerat *vocem mitteret*, & ad preces solitas excitaret, instantiam suæ supplicationis extendit. Quænam autem esset illa vox, omnino me fugit; constat tamen ex sancto Augustino vocem *Deo gratias* a Monachis valde frequentatem; ex S. Hyeronimo voce *alleluja* vocatos fuisse ad collectam, quibus uti etiam Pachomiani potuerunt, aut forte hymno ali-

* Inter act. SS. O. S. B. sæc. 1. pag. 523. Sæc. 2. pag. 965.

** Hild. in c. 8. Reg. S. B.

(*a*) S. Austreberta Abbatissa Pauliacensis Sorores excitabat ad nocturnas vigilias; ex ejus Vit. n. 16. sæc. 3. part. 1. p. 34. S. Corbinianus ad matutinas laudes clerum excitasse legitur in ejus Vita ab Aribone scripta, n. 23. sæc. 3. part. 1. p. 512.

aliquo, vel psalmo ad rem venienti, puta, *In noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Dominum*, & similibus.

XV. Tertio ligneo crepitaculo; Hinc Leo Imperator in panegyrico de S. Chrysostomo: *Hic adhuc dubitantibus excubitor ad matutina cantica excitat ligni pulsibus*. Nostri quoque Einsildenses Monachi ad *sonitum ligni* surrexisse leguntur in consuet. Germaniæ n. 4.

XVI. Quarto malleo dormientium Fratrum ostium percutiebant; sic Adolius Tarsensis l. 8. de vit. Pat. c. 104. *tempore consueto excitatorio malleo pulsabat cellas omnium, ut congregent ad oratoria*: & S. Ephrem „ (Quando fores „ tuas nocte Frater pulsaverit, *inquit*, ut ad collaudan„ dum Deum consurgas, prompte atque alacriter te erige, „ ut & negligentes promtitudinem tuam cernentes, „ animam suam ad sobrietatem vigilantiamque exci„ tent.) His omnibus excitandi modis apud antiquos Monachos usitetis uti potuerunt & nostri Benedictini, quos etiam aliis usos fuisse legimus. Par. 19.

XVII. Quinto etiam squilla sive campanula Fratres excitabant, ut habetur in vita Sancti Benedicti Abbatis Anianensis n. 52. sæc. 4. Ben. part. 1. „ (Primitus si„ quidem quam signum horis nocturnis pulsetur, in Fratrum „ dormitorio squillam tangere jussit, ut prius Monacho„ rum congregatio orationibus fulti propria residerent per „ loca.) Sic in Fontenellensi Monasterio *ad matutinas vigilias de præfato Apostolo* Andrea *persolvendas noster Pertinarius nolam pulsavit pro Fratribus excitandis*, inquit Ingulfus ex Priore Fontanellensi Abbas Croylandensis in hist.

XVIII. Sexto sola Ecclesiæ campana, ut ex citato supra Bernardo Cassinensi a. 8. Reg. S. B. *Et pulsatur campanis ad dormientium Fratrum excitationem*; quod clarius patet ex Petro Venerabili lib. 1. Mirac. c. 17. ubi loquens de Algero Monacho novitio, sic habet: „ Visum „ vero est ei quod signum in Ecclesia *more solito ad nocturnas laudes fratres excitans* pulsaretur, surrexit ergo & „ campanam, ut videbatur, fortiter resonantem audiens, „ ad Ecclesiam festinabat. Et sane assueti statuta quo„ tidie hora surgere, solo hoc signo facile expergefieri „ possunt.

XIX. Septimo pedum tripudio excitatos fuisse nostros videmus in antiquis consuetudinibus Monasterii Floriacensis, ubi legitur, quod quodam tempore solito sonitu Fratres non excitentur, sed ejus loco *Prior primus surgens tripudio pedum, & incessu duriori incedens expergefaciat separatet*; & in M. S. consuetudinibus Regalis S. Dionisii in Francia Monasterii feria secunda in Rogationibus: *cum autem voluerit Prior ut surgant, sonitu pedum eos excitet*.

XX. Octavo pueri virga excitabantur a suis Magistris, ut in MSS. Corbejensis Monasterii ordinario legimus. Ubi de Rogationib. *Tamen postquam pueri legere incipiunt, quos ad horam competentem Magister cum* VIRGA EXCITAT *quam quietius potest, amplius jacere non præsumunt*.

XXI. Nono denique Magister in Regula c. 32. hunc excitandi morem instituit: Ubi advenisset hora surgendi constituta, qui ex duobus vigilgallis sive excitatoribus reperiebatur vigilans collegam suum lente excitabat, ambuque surgentes ad lectum Abbatis cum reverentia veniebant, ubi oratione facta, dicebant sibi lente hunc versum *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, quo completo, mox pulsantes pedes Abbatis suscitabant eum: eo expergefacto dicebant simul *Deus*, quo audito Abbas surgens intrabat oratorium, & percusso indice tamdiu orabat, quamdiu universi Fratres ingressi essent.

XXII. Quartum quod attinet, scilicet quænam surgendo veteres Monachi observaverent, omnino tacuit S. Benedictus, contentus dicere Reg. c. 22., ut „ (Facto si„ gno absque mora surgentes festinent se prævenire invi„ cem ad opus Dei, cum gravitate tamen & modestia; „ & ut surgentes ad opus Dei se moderate cohortentur „ propter somnolentorum excusatione:) quare quod ille silentio prætermisit, aliunde nobis repetendum sit.

XXIII. Primo itaque antequam Fratres surgerent, singulorum lectos visitabat Præpositus. Sanctus Fructuosus Bracar. Episcopus in Regula c. 3. „ (Priusquam sur„ gant ceteri, *inquit*, a vigiliariis Fratribus Præpositus „ excitetur, ut cum benedictione sua & signum moveatur, „ & cunctorum lectola ab eo priusquam consurgant, strenue „ visitentur. Hoc quoque in omnibus nocturnis ora„ tionibus curet, ut semper prior surgat Præpositus, „ quam ad surgendum reliqui commoveantur; ut ipse videat „ quis quomodo jaceat, ne aliquam lasciviam per incuriam „ quietionis dormiens incurrat.) Idem ad omnes cursus nocturnos cum surgunt Præpositis faciendum injungit Regula c. 2. cujusdam ad Virgines, „ ut sciant quæ cum „ fervore, vel quæ cum tepiditate ad cursum assurgunt, „ & eas quas tarditate, vel seguitia culpabiles repererint, „ prout culpa vel ætas fuerit, aut increpatione aut fla„ gello corripiant.

XXIV. Secundo expergefacti omnes simul una surgebant: „ (ad nocturnos cunctis diebus, *inquit Regula S. Ferreoli* c. 13., ita omnes celeriter pariterque consur„ gant, ut cunctis simul concurrentibus nullus invenia„ tur venisse posterius.)

XXV. Tertio e lecto prosilientes signo crucis frontem muniebant cum invocatione sanctissimæ Trinitatis, vel divini adjutorii petitione. Ita regula cujusdam ad Virgines c. 14 „ (ad cursum vero cum festinatione surgentes, „ signum crucis fronti inferatur, simulque sub silentio di„ catur: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad „ adjuvandum me festina.) Idem habet Grimlaicus in regula Solitariorum c. 50.

XXVI. Quarto aqua lustrali sese perfundebant, ut fuit præscripsisse legitur Sanctus Benedictus Abbas Anian. Sæc. 4. Bened. part. 1. apud Ardonem in ejus vita num. 52. „ Surgentes vero concite juxta quod Regula præcipit, „ Fratres aquis se sanctificatis perfundant.

XXVII. Quinto pergit Grimlaicus in prædicta Solitariorum Reg. c. 50. „ (& hoc cantantes, *scilicet* Deus in „ adjutorium, mox ad oratorium pergant, & prostrati in „ terra humiliter cum lachrymis & gemitu orent. Ex„ pleta autem oratione, necessaria corporum suorum pro„ videant. Inde revertentes illico nocturnum officium so„ lemniter & devote incipiant.) Nostri vero e contra primum corporeæ necessitati consulebant, deinde in oratorium convolabant, ut ex ordine conversationis Monasticæ didicimus, in quo antiquum surgendi ritum legimus in hæc verba cap. 1. „ (Nocturnis cum ad opus divi„ num de lectulo surrexerit, Frater primum signum „ sanctæ crucis imprimat sibi per invocationem Sanctæ „ Trinitatis; deinde dicat versum *Domine labia mea aperies*; inde psalmum *Deus in adjutorium meum intende*, „ totum cum *Gloria Patri*. Tunc provideat sibi corpo„ ream necessitatem naturæ, & sic ad oratorium festinet „ psallendo psalmum *Ad te Domine levavi animam meam*, intrans cum summa reverentia & cautela, ut aliis „ orantibus non impediat. Tunc prostratus in loco congruo „ effundat preces in conspectu Domini magis corde quam „ ore; ita ut illius vox vicinior sit Deo quam sibi, tunc „ referet gratias Deo creatori suo, ita dicendo; *gratias* „ *tibi ago omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac* „ *nocte custodire, deprecor clementiam tuam piissime Domi*„ *ne, ut concedas mihi diem venturum sic peragere in tuo* „ *sancto servitio cum humilitate & discretione, qualiter ti*„ *bi complaceat servitus mea, & præsta mihi hodie cum sum*„ *ma patientia tibi gratum exhibere servitium*. Cum vero „ novissimum signum sonuerit, tunc omnes sint parati stan„ tes in loco suo in choro per ordinem.) Eadem iisdem pene verbis offendes apud S. Dunstanum in concordia regulari Anglicæ nationis Monachorum Sanctimonialiumque. Quid vero interim ex statutis a S. Benedicto Anianensi Abbate apud Ardonem, loco supra citato didicimus, ubi post prædicta verba ita subdit: „ (Et cuncta alta„ ria humiliter, & cum reverentia percurrant, & sic de„ mum ad propria loca accedant; sintque parati ut cum „ tertium pulsaverit signum, absque mora surgentes, attoni„ tis auribus Sacerdotem expectent, qui officium incipien„ di fortitus est.

XXVIII. Porro quid in illa altarium circuitione agerent, ex antiquis Germaniæ consuetudinibus accipiendum est: „) Hyemis tempore, ut Regula præcipit n. 32., post „ mediam noctem pulsetur signum in dormitorio, omnes„ que sine mora surgentes pergunt ad necessarie qui volunt. „ Deinde insonat signum in ecclesia, illucque concurretur „ cum gravitate, & faciunt tres orationes dividendo septem „ psalmos, & circuiendo altaria. Interim alia signa pul„ santur, quousque Dominus Abbas intrat in chorum, & „ tunc incipiunt nocturnos.) Optabit forte an aliquis scire quænam essent illæ tres orationes, (a) quas altaria circuiendo recitarent; quapropter sic eas ex citata jam Concordia Dunstani subjicere operæ pretium existimavimus.

XXIX. „ (In prima itaque oratione, *inquit ille*, de„ cantur tres primos pœnitentiæ psalmos, cum oratione „ Dominica, uti in sequentibus, pro se ipso primum „ intercedendo; post hos orationem istam *Gratias tibi* „ *ago omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte* „ *custodire, deprecor clementiam tuam misericors Domine*,

(a) Trinæ orationis ante nocturnos faciendæ fit mentio in vit. S. Forannani Episc. & Abb. nu. 16. Sæc. 5. Bened.

„ *ut custodias mihi diem venturum sic in tuo sancto servitio peragere cum humilitate & discretione, ut tibi complaceat servitus nostra. Per Dominum, &c.*

XXX. „ Inde veniat ad secundam orationem, ubi sequentes duos dicat psalmos pro Rege & Regina, atque familiaribus cum oratione: *Deus qui caritatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus Fidelium infudisti, da famulis & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt tota dilectione perficiant. Per Dominum nostrum &c.*

XXXI. „ Inde ad tertiam orationem veniens duos posteriores psalmos pro fidelibus defunctis decantet cum oratione: *Inveniant quæsumus Domine, animæ famulorum famularumque tuarum lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum. Per Dominum nostrum &c.*

XXXII. In antiquo Breviario Cassinensis Monasterii tempore Oderisii Abbatis descripto habentur ad frontem tres orationes in prima, secunda, & tertia genuflexione, quæ sic incipiunt: *Domine Jesu Christe, Deus verus de Deo vero &c. Deus qui Mosi famulo tuo &c. Domine Jesu Christe qui nos per passionem, &c.* quæ tres orationes extant in ordine Romano ad feriam sextam Parasceves. Habentur præterea in prædicto Cassinensi Breviario tres aliæ prolixæ orationes ad beatam Mariam Virginem directæ. Item sex aliæ Petri Episcopi Ostiensis quæ reperiuntur in tom. 4. operum Petri Damiani, apud quem etiam alias offendes, quas omnes hunc ad usum compositas esse existimo.

Pergit idem Dunstanus: „ (Et donec quidem pueri introcant Ecclesiam, unum continuatim pulsetur tintinnabulum; ipsi quoque pueri ingressi ut Trinitatis reverentia ab omnibus legitime teneantur, trina utantur oratione. Finitis vero tribus orationibus a pueris, sonetur secundum signum, residentibus cunctis in sedibus suis ordinatim, atque canentibus quindecim psalmos graduum sigillatim trina partitione uti superiores septem flectentes genua post quinque psalmos facto signo a Priore. Iterum pulsatis reliquis signis ac finitis eisdem psalmis incipiant nocturnam.) Hæc autem 15. psalmorum gradualium ante nocturnos recitatio est ex sancti Benedicti Anianensis Abbatis institutione, ut ex Ardone ejus discipulo didicimus Sæc. 4. Bened. part. 1. p. 212. sic enim ille in ejus Vita n. 52. „ (Psalmos autem cantare jussit quinque pro omnibus fidelibus in toto terrarum orbe vivis; quinque etiam pro omnibus fidelibus defunctis; pro eis quoque qui nuper defuncti sunt, qui ad notitiam singulorum non statim causa pervenit, ut jugiter caneretur instituit nihilominus quinque. Decursis vero psalmis quinque pronus orationi incumbat, eos pro quibus cecinit Deo commendans; & tunc demum pro aliis rogaturus initium sumat.) Hos vero psalmos a singulis in choro suis in locis residentibus postquam altaria, ut supra diximus, circuiverant, secreto recitari instituit. Porro Cluniacenses primos quinque psalmos pro fratribus suis, & omnibus fidelibus defunctis dicebant; quinque sequentes pro seipsis; posteriores quinque pro Regibus & omnibus suis familiaribus adhuc viventibus, ut scribit Udalricus in Antiq. consuet. Clun. l. 1. c. 5. & ad singulas incisiones easdem pene ac nos in Feria 4. Quadragesimæ adhibebant preces. Postea vero pro 15. Psalmis triginta hieme recitare communis in monasteriis mos obtinuit, ut sequenti capite dicturi sumus. Vid. Vit. S. Joannis Abbatis Gorziensis n. 81. Sæc. 5.

XXXIII. Ita fere nocturnas vigilias surgendo præveniebant majores nostri, ad quas inter omnium signa pulsari solebant, ac primum inter & secundum signum altaria visitabant, septem psalmos pœnitentiales cum tribus orationibus recitantes; inter secundum vero & tertium psalmos graduales quindecim cum quibusdam precibus. Non tamen omnibus placuit hujusmodi ante nocturnos Psalmorum recitatio. Hanc imprimis improbat auctor tractatus de Vita Solitaria inter opera S. Bernardi ad fratres de Monte Dei scribens in hæc verba: „ (In præveniendis nocturnis vigiliis non expedit multitudine psalmorum obruere intellectum & exhaurire spiritum, vel extinguere; sed quamdiu sobrius invenitur, pietati afficiendus est, & suo itinere dirigendus ad Deum, donec dilatato corde currere incipiat usque ad finem operis Dei.) Et tamen ipsi, ad quos ille scribebat, Carthusiani ex Guigonis statutis nocturnum officium congruis in cella præveniebant vigiliis, „ (Quæ ab idibus Septembris, *inquit Guigo c. 29.* seorsim paulatimque crescendo in Calendis Novembris perfectæ, quinquaginta psalmis non nimis festine cantando sufficiunt; a quo tempore usque ad Februarii Calendas taliter perseverant; inde usque ad Pascha decrescendo paulatim, ad tantum spatium quod Matutinis S. Mariæ sufficiat rediguntur; Ex quo usque ad prædictas Septembris Idus in eadem quantitate perdurant.) Solent etiam nunc Carthusiani * inter primum secundumque nocturnorum signum tres minimum quadrantes, aliquando integram horam insumere; quo temporis intervallo matutinas de beata Virgine privatim recitant, aliisque spiritualibus exercitiis vacant.

* Nov. coll. statut. Carth. part. 1. c. 23.

CAPUT II.

Quo ritu veteres Monachi nocturnas vigilias celebrarent.

I. DIvinis officiis antiquius esse Monachis nihil omnino debet, quibus proinde, ut ait S. P. Benedictus, nihil præponendum est. Quapropter ubi primum surrexerant prisci Monachi, id unum mente cogitabant, ut primos cordis affectus, prima oris ac linguæ verba, primos corporis motus Deo, ejusque laudibus consecrarent. Hanc ob rem statim in unum congregati vigilias nocturnas tota mentis alacritate celebrabant, de quibus inquirendum est: Primo, quas in synaxi nocturna preces ac laudes adhiberent. Secundo, quas ad præscriptum a S. Benedicto officium preces addiderint nostri. Tertio quosnam inter orandum ritus observarent.

II. De precibus, quas in vigiliis nocturnis ad Deum effunderent antiquiores Monachi, constans & indubitata esse debet sententia; eos psalmorum decantatione, canticorum, hymnorum, antiphonarum, responsoriorumque modulatione, Scripturæ utriusque & veteris & novi Testamenti lectione, orationum sive collectarum usu & frequentia plurimum delectatos; sed de prædictorum numero ac quantitate non ita constat. Nimirum varius pro varia Monachorum ac Prælatorum voluntate extitit usus; quæ res nos cogit ut singulorum hac de re statuta, atque probatissimorum auctorum testimonia hic congeramus: atque ut ab Orientalibus, quos monastici propositi institutores agnoscimus, exordium ducamus; auctor est Cassianus l. 2. de orat. c. 2. non unam fuisse apud eos psalmorum in nocturnis conventibus dicendorum canonem, sed multos super hac re diversos typos ac regulas sibimet constituisse, „ [Quidam enim vicenos seu tricenos psalmos & hos ipsos antiphonarum protelatos melodiis, & adjunctione quarumdam modulationum debere dici singulis noctibus censuerunt. Alii hunc modum etiam excedere tentaverunt: nonnulli 18. Atque in hunc modum diversis in locis diversum canonis agnovimus institutum, *inquit*, totque propemodum typos ac regulas vidimus usurpatas, quot etiam monasteria cellasque comperimus.)

„ Sed longe aliter Ægypti Thebaidisque Monachi. (Per universam Ægyptum & Thebaidem, *inquit idem Cassianus* c. 4. duodenarius psalmorum numerus tam in vespertinis quam in nocturnis solemnitatibus custoditur, ita dumtaxat, ut post hunc numerum duæ lectiones veteris scilicet ac novi Testamenti singulæ subsequantur. In die vero Sabbati, *inquit cap. 6.* vel Dominico, utrasque de novo recitant testamento, id est unam de Apostolo vel Actibus Apostolorum, & aliam de Evangelio. Quod etiam totis quinquagesimæ diebus (idest a Pascha ad Pentecostem) faciunt hi, quibus lectio curæ est, seu memoria Scripturarum.)

III. Præterea ad singulos psalmos orationem subjungebant ex eodem Cassiano c. 8. quam colligebat Sacerdos e cap. 7. & 10. non solum in fine officii, ut vult Carolus Cointius Ann. Eccl. ad an. 536. n. 27. duplicem distinguens orationem; unam mentalem cui vacabant omnes in fine cujuslibet psalmi, vocalem aliam, cui *solus Sacerdos et semel*, ut officium concluderet; sed etiam ad quamlibet orationem, ad quam in fine psalmorum procumbebant, ut naturaliter indicare videtur ipse Cassiani textus c. 7. persuadentque antiquissimæ collectæ, quæ in nonnullis MSS. in fine singulorum psalmorum extant. Porro tam mentales orationes singulorum, quam vocalis collecta Sacerdotis, erant brevissimæ.

IV. Hic autem nocturnæ synaxeos celebrandæ modus antiquitus constitutus per plura sæcula penes cuncta Ægypti ac Thebaidos monasteria intemeratus permansit; „ (quia, *inquit Cassianus c. 4.* non humana adinventione statutus a senioribus affirmatur; sed cælitus Angeli magisterio patribus fuisse delatus.) Cum enim convenientibus antiquis patribus in unum, ut decernerent quinam modus quo-

quotidiano cursui per universum fraternitatis corpus debe-res institui, ac dissentientibus illis ab invicem, aliis quinquagenos, aliis sexagenos, aliis etiam plures pro animi fervore instituere volentibus, medios inter eos Angelus cum psalmos undecim cum orationum interjectione decantasset, duodecimumque sub alleluja responsione consummasset, ab universorum oculis repente subtractus quæstioni pariter & cæremoniis finem imposuit, atque ut dicit Cassianus c. 6. „ [Eum venerabilis Patrum senatus „ intelligens Angeli magisterio congregationibus fratrum „ generalem canonem non sine dispensatione Domini con„ stitutum, decrevit hunc numerum tam in vespertinis, „ quam in nocturnis conventiculis custodiri.]

V. Sed isto psalmorum canone non videtur fuisse contentus Abbas Isaias Regulæ c. 57. statuens, ut media nox ad invigilandum orationi; media requiei corporis discernatur. Multo minus Abbas Isidorus presbyter in Scethi, qui de se ipso referebat: * „ [Ego quando eram „ juvenis & sedebam in cella mea, non habebam „ numerum psalmorum quos dicebam in ministerio Dei; „ nox enim mihi & dies in hoc expendebatur.] Et hæc quoad Orientales, quid vero Occidentales? Antiquissimus omnium ordo psallendi videtur ille quem ex Lirinensium disciplina sorori Cæsariæ aliisque sub ejus regula degentibus Sanctimonialibus tradidit S. Cæsarius Arelatensis Episcopus in hunc modum: ** „ [In primo die Paschæ... „ ad nocturnos psallantur psalmi decem & octo; anti„ phonæ minores cum allelujaticis suis, & lectiones duæ, „ hymnus & capitellum: hoc ordine toti septem dies „ sunt celebrandi. Post Pascha vero ipsi nocturni dicen„ di sunt usque ad Calendas Octobris, & usque Calen„ das Augusti sexta feria tantum & Dominica vigilen„ tur. Post Pascha vero usque ad Pentecosten sexta fe„ ria semel reficiendum est, & post duodecimam sex mis„ sæ futuræ sunt, hoc est lectiones decem & octo me„ moriter dicendæ sunt, & post psalmi decem & octo, „ antiphonæ tres. Post nocturnos vero missæ tres ad li„ brum fieri debent usque ad lucem.] Quem locum quia corruptus & obscurus videtur ita explicat Carolus Cointius tom. 1. ann. Eccl. p. 512. „ (Post Pascha vero ipsi „ nocturni dicendi sunt usque ad Cal. Oct. *id est*, post „ Pascha vero iidem nocturni dicendi sunt ad Cal. Oct.) quia scilicet breviores sunt noctes, post Calendas autem Octobris quia prolixiores sunt noctes, secundos addit Nocturnos, ut modo videbimus. Quod vero dicitur *usque ad Calendas Augusti sexta feria tantum & Dominica vigilentur*, id est citius ad vigilias excitentur, propter horum dierum reverentiam & prolixius officium. Deinde quia semel mentionem fecerat feriæ sextæ, jejunium in ea indicit a Pascha ad Pentecosten, tum missas quæ post vesperas, & vigilias ejusdem feriæ fieri deberent usque ad lucem, id est usque ad Matutinas laudes subjungit. Addit postea S. Cæsarius „ (a Calendis Octobris usque „ ad Pascha addite secundos nocturnos, id est psalmos „ decem & octo, lectiones duas, & hymnum: Ad pri„ mos nocturnos in primo dicite: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*. In fine: *Rex æterne Domine*, a secundo nocturno *Magna & mirabilia*. Alia nocte ad primum nocturnum dicendum est: „ *Media noctis tempus est*. Ad secundum *Æterne rerum conditor*. Ad secundos nocturnos in primis incipite „ *Miserere mei Deus, miserere mei*. Post nocturnos le„ gantur orationes tres, psallantur antiphona, & respon„ sus, & alia antiphona. Post hoc usque ad lucem im„ pleantur missæ quatuor. Si fieri potest numquam mi„ nuantur, numquam maturius, numquam tardius exci„ tentur.) Hactenus vigiliarum ordo ex Regula S. Cæsarii ad virgines, prout extat apud Bollandum ad diem XII. Januarii, sed ea quæ ibidem de officio divino præscribuntur; neque extant in Regula S. Cæsarii apud Stellartium, neque apud Holstenium, neque in Regula S. Cæsarii Pictavii edita una cum Vita S. Radegundis an. 1261. hicque ordo non nihil discrepat ab eo, quem S. Cæsarius instituit in Regula ad Monachos, in qua capite 20. hæc ratio psallendi decernitur: „ (Vigilias a mense „ Octobri usque ad Pascha duos nocturnos facient & tres „ missas. Ab una missa legat frater folia tria, & orate, „ legat alia tria & levet se; dicite antiphonam, respon„ sorium & aliam antiphonam: antiphonas ipsas de ordi„ ne psalterii.) Quidquid sit, certe non multum discrepat ab eo quem præscribit S. Aurelianus tam Monachis, quam Sanctimonialibus, estque antiquissimus.

VI. Aliter S. Benedictus nocturnarum vigiliarum canonem instituit in hunc modum: *** „ (Hyemis tem„ pore præmisso in primis ℣. *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina*. In secun„ do ter dicendum est. *Domine labia mea aperies; & os meum annunciabit laudem tuam*; cui subjungendus est „ tertius psalmus, & *Gloria*. Post hunc psalmus 94. cum „ antiphona, aut certe decantandus. Inde sequatur Am„ brosianum: Deinde sex psalmi cum antiphonis; qui„ bus dictis, dicto ℣. Benedicat Abbas. Et sedentibus „ omnibus in scamnis legantur vicissim a fratribus in „ codice super analogium tres Lectiones, inter quas „ & tria responsoria canantur; Duo ℟. sine Gloria „ dicantur, post tertiam vero Lectionem qui cantat di„ cat Gloria.... Post has vero tres Lectiones cum Re„ sponsoriis suis, sequantur reliqui sex psalmi cum alle„ luja canendi. Post hoc Lectio Apostoli sequatur ex cor„ de recitanda, & versus, & supplicatio litaniæ, id est „ Kyrie eleison, & sic finiantur vigiliæ nocturnæ. A „ Pascha autem (c. 10.) usque ad Calendas Novembris „ omnis, ut supra dictum est, psalmodiæ quantitas te„ neatur, excepto quod Lectiones in codice propter bre„ vitatem noctium minime legantur; sed pro ipsis tribus „ lectionibus una de veteri testamento memoriter dica„ tur, quam breve ℟. subsequatur; & reliqua omnia ut „ dictum est impleantur, idest ut numquam minus a „ duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas „ dicatur, exceptis tertio & nonagesimoquarto psalmo.] Quæ omnia a nobis fuse satis exposita sunt in Commentario super Regulam B. P. Benedicti.

VII. S. Aurelianus in instituendis vigiliarum precibus vix, aut certe parum discrepat a præscripto S. Cæsarii ad virgines psallendi ordine: „ (Quotidianis, *inquit*, die„ bus ad nocturnos in primis directaneus dicatur *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*. „ Deinde psalmi decem & octo, antiphonæ tria parvula; „ lectiones Apostoli aut Prophetarum duæ, & capitellum. „ Completis nocturnis dicite Matutinos. Et hæc quidem „ a Pascha usque ad Calendas Octobris a Calendis vero Octo„ bris alii nocturni addendi sunt; ad primos, dicendum est, „ *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*; „ ad secundos, *Miserere mei Deus miserere mei* directa„ neus dicendus est, Psalmi decem & octo; Lectiones „ duæ de Prophetis aut de Salomone. Hymnus ad pri„ mos nocturnos: *Rex æterne Domine*. Ad secundos *Magna & mirabilia*. Post dictos, quia noctes crescunt „ quotidie, ad librum facite missas tres. Unus frater le„ gat paginas aut tres, aut quatuor, quomodo mensu„ ra fuerit libri, si minute scriptus, aut majori forma „ ternas paginas: si minor, quatuor; & fiat oratio. Ite„ rum legat tantum, & fiat alia oratio: tertio legat „ idem tantum & surgite... Dicite antiphonam de psal„ mis in ordine, postea responsum, deinde antiphonam, „ iterum legat alius frater, & sic impletis tribus missis „ dicite Matutinarios canonicos.

VIII. Regula incerti Authoris in appendice ad tom. 1. Operum S. Augustini nocturnum officium ita ordinat: **** „ (Nocturnæ autem orationes mense No„ vembri, Decembri, Januario & Februario antiphonæ „ duodecim, psalmi sex, lectiones tres. Martio, Apri„ li, Septembri, Octobri antiphonæ decem, psalmi „ quinque, lectiones tres. Majo, Junio, Julio & Au„ gusto antiphonæ octo, psalmi quatuor, lectiones duæ.) Quis auctor sit ille, aut quando scripserit, ignoratur, est saltem antiquissimus; nam ejus Regula reperitur in MS. Corbejensi ante mille annos exarato Regulæ S. Augustini viris aptatæ præmissa.

IX. S. Columbani cursus expressus habetur in ejus Regulæ capite 7. sed ita obscure, ut vix intelligi possit. Quapropter ejus non verba sed sensum hic referemus. Itaque noctes prolixiores a brevioribus distinguens, hyemis tempore, hoc est ab æquinoctio autumnali, hoc est ab 8. Calendas Octobris usque ad Calendas Februarias, triginta sex psalmos cum duodecim antiphonis ad singulas noctes dici præscribit, ita (a) ut singulis tribus psalmis una interferatur antiphona; a Calendis vero Februariis usque æquinoctium autumnale, hoc est toto vere, æstate, & autumni parte anteriori, viginti quatuor psalmos cum octo

* l. 5. de vit. Pat. libel. 12. n. 17.
** Reg. S. Cæs. ad virg n. 66. apud Boll. 12. Jan.
*** Reg. S. Bened. c 9.
**** Novæ edit. pag. 41.
(a) Ita S. Columbanus conjungens simul Vigilias Nocturnas cum Matutinis, nam ad vigilias psalmos tantum duodecim, ad Matutinum bis denos bisque binos, hoc est viginti quatuor assignat, ut annotavit Menardus in Conc. Reg c. 23. §. 9. pag. 339. & post eum Conc. Cointius Annal. Eccl. Franc. an. 590. num. 53. pag. 377.

octo dumtaxat antiphonis eodem prorsus modo, hoc est ut singulis tribus psalmis una interferatur antiphona; aliter vero Dominicis & Sabbati vigiliis, ut dicemus, cum de die Dominica agemus. Hunc cursum S. Columbanus a senioribus acceperat, hoc est a Monasterio *Benchor*, in quo vitam Monasticam professus fuerat.

X. Præterea S. Columbanus ibidem narrat quorumdam Monachorum cursum nocturnum e suo prorsus diversum: „ (Sunt autem quidam Catholici, *inquit*, quibus idem „ est canonicus duodenarius psalmorum numerus, sive per „ breves, sive per longas noctes; sed per quaternas in „ nocte vices hunc canonem reddunt; ad initium scilicet „ noctis, ad mediumque noctis, sive pullorum quoque „ cantum, ac matutinum. Cursus sicut in hyeme par„ vus esse videtur, ita æstate satis laboriosus, & gravis „ invenitur, dum crebris in noctis brevitate expeditioni„ bus non tam lassitudinem facit, quam fatigationem. „ Noctibus vero reverentissimis Dominicæ & Sabbati ad „ Matutinum ter idem volvitur numerus, id est ter de„ nis & sex psalmis.) „ Horum vero Monachorum erant mille Abbates sub uno Archimandrita.

XI. S. Isidorus breves omnino facit vigilias nocturnas: (Reg. c. 7.) „ (In quotidianis, *inquit*, officiis vigilia„ tum primum tres psalmi canonici recitandi sunt; dein„ de tres missæ psalmorum, quarta canticorum, quinta „ Matutinorum. In Dominicis vero diebus, vel festivi„ tatibus Martyrum solemnitatis caussa singulæ superad„ dantur Missæ.) Missas autem psalmorum explicat Menardus (in not. ad conc. Reg. c. 23. §. 7.) collectas seu orationes, quæ olim dicebantur in fine psalmorum, missam canticorum orationem, quæ in fine canticorum, missam Matutinorum orationem, quæ in fine Matutinorum.

XII. S. Fructuosus Bracarensis Episcopus [Reg. c. 3.] tres singulis noctibus ad orandum vigilias constituit: „ (Ante mediam surgentes noctem duodenos per cho„ ros recitent psalmos secundum consuetudinem . . . . „ Post pausantes paululum medium noctis persolvant of„ ficium: Ubi quatuor responsoria sub ternorum psalmo„ rum divisione concinantur, ita ut dictis tribus psalmis „ unum subsequatur ℟. sicque cum quatuor responsoriis „ duodecim cantentur psalmi. Sic post mediam noctem, „ si hiemis tempus est, sedentibus cunctis, unus medio „ residens relegat librum, & ab Abbate, vel a Præposi„ to disserente cæteris simplicioribus quod legitur pate„ fiat, ... Ita demque duodenis iterum cantatis psal„ mis adeant cubilia, paululumque quiescentes; gallici„ nio jam sonante, recitatis tribus psalmis cum Laude „ & Benedictione sua matutinum celebrent officium.) Itaque S. Fructuosus tres constituit nocturnos, & in singulis duodecim psalmos decantari decernit, quibus in secundo nocturno quatuor interserit responsoria; ad Matutinum vero tres psalmos cum Laude, hoc est ut opinor tribus posterioribus psalterii psalmis, quos etiam S. Benedictus *Laudes* appellat, eo quod in iis creaturæ ad Dei laudem frequentius invitentur; & Benedictione, id est Cantico trium puerorum, quod eadem ratione *Benedictionem* appellat. Præterea Sanctus Fructuosus singulis psalmis orationes ad instar Ægyptiorum Monachorum adjici voluit, ut dicemus postea.

XIII. Magister duobus in locis Nocturnum præscribit officium, scilicet Regulæ c. 33. & c. 44. ubi sic loquitur: „ (Oportet in nocturnis ab Abbate dici versum „ apertionis, deinde ℟. orationis, deinde in hyeme duo„ decim antiphonas sine *alleluja*, deinde ℟. sine *allelu„ ja*, currente dumtaxat semper psalterio: deinde aliud „ Responsorium jam cum *alleluja*, ut fiant sedecim im„ positiones, Lectionem Apostoli, Lectionem Evangelii, „ quam semper Abbas dicat. Si Abbas absens fuerit, „ Præpositi vicibus; versum & Rogus Dei. In æstate „ vero a Pascha usque æquinoctium hyemale, quod est „ octavo Calendas Octobris, post V. apertionis, & ℟. „ Abbatis dici debent antiphonæ sex sine *alleluja*, dein„ de ℟. item sine *alleluja*, deinde tres antiphonæ cum „ *alleluja*, currente semper psalterio, ut superius dixi„ mus: deinde aliud Responsorium jam cum *alleluja*, „ ut fiant duodecim impositiones; Lectionem Apostoli, „ Lectionem Evangeliorum, quam semper Abbas dicat: „ quod si absens fuerit, Præpositi vicibus; deinde ver„ sum & Rogus Dei.) Ad quorum intelligentiam est observandum Magistro *Versum apertionis* esse V. *Domine labia mea aperies &c.*, quem incipiente Abbate omnes intrantes oratorium ter dicebant ex Regulæ c. 30. Responsorium orationis vocant psalmum *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro*, seu prima ejus verba: quod vero dicit currente psalterio, intelligi potest, ut ad singulas antiphonas unus dicatur psalmus vel plures, similiter etiam ad resp. sine *alleluja*. Impositiones hoc loco intelligit, ut credo, intonationes. Quod autem dicit *Præpositi vicibus*, intelligit ut absente Abbate, Præpositi qui plures erant, vicibus suis, hoc est successive ut unus hodie, alter cras, Evangelium legat. Rogus Dei denique Magistro est oratio, quia per eam Deum rogamus. Præterea Magister in fine psalmorum orationes Ægyptiorum more dicendas instituit Reg. c. 33.

XIV. Regula cujusdam ad Monachos c. 10. im habet: „ (Tribus conventibus diei, totidemque noctis „ tempore in ecclesia conveniendum: tres psalmi in uno„ quoque conventu diei canendi sunt; duodecim vero in „ nocturnis conventibus cantabuntur, præter illam mis„ sam, quæ celebratur ortu solis. Orationes vero & duæ „ Lectiones; una de Veteri Testamento, & alia de Novo.)

XV. S. Donatus c. 75. cum S. Columbano fere coincidit: in hoc dumtaxat discrepans, quod S. Columbanus annum dividat in duas partes inæquales, quarum prima omne tempus quod ab æquinoctio autumnali, hoc est ab 8. Cal. Oct. ad Calendas Februarii intercipitur, continet; altera tempus quod est a Calendis Februarii ad prædictum æquinoctium autumnale. E contra S. Donatus annum in duas partes æquales dividit, scilicet ab æquinoctio autumnali ad æquinoctium vernale, quo tempore ut S. Columbanus duodecim choras, hoc est psalmos triginta sex cum duodecim antiphonis; ab æquinoctio vero veris ad autumnale octo choras dumtaxat, id est viginti quatuor psalmos cum antiphonis octo dicendos instituit.

XVI. Ad præstitutum supra a S. P. Benedicto officium multa subsequentibus sæculis e nostris superaddita fuerunt. S. Walaricus cursum tam monastarialem, quam Gallicanum magno studio indesinenter celebrabat. S. Albertus Abbas Gambronensis, qui post medium sæculum septimum vixisse creditur: „ (Tantus, *ut scribit Anonymus in ejus vita*, n. 12. in app. ad sæc. 3. Ben. 2. „ par. p. 532., plenus erat devotione ut SS. Patrum, „ beati scilicet Benedicti atque Columbani, sed & omnem „ Romanum cursum uno die strenua, ac pervigili medi„ tatione expleret.] Et S. Serenicus „ (Absque peculia„ ri supplicatione Romanum seu Gallicanum, nec non & „ Sanctorum Patrum Benedicti seu Columbani cursum „ honoris singulis Domino decantabat) ita scribit Anonym. in ejus vita n. 15. sæc. 2. p. 576. Quod satis probabile est observatum fuisse his in monasteriis, quibus utraque & S. Benedicti & S. Columbani Regula observabatur; & quæ perennem Deo laudem decantabant, saltem quo ad Sancti Benedicti & Sancti Columbani officium.

XVII. Cassinenses circa medium sæculum octavum tria quotidie persolvebant officia, hoc est præter Regulæ officium, parvum S. Benedicti, & parvum item B. Mariæ Virginis; si tamen Petro Diacono fides sit; hic enim in suo super Regulam S. Benedicti commentario ad c. 64. ritum Electionis ac Benedictionis Abbatis describens sic habet: „ (Hodie Abbas nihil aliud nisi panem & aquam „ comedat; & canonica septem horarum officia in com„ memoratione B. P. Benedicti numquam dimittat, sal„ vo scilicet eo quod in honorem S. Dei Genitricis persol„ vi consuetudo est. Quod etiam sub districto præcepto „ Cassinensi Congregationi Zacharias Papa observare præ„ cepit, constituens ut omni tempore, tam æstatis quam „ hyemis, ante nocturnale vel diurnale officium mox „ ut fratres in choro convenerint, incipiant officium de „ Sancto Benedicto, & eo expleto inchoent officium „ quod Regula præcipit, adjuncto etiam Sanctæ Dei „ Genitricis & Virginis Mariæ officio.] Et infra: „ [Hoc „ a Zacharia & ejus antecessore Gregorio Papa statutum „ est, & per Apostolicam authoritatem præfixum, ut „ omni tempore tam æstatis quam hyemis, diebus & „ noctibus, mox ut fratres in choro convenerint, inci„ piant officium in commemoratione S. Benedicti & eo „ expleto &c.] Porro officium illud S. Benedicti constabat ex invitatorio, hymno, antiphona, tribus psalmis, versu, tribus Lectionibus & tribus Responsoriis. Laudes vero sicut in festo Sancti Benedicti dicebantur. An vero reliquæ diei horæ dicerentur, omnino me latet. Similiter officium Beatæ Mariæ ad vigilias hymnum, antiphonam, tres psalmos, versum, tres Lectiones, totidemque Responsoria complectebatur. Laudes vero eodem fere modo, quo nunc a nobis, persolvebantur; in quibus fiebat commemoratio S. Laurentii, S. Benedicti, omnium Sanctorum, & de pace. Ad Primam hymnus diversus a nostro, antiphone eadem, psalmi *Deus in nomine tuo*: *Beati immaculati* usque *Legem pone*. Lectio, ℟. breve, versus, oratio, com-

commem. Sancti Benedicti, & de omnibus Sanctis. Eodem ritu Tertia, Sexta, Nona cum divisionibus psalmi 118. quas in canonico officio nunc observat Romanum Breviarium, Lectione, ℟. brevi, versu, oratione, & commemorationibus S. Benedicti & de omnibus Sanctis celebrabantur Vesperæ cum duabus antiphonis, & 4. psalmis, Lectione, ℟. brevi, hymno, versu, antiphona, cantico *Magnificat*, oratione, comm. de S. Laurentio, & de omnibus SS. Completorium cum antiphona, tribus psalmis Lectione, ℟. brevi, hymno, versu, cantico Simeonis, antiphona, oratione, comm. S. Benedicti, omnium Sanctorum, antiph. *Salve Regina* & oratione *Omnipotens*; quæ omnia fuse offendes in append. ad novam editionem Chronici Cassin. pag. 20.

XVIII. Beatæ Mariæ officium etiam a S. Joanne Damasceno quotidie celebratum fuisse scribit Vincentius Bellovacensis in spec. histor. 17. c. 103. Porro vivebat Damascenus anno 728. cujus officia de B. Virgine ritu Græco per totum annum extant MSS. in Monasterio Cryptæ Ferratæ in agro Tusculano, ut scribit Joannes Bona in lib. de divina psalmodia c. 12. §. 2. n. x.

XIX. Sub finem sæculi octavi vel ineunte nono S. Benedictus Abbas Anianensis ad regulare officium cursum, id est officium Romanum persolvisse videtur, ex ejus vitæ n. 57. An vero in institutis ab eo Monasteriis legem hanc imposuerit, non patet. Sub ejus tempora post nocturnas vigilias solebant Monachi matutinos pro defunctis celebrare, ut videre est in capitulo undecimo Monachorum ad Augiam directorum, cujus hic partem exscribo: „(Ut defunctorum vigilia hoc modo ab eis celebretur. Vespere solito finita, statim Vesperam cum antiphonis celebrent pro defunctis & post Completorium vigiliam cum antiphonis, vel responsoriis plenissime atque suavissime canant, & post nocturnas intervallo matutinos pro mortuis faciant.)

XX. Ante medium sæculum IX. in Concilio Aquisgranensi Tom. 1. Anal. p. 53. „(statuerunt Episcopi concordante Domino Papa, ut Monachi a gravi opere & labore propter honestatem sacerdotii cessent; & loco laboris ad horas psalmos quosdam nominatos pro vivis & defunctis fidelibus cantent cum orationibus ordinatis,) quemadmodum docet fragmentum historicum ejusdem Concilii e Mabillonio editum. Quinam vero sint illi psalmi, certe nos latet. Hos esse conjicimus psalmos familiares, quos ab eo tempore singulis horis adjiciebant omnes communiter Monachi, de quibus Udalricus sibi compertum non esse fatetur, quare diversitas illa a suis majoribus inventa sit.

XXI. Ineunte sæculo X. Ludovicus Rex Unerino S. Michaelis Monacho villam Fraxinum dictam ad restaurationem veteris Monasterii concessit, ut scilicet in eo *geminatum diu noctuque celebretur officium, canonici scilicet ordinis & monastici*, ut videre est in ejusdem præcepto an. 904. tom. 4. miscell. Baluz.

XXII. Eodem fere tempore Cluniacenses plurima ad S. Benedicti cursum addidisse leguntur apud Udalricum l. 1. c. 2. In primis ad nocturnas vigilias post orationem Dominicam preces quatuordecim versiculis comprehensas dicebant, quibus diebus privatis extra Octavas, & dies Paschales psalmum quinquagesimum interponebant; idemque præstabant ad Matutinas, Laudes, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperos. Præterea post collectam ad nocturnos aliasque horas, excepto Completorio, quatuor psalmos addebant, quos tamen ad Vesperos & Laudes inter preces ante novissimum versum persolvebant; hos autem psalmos pro familiaribus recitabant, idque cum his versiculis: *Domine salvos fac Reges*: *Salvos fac servos & ancillas tuas*: *Fiat pax in virtute tua*. *A porta inferi*; & una de istis collectis: *Omnipotens sempiterne Deus miserere famulis & famulabus tuis*; & *Dirige quæsumus Domine famulos & famulas*; *Largire quæsumus Domine famulis & famulabus tuis*: *Prætende Domine*; quarum singulis adhuc subjungebatur: *& pacem tuam nostris concede temporibus*; & *animæ famulorum tuorum requiescant in pace*. Ex his psalmis Dominicis, festisque XII. Lect. octavis, a Natali Domini ad Epiphaniam, & tempore Paschali duos priores psalmos primumque versiculum subtrahebant. Insuper a Calendis Novembris ad Cœnam Domini ante nocturnos psalmos triginta decantabant ex Udalr. l. 1. c. 41. ab Octava autem Paschæ ad prædictas Calendas quindecim duntaxat psalmos graduales ex c. 18. idque cum triplici incisione, & precibus ad singulas incisiones, hoc est ad singulos denos psalmos, cum triginta dicebantur; vel ad quinos, cum quindecim tantum ex cap. 5. Denique expletis regularibus vigiliis Officium defunctorum, hoc est Vigilias cum Matutinis sive Laudibus ex c. 41. idque a Cal. Novemb. ad Septuagesimam, quod præstabant post Vesperos a Septuagesima ad prædictas Calend. ex c. 47. Matutinum tamen post Laudes de omnibus SS. reservantes. Adeo vigebat apud eos divinæ laudis studium. De prolixa hac Cluniacensium psalmodia audiendus est Johannes Monachus in vit. S. Odonis l. 1. c. 32. „(In quotidianis diebus inter diei noctisque cursus CXXXVIII. canebant psalmos, ex quibus XIV. nos demsimus propter pusillanimorum animum, exceptis peculiaribus orationibus quas nostri frequentant fratres, quæ videlicet modum psalterii excedere videntur. Similiter duabus missis identidemque letaniis. Per singulas vero horas canonicas bis flectebant genua. In octavis quas diximus LXXV. tantum canebant inter prædicta cursus, & semel flectebant genua & bis rasiebant.)

XXIII. Quod de Cluniacensibus dixi, idem in nostris Germaniæ monasteriis sæculo 10. observatum passim fuisse docent antiquæ Einsidlensis Monasterii, seu potius totius Germaniæ consuetudines n. 30. scilicet ut hyeme „(privatis diebus per tria intervalla XXX. canant psalmos divisos per X. sicut in æstate quindecim partitos per V. Et præterea post Nocturnos agatur vigilia mortuorum & Matutini, scilicet a Calendis Novembris ad Septuagesimam, reliquo tempore post Vesperas, quod Dominicis festisque diebus post cœnam præstabant. Insuper post officium defunctorum matutinos de omnibus Sanctis aliasque preces decantabant: sic enim ibidem aliquanto post subsequitur: Nocturnis ex more finitis, cantant duos psalmos *Domine ne in furore tuo*: *Exaudiat te*: *Kyrie eleison*; *Pater noster*; Preces, *Salvos fac servos & ancillas*: *Mitte eis Domine*: *Exsurge Domine*: collectæ; *Prætende*: *Da famulis*, usque *per omnia sæcula*; statimque pro defunctis: *Exultabunt omnia*, Matutina per ordinem: *Pater noster* cum precibus, *Requiem æternam*: *In memoria æterna*; *A porta inferi*; Psalm. *De profundis*; Et iterum ℣. *Requiem æternam*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*, *Deus qui inter Apostolicos*; & *absolve*, & istam; *Inveniat quæsumus Domine*: *Deus veniæ largitor*, *Per Dominum*: *Dominus vobiscum*: *Requiescant in pace*, *Amen*. Dehinc Matutini omnium Sanctorum; precibusque finitis erigit se Presbyter, & dicat lente, *Dominus vobiscum*: Orationem quam vult. Postea residant cuncti generaliter cantantes psalmos. *Deus auribus*: *Deus venerunt*: *Deus ultionum*: *Gloria Patri*. Duodecim graduales per tertiam *Gloria*. His finitis *Kyrie eleison*: *Pater noster*: ps. *Domine refugium* cum precibus *Fiat pax*. *Salvos fac servos & ancillas tuas*: *Salvum fac populum tuum*: *Ab occultis nostris*: *Esto nobis Domine turris*: *Exurge Domine*: *Dominus vobiscum*: *Oremus Deus a quo sancta desideria*: *Exaudi quæsumus Domine supplicum preces*: *Omnipotens sempiterne Deus qui facis*: *Quæsumus omnipotens Deus*: *Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum*.

XXIV. In Regulari Concordia Monachorum Sanctimonialiumque Anglicæ nationis c. 1. & 2., quam circa id tempus edidit S. Dunstanus Episcopus Cantuariensis, nulla quidem fit mentio psalmorum triginta ante nocturnos dicendorum; in ea tamen præscribitur, ut „(peractis nocturnis dicant duos psalmos, *Domine ne in furore tuo*, & *Exaudiat te Deus*; unum videlicet pro Rege specialiter, alterum pro Rege & Regina ac familiaribus, cum his collectis; *Quæsumus omnipotens Deus ut famulus tuus Rex noster N. qui tua miseratione, &c. Rege quæsumus Domine famulum tuum N. & gratiæ tuæ in eo dona multiplica, ut ab omnibus liber offensis & temporalibus non destituatur auxiliis, & sempiternis gaudeat institutis. Per Dominum nostrum &c.* Pro Rege & Regina, ac Benefactoribus: *Deus qui charitatis, &c.* ut supra vidimus in orationibus in visitatione altarium faciendis.)

XXV. Sæculo undecimo S. Lanfrancus Cantuariensis Episcopus decreta quædam edidit pro ordine S. Benedicti, in quibus etiam statuit, ut hyeme ante Nocturnos triginta; æstate vero quindecim psalmi a Monachis decantentur: „(Ab hac festivitate, *inquit c.* 1. §. 1., scilicet omnium SS. usque ad 5. feriam ante Pascha, privatis diebus post orationes ante officia nocturna triginta psalmi, ab *Ad Dominum cum tribularer* usque *omnis spiritus laudet Dominum*. Primi decem pro defunctis sine *gloria*, sequentes decem pro congregatione bini cum una *gloria*, extremi decem pro familiaribus & benefactoribus, & hi bini cum una *gloria*; Singuli cum precibus suis, & collectis suis; & post nocturna, & familiares psalmos, Officium mortuorum, & matutinæ Laudes de omnibus sanctis, & *Verba mea*, si tricenarium habent.)

XXVI.

XXVI. Eodem sæculo per multa nostrorum Monasteria parvum B. Mariæ semper Virginis officium celebrari cœpit, hortante & promovente in primis Petro Damiani; cujus tamen primarius institutor dici non potest, cum non nota ipsum sæculo S. Udalricus Episcopus Augustensis sæc. 5. Ben. „ (unum cursum *in honore Sanctæ* „ *Mariæ Genetricis Dei*, & alterum de S. Cruce, ter- „ tium de omnibus SS. & alios psalmos plurimos, to- „ tumque psalterium omni die explere solitus *erat*.) Denique sub finem ejusdem sæc. xi. Sanctus Stephanus Grandimontensis Ordinis institutor „ (exceptis ecclesiastici of- „ ficii regularibus debitis, agenda videlicet diei, & Bea- „ tæ Mariæ ac fidelium defunctorum, a prima die qua „ venit in eremum usque ad ultimum diem vitæ suæ „ ordinem de S. Trinitate cum 9. lectionibus, & horis „ canonicis singulis diebus ac noctibus devotissime cele- „ bravit,) ut scribitur in ejus vita apud Labba Tom. 2. Bibl. novæ.

XXVII. Circa initium sæculi xii. S. Stephani Obazinensis postea Abbatis primi discipuli matutinorum officiis „ (vigilias B. Mariæ & omnium SS. adjungentes „ nec non etiam ordinem defunctorum cum familiaribus „ psalmis non minimum noctis spatium insumebant,) ut scribitur in ejus vita n. 7. Tom. 4. Misc. Baluz. Cum officio regulare, Trinitatis & Incarnationis officium recitabat Franco Abbas Lobiensis Sec. XII. Spicil. tom. 6. p. 631.

XXVIII. Ineunte autem sæculo duodecimo Cistercienses, qui ne vel minimum quidem unguem a regula recedere statuerant, ad regularem cursum nihilominus defunctorum officium adjecerant, ut discimus ex libro U. suum: „ (A Calendis, *inquit*, Novembris usque ad „ primam Dominicam quadragesimæ intervallo quod se- „ quitur, privatis diebus agitur officium pro defunctis ... „ a prima Dominica Quadragesimæ usque ad festivitatem „ omnium SS. celebretur post vesperas diei.) Exeunte vero eodem sæculo etiam parvum Deiparæ Virginis officium quotidie decantare cœperunt, nimirum ex statuto Capituli generalis anni 1194. quod hactenus summa cum laude, nulla cujuscumque diei, ne quidem Resurrectionis solemnitate excepta, ubique persolvunt: * Eodem sæculo Petrus Venerabilis Abbas Cluniac. statuit n. 60. „ (ut „ sicut ex consuetudine aliæ horæ Sanctæ Virginis Matris „ Domini in Ecclesia infirmorum, quæ in honore ipsius „ consecrata est, quotidie decantantur, & ejusdem ibi „ completorium cantaretur, & in omnibus horis ante „ psalmos præmitteretur versus *Memento salutis auctor* „ cum *gloria sua*.) Ideo autem in capella infirmorum (quia „ ejus horæ in conventu publico propter fratrum nume- „ rositatem & officiorum multiplicitatem, brevitate tem- „ poris prohibente, cantari non poterant, saltem in ca- „ pella ipsius a paucioribus ex integro cantarentur.)

XXIX. In lib. Usuum Beccensium circa initium sæculi xiii. manu exarato, de hujusmodi additamentis hæc scripta reperior „ (Omnibus festis per annum & octa- „ vis, omnibus quoque diebus a Pascha usque ad Ca- „ lendas Novemb. quindecim psalmi dicuntur ante no- „ cturnos, id est *Ad Dominum cum tribularer clamavi* „ usque *Laudate nomen Domini*, & distribuuntur sicut „ supra diximus eos distribui .... (*Hic duæ lineæ sunt* „ *abrasæ*) a Pascha usque ad Calend. Novembris post „ Matutinas Laudes dicuntur Matutinæ de omnibus San- „ ctis; deinde *Exultabunt Domino*, & *Verba mea*, si dies „ fuerint quibus debeant dici. Ab octavis Pentecostes „ usque Pascha privatis diebus, nisi octavæ sint, post „ nocturnos ante Laudes matutinas dicuntur tres psalmi „ familiares: *Domine ne in furore*, & *Exaudiat te Deus*, „ & *Deus in adjutorium*. A Cal. Nov. usque Purifica- „ tionem B. Mariæ privatis diebus post hos tres fa- „ miliares psalmos ante Laudes dicuntur vigiliæ, *Exulta-* „ *bunt Domino*, Matutinæ de omnibus SS. *Verba mea*, „ quod si octavæ aguntur, omissis tribus familiaribus „ psalmis, qui post nocturnos dicuntur, dictisque vigi- „ liis, & *Exultabunt Domino*, dicuntur Matutinæ Lau- „ des, dein Matutinæ de omnibus SS. & *Verba mea* & „ quia officium mortuorum de nocte dicitur, *Ad Domi-* „ *num cum tribularer* ad horas diurnas in festis non di- „ citur: a Purificatione S. Mariæ usque Pascha dictis „ post nocturnos familiaribus psalmis, ante Laudes dict- „ tur *Exultabunt Domino*, Matutinæ de omnibus SS. „ *Verba mea*, vigiliæ post vesperas dicuntur.

Sæculo decimo tertio, item & decimo quarto perseverabat in nostro S. Germani Parisiensi Cœnobio laudabilis ante nocturnos hieme triginta, æstate quindecim psalmos decantandi consuetudo, ut discimus ex Breviario ad usum ejusdem Monasterii ante annos trecentos manu descripto, cujus initio præmittuntur preces ad divisionem *psalmorum triginta, vel quindecim*. Præterea in eodem Breviario describuntur preces ad familiares psalmos, qui post singulas horas dicuntur; quorum etiam in MS. consuetudinibus ** frequens occurrit mentio, uti & defunctorum officii matutinorum de omnibus SS. cursusque Beatæ Mariæ; ex quibus colligere licet, ad hæc usque tempora præter psalmos triginta ante nocturnos, duos in fine familiares psalmos cum precibus, vigilias & matutinum defunctorum, Laudes de omnibus SS. ac Beatæ Mariæ semper Virginis officium quotidie celebratum fuisse, quod itidem in aliis Galliæ Monasteriis satis probabile est observatum fuisse.

XXX. Bursfeldenses Monachi c. 5., qui strictioris observantiæ tramitem sæculo decimo quinto aggressi sunt, regularibus Vigiliis matutinum & Laudes B. M. Virginis præmittebant. Similiter, & Cassinenses (declar. Cass. ad c. 8.); sed a festo S. Benedicti ad Calendas Octobris propter noctium brevitatem, & ut officium devotius & morosius decantetur, Nocturnos & Laudes in choro non recitant; quod etiam in omnibus xii. Lectionum festis propter officii prolixitatem observant. Ita in declarationibus MS. an. 1520.; in editis vero an. 1604. non a festo S. Benedicti; sed a Purificatione Beatæ Mariæ nocturnos & Laudes recitari privatim statuitur, quod & a Pascha ad Calendas Novembris observatur in Congregatione Montis Oliveti constit. c. 10., ut habetur in eorum constitutionibus Romæ an. 1602. editis. Superiori etiam sæculo Casalini quotidie parvum B. M. officium dixisse videntur, quod & a nobis omnibus anni festis, & festis simplicibus præstatur; ita tamen ut Calendis Oct. ad Purificationem tantum nocturni & laudes in choro dicantur, reliquo tempore privatim. Hactenus de precibus, quas inter celebrandas nocturnas vigilias Deo effundebant veteres Monachi, deque additamentis ad Regulare S. Benedicti officium per nostros factis: nunc quo ritu cuncta persolverent, prout dederit Deus, aperiendum est.

XXXI. Quæ in aliis Regulatum Monasticarum authoribus sparsim advertimus, preces, scilicet, psalmos, antiphonas, hymnos, cantica, Lectiones, responsoria, eadem in sua Regula complectitur omnes S. Benedictus. Quapropter ordinem ab eo institutum in referendis monasticarum vigiliarum ritibus prosequi visum est; ita tamen ut aliorum Monachorum usus non prætermittamus.

XXXII. S. Benedictus igitur nocturnas vigilias a celeberrimo illo apud veteres Monachos versiculo *Deus in adjutorium meum intende* auspicatur. Nam quod ei oratio Dominica, salutatio Angelica, symbolum Apostolorum præmittantur, recentioris est Instituti, cujus primam mentionem in libro usuum Cisterciensium tantum videre mihi licuit. In eo nimirum præscribitur c. 18., ut „ [dimisso officii signo faciant solitam orationem supra „ misericordias, id est *Pater noster*, & *Credo in Deum*, „ antequam versum *Deus in adjutorium* decantent). Bursfeldenses, ordin. c. 9. nocturnis vigiliis ter orationem Dominicam, totidemque salutationem Angelicam præmittunt; ita ut post primam orationem, salutationemque Angelicam præses chori subdat; „ (*Pater de cælis Deus mi-* „ *serere nobis*; post secundam: *Fili Redemptor mundi Deus* „ *miserere nobis*; post tertiam; *Spiritus Sancte Deus mi-* „ *serere nobis*. In prima precatione fronti, in secunda „ ori, in tertia vero pectori signum crucis pollice dex- „ træ manus imprimentes,) idque nudis capitibus, prostratu, vel saltem habita temporis ratione, incurvato corpore. Idem præstabant in Gallia nostri Casalini, *** addentes insuper antiphonam *Te invocamus, te adoramus, te laudamus, o beata Trinitas*. ℣. *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu*. ℟. *Laudemus & superexaltemus eum in sæcula*; & collectam: *Omnipotens sempiterne Deus qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem: quæsumus ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum*.

XXXIII. Sed hujus ritus vestigium nullum apud antiquiores vidi. Circa initium sæculi decimi Notkerus Balbulus Monachus Sancti Galli **** horæ Nonæ officium dicturus, nullis præmissis precibus incipit a ℣. *Deus in adjutorium*. In antiquis Cassinensium consuetudinibus sub

Ode.

* Institutiones Cist. dist. 3. c. 5. n. 9.
** MS. Brev. S. Germ. not. n. 340.
*** In Suppl. Breviar. Cong. Casal. Bened.
**** Sæc. 5. Bened. p. 15.

Oderisio Abbate, hoc est sub finem sæculi xi. manu exaratis, nullam precum præmittendarum mentionem animadverti, sed neque apud Udalricum in antiquis Cluniac. consuetudinibus circa idem tempus collectis. Huic tamen institutioni locum præbuisse existimo triplicem illam orationem, quam altaria circumeuntes ante singulas horas canonicas effundebant, ex quo factum est, ut omissa altarium visitatione, preces & orationes retinuerint, quas etiam submissa voce recitamus; quod deinde ut alia permulta a Monachis transiit ad Clericos.

XXXIV. Porro versum ad vigilias incipiebat ipse Abbas; nam, ut notat noster Menardus Reg. c. 23. ap. 3., moris olim fuit, ut Abbas officium inciperet, quod probat ex Regulæ Magistri c. 44. ubi dicitur ,, (Oportet in ,, nocturnis ab Abbate dici versum apertionis, id est ℣. ,, *Domine labia mea aperies*,) a quo Magister nocturnas vigilias incipit. Idem non obscure significare videtur S. Benedictus in Reg. c. 47. cum præscribit, ut *psalmos vel antiphonas post Abbatem ordine suo quibus jussum fuerit imponant*. Primus ergo ipse Abbas imponebat. Præterea cap. xi. ubi dicitur *incipiant matutinos*, in nonnullis MSS. legitur *incipiat matutinos*, scilicet ipse Abbas, quam lectionem probat Menardus. Postea tamen uni ex Monasterii Sacerdotibus id muneris demandatum est, qui scilicet per totam hebdomadam officium inchoaret, Missam majorem cantaret, Benedictiones ad mensam daret, alia id genus permulta impleret, quod ab annis minimum nongentis usus obtinuit. Hic ex MSS. S. Germani Pratensis consuetudinibus claustro egredi prohibetur, & apud Cælestinos constit. tract. 1. cap. 9. §. 1. primus post superiorem in choro stat.

XXXV. Dicitur autem versus *Deus in adjutorium* verso ad altare vultu, quem dum incipit Abbas aut Sacerdos Hebdomadarius, omnes crucis signum faciunt, versum una cum ipso prosequentes, & quidem ad quantulum *tractius* quam reliqua psalmodia, ut præscribunt Bursfeldenses ord. c. 9. Paulo aliter Cistercienses, lib. 85. cap. 68. nimirum dicto *Pater*, & *Credo*, & facto sonitu, inquiunt, ,, (Erigant se omnes, & versi ad altare signent se, & ,, sursum inclinantes stent ibidem. Dicto itaque *Deus in* ,, *adjutorium meum intende*, morose & trahendo a Sacer- ,, dote, cancellatis manibus incurventur profunde, donec ,, *ad adjuvandum me festina* eadem morositate & gravitate ,, compleatur.

XXXVI. Subjungit S. Benedictus versum, *Domine labia mea aperies*, ter dicendum, a quo Magister, ut diximus, & Clerici nocturnum officium incipiunt; quem dum pronunciamus, oris crucis signum efformamus. Apud Bursfeldenses imponitur a Cantore, ex eorum carem. dist. 2. c. 26. Eundem versiculum ab omnibus oratorium ingredientibus etiam tertio dicendum, ipso tamen Abbate incipiente, præscribit Magister in Regul. cap. 32. Sequitur psalmus tertius in directum, hoc est secundum quosdam sine cantu dicendus, sive ut dicit Amalarius tom. 2. Anal. *sine modulatione antiphonæ*.

XXXVII. Post hunc psalmus nonagesimus quartus ab antiquis satis celebratus, a magistro *Responsorium orationis* (e) appellatus; c. 32. & 44. quem etiam ab Abbate decantari voluit, ut per illud ad Laudes Domini oves a Pastore suscitentur, atque invitentur. Eundem psalmum speciali ritu & solemnitate dici S. Benedictus decrevit Reg. c. 9., nimirum cum antiphona, hoc est cum invitatorio, quod S. Pater antiphonam vocat, ut docet Radulfus Tungrensis de obser. canon. prop. 12.; aut certe decantandum, idque *omnino protrahendo & morose*, ut habet in cap. 43. ab uno nimirum, aut e pluribus, cucullis, albis, aut etiam cappis pro dierum solemnitate indutis, ad id muneris singulis hebdomadis a Cantore aut alio designatis, atque inde *hebdomadarii invitatorii* appellatis, quorum officium videsis apud Udalricum lib. 2. consuet. Clun. c. 29. qui concinunt Benignianæ consuet. c. 32. & in lib. Usuum Cister. c. 104. Modus autem quo debent invitatorium psalmum decantare, ita describitur in libro Usuum c. 68. ubi agitur de Dominicis & festis: ,, (*Venite* ,, *exultemus Domino*, cum invitatorio dicatur ante gradum ,, presbyterii a duobus fratribus, illo videlicet qui præsen- ,, tem facit hebdomadam invitatorii, & illo qui præteritam ,, fecit, qui venientes ad gradum inclinent, inceptoque ,, invitatorio rursus inclinent, & sic deinceps ad finem ,, singulorum versuum tantum inclinent. Post repetitio- ,, nem vero invitatorii iterum inclinent, & sic redeant ,, in ordinem suum. Privatis tamen diebus qui canit in- ,, vitatorium, non inclinet antequam illud incipiat: Fra- ,, tres vero habeant vultus ad altare ex quo invitatorium ,, incipitur, donec *Gloria Patri* dicatur, & tunc humi- ,, liet se chorus contra chorum usque ad *sicut erat in prin-* ,, *cipio*.) Quod vero hic ante gradum dicendus præscribitur, idem habet Udalricus loco citato.

XXXVIII. Notandum vero quod de invitatorio scribit Amalarius in supplemento ad librum 4. de officiis divinis tom. 2. Anal., ubi de Regula S. Benedicti: nempe *quod invitatorium æstivis diebus hebdomadalibus sine modulatione antiphonæ solet dici*; quod Bernardus Cassinensis com. in Reg. S. Ben. c. 9. Bursf. ord. c. 9. in Gallicanis Monasteriis suo tempore observatum fuisse docet, illud etiam S. Benedicti, *aut certe decantandus* intelligens de cantu in directum: *aut certe decantando*, inquit, *supple in directum, & sine antiphona sicut tertius psalmus, quod in æstate faciunt in partibus Gallicanis*. Idem faciunt Bursfeldenses, quoties ad Nocturnos brevis tantum Lectio recitatur, excepto tamen tempore Paschali, & hebdomada Pentecostes.

XXXIX. Post invitatorium sequitur in Regula S. Benedicti Ambrosianus, idest hymnus ab Ambrosio hymnorum authore ita dictus. De hymnorum usu apud veteres Monachos nihil apud Cassianum, aliasque Orientalium Patrum Regulas, sed neque in Regula incerti authoris sub nomine S. Augustini vulgate, neque in Reg. S. Columbani, S. Isidori, S. Fructuosi, Magistri, Donati, cujusdam ad Monachos. Post exortam heresim Arianam eos tum in Oriente, tum maxime Hilario & Ambrosio authoribus in Occidente ad refellendos injurios Verbo Dei errores hereticorum celebravit Ecclesia. Inter monachos ex primis eos susceperunt S. Benedictus in Italia; Cæsarius & Aurelianus in Gallia.

XL. Porro cum hymnus proprie sit cantus cum laude Dei, non nisi cum suavi vocis modulatione cantari debet, unde etiam a S. Benedicto statim post invitatorium psalmis præmittitur; ,, (Vocati enim, *ut ait Johannes Bona* ,, *de divin. psalmod. c. 16. §. 9.*, & invitati ad Deum ,, illico gaudeamus, & exultemus, ut si quæ sunt adhuc ,, torpentia corda ad invitantis vocem nondum satis com- ,, mota, per hymni alacritatem & jubilationem ad psal- ,, mos debite persolvendos excitentur.) De hymnorum cantu apud Cluniacenses audiendus est Udalricus lib. 2. c. 25.: ,, (Quamquam illorum hymnorum melodia qui ,, cantantur in Pascha, ita sit plana & in directum, & ,, in ipso sacrosanctæ Dominicæ Resurrectionis non ma- ,, gis solemnis, quam si iidem hymni ad aliquem, ut ita ,, dicam, privatum diem pertinerent; quod nobis relictum ,, e simplicitate Seniorum nostrorum adhuc ita tenetur;) Hujusmodi tamen cantum ipse non probabat, unde subdit: ,, (Et si qua persona esset idonea, quæ id Domino Ab- ,, bati suggereret & suaderet, fortassis emendari jube- ,, ret.)

XLI. Hymno S. Benedictus psalmos subjungit, & quidem cum antiphona dicendos, quod tribus modis intelligi potest. Aliis enim psallere cum antiphona idem est quam psallere choris alternis ac divisis; aliis psallere cum cantu & modulatione; aliis, psalmis certas quasdam sententias inserere, quas antiphonas vocant, eo quod ad earum cantum alternis versibus vicissim psalmi decantentur. Quidquid sit, certe utrumque quæri potest, an scilicet veteres Monachi alternis choris psallerent, aut alter; an psalmos voce plena, ut ajunt, decantarent, aut ad meram potius recitationem accederent; an denique cum psalmis etiam antiphonas, eo quo nunc in Ecclesia accipiuntur, sensu celebrarent.

XLII. Primum quod spectat, certissimum est antiquiores Monachos non divisis choris, sed unum duntaxat, quem interim auscultarent alii in silentio, medium psalmos decantasse; quos quidem ita dividebant inter se, ut nunquam amplius quam quatuor Monachi in quavis numerosa congregatione psallerent. Rem ita explicat Cassianus in lib. 2. de nocturnis orationibus c. 11.: ,, (Prædictum ,, vero duodenarium psalmorum numerum ita dividunt, si ,, duo fuerint fratres, senos psallant; si tres, quaternos; ,, si quatuor, ternos: quo numero numquam minus in ,, congregatione decantant, ac proinde quantalibet multitu- ,, do convenit, numquam amplius psallant in synaxi quam ,, quatuor fratres.) Non ergo omnes psallebant, sed soli ad hoc destinati Cantores; quod amplius patet ex sequentibus Cassiani verbis c. 12.: ,, (Hunc sane canoni- ,, cum quem prædiximus duodenarium psalmorum nume- ,, rum tali corporis quiete relevant, ut has easdem con- ,, gregationum solemnitates ex more celebrantes, absque eo ,, qui dicturus in medium psalmos surrexerit, cuncti se- ,, dilibus humillimis insidentes ad vocem psallentis omni ,, cordis intentione dependeant.)

XLIII. Eundem ritum indicat S. Hieronymus Rusti-

cum

(e) In Conc. Reg. *Responsorium hortationis*.

cum Monachum instituens de forma vivendi epist. 4.: *Nocturnum*, inquit, *expleto somno surgere compellaris: Dicas psalmum, in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis; sed mentis affectus quæritur*. Ubi non dicit ut psalmos simul cum aliis decantet, sed psalmum dicat *in ordine suo*: Hinc Regulæ SS. Serapionis, Macharii, Paphnutii, & alterius Macharii, *Adstantibus*, inquit, *ad orationem nullus præsumat sine præcepto, qui præest Patris, psalmi laudem emittere*. Julianus Sabbas etiam teste Theodoreto lib. 9. de vit. Patr. c. 2. discipulos suos docebat „ (post auroram duos simul exire in solitudinem: & unum quidem „ flexis genibus offerre eam quæ Domino debetur adorationem, alterum vero stantem Davidicos psalmos ca„ nere quindecim. Deinde operis facta commutatione, al„ terum quidem surgentem canere, alterum vero humi „ procumbentem adorare; & id a mane usque ad vespe„ rulum faciebant.) Ibi non præscribitur cantus alternus, sed uno canente alter auscultans adorat nihil dicens. Idem in nostris etiam Galliis multo post observatum fuisse patet ex Sancto Aureliano; nam in Regula ad Monachos statuit, *ut in ordine psallendi vicibus sibi succedant monachi*, & clarius in ordine quo psallere debeant, quem regulæ subjicit c. 22.: *In primo die Paschæ ad Tertiam ter Kyrie eleison, psalmi duodecim, id est quatuor fratres bini psalmos, & alleluiaticum tertium dicant*; ubi Cassiano concinit. Eundem ritum primis Ecclesiæ nascentis seculis apud Clericos usitatum fuisse pluribus probat Ludovicus Thomassinus de disc. Eccl. lib. 1. cap. 34. & 35. Hinc Eusebius convenientiam, quæ Essenos inter & Christianos esset, describens, lib. 2. c. 17. „ (Cum unus quispiam „ modulate ac decenter psalmum canere exorsus fuerit, cæ„ teri cum silentio auscultantes extremas duntaxat hymno„ rum partes concinunt.)

XLIV. Primis autem in Ecclesia alternum psalmorum cantum induxisse perhibentur Flavianus & Theodorus Monachi; (nam quod de S. Ignatii visione Angelorum alternis choris Deo concinentium narrat Socrates lib. 6. c. 8., non sine fundamento mera tanquam fabula rejicitur.) Hi vero, ut scribit Theodoretus lib. 2. hist. Eccles. cap. 4. „ (licet honorem Sacerdotii nondum adepti essent, sed „ adhuc inter laicos versarentur; tamen diu noctuque „ cunctos ad studium ac defensionem pietatis animabant. „ Hi primi psallentium choros duas in partes diviserunt, „ & Davidicos hymnos alternis canere docuerunt; quod „ quidem tunc primum Antiochiæ fieri cœptum, inde „ ad reliquos pervasit, & ad ultimos usque terrarum fines „ perlatum est.) Idem testatur Theodorus Mopsuestenus Flaviano & Theodoro coætaneus, cujus verba refert Nicetas in Thesauro orthodoxæ fidei lib. 5. c. 30. quamquam ea psalmodiæ species jam ante Flavianum & Diodorum a Syris usurpata fuisse videatur. Vid. Henric. Valesii Notas ad Socrat. l. 6. c. 8.

XLV. Eumdem psallendi modum mox suscepere aliæ etiam Orientis Ecclesiæ, ut patet ex Basilio in Epistola ad Clericos Neocæsarienses, nempe Ægypti, Libiæ, Thebaidos, Palestinæ, Arabiæ, Syriæ, &c. atque ab Oriente ad Occidentem, authore maxime Ambrosio transiit, cum persequente virum Dei Justina Imperatrice Ariana, populoque in Ecclesia excubante, ne mæroris tædio contabesceret, Orientalium psallendi modum Mediolanum induxit; quem & Damasus Papa statuisse legitur in Breviario Romano.

XLVI. Quam in Ecclesia Antiochensi Flavianus & Diodorus Monachi alternis choris psallendi rationem introduxerant, ad alias mox Ecclesias dilatatam statim etiam ut sanctiorem ac devotioni fovendæ magis idoneam suscepere passim Monachorum congregationes. Gregorius Nazianzenus quodam in carmine (Jamb. 18.) de Monachis ita canit

Nocturnas cernis ut canat laudes Deo
Natura utraque sexus oblitus sui?
Quot, quamque sancti? cernis Angelicum chorum
Qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit:

Regula Pauli & Stephani c. 5. „ (Initium versuum psal„ lentium in choro priores qui in eis stant, incipiant; „ aut si eis adversatur infirmitas, hi incipiant quibus ipse „ jusserit Pater; quibus incipientibus mox omnes, si potest „ fieri, in prima aut secunda syllaba pariter unanimiter, „ & uno ore subjungat: ut non sit dissonantiæ cantanti„ um, quæ maxime ab inordinato initio, & quodam„ modo contentiosa varietate solet accidere.) S. Fructuosus: *mediam surgentes noctem duodenos per choros recitent psalmos*.

XLVII. De Lirinensi monasterio res constat ex vetusto authore in Chronologia Lirinensi, ubi S. Agricolus ex eo cœnobio raptus ad Ecclesiæ Avenionensis Cathedram *voluit etiam horas canonicas, & divina officia deinceps in eadem Ecclesia, modo quo solebant in monasterio, alternis vicibus cantibus recitari*. Vid. Haeft. lib. 7. tract. 4. disq. 5.

XLVIII. De S. Benedicto controversia est, an scilicet alternis choris aut antiquiorum Monachorum more, de quibus Cassianus, psalli voluerit. Postremum hoc tuetur Menardus, sed contrarium mihi persuadet, primo quod licet S. Benedictus multa ex Ægyptiorum disciplina hauserit, certissimum tamen est eum *consuetum morem S. Ambrosii in nonnullis ecclesiasticis elegisse*, ut scribit Amalarius in Supplemento de divinis offic. tom. 2. Anecd. probabiliusque videtur receptum fere ubique tam apud Monachos, quam apud Clericos alternis choris psallendi morem, ut meliorem, ac pietati magis consentaneum suscepisse. Secundo quod suos S. Pater Benedictus velit stando divinis interesse officiis, ut ostendimus in comm. cum tamen apud Ægyptios omnibus sedentibus solus psallens erectus staret. Tertio quod S. Benedictus præscribat c. 19. ut *sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ*, non voci psallentis, quod notat, psalmos ab omnibus esse decantandos. Quarto tarde venientem ad opus Dei S. Pater c. 43. prohibet sociari *choro psallentium*, non auscultantium: & certe usitatum ab ipso Ordinis nostri nascentis principio alternis choris psallendi morem docet noster Mabillonius, cujus hac in re judicium plurimum ponderis habere debet, nec ullum scio qui hac de re infirmas aliquando ierit. Sane de Lindisfarnensibus Monachis Ethelvolfus in carmine de viris piis Lindisf. ita canit:

E stratis properant sonitatum adcurrere signum
Et reciproca suo modulantur carmina Regi
Psalmis atque hymnis laudantes rite Tonantem:

cap. 20. Sæc. 4. part. 2. Vid. Haeft. lib. 7. Tom. 1. disq. 5.

XLIX. Porro licet alternis choris psallerent; psalmi tamen ab uno aliquo imponebantur sive incipiebantur, quem statim reliqui omnes uno ore ita sequebantur, ut nulla esset inter cantantes dissonantia, ut vidimus ex Regula Pauli & Stephani: & hoc est quod S. Benedictus ait c. 47. *Psalmos autem vel antiphonas post Abbatem ordine suo quibus jussum fuerit imponant*. Quod munus Præpositis assignare videtur Regula Magistri, aut quibus jusserint ipsi; sic enim decernit: „ (Post Abbatem Præpositi vicibus „ cum jussu ipsius imponant antiphonas, currente, ut diximus, semper psalterio, postquam explicaverint Præ„ positi singuli, fratres de singulis decadis quibus jusserint „ Præpositi, vicibus imponant.) Sed de his satis, nunc vero de cantu, quem intelligi cum *psalli cum antiphona* præcipitur, aliqui volunt.

L. Constat primis Ecclesiæ seculis, cum adhuc in venis Fidelium pro nobis effusus Christi sanguis ferveret, psalmos in modico vocis flexu decantatos fuisse, ut pronuntianti vicinior esset psallens quam canenti; sed crescente postmodum charitate ad excitandam Christianorum & fidem & devotionem cum suavi vocis modulatione divina celebrari cœperunt officia. Cantilenæ sive occasionem hujus instituti narrat Nicephorus l. 9. hist. c. 16. his verbis: „ (Cum jam per tria a Christo nato secula simplex „ cantus sive potius recitatio nullo modulationis fuco permulsa Christi populos nutrivisset; ecce tibi Harmonius „ quidam Bardesani hæresiarchæ heterodoxus filius, malo „ corvi malum ovum cum sua prava dogmata musicis numeris includeret, & multi ex Syris propter verborum „ venustatem, & sonorum suavitatem demulsi paulatim hæ„ reses imbiberent; B. Ephræm ea re cognita, carmina ca„ tholicam fidem resonantia veneficis Harmonii versibus „ opposuit, clavo scilicet clavum trudens. Ea itaque sua „ vi vocum sonorumque fluxu accommodate Syris audienda „ præbuit, & canenda.) Ab eoque posteriores Ecclesiæ cantores modulorum formulas mutuati, magis atque magis eas auxerunt & propagarunt.

LI. Monachos quod spectat etiam melodiis delectatos fuisse ex Cassiano manifestum est lib. 2. c. 2. „ (Quidam inquit vicenos seu tricenos psalmos & hos ipsos an„ tiphonarum prorelatos melodiis, & adjunctione qua„ rumdam modulationum debere dici singulis noctibus „ censuerunt.) Nonnullis tamen magis placuit sola psalmorum recitatio tanquam Monasticæ simplicitati magis conveniens. S. Benedicto utramque psallendi genus arrisit; quosdam enim psalmos *in directum*, sed multo plures *modulatis* vocibus decantandos esse decernit. Hac de re S. Isidorus ita statuit: „ (In vigiliis recitandi

ade-

„ aderit usus; in Matutinis psallendi canendique consuetudo:
„ ut utroque modo servorum Dei mentes diversitatis ob
„ lectamento exerceantur, & ad laudem Dei sine fasti-
„ dio ardentius excitentur.)

LII. S. Fructuosus simplicem psalmorum recitationem prætulisse videtur: „ (Ante mediam surgentes noctem
„ duodenos per choros recitent psalmos secundum con-
„ suetudinem;) Et infra: „ (Gallicinio jam sonante,
„ recitatis tribus psalmis cum Laude & Benedictione suæ
„ Matutinum celebrent Sacrificium.) Quapropter quod aliquando psalmos cantandos esse dicit, non de cantu melodico intelligendum est; sed de recitatione juxta antiquorum scriptorum morem: apud quos *cantare* idem sonat ac recitare, ut videre est apud Remigium Autissiodorensem in explicatione canonis missæ (Bibl. Patr. Tom. 9.), ubi rationem reddens cur *Te igitur clementissime pater* tacite recitetur; „ (Idcirco, *inquit*, ut fertur, venit
„ consuetudo in Ecclesia, ut *tacite* ipsa obsecratio atque
„ consecratio a Sacerdote cantetur, ne verba tam sacra
vilescerent.) Apud Bedam in epistola ad Egbertum Episcopum: „ (Sanctus Antistes Ambrosius hoc de fi-
„ de loquens admonet, ut verba symboli Matutinis sem-
„ per horis fideles quique decantent.) Apud Uldaricum
„ in antiquis monasterii Cluniac. consuetudinibus c. 18.
„ *Sacerdos qui privatam missam cantare voluit, potuit*
„ *eam interim finire:* Apud Patrem Venerabilem statut.
„ 54. *de eadem matre Domini missa quotidie secreta de-*
„ *cantetur*. S. Stephanus Abbas Obazinensis subjectis etiam sibi Sanctimonialibus simplicem duntaxat recitationem psalmorum indixit: „ (Ita se habent, *inquit Anonymus*
„ *ejus discipulus in ejus vit. lib.* 2. *n.* 3. pro modulo
„ suo ut Monachi, excepto quod foras nunquam egre-
„ diuntur, & quia summisse cantant, immo nec cantant,
„ sed quasi legendo cum summa devotione horas diei
„ concelebrant.) Tom. 4. Misc. Baluz.

LIII. Tertium quod nobis inquirendum proposueramus, est utrum, cum psalmis antiphonas decantarent veteres Monachi. Antiphonæ nomine nihil apud authores frequentius; ut eum nomini respondens significatio non semper eadem. Socrates hist. l. 6. c. 8. hymnos ab Arrianis compositos, quosque alternatim sibi respondentes canebant, *antiphonas* appellat; & certe si vim nominis attendimus, *antiphona* idem sonat atque cantus reciprocus: Nunc vero usus invaluit, ut antiphonas vocaremus eas breves sententias, quas psalmis præponimus & subjicimus; sive quia ad earum tonum psalmi alternis versibus concinuntur; sive quia earum pars ab uno choro decantaretur, alia ab altero; Antiphonas vero nullas nisi ex Scripturis desumptas decantare solebant; Unde Regula Pauli & Stephani c. 14. „ Nullus, *inquit*, præsumat Responsoria vel an-
„ tiphonas, quæ solent aliquo composito sono pro libi-
„ bitu, & non ex canonica scriptura desumpta canere in
„ congregatione ista, vel meditari vel legere.) Neque etiam eodem modo seu ritu ab omnibus canebantur: alii enim plures consequenter ante psalmos concinebant, de quibus Cassianus l. 3. c. 8. *Cum stantes antiphonas tres concinuerunt insidentes tres psalmos uno modulante respondent*, ubi antiphonas distinguit a psalmis: Sanctus Aurelianus in ordine psalmodiæ quam Regulæ subjicit: *Perdictis psalmis Kyrie eleison, & antiphonas seu, Lectiones tres*, &c. alii vero singulis psalmis singulas antiphonas interserebant, quod præscripsisse videtur S. P. Benedictus, cum psalmos cum antiphonis dicendos esse decernit; nonnulli denique ad unam antiphonam plures psalmos decantabant, & ita qui sub S. Columbani sanctique Donati vexillis militabant: hi enim, ut supra vidimus, ad singulas antiphonas tres psalmos decantari decernunt.

LIV. Porro cum antiphonæ sint quædam quasi cantilenæ ad excitandam audientium devotionem compositæ, non nisi cum nota, & suavi modulatione vocis debent cantari, in quibus etiam imponendis hunc observari ordinem præscribit Regula Magistri c. 46. „) Post Abba-
„ tem Præpositi vicibus cum jussu ipsius imponant anti-
„ phonas, sarente ut diximus semper psalterio. Post-
„ quam explicaverint Præpositi, singuli fratres de singu-
„ lis decadis quibus jusserint Præpositi, vicibus imponant.)

LV. Quærunt insuper, quonam corporis situ veteres Monachi psallerent. Item an memoriter aut ex libro psalmos expedirent? Utrumque jam tetigimus in commentario super Regulam S. Benedicti ad caput nonum; de primo nihilominus aliqua breviter hic superaddenda.

LVI. Triplici nempe corporis situ psalmos ab antiquis Monachis persolutos fuisse reperio; stando scilicet, sedendo, & erectis expansisque in Cœlum manibus. Primum psallendi genus S. Benedicto multisque aliis magis arrisit, magisque decere Monachos fuse satis probavimus in commentarii loco citato: Secundum Ægypti Thebaidisque Monachis placuit; „ (Nam ut *dicit Cassianus lib.* 2. *c.* 12.
„ absque eo qui dicturus in medium psalmos surrexe-
„ rit, cuncti sedilibus humillimis *insidentes* ad vocem psal-
„ lentis omni cordis intentione dependeant:) Ne quis tamen tantos viros mortificationi ac pœnitentiæ adeo devotis negligentiæ insimulet, addit. „ (Ita namque je-
„ juniis & operatione totius diei noctisque affuescunt, ut
„ nisi hujuscemodi refectione adjuventur, ne hunc quidem
„ numerum *duodecim psalmorum* stantes implere valeant.
Nunc vero proh pudor? vix paucos reperias monachos nullis aut certe vix ullis laboribus deditos, qui divina stantes persolvant officia; omnes quippe aut semper aut saltem per magnam divini operis partem sedentes remanere videas. Alii vero expansis manibus orare magis elegerunt; tales erant de quibus S. Joannes Chrysostomus hom. 14. in 1. Tim. „ (Cum ante lucem gal-
„ lus emittit vocem, omnes cum reverentia discusso so-
„ pore consurgunt a Præsule suo excitati, adstantque sa-
„ cro choro, protinusque expansis manibus sanctos conci-
„ nunt hymnos.) Idem faciendum præscribit Regula Fructuosi Bracarensis Episcopi c. 3. in fine psalmorum cum dicitur *Gloria Patri*. „ (Ad omnem, *inquit*, psalmo-
„ rum finem, Gloria cantantes Deo prosternentur, in eo
„ scilicet ordine ut nemo prius seniore aut incurvetur aut
„ iterum surgat: sed omnes summa æqualitate consurgant,
„ extensisque ad cœlum palmis orando persistant, sicut &
„ æqualiter merguntur;) quod ab Ægyptiis Monachis apud Cassianum mutuatus fuisse videtur; is enim similem illorum ritum narrat in lib. 2. c. 6. & S. Macharius quærentibus discipulis *Quomodo debemus orare?* Respondit, *Non opus est multum loqui, sed extendere manus & dicere; Domine sicut vis & scis miserere*, ut scribit Anony. in ejus vit. c. 4. apud Boll. 15. Januarii: Hujus responsi praxim videre est in cap. 5. ejusdem vitæ n. 35. Vid. Menard. in Conc. Reg. c. 25. §. 12.

LVII. Absolutis sex psalmis S. Benedictus statuit, ut dicto versu benedicat Abbas. De hoc versu extat capitulum 9. Monachorum Sangallensium, ut *versus in unoquoque consessu altius & distinctius atque protractius honeste dicantur*. De benedictione vero diximus in Com. illud tantum hic adnotamus, Bursfeldenses ad solam primam benedictionem stetisse, ad reliquas vero consedisse, ut statuitur in eorum ordin. c. 9.

LVIII. Lectiones subjungit S. Benedictus; tres quidem, easque prolixas hyeme dicendas; unam brevem æstate ex corde recitandam. Quot in nocturna synaxi Lectiones dicerent veteres Monachi, hic non recensemus, cum ea supra citatis eorum Regulis id colligere quisque facillimo negotio queat. Plura etiam de Lectionibus in Commentario a nobis digesta sunt, nimirum unde peteri, a quo, & ubi dici debeant, quomodo terminarentur, quare cum pauca nobis dicenda supersint, tria tantum hic observare licet.

LIX. Primum est, non adeo breves fuisse veterum Monachorum Lectiones, quam ex quas in nostris Breviariis digestas videmus. Tria ad singulas Lectiones folia legi decernit S. Cæsarius in regula ad Monachos. S. Aurelianus in ordine psalmodiæ „ (Unus frater, *inquit*, legat pa-
„ ginas aut tres aut quatuor, quomodo mensura fuerit li-
„ bri; si minore scriptus aut majori forma, ternas pagi-
„ nas: si minor, quatuor.) Et ut de nostris loquar, Cluniacenses in una Septuagesimæ hebdomada integrum Genesis librum legebant, Isaiam intra sex privatas noctes, Epistolam ad Romanos intra duas, ut scribit Udalricus lib. 1. Consf. Clun. c. 1. & in plerisque Monasteriorum nostrorum legendariis MSS. ad singulas Lectiones integri SS. Patrum sermones assignantur, quod etiam a nostris Casinensibus sub Oderisio Abbate observabatur, ut in MS. ordine divinorum officiorum per totum annum ejusdem Monasterii Breviario Cassinensi subjecto passim videre est, licet assignatæ in eodem Breviario pro certis diebus sint brevissimæ; sed istæ non legebantur in choro, sed tantum ad viatorum usum erant accommodatæ, quibus difficile fuisset magnos amplosque libros secum deferre. At vix crederet aliquis quod in vit. S. Joannis Abbatis Gorziensis legitur n. 81. sæc. 5. „ (Lectiones hyemalibus vigiliis ita
„ producebantur, ut Prophetis qui Calendis Novembribus
„ ponuntur duobus fere hebdomadibus expensis, aut denuo
„ a quocumque eorum repeterentur, aut alia quædam ad-
„ derentur; unde & eundem virum sub una quondam le-
„ ctione Danielem totum dum tertius lectus absolveretur,
„ explevisse percepimus, &c.) Hæc Joannes Abbas Metensis prædicti Johannis discipulus.

LX. Secundum est, non solum audientes, sed lectorem ipsum lectionum tempore assedisse. De assistentibus res

luce

luce clarior ex S. Benedicti regula c. 9. (Sedentibus „ omnibus in scamnis legantur vicissim a fratribus in co- „ dice super analogium tres lectiones :) De Lectore vero res nihilominus constet ex Regula Sancti Cæsarii ad Monachos c. 20. „ (Legat frater folia tria & oratc, legat „ alia tria & levet se.) Ergo prius sedebat, qui se levare jubetur. Idem patet ex S. Aureliano in ordine psallendi ; „ (Quantum Abbati visum fuerit, tantum „ legatur ; quando signum fecerit, qui legit, sine mora „ *consurgat*.)

LXI. Tertio, quia prolixiores erant Lectiones, ne somno gravati succumberent audientes, aliquod opus manuum exercebant : Regula S. Pachomii c. 5. „ (Nec „ otiosus in collecta sedebit : sed funiculos in mattarum „ stramina manu celeri præparabit :) Regula S. Aureliani ad Monachos cap. 29. „ (Ad vigilias dum le- „ ctio legitur, aut de sparta, aut de canape, aut aliud „ hujusmodi manibus operamini, ut non somnus obrupat. „ Si vero Dominicus, aut festi sunt dies, cui somnus ve- „ nerit, aliis sedentibus jubeatur stare.) Regula Tarnatensis c. 6. „ (Illud est etiam studendum, ne somnum „ manus otiosæ invitent, atque ideo hæc erunt opera in „ vigiliis facienda quæ mentem non occupent, aut gra- „ vent operantis cordium, sed quæ soporis possint repel- „ lere torporem.) Regula S. Cæsarii ad virgines c. 13. „ (In vigiliis ut nemo per otium somno gravetur, eo- „ pera fiet, quæ mentem non retrahat a lectionis auditu.)

LXII. Aliter a nostris somni torpor expellebatur. Unus scilicet ex fratribus accepta inter lectiones lignea laterna, chorum perlustrabat ; & si quem dormientem offendisset, apposita ejus obtutibus laterna, excitabatur ; Excitatus vero laterna accepta chorum eodem situ lustraturus pergebat, & si quem alium somno occupatum deprehendisset, ejus oculis lumen ter objiciebat ; si tertia vice non evigilasset, eum expergefaciebat, & expergefacto laternam præbebat chorum similiter lustraturo : Ita apud Cluniacenses, & alios plerosque. Udalric. lib. 2. consuet. Clun. c. 8.

LXIII. Lectionibus tria S. Benedictus interserit responsoria ab uno vel e pluribus cantanda, choro respondente sedendo, ita tamen ut in tertio ℟. pronunciante cantore *gloria Patri*, omnes pro summæ Trinitatis reverentia surgant.

LXIV. Deinde subjungit alios sex psalmos cum alleluja canendos, Lectionem ex Apostolo memoriter dicendam, versum, letaniam ac demum orationes sive collectas.

LXV. Letaniam intelligit S. Benedictus *Kyrie eleison*, quod ter dici solet hoc modo, *Kyrie eleison Christe eleison Kyrie eleison* : Cluniacenses sexies *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, dicebant ; aliquando etiam novies utrumque, ut accepisse se testatur Petrus Boherius in primo super Regulam S. Benedicti commentario c. 9. Dicebatur autem „ (in unoquoque concursu altius & distinctius at- „ que protractius honeste) ex capitulo 9. Monachorum Sangallensium (in to. 2. c. Bal.) & quidem flexis genibus ex capitulo 7. in quo sic habetur : „ (Ut in noctis „ cursibus incepturi *Kyrie eleison* genua flectant, & non „ ante surgant, quam Sanctæ Trinitatis vocabulis perdi- „ ctis Presbyter dicat *Per omnia sæcula sæculorum*, *Amen*. „ Surgentes autem humiliationem supplicationis sibi in- „ vicem præbeant.) Hac de re ita Bursfeldenses in ordin. c. 9. „ (Dicant alternatim per choros *Kyrie eleison* „ *Christe eleison Kyrie eleison*, quorum prima duo in di- „ rectum, tertium vero terminatur in accentum, deinde „ prostrati super formas, &c.

LXVI. De collectis autem & orationibus nulla controversia est ab antiquis Monachis frequentatas fuisse. Earum apud eos usum quadruplicem advertere licet.

LXVII. Primo enim nonnulli singulis psalmis singulas orationes collectas subjiciebant ; ita nimirum Ægypti Thebaidisque Monachi, teste Cassiano lib. 2. de Noctern. orat. c. 8. & 9. Idem statuit in sua Regula S. Fructuosus Bracarensis Episcopus c. 3. Immo longiores psalmos intercidentes, duas tresve orationes ad eos faciebant, ut refert idem Cassianus.

LXVIII. Secundo alii non psalmis sed Lectionibus orationes immiscebant. Extat luculentum hujusce ritus testimonium in regula S. Cæsarii ad Monachos cap. 20. „ (Leget frater tria folia, & orate ; legat alia tria & „ orate ; legat alia tria, & levet se ;) & apud S. Au- „ relianum in ordine psallendi : „ (Unus frater legat paginas tres aut quatuor . . . & fiat oratio ; iterum legat tantum, & fiat alia oratio.

LXIX. Tertio quidam in fine tantummodo divinorum officiorum collectas decantabant, & ita S. Benedictus, qui semper in ultimo ordine orationem Dominicam dici & missas fieri præscribit. Nam qui *missæ* nomine orationes intelligi nolunt, hi certe ignorant, aut scire nolunt qua in significatione missæ vocabulum apud authores S. Benedicto synchronos, & maxime Regularum Monasticarum scriptores usurpetur : Unus hic nobis sufficiet Cæsarius ad rem evincendam ; „ (Duos, *inquit* in *Regula ad* „ *Monachos* c. 20. nocturnos faciant & tres missas ; ab „ una missa legat frater folia tria, & orate ; legat alia „ tria, & orate, legat alia tria & levet se,) ubi quod „ prius *missæ* nomine dixerat, *oratione* exprimit ; idem „ enim est ac si diceret (duos faciant nocturnos & „ tres orationes ; ab una oratione legat frater tria folia, „ & fiat oratio ; leget alia tria, & iterum fiat alia ora- „ tio ; legat alia tria, & levet se ;) Idem confirmatur ex secunda regula SS. Patrum ubi agitur de synaxi ita habet c. 6. „ (Operam dabunt singuli fratres, ut tem- „ pore quo *missæ* fiunt, sive die sive nocte quando diutius „ ad *orationem* standum est, non deficiant.)

LXX. Quarto denique quidam & psalmis orationes subjungebant, & in fine nihilominus officii persolvebant : sic præscribit Isidorus in Regula „ (Recitantibus, *inquit* c. „ 7. Monachis post consummationem singulorum psalmo- „ rum prostrati omnes humi pariter adorabunt, celeriter- „ que surgentes psalmos sequentes incipient ;) Et iterum de vesperis : „ (In vespertinis autem officiis primo „ lucernarium, deinde psalmi duo, Responsorium unum, „ & Laudes, Hymnus, atque oratio dicenda est.)

LXXI. Similiter Magister Regulæ c. 33. orationes psalmis subjungi præscribit, & c. 44. in fine vigiliarum diei Rogum Dei. Neque omnino improbabile est hunc etiam ritum a Sancto Benedicto usurpatum fuisse, licet de subjungendis psalmis orationibus taceat, neque enim credibile videtur, eum ab omnibus fere Monachis hac in re discrepasse, maxime ab Ægyptiis, quos in plurimis æmulatum fuisse constat ; unde etiam in pluribus nostrorum Monasteriorum psalteriis MS. extant in fine singulorum psalmorum singulæ collectæ sive orationes.

LXXII. Modum autem recitandi orationes ex Cassiano repetere oportet : Rem ita exprimit in lib. 2. de Noct. orationibus : „ (Has igitur prædictas orationes hoc modo „ incipiunt atque consummant, ut finito psalmo non sta- „ tim ad incurvationem genuum corruant, quemadmodum „ facimus in hac regione nonnulli, qui necdum bene fi- „ nito psalmo in orationem procumbere festinamus, ad „ celebritatem missæ quantocius properantes . . . . Apud „ illos ergo non ita est ; sed antequam flectant genua, „ paulisper orant, & stantes in supplicatione majorem „ temporis partem expendunt. Itaque post hæc puncto „ brevissimo procidentes humi velut adorantes tantum di- „ vinam clementiam, summa velocitate consurgunt, ac „ rursus erecti expansis manibus eodem modo quo prius „ stantes oraverant, suis precibus intentius immorantur... „ cum autem is qui orationem collecturus ait, e terra sur- „ rexerit, omnes pariter eriguntur ; ita ut nullus ante- „ quam inclinetur ille, genuflectere, nec cum a terra fur- „ rexerit, tardius præsumat.) Simile aliquid habet S. Fructuosus Bracarensis Episcopus c. 3. „ (Sane in omni- „ bus horarum singularum orationibus nocturno ac diurno „ tempore ad omnem psalmorum finem gloria cantantes „ Deo prosternantur in terram : eo scilicet ordine ut ne- „ mo prius fenore aut incurvetur, aut iterum surgat ; sed „ omnes summa æqualitate consurgant, extensisque in cœ- „ lum palmis orando persistant, sicut & æqualiter mer- „ guntur.) Nostros quod spectat, incepto a Sacerdote *Kyrie eleison*, omnes ad conclusionem usque ultimæ collectæ in genua procumbant, ex citato supra c. 7. Monachorum Sangallensium, & ex antiquo ordine conversationis Monasticæ decernente ut sputum in oratorio „ (pede con- „ culcetur ut cum ad *orationem curvantur*, vestimenta eo- „ rum non sordidentur ;) Ex vit. S Mederici Abbatis Æduensis num. 7. (sæc. 3. Ben. p. 12.) ubi Anonymus de quodam agit Monacho, qui „ (statim ut synaxeos ora- „ tione confusa finicula esset, & antequam genua fle- „ cteret, de Ecclesia exiret,) & ex Anonymo Sangermanensi in libro de translatione S. Germani c. 15. sæc. 3. Ben. p. 2. p. 102. „ (Finita autem vespertina synaxi „ cum fratres se orationi prostravissent.) Idque non solum publice, sed etiam privatim recitando officium, ut patet ex Ekkehardo juniore c. 3. ubi de Notkero Balbulo Monacho S. Galli privatim Nonam recitante : *Cumque ad preces synaxis se in terram prosterneret*, &c.

LXXIII. Collectas autem dicebat ipse Abbas, seu alius quilibet, qui synaxi præerat, ut facile colligi potest ex Valafrido Strabone in libro de rebus Ecclesiasticis c. 22. (Solebant, *inquit*, non solum inter officia missæ, verum „ etiam in aliis orationibus, conventibus & collocutioni- „ bus, qui cæteris aderant eminentiores, brevi oratione

opus

opus concludere, quod & in Sanctorum exempli tegnoscimus, dum alii eos honorificentiæ caussa orationes colligere postulabant.) Idque non obscure innuit S. Benedictus c. 13. cum orationem Dominicam e Priore, idest Abbate, alta voce in Matutinorum Vesperarumque conclusione dici decernit. Vide Menard. in not. ad Conc. Regul. c. 15. §. 5. & tamen Odo Glannaf. in hist. Transl. S. Mauri n. 20. sæc. 4. part. *Cum oratio*, inquit, a *Presbytero compleretur*.

LXXIV. De Reverentia vero, modestia ac silentio quod divinis assistentes officiis observabant, non est multum quod loquar. Audiendus hac de re Cassianus in lib. 2. de nocturn. orat. „(Cum igitur prædictas Solemnitates, quas illi synaxes vocant, celebraturi conveniunt, tantum a cunctis silentium præbetur, ut cum in unum tam innumerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum qui consurgens psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur; ac præcipue cum consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiam astantes impeditura promuntur, nulla vox absque Sacerdotis prece concludentis auditur &c.) Simile aliquid occurrit in Regula Magistri c. 48. ubi agens de reverentia orationis: „(Non frequens tussis, *inquit*, nec excreatus assiduus, non anhelitus abundet; quia hæc omnia orationibus & psalmis ad impedimentum a diabolo ministrantur; nam illud quod diximus superius & in orationibus cavetur, ut qui orat si voluerit expuere, aut narium sordes jactare, non in ante, sed post se retro projiciat propter angelos in ante stantes;) Et in libro de conversatione monastica c. 1. „(Si forte alicui frequens tussis, aut phlegma evenerit, aut ex pectore aut naribus excrescit, post dorsum projiciat, aut juxta latus, caute tamen & curiose, ut infirmis mentibus non vertatur in nauseam, & semper quod projicitur, pede conculcetur, ut cum ad orationem curvantur, vestimenta eorum non sordidentur.) Huc facit quod legitur de discipulis S. Stephani Abbatis Obazin. l. 2. n. 59. ejus vit. „(Nullus eo præsente vel in Ecclesia vel in quolibet loco ubicumque conventus adesset incongrue oscitare, vel subridere, aut loqui indisciplinate, aut aliquod negligentiæ vel levitatis signum ostendere prorsus audebat.)

LXXV. Ad hanc etiam reverentiam spectat, quod nudo capite divinis interessent officiis, ut patet tum ex Consl. Germaniæ n. 22. in quibus indulgetur sanguine minutis ut „(dum sederint, si expedierit, induant capite pilleis, & cum surrexerint, auferant, addit atque „ numquam in choro stando habeant, nec ante altare transeundo) tum ex privilegio Alexandri Papæ Tertii quo almutiorum usum Monachis S. Germani a Pratis indulges, „(Quia, *inquit*, nonnulli prædicti monasterii Monachi frequenter graves infirmitates incurrunt propter frigus quod patiuntur, ex eo quod discoopertis capitibus semper omnes ecclesiasticas horas canunt.)

LXXVI. Quanta sollicitudine somnum in vigiliis vitarent, nemo est qui nesciat, ideo namque alicui manuum operi inter lectiones vacabant, ne forte obreperet; aut si forte obrepsisset, dormientem stare jubebant, quemadmodum jam vidimus: nonnulli etiam brevi oratorio exire permittebant; hinc Regula secunda SS. Patr. c. 6. „(In vigiliis observandum est, quando omnes conveniunt, quicumque gravetur somno, *& exit foras* non se fabulis occupet; sed statim redeat ad opus ad quod convenitur;) Et regula S. Macarii cap. 15.: „(Quicumque gravatur somno, *exeat foras*, non se fabulis occupet; sed statim redeat ad opus quo convenitur.) Et tamen alii ne semel segressi orationem egrederentur gravissime prohibebant: Regula Sancti Pachomii cap. 21. „(Quando in collecta orant fratres, nemo egredietur absque jussione majorum, nisi interrogaverit, concessumque ei fuerit exire pro naturæ necessitate.) Regula Tarnatensis cap. 6. „(In vigiliis dum Lectiones cunctis residentibus relegantur, vel quando orationi incumbunt, intrandi aut exeundi facultatem sibi nullus æstimet fuisse concessam. Qui vero communis necessitatis caussa compellitur psallentibus exire, sine cujusquam reatus timore discedat, continuo ad opus quod agitur, reversurus.) Regula S. Isidori cap. 7. „(Nulli que ante expletum officium licebit egredi, præter eum quem naturæ necessitas compulerit.) MS. Consuetudines S. Benigni Divionensis cap. 27. „(Nullus etiam umquam debet exire de regularibus horis, exceptis Matutinis, donec omnino finiantur, nisi sanguinet ei nasus, vel tanta passio percusserit eum, ut nullo modo possit stare sive sedere in choro, donec finita sit hora, & donec si quilibet sacerdos plurimus est benedictionem, suscipiat eam.) Tunc vero compellente necessitate „(si propter aliquid de choro exit, *inquit Udalric. l. 2. c. 7.* vel si postea venit, quando hora est inchoata, in faciem suam inclinat omnibus similiter inclinantibus;) porro „(reversus duos versus sustineat antequam sedeat) ex lib. Usuum Cist. c. 69. ubi etiam præscribitur ut „(Caveant qui de choro egrediuntur, ne plus foris quam duos psalmos morentur, & ne amplius quam duo juxta se stantes simul exeant.)

LXXVII. Absolutis autem nocturnis vigiliis S. Launomarus Abbas suum solebat foras egressus circuire monasterium, ut scribit Anonymus in ejus vit. sæc. 1. p. 347. „(Hymnis itaque matutinis a Fratribus decursis exit homo Dei secundum consuetudinem lustrare in circuitu cellulam,) quod etiam aliquando fecisse legitur S. Bernardus in ejus vit. l. 1. cap. 5. Huc referri posset quod de S. Claro Abbate Viennensi scripsit Anonymus in ejus vit. n. 9. sæc. 2. „(Erat ei consuetudo nocte orationi cessa deambulare per castrum, ubi cœnobium S. Blandinæ situm est.)

LXXVIII. Dictis hactenus nonulla subjicere visum est ex Divion. S. Benigni consuet. quæ omnes regulares horas æqualiter respiciunt. In primis consideratione dignum est quod dicunt c. 17. „(Est consuetudo ut nullus monasterium egrediatur, postquam ad aliquam horam vel ad capitulum inceptum fuerit ipsum signum pulsari.) Id in aliis etiam monasteriis vigebat. „ 2. (Similiter, *inquiunt*, observandum est dum pulsatur ad aliquam horam, ut nullus quoquam divertat, postquam audierit signum nisi ad ecclesiam tantummodo. 3. Sciendum est quod dum cantant fratres missam vel horas, vel aliud aliquid in choro, non licet alicui tenere librum apertum in tota Ecclesia, præter ad missam illos qui necessarii sunt tantummodo ad ℟. & alleluja, & ad ejusmodi, & hoc in choro solum, excepto eo qui lecturus est ad mensam fratrum. Is providet per consuetudinem, si voluerit, lectionem extra chorum dum cantantur utræque missæ; nam in choro numquam providebit, nisi qui in custodia est. 4. Sed & quando conventus in Ecclesia est ad missam sive ad horam regularem, nullo modo debet quodlibet opus fieri in ea; nec vile, nec carum; nec parvum, nec magnum, nec etiam valde necessarium, quod faciat aliquem sonitum, aut ullo modo conturbet, aut contristet Fratres, aut opus Dei quovis impedimento disturbet. 5. In cunctis etiam officinis monasterii, quæ intra murorum ambitum continentur, nemo unquam Fratrum loquitur, dum regularis hora canitur, excepto Infirmario, cui concessum est loqui non nisi de ipsa necessitate ad illam horam, ad quam infirmi comedunt. & notandum quod de solo completorio hoc non observatur; tunc enim vel Prior vel alii pro necessitate cum licentia remanentes nequeunt istud observare.)

LXXIX. Denique prætarire non possum antiquam & piam Monachorum sub S. Winvvaloeo viventium consuetudinem, quam refert in ejus vita teste apud Boll. 3. Mart. Gurdestinus Monachus, his verbis: „(Erat id moris Sancto ejusque sociis illic cohabitantibus, ut expletis omnibus uniuscujusque synaxeos horis, Deum orarent, ut unus ex eis quem vellet ipse Deus ab ista misera vita eximeretur, qui unus pro omnibus Fratribus esset apud Deum interpellator in cœlis.

CAPUT III.

De Matutinis sive de Laudibus.

I. HActenus de Nocturnis vigiliis, quas sequitur in Regula S. Benedicti hyeme prolixiore, æstate brevius intervallum, de quo in Commentario satis. Nunc de Matutinis: Ita S. Benedictus aliique Scriptores antiqui vocabant illud officium, quod illucescente aurora celebratur, & a nobis *Laudes* appellatur, e voce *Matuta*, id est aurora, eo quod ad auroram, ut diximus, cantaretur. De Matutinis pauca nobis dicenda occurrunt; huc enim atque ad alias diei canonicas horas referenda sunt maxima ex parte, quæ superiori de nocturnis vigiliis cap. disseruimus; puta quæ de psalmis, choris alternis, aut e solo psalte dicendis, de cantu seu modulatione in officiis divinis adhibenda, de antiphonis psalmis interserendis, de situ corporis ad opus Dei servando, de psalmis memoriter dicendis, de modo officium incipiendi, de Hymnis, Lectionibus, Responsoriis, & Collectis: hæc enim omnia non minus ad diurnas quam ad nocturnas horas pertinent. Id unum

ergo nobis dicendum superest, quibus scilicet precibus constaret Matutinum officium, adnotantes quosdam etiam ritus ad istud officium forte specialiter spectantes.

II. Matutino officio apud veteres Monachos nihil notius, at vero de precibus in eo dici solitis non item. De Orientalibus vix nobis superest aliquid: Illud tantum ex Cassiano discimus l. 3. c. 3. quod in eo quotidie decantari soleret: *Deus meus ad te de luce vigilo*, & *In matutinis meditabor in te*, & *Præveni in maturitate & clamavi*; Et rursum: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*. Ex quibus duo primi versiculi psalmo 62. duo posteriores 118. continentur.

III. Distinctius aliquid de Occidentalibus Monachis differere possemus. Ex quidem in Galliis Matutinum officium cum psalmis & orationibus teste Cassiano l. 3. c. 4. celebrari consueverant; licet quos aut quot psalmos vel orationes dicerent, non aperiat. S. Cæsarius Arelatensis Episcopus in sua ad Monachos Regula ita præscribit: „ (Post „ hoc dicant Matutinos, directaneum *Exaltabo te Deus* „ *meus & rex meus*; Deinde in ordine totus matutinarius „ in antiphonas dicatur.)

IV. S. Benedictus Matutinorum officium ita ordinat c. 13. „ (Diebus privatis Matutinorum solemnitas ita aga„ tur: idest ut 66. Psalmus dicatur sine antiphona, sub„ trahendo modice sicut in Dominica ut omnes occur„ rant ad 50. qui cum antiphona dicatur. Post quem „ alii duo psalmi dicuntur secundum consuetudinem, idest „ 2. feria 5. & 35. 3. feria 42. & 56. 4. feria 63. & 64. „ 5. feria 87. & 89. 6. feria 75. & 91. Sabbatho autem „ 142. & canticum Deuteronomii, quod dividatur in du„ as glorias: nam cæteris diebus canticum unumquodque „ die suo ex Prophetis sicut psallit Ecclesia Romana, „ dicatur. Post hæc sequantur Laudes, deinde Lectio una „ Apostoli memoriter recitanda, R. Ambrosianum, Ver„ sus, Canticum de Evangelio, Litania, & completum „ est. Plane agenda Matutina vel Vespertina non transeat „ aliquando, nisi in ultimo ordine oratio Dominica om„ nibus audientibus dicatur a Priore.)

V. S. Aurelianus in ordine psalmodiæ suæ Regulæ subjecto Matutinum ita instruit officium: „ (Dicite Ma„ tutinarios, idest primo canticum in antiphona: deinde „ directaneum, *Judica me Deus*: *Deus Deus meus ad* „ *te de luce vigilo*: *Lauda anima mea Dominum*: *Lau*„ *date Dominum quoniam bonus est psalmus*: *Lauda Je*„ *rusalem Dominum*. Inde *Laudate Dominum de cælis*: „ *Cantate Domino canticum novum*: *Laudate Dominum in* „ *Sanctis ejus*: In antiphona dicite hymnum *Splendor pater*„ *næ gloriæ*: alia die *Æterne lucis conditor*, & capitellum „ *Kyrie eleison* duodecim vicibus: Omnibus diebus quo„ tidianis ita impleatur.) Matutinum ergo officium ab aliquo cantico incipit, quod *in Antiphona* sicut & hymnum post psalmos vult dici; psalmos vero numero 8. *Directaneum*: hoc autem duobus modis intelligi potest; nam aliquibus dicere vel psallere cum antiphona idem est atque cantare cum aliqua vocis modulatione; psallere directaneum quam psalmos recitare. Alii vero psallere *in Antiphona* idem arbitrantur esse, quam psallere alternis choris, idque cum aliqua socia melodia; psallere *in directum* a contra hoc est a duobus simul choris, vel ab aliquo singulari psalte psalmos aliis audientibus decantante, quod S. Aureliano placuisse superiori capite demonstravimus. Regula incerti authoris S. Augustino adscripta orandi psallendique rationem describens: „ (In matutinis, *inquit*, „ dicantur psalmi iii. lxii. vi. & lxxxviii. cum debitis „ Antiphonis, Versibus, & Responsoriis.)

VI. Regula S. Isidori Matutinorum quidem mentionem facit, at nihil præscribit. S. Fructuosi cursus Matutinae ejus in Regula cap. 3. sic describitur: „ (Galicinio jam „ sonante, recitatis tribus psalmis cum Laude, & Bene„ dictione sua, matutinum celebrent sacrificium.

VII. Regula Magistri c. 35. „ (Psalmi namque Ma„ tutini dici debent omni tempore sex, Responsorium „ unum, Versum, Lectionem Capituli & Evangelii, „ quæ semper Abbas dicit, & Rogus Dei.) Psalmos autem cum antiphonis psalli quatuor quidem sine *alleluja*, duos cum alleluja præscribit infra c. 39.

VIII. Ex his omnibus patet, quibus precibus & orationibus sacrificium matutinum veteres Monachi consummarent, scilicet psalmis, canticis, hymnis, antiphonis, responsoriis, versibus, collectis, & letania.

IX. Et quidem quoad psalmos, eos dicere solebant qui Matutino tempore convenirent, & in quibus lucis orientis commemoratio fieret. Duos dumtaxat celebrasse videntur in Oriente Monachi 62. & 118. ita prolixum, ut pluribus merito æquipolleat: Quatuor præscribit Regula incerti Authoris S. Augustino adscripta: Sex Regula Magistri, totidemque Regula S. Fructuosi: Septem S. Benedictus: 8. vero S. Aurelianus. Ex his celebriores fuerunt posteriores tres psalmi *Laudate Dominum de cælis*: *Cantate Domino canticum novum*, & *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, quos speciali nomine *Laudes* appellabant antiqui, eo quod ad reddendas supremo Domino laudes nos frequenter invitent, quosque ad Matutinum officium dici quotidie cum S. Benedicto decernunt Aurelianus & Fructuosus Episcopi; quod etiam in Gallicanis Monasteriis teste Cassiano l. 3. c. 6. observabatur. Hos ad psalmos nona ex circatoribus Monasteriorum lustrare debebat ex statutis Lanfranci cap. 4.

X. Psalmos autem ad Matutinum decantari, hoc est cum suavi vocis modulatione dici, præcipit S. Isidorus. Ex Regula vero Sancti Benedicti c. 7. primus psalmus 66. in directum sine antiphona modice subtrahendo; reliqui vero cum antiphona, hoc est cum cantu melodico debent persolvi. Omnes autem sub unica antiphona persolvebant Bursfeldenses ex eorum ordine c. 10.

XI. De canticis vero observandum tantummodo est, 1. quod a cantico Matutinum officium incipit S. Aurelianus, absolvit S. Fructuosus. 2. quod S. Benedictus duo ad Matutinum assignat cantica; unum ex veteri testamento, quod psalmis interserit; alterum ex Evangelio post versum ante letaniam dicendum. 3. quod S. Benedictus singulis diebus canticum aliquod ex Prophetis canendum præscripserit, hoc ab Ecclesia Romana desumpsisse. 4. Inter omnia celeberrimum fuisse illud trium puerorum, quod antonomastice S. Benedictus aliique veteres *Benedictionem* appellabant.

XII. Lectionem hymno præponit Sanctus Benedictus eamque brevem ex Apostolo, dicendam ab eo qui hebdomadarii vices gerit, idque memoriter. In Regula Magistri duæ assignantur, unam ex Apostolo, alteram ex Evangelio ab Abbate legendam.

XIII. De hymno, Responsoriis, verso, & Antiphonis diximus superiori capite. Antiphonam ad *Benedictus* nullam assignat S. Benedictus, & tamen usus invaluit, ut semper etiam cum aliqua solemnitate diceretur: hanc ex antiquis Germaniæ consuetudinibus Cantor incipere debet; idemque præscribit lib. Usuum Cisterciensium c. 115.

XIV. Absoluto cantico subjungit S. Benedictus Letaniam, id est *Kyrie eleison*: *Christe eleison*: *Kyrie eleison*, de quo superiori capite novies repetitur a Carthusianis, & ex S. Aureliano duodecim vicibus debet dici.

XV. Sequitur oratio Dominica ab Abbate clara & intelligibili voce dicenda, quod solis competit Benedictinæ familiæ Monachis. Post hanc collectæ sive orationes, quibus in nostro passim ordine preces præmittebant. Has preces sic exhibet antiquissimum Casinensis Monasterii Breviarium tempore Oderisii Abbatis litteris Longobardicis manu exaratum in Bibliotheca Institutionis Oratorii Parisiis asservatum.

Capitula per omnes Horas,

Ego dixi Domine miserere mei
Sana animam meam
Convertere Domine aliquantulum
Et deprecare
Fiat Domine misericordia tua super nos
Sicut speravimus
Sacerdotes tui induant justitiam
Et sancti tui exultent
Domine salvos fac Reges
Exaudi nos
Salvum fac populum tuum Domine &
Benedic hæreditati tuæ
Reges eos &
Oremus pro fidelibus defunctis
Requiem æternam
Requiescant in pace
Amen
Pro fratribus nostris absentibus
Salvos fac servos
Pro afflictis & captivis
Libera eos Deus Israel
Mitte eis Domine auxilium de Sancto
Et de Sion

Easdem preces videre est in antiquo collectaneo MS. ad usum Monasterii B. Mariæ S. Petri supra Divam, & in MS. Breviario S. Germani a Pratis, in quibus tamen octavus versiculus sive capitulum ita exhibetur:

Animæ famulorum tuorum requiescant in pace.

Et in fine alii tres versiculi adduntur, scilicet

Domi-

Dominus exaudi orationem meam.
Domine Deus virtutum converte nos
Dominus vobiscum. Excepto uno aut altero versiculo dissimili easdem preces præscribunt MS. conf. S. Dionysii in Francia, in quibus psalmus 50. post IX. versiculum interseritur, atque hos credo esse quatuordecim versiculos, quos ad Nocturnos, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperos post orationem Dominicam dicebant Cluniacenses l. 1. c. 2. quibus privatis diebus etiam psalmum quinquagesimum interponebant, quod ex S. Benedicti Institutione & consuetudine tractum esse non sine caussa crediderim, fretus hoc Cassiani testimonio l. 3. c. 6. „ (Denique per *Italiam* hodieque consummatis Matutina„ libus quinquagesimus psalmus in universis Ecclesiis cani„ tur.) Hujusmodi precum meminit Amalarius l. 4. de Eccl. off. c. 4. sicut & psalmi 50.

XVI. Porro isthæc ad horas preces hujusmodi dicendi consuetudo apud Monachos est antiquissima, ut patet ex Regula S. Columbani in cujus c. 7. legimus: „ (Per diur„ nos terni psalmi horas pro operum interpositione statu„ ti sunt *a senioribus nostris* cum *versiculorum* augmento „ intervenientium, pro peccatis primum nostris, deinde „ pro omni populo Christiano, deinde pro Sacerdotalibus, „ & reliquis Deo consecratis sacræ plebis gradibus, po„ stremo pro eleemosynas facientibus: postea pro pace „ Regum, novissime pro inimicis nostris; ne illis Deus „ statuat in peccatum, quod persequuntur & detrahunt „ nobis, quia nesciunt quid faciunt.) Et ex Reg. incerti Authoris apud Augustinum, quæ psalmos cum debitis antiphonis, *versibus*, & responsoriis dici præcipit. In Concilio etiam Clovehoviensi c. 30. „ (statutum per ca„ nonicas orationum horas non solum pro se Ecclesiastici „ sive Monasteriales, sed etiam pro Regibus, ac Duci„ bus, totiusque populi Christiani incolumitate divinam „ incessanter exorent clementiam) apud Spel. Tom. 1. „ pag. 254.

XVII. Post versus dicuntur collectæ sive orationes; & primum quidem ea quæ ad præsens officium pertinet, deinde aliæ commemorationes, & quidem magno numero.

XVIII. Circa quas observandum. Primo quod in nonnullis Monasteriis fiebant post regulares Matutinos sicut apud Cluniacenses; in aliis post Matutinos de omnibus Sanctis, & ita in MS. consuetudinibus Germaniæ, si tamen illæ commemorationes aliud quid essent, quam preces sive versiculi de adnotatis Sanctis; nihil enim ibidem præter versiculos quibus præmittitur *preces*, legitur. In aliis denique post officium B. Mariæ, sicque inscribuntur in collectaneo S. Petri supra Divam: „ (Suffragia quoti„ dianis diebus dicenda ad Vesperas & Matutinas post servitium „ Virginis gloriosæ) his in suffragiis locum primum habuisse commem. de Cruce, deinde de S. Maria; aliquando tamen præmissa fuisse suffragia SS. loci Patronorum, ut in Monasterio S. Germani, & apud Grandimontenses ex Consf. Guil. Pelliceril c. 8. 3. Inter commemorationes locum ubique obtinuisse commem. de Cruce, de S. Maria, de SS. Angelis, de SS. Petro & Paulo, de omnibus Apostolis, de S. Johanne Baptista, de S. Martino, de S. Benedicto, quibus addebantur præcipui Monasteriorum Patroni aliique Sancti, qui singulari aliqua veneratione in his colebantur. 4. Apud Cassinenses Adventus tempore ad Oct. Epiphaniæ commemoratio de Cruce, & de Trinitate obmittebatur. 5. Hæc omnia scilicet oratio Dominica, preces, collectæ, suffragia sub *Missæ* nomine S. Benedictus complexus est, cum dixit & *Missæ sint*. 6. Ex his omnibus solæ apud nos remanserunt commem. de Cruce, de S. Maria, de SS. Petro & Paulo, de S. Benedicto, de Monasterii Patronis, quibus addimus de Pace. 7. Dicebantur collectæ a Sacerdote erecto, ceteris interim genuflectentibus ex ordin. Bursf. cap. 10 quamvis interim sedisse Cluniacenses constet ex Pet. Vener. stat. 56. „ (Et parvi scholares, dum ad suffragia SS. orationes di„ cuntur *more* conventus, sedere permittantur.) 8. Dicta oratione de die ante Commemorationes dicebatur *Benedicamus Domino*; iterum in fine repetendum, ita in MS. consuet. S. Germani a Pratis: Fuldenses Monachi fratrum defunctorum commemorationem post Matutinas & Vesperas quotidie faciebant, ut discimus ex eorum libello supplici ad Carolum Imper. n. 1. „ (Pro defunctis ergo „ fratribus nostris commemorationem illam quam quotidie „ bis habuimus, id est post Matutinam celebrationem & „ Vespertinam, quæ est antiphona, videlicet *Requiem æ„ ternam*, & prima pars psalmi *Te decet hymnus Deus*, „ Versus & collecta.

XIX. Iis omnibus Cluniacenses Monachi quatuor addebant psalmos, ut supra diximus, passimque usus in nostro invaluit ordine, ut duo saltem psalmi cum precibus & collectis pro familiaribus scilicet vivis & defunctis adderentur. Quinam autem essent illi psalmi, ex Regulari concordia S. Dunstani c. 1. discere possumus; „ (præscribit „ enim ut ad Laudes diei post *Miserere mei Deus* &c. ad„ dant duos psalmos pro Rege Reginaque & familiaribus: „ *Beati quorum* &c. *Inclina Domine*, quibus finitis can„ tent antiphonam de Cruce, inde antiphonam de B. „ Maria, & de Sancto cujus veneratio in præsenti coli„ tur Ecclesia, aut, si minus fuerit, de ipsius loci con„ secratione. Post quos eundum est ad Matutinales Lau„ des de omnibus Sanctis decantando antiphonam ad ve„ nerationem Sancti, cui porticus ad quam itur, dedi„ cata est. Post quas Laudes pro defunctis.) Ad hos duos psalmos super formas procumbebant. De processione, cujus hic mentio fit, agemus libro sequenti. Matutini vero de omnibus Sanctis has complectebantur preces:

Antiphona.	*Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui* Psal. *Dominus regnavit.*
Antiph.	*Laudemus Dominum quem laudant Angeli, quem Cherubim, & Seraphim Sanctus Sanctus Sanctus proclamant* Psal. *Jubilate.*
Antiph.	*Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, dicit Dominus.* Psal. *Deus Deus meus.*
Antiph.	*Sancti Spiritus & animæ justorum hymnum dicite Deo nostro in æternum.* Psal. *Benedicite.*
Antiph.	*Omnium Sanctorum chori laudate Dominum in excelsis.* Psal. *Laudate Dominum.*
Capitulum.	*Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones in Christo Jesu Domino nostro.*
Aliud cap.	*Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum, & deducet illos in via mirabili.*
Resp.	*Justi autem in perpetuum vivent. Et apud Dominum est merces eorum. Gloria Patri.*
Hymn.	*Jesu Salvator sæculi redemptis.*
℣.	*Mirabilis Deus*
℟.	*In sanctis suis*
In Evang.	*Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.* Psalm. *Benedictus.*
Preces	*Post partum Virgo inviolata permansisti.*
	In conspectu Angelorum
	Inter natos mulierum
	Nimis honorati sunt
	Justorum animæ
	Ora pro nobis B. Benedicte
	Sacerdotes tui induantur
	Adducentur Regi virgines
	Exurge Domine adjuva nos
	Dominus vobiscum
Oratio	*Auxilium tuum nobis Domine placatus impende, & intercedente Beata Dei genitrice Maria cum omnibus Sanctis tuis, fac nos ab omni adversitate liberari, & in æterna lætitia gaudere cum illis. Per eumdem.*

XX. Ita matutinum omnium Sanctorum officium ex MS. collectaneo Monasterii de Sancto Petro supra Divam descripsimus. Idem reperire est in antiquis Germaniæ consuetudinibus MS. exceptis duabus primis antiphonis, quarum loco habentur antiphona *Post partum*, & antiphona *Angeli eorum*, Cantico *Benedicite*, cujus loco habetur psal. *Benedictus*, sed forte amanuensis est error; & Lectione sive capitulo pro quo legitur: *Scimus quoniam diligentibus Deum*. In precibus etiam seu versiculis nonnihil diversum extat. Idem fere habent MS. consuet. S. Dionys. in Francia, in quibus antiphona 4. est de S. Dionysio.

XXI. Sed tempore Paschali omnes psalmi dicebantur sub unica antiphona: *In velamento clamant sancti tui Domine alleluja alleluja alleluja:* ℟. cum *alleluja*; Antiph. in Evang. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis fiet vobis alleluja alleluja alleluja*. In MS. S. Dionysii consuetud. post matutinos de omnibus SS. præscribuntur Matutini mortuorum; post quos „ (dein-

„ deinde dicuntur psalmi *Verba mea: Domine ne in furo-*
„ *re: Dilexi quoniam: Credidi propter: De profundis*:
„ *Pater noster* in silentio, *Et ne nos: V. A porta inferi*
„ in audientis, & *Dominus vobiscum:* oratio *Absolve quæ-*
„ *sumus Domine* usque *Requiescant in pace;* post eant
„ dormitum.

XXII. Absolutis denique Matutinis Laudibus statuunt
Bursf. Ord. cap. 10. „ (Trinam omnes flexis genibus
„ dicant Salutationem Angelicam, & dato consueto signo
„ a præsidente surgentes exeunt ordine suo bini & bini;
„ profunde inclinantes se ante gradum.) De hac Saluta-
tione Angelica vid. præfationem sæc. 5. Benedictin. nu-
mero 122.

XXIII. Porro quod supra cap. 1. observavimus apud
nostros in usu fuisse, ut ante nocturnas vigilias tres a sin-
galis altaria visitantibus orationes dicerentur, id etiam de
Matutinis Laudibus, aliisque horis diei pariter asserendum
est: De hujusmodi orationibus interrogatus Udalricus lib.
1. cap. 18. consuet. Cluniac. „ (Cujusmodi esse debeant,
„ & cujus quantitatis;) ita respondet: (Certe quod sci-
„ am, nullus modus certus est eis præfixus, quia non
„ communiter fiunt, & unusquisque cum primum vene-
„ rit in Ecclesiam, facit eas singulariter & separatim:
„ unus tamen seniorum novitium me docuit, ut septem
„ psalmos dicerem inter ipsas tres orationes; verum quis-
„ que quod voluerit, oret . . . . Cum autem ternæ si-
„ militer orationes fiant, sed communiter ante nocturnos,
„ & post Completorium; & in hyeme in privatis ante
„ Tertiam, de his forte possem aliquid, quod quæsieris,
„ dicere. Nam quæ post Completorium fiunt, de his
„ numquam me audiente quæstio erat, ut amplius quic-
„ quam ad singulas quam sola Dominica oratio diceretur.
„ De aliis cum quæstio esset, ad ultimum Domno Ab-
„ bati complacuit & hoc definivit, ut ad ipsas quoque
„ oratio Dominica diceretur, sed tractim, diligenter, &
„ attente: & tamen ista illæ orationes ante Tertiam
„ non solent tam breves quam ad Completorium termi-
„ nari, nec illæ ante nocturnos maxime in noctibus lon-
„ gioribus tam breves quam ante Tertiam; aliæ quoque
„ orationes singulis horis præmittendæ, nihil sunt am-
„ plius quam eadem oratio Dominica. Ad solos Vesperos
„ pro antiquo more plus aliquantulum producuntur, ut
„ symbolum Apostolicum si videtur, possit apponi.)
Hæc illa de Cluniacensibus, apud quos prolixiores omni-
no erant quæ ante nocturnos fiebant orationes, deinde,
quæ ante Tertiam. Reliquis vero horis nihil aliud dice-
bant præter orationem Dominicam, cui ad Vesperos A-
postolorum symbolum adjiciebant. Udalrico concinunt
Divisiones S. Benigni Cons. cap. 64. „ (Et quoniam de
„ illis tribus orationibus quæ fiunt ante nocturnos tam
„ in æstate quam in hyeme, alibi dictum est, de cæteris
„ quæ fiunt ante singulas horas, & post Completorium,
„ dicere decrevimus. Orationes autem singulis præmit-
„ tendæ horis, excepta Prima, ante quam rite VII.
„ psalmi dicuntur, nihil aliud vel amplius sunt, quam
„ Dominica oratio. Ad solos Vesperos pro antiquo mo-
„ re magis aliquantulum oratio producitur, ut & ora-
„ tio Dominica dicatur, & symbolum, si videtur, possit
„ apponi. Post Completorium nihil aliud quam ipsa Do-
„ minica oratio ad singulas orationes dicitur; orationes
„ vero quæ fiunt ante nocturnos, vel in hyeme ante
„ Tertiam, sicut noctes vel dies producuntur vel corri-
„ piuntur, producendæ vel corripiendæ sunt.) Eadem
videm est in antiquo Corbejensi Ordinario.

CAPUT IV.

De Prima.

I. IGnotum primis Monachis Primæ officium, in Beth-
lemitico primum Monasterio, ubi Dominus noster
Jesus Christus natus ex Virgine humanæ infantiæ suscepit
incrementa, tempore Cassiani institutum; & inde ad Occi-
dentales plagas propagatum, hac potissimum de caussa in-
troductum fuit: ad excutiendam nimirum quorumdam Mo-
nachorum inertiam, & somnolentiam, qui expletis no-
cturnis matutinisque laudibus lecta repetentes, multo
prolixius quam par esset, somno indulgebant, nempe ad
Tertiam usque, cum aliud officium, aliumve conventum
ad hanc usque horam agendum non haberent, ut fuse nar-
rat Cassianus l. 3. de diurnis orat. c 4. Et quidem primum
„ (tribus psalmis & orationibus secundum modum qui
„ antiquitus in observatione Tertiæ, Sextæ, & Nonæ trinæ
„ confessionis exemplo statutus est,) officium Primæ,
quam etiam Matutinum vocabant, celebrarunt: Hos tres
psalmos, idem Cassianus indicat ejusdem lib. c. 6. scilicet
quinquagesimum, sexagesimum secundum, & octogesimum
nonum, quos huic novellæ solemnitati asserit fuisse depu-
tatos.

II. Nulla Primæ mentio fit in utraque S. Cæsarii
Regula ad Monachos, & ad Virgines pro diebus privatis,
sed solum pro Dominica, idque in sola ad Virgines Re-
gula a Bollando edita.

III. S. Pater Benedictus clare & distincte, ut reliqua
omnia, Primæ disponit officium: „ (Prima hora, *inquit*
„ c. 17. dicantur psalmi tres singulatim & non sub una
„ gloria, hymnus ejusdem horæ post versum *Deus in a-*
„ *diutorium meum intende* antequam psalmi incipiantur.
„ Post expletionem vero trium psalmorum recitetur Lectio
„ una, Versus, & *Kyrie eleison*, & missæ sint.) Psal-
mos autem singulis diebus sic variat, ut Dominica ad Pri-
mam quatuor capitula psalmi 118. feria secunda primum,
secundum, & sextum psalmum, & ita per singulos dies,
tres per ordinem psalmos usque ad psalmum 19. dicendos
instituat: ita tamen ut nonus, & decimus septimus psalmi
prolixiores dividantur in binas Glorias, & sic Dominica
ad vigilias semper a vigesimo psalmo incipiatur.

IV. Longe prolixius est Primæ officium a S. Aurelia-
no in ordine psallendi Regulæ subjecto dispositum:
„ (Post Matutinos, *inquit*, ad Primam duodecim psal-
„ mi dicantur; hymnus *Fulgentis author ætheris*; Le-
„ ctiones duæ, una de veteri, alia de novo testamento
„ & capitulum;) In Regula tamen ad Virgines, sex tan-
„ tummodo psalmos adsignat. Regula Incerti authoris S.
„ Augustino adscripta c. 1. psalmorum numerum non pro-
ponit, sed indefinite duntaxat „ (ad Primam *inquit*, &
„ Tertiam dicantur sui psalmi, antiphonæ duæ, Lectiones
„ duæ.

V. S. Isidorus nullo modo meminit Primæ, cujus li-
cet mentionem faciat S. Fructuosus, preces tamen in ea
dicendas non notat; ternario autem psalmorum numero
non recessisse crediderim, nam ad reliquas horas totidem-
que adsignasse videtur Reg. c. 2. huncque numerum an-
tiquis Monachis placuisse patet ex Cassiano, S. Benedi-
cto, & ex Regula Magistri c. 35., in qua etiam Primæ
officium ita ordinatur „ (Psalmi namque per horas su-
„ pra scriptas diei, idest Primam, Tertiam, Sextam, Nu-
„ nam terni dici debent currente semper psalterio, singu-
„ la Responsoria, Lectionem Apostoli, Lectionem Evange-
„ lii, quam semper Abbas dicat, aut si absens fuerit,
„ Præpositi eicibus dicent, post ipsam Rogus Dei.)

VI. Circa istud Primæ officium nonnulla observanda
sunt. Primo ejus institutionem Cassiano antiquiorem non
esse, ut recta probat Gazæus in Commentario ad Cass.
l. 3. c. 4. quidquid reclament nonnulli; nam quod ali-
qui ex priscis Patribus mane orandum esse hortantur, hoc
de Matutino, non de Primæ officio recta intelligitur, ut
notavit Johannes Bona in lib. de divina psalm. c. 6. §.
4. n. 2. ubi adversariorum diluit argumenta.

VII. Secundo ejus institutionis caussam repetandam esse
ex inertia & somnolentia quorumdam Monachorum, qui
post Matutinas Laudes lecta repetentes, nullo alicujus
conventus necessitate axite coacti, somno plus æquo in-
dulgebant, ad Tertiam usque stertentes in lectis; quo-
rum pigritia novæ alicujus synaxeos obligatione excitanda
fuit.

VIII. Tertio istud Primæ officium a Cassiano alteram
Matutinam appellari, eo quod mane orto jam sole cele-
bretur.

IX. Quarto licet Prima a Matutinis alterum sit ac
vere distinctum officium; a nonnullis tamen eodem te-
nore consequenter persolvi: ita S. Aurelianus, nullo Matu-
tinos inter & Primam interposito exercitio „ (Post Matu-
„ tinos, inquit, ad Primam duodecim psalmi dicantur:)
Regula incerti authoris MS. c. 2. „ (A Sancto autem
„ Pascha usque ad Calendas Octobris post Matutinum of-
„ ficium mox Prima subsequatur; & B. Ælredus in Re-
„ gula ad Virgines c. 14. saltem a Kal. Novembris ad
„ Quadragesimam albescente aurora Matutinas Laudes
„ cum hymnis horæ Primæ persolvant.) Quomodo vero
illud breve, quod inter utramque horam intercipitur spa-
tium, a nostris transigeretur, ostendes in Comm. ad c. 8.
Notanda autem hic S. Benedicti Ananensis Abbatis insti-
tutio num. 52. quam refert Ardo discipulus ejus in vita
ipsius sæc. 4. Ben. part. 1. „ (Tempore quidem æsta-
„ tis post expletum Matutinorum officium, mox egredi
„ ab Ecclesia propter somnolentiam jussit, seseque calcean-
„ tes, lotis faciebus, ad ecclesiam concite redeant, & ju-
„ xta præfatum ordinem altaria cum reverentia circu-
„ meant, sanctisque se aquis perfundant, & sic deinceps
„ ad loca constituta accedant diurnum expleturi honeste
„ officium.) Nostri tamen Gorzienses Matutinis Primam
non-

continue subjungebant, ut docet Johannes Abbas Mettensis in vit. Sancti Johannis Abbatis Gorziensis num. 82. Sæc. 5.

X. Quinto, ut diximus, antiquis Monachis maxime placuit ternarius psalmorum numerus, ut patet ex Cassiano, S. Benedicto, & Magistro, quibus ante versum *Deus in adjutorium* præmittunt nostri Bursfeldenses *Pater*, *Ave*, *Credo*, ut præscribunt in cæremoniali c. 11. His etiam præmittit S. Benedictus hymnum, quem duodecim psalmis subjungit S. Aurelianus. Tribus hisce psalmis subjungebant olim nostri symbolum S. Athanasii dictum, ut discimus ex catalogo Abbatum Floriacensium Tom. 2. Misc. Baluz., ubi de Theodulfo Abbate „ (Explanationem edidit „ symboli Sancti Athanasii, quod a Monachis post tres „ regulares psalmos ad primam quotidie canitur.) Idem patet ex Tullensi S. Apri ordinario: „ (Omnibus diebus Do„ minicis infra preces post *Domine exaudi* dicat *Quicumque* „ *vult*: Versus *Benedicat nos*: collecta *Omnipotens sem-* „ *piterne Deus qui &c.* Ceteris autem diebus dicatur „ *Quicumque vult* ante antiphonam. Et infra in fer. 2. „ ad primam hymnus *Jam lucis*, antiphona *Servite Domi-* „ *no*, psal. *Beatus vir*: *Quare fremuerunt*: *Domine ne in* „ *furore*: *Quicumque vult*,) &c. Idem videre est in MS. S. Dionysii consuetudinibus ubi de feriis post octavam Epiphaniæ.

XI. Sexto Lectiones ad primam duas assignat S. Aurelianus, unam de veteri, aliam de Novo testamento, quibus subjungit Capitellum, idest versiculum, quem Antiqui Capitulum appellabant, Lectionibusque subjicere solebant; duas etiam Regula S. Augustino adscripta, totidemque Regula Magistri, unam ex Apostolo, aliam ex Evangelio, quam semper legebat Abbas; S. Benedictus vero unicam dumtaxat.

XII. Septimo cum S. P. Benedictus ait *& missæ sint*, missarum nomine intelligit non solum orationem Dominicam, sed etiam preces & collectas. Has preces ex MS. Breviario Cassinensi hic describere duximus operæ pretium.

Capitula ad Primam.

Et ego ad te Domine clamavi
Et mane
Repleatur os meum laude tua
Ut possim
Averte Domine faciem tuam a peccatis meis.
Et omnes iniquitates
Cor mundum crea in me Deus
Et spiritum rectum
Ne projicias me a facie tua
Et spiritum sanctum
Redde mihi lætitiam salutaris tui
Et spiritu principali
Eripe me Domine ab homine malo
A viro iniquo
Eripe me de inimicis meis Deus meus
Et ab insurgentibus
Eripe me de operantibus iniquitatem
Et de viris
Sic psallam nomini tuo Deus in sæc. sæc.
Ut reddam
Exaudi nos Deus salutaris noster
Spes omnium
Domine Deus in adjutorium meum intende
Domine ad adjuvandum
Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis.
Agnus Dei qui
Benedic anima mea Dominum
Et omnia
Benedic anima mea Dominum
Et noli oblivisci
Qui propitius fit omnibus....
Qui sanat
Qui redimet de interitu vitam tuam
Qui faciat
Qui coronat te in miseratione & misericordia
Renovabitur

Confessio (a)

Confiteor Deo, & omnibus Sanctis ejus, & tibi Pater, mea culpa peccavi nimis in cogitatione, locutione, delectatione, consensu, & opere; propterea precor te ut ores pro me.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet, & confirmet in opere bono, & perducat ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam & remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens Deus.

Cap.

Converte nos Deus salutaris noster
Et averte
Dignare Domine die isto
Sine peccato
Fiat Domine misericordia tua super nos
Sicut speravimus

Easdem preces omisso primo versiculo continet MS. Breviarium ad usum Monasterii S. Germani a Pratis, in quo etiam ista superadduntur capitula.

Sacerdotes tui induantur justitiam
Domine salvos fac Reges
Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati
Fiat pax in virtute tua
Oremus pro fidelibus defunctis
Animæ famulorum famularumque tuarum requiescant
Pro fratribus nostris absentibus
Pro afflictis & captivis
Mitte eis Domine auxilium de Sancto
Domine exaudi orationem meam.

XIII. Deinde sequitur collecta. Easdem preces haud dubium dicebant Cluniacenses nostri, apud quos teste Udalrico l. 1. c. 2. „) Ad Primam sunt preces 31. versicu„ lorum, & confessio suo loco est interponenda.) Quibus orationem Dominicam & symbolum Apostolicum præmittebant; quod etiam præstabant nostri Sandionysiani uno aut altero versiculo immutato. Circa confessionem vero, cujus hic mentio fit, illud observandum, quod ab antiquioribus, non inter preces, sed ante psalmum quinquagesimum diceretur, ut patet ex antiquissimo ordine conversationis Monasticæ, cujus caput tertium ita incipit. „ (Convenientes vero fratres ad Primam, dum comple„ tur ipsum officium, ante psalmum quinquagesimum do„ nent confessiones suas vicissim, pariter supplici voto „ eorum certatim pro se orantes;) Quæ quidem verba in sua ad Canonicos Regula cap. 18. transcripsit Chrodegangus Metensis Episcopus Spec. Tom. 1. pag. 220. ubi „ [Post donent confessiones suas vicissim, *addit*, „ dicentes *Confiteor Domino, & tibi frater quod peccavi* „ *in cogitatione & locutione, & opere, propterea precor te,* „ *ora pro me*. Et ille respondet *Misereatur tui &c.*) forse etiam precibus psalmum quinquagesimum immiscebant.

XIV. Ad præscriptum a S. P. Benedicto officium plurimas preces superaddiderunt nostri, de quibus ita scribit Dunstani Concordia: „ (Finita Prima duos psalmos „ *Domine ne in furore tuo &c.* 51. & *Miserere mei Deus* „ &c. 5. canant; primum pro carnis tentatione cum pre„ cibus: *Proba nos Domine*, & *Non inveniat nos pes su-* „ *perbiæ &c.* Et collecta *Ure igne*. Sequentem vero pro „ defunctis fratribus cum collecta: *Inveniant quæsumus Do-* „ *mine*, & prece *Animæ fratrum nostrorum &c.* Et sic „ more solito pœnitentiæ psalmos percurrant devote in„ terposito psalmo: *Inclina Domine*. His vero finitis leta„ nia, quam universi more solito prostrati humiliter, nul„ lo excepto, signo pulsato compleant. Qua expleta, post „ orationem Dominicam intercanitur psalmus: *In te Domi-* „ *ne speravi* 31. cum sequentibus precibus & orationibus.

XV. Ejusdem ritus meminit Lanfrancus in statutis c. 4. §. 11. „ (Surgentes *inquit*, fratres in nocturnalibus su„ is, & infantes & juvenes cum luminaribus suis veniant „ in Ecclesiam, & facta oratione cantent Primam, & „ psalmos familiares cum suis collectis, & septem psal„ mos, & litaniam, inde exeunte &c.) Hæc ille exercitia disponens ab Octobri ad Adventum. Atque hic ritus vigebat passim in ordine nostro. (Udalr. l. 1. consf. Clun. c. 2.] Cluniacenses vero, qui ut jam diximus, post horas singulas quatuor psalmos adjiciebant, ad Primam psalmum 50. pro Abbatibus defunctis superaddebant, quem psalmo 141. quem ad omnes horas quarto loco dicebant pro defunctis, præponebant. „) Præterea, *inquit*, *Udal-* „ *ricus ibid.* c. 3. Textus fidei scilicet *Quicumque* a S. „ Athanasio conscriptus, (cujus nonnullæ Ecclesiæ non „ meminerunt nisi in sola Dominica) nullo die obmitti„ tur, ut non dicatur a nobis, sed in privatis diebus si„ mul cum aliis psalmis, in Dominica post preces.)

XVI. Postea psalmos pœnitentiales dicebant & letaniam, de qua sic scribit Udalricus ibid. c. 5. „ (Leta„ nia ita inchoatur: *Kyrie eleison*: *Christe eleison*: *Christe* „ *audi nos &c.* ita deinceps nominantur de Sanctis plus minus

(a) Has preces dicebat Sacerdos Hebdomadarius, sed confessionem Prior cum conventu ita faciebat, ut dicto a Priore *Confiteor*, conventus subjungeret *Misereatur*; secutum *Confiteor*: Postea Prior *Misereatur*, quo dicto, reliquas preces resumebat Sacerdos. Ita in MS. Consf. Sancti Germani a Prat.

„ Septuaginta tres. Sequentes versus ad ipsam divinam pronunciationem destinandi sunt quadraginta tres. Qui autem post Dominicam orationem, & post alios psalmos antecedunt collectas, sunt hujusmodi: *Et veniat*, & de ceteris iidem qui dicuntur ad psalmodiam: *Deus auribus*, nisi hic solus: *Oremus pro fidelibus defunctis*: Collectæ *Deus cui proprium*: *Omnipotens sempiterne Deus qui facis*: *Prætende Domine famul.* *Deus a quo sancta desideria*. A Pascha usque ad festivitatem Sancti Michaelis contra tempestatem Psal. *Benedixisti*: *A Domo tua*: *Absolve Domine*: *Deus qui es sanctorum splendor mirabilis*.) Ex quibus dicimus præter septem pœnitentiæ psalmos, etiam alios letaniamque precibus post orationem Dominicam insertos fuisse. Quinam vero essent illi psalmi adjecti, docet nos MS. S. Germani a Pratis Breviarium in cujus letania quæ privatis diebus dicebatur post Primam, habentur Sanctorum invocationes numero 94. quibus recentiori manu additæ sunt 16. versus post invocationes 42. post *Agnus Dei* & & orationem Dominicam, Psalmi *Deus in adjutorium*: *Levavi*: *Ad te levavi*: *Judica me Deus & discerne*. A Pascha ad Cal. Octob. *Benedixisti*. Deinde versus novem cum prædictis collectis adnotantur. In collectaneo MS. Monasterii de S. Petro supra Divam extant invocationes Sanctorum 111. versus 41. Psalmi duo, scilicet *Deus in adjutorium*: *Levavi oculos*, versus novem & collectæ.

XVII. In antiquis etiam Germaniæ consuetudinibus septem psalmorum pœnitentialium post primam dicendorum aliquoties fit mentio: Similiter in MS. S. Benigni Divionensis consuetudinibus c. 64. in antiquo Corbejensi Ordinario; in vita S. Johannis Abbatis Gorziensis n. 82. sæc. 5. in vit. S. Stephani Abbatis Obazinensis Septem psalmorum & letaniæ. Ex quibus omnibus apparet receptam ubique passim pœnitentialem, quam hic describimus, psalmodiam. Confirmant S. Dionysii Consuetudines antiquæ præscribentes ut „ (Post Primam dicantur psalmi familiares: *Domine ne in furore tuo*: *Ad te levavi*: *Miserere mei Deus*: *Deus in adjutorium*: *Voce mea*: *Requiem æternam*: *Pater noster*; *Et ne nos*: *Salvum fac*: *Salvos fac*: *Fiat pax in virtute*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. Oratio *Largire quæsumus Domine*, & dicatur tota oratio: *Et pacem suam*: *Et famulum suum Regem*. Oratio *Annue nobis Domine*, & *Animæ famulorum famularumque* totam; Similiter ad finem orationum dicatur *Per Dominum nostrum*, si XII. Lect. fuerint; Si vero non fuerint, dicatur tantummodo *Per Christum Dominum nostrum*. Deinde dicantur psalmi VII. cum letania, post letaniam psalmi *Deus in adjutorium*: *Levavi oculos*: *Ad te levavi*: *Judica me*: Isti quatuor psalmi dicendi sunt semper post letaniam privatis diebus ab octavis Paschæ usque ad festum S. Remigii. Pro fructibus terræ dicitur psalmus *Benedixisti*. Deinde dicantur preces & orationes quæ sequuntur post letaniam. Deinde cantetur missa matutinalis; & teneatur iste ordo ab octavis Paschæ usque ad festum S. Remigii;) Et liber usuum Beccensium „ (A Pascha incipit, usque ad octavam Pentecostes omnibus privatis diebus, & omnibus privatis octavis per annum ad Primam dicuntur *Deus in adjutorium*: *Ad te levavi*: *Miserere mei Deus* pro Prælatis; *Voce mea*: *Requiem æternam*: Deinde VII. psalmi, post letania. Ab octavis Pentecostes usque Pascha nisi festum aut octava fuerint, dicuntur ad Primam *Domine ne in furore* 2. *Ad te levavi*: *Deus in adjutorium meum*: *Miserere mei Deus*; *Requiem æternam*; Deinde VII. psalmi & letania .... In Quadragesimæ festis diebus ad Primam 2. psalmi familiares dicuntur: *Deus in adjutorium*: *Ad te levavi*: *Inclina Domine*; qui psalmus dicitur pro plurimis prostratis, quia festis XII. Lectionum non dicuntur *Miserere mei Deus*: *Ad Dominum cum tribularer*: *De profundis*: *Voce mea*, postquam tricenarium inceptum fuerit; nam ante vel post similiter non dicuntur, si unum dicitur, aliud dimittitur. Septem psalmi cum litania.) Et Tullense S. Apri ordinarium „ (Post Primam isti sex psalmi dicantur, tres primi cum gloria, & tres ultimi sub uno *Requiem æternam*: *Domine ne in furore* 2. *Ad te levavi*: *Deus in adjutorium*: *Miserere*: *De profundis*: *Voce mea*: *Pater noster*: *Et ne nos*; *Domine salvos fac Reges*: *Salvos fac servos*: *Domine non secundum*: *Fiat pax*: *A porta*: *Dominus vobiscum*: collectæ: *Famulos & famulas tuas quæsumus Domine tua semper*: *Actiones nostras*: *Annue nobis Domine*. Postea dicantur VII. psalmi pœnitentiales cum letania.

XVIII. Hæc omnia fuse retulimus testimonia, non solum ut inde clarum fieret, communem omnium Monasteriorum Ordinis nostri consuetudinem fuisse VII. psalmos cum letania recitandi, sed etiam ut declararemus quos & quot psalmos familiares, quas cum eis preces recitarent, qua in re non una fuit omnibus agendi ratio; nam alii duos duntaxat psalmos familiares cantabant, ut videre est in Concordia Dunstani; alii tres, ut Beccenses; alii quatuor ut Dionysiani; alii quinque, ut Cluniacenses, Divionenses, & Corbejenses; (a) alii denique sex ut Tullenses Sancti Apri, quibus VII. psalmos pœnitentiales & letaniam omnes subjiciebant.

XIX. Verum familiares psalmos postea dimiserunt Floriacenses nostri, ut discimus ex statutis capituli Floriacensis, Abbatum Floriaci, & Prioris, & conventus de Regula anno 1299. editis; ubi statutum secundum ita effertur: „ (De cætero psalmi familiares in conventu non dicantur; sed solummodo privatis diebus post *Domine exaudi orationem meam*, antequam Hebdomadarius dicat *Dominus vobiscum*: *Miserere mei* in Adventu & a die Mercurii cinerum usque ad Pascha.) Hanc tamen divini servitii diminutionem aliquo modo compensant, edito statuto tertio, ut „ (Servitium B. Mariæ & mortuorum magis solemniter fiat.) Præter familiares psalmos, Vesperas etiam & Laudes omnium SS. ex solito servitutis penso detraxerunt in statuto quarto his verbis expressis: „ (Statutum est a Domno Guillelmo Abbate, & remissum quod aliquis non teneatur dicere Vesperas, neque Laudes de omnibus SS. sed loco Vesperarum & Laudum dici in conventu una antiphona post suffragia cum collecta; videlicet *Salvator mundi*, vel *Beati estis*.) Rejecerat jam antea ineunte sæculo XII. prolixam illam psalmodiam, quamvis non sine scrupulo, Bernardus Abbas Tironensis: querentibus enim discipulis deesse sibi ad victum necessaria, nec satis superesse temporis propter officii & psalmodiæ prolixitatem ad ea sibi laboremanuum comparanda, respondisse fertur (apud Boll. 14. April.) *Psalmos quidem qui per omnia fere monasteria ex more decantantur, nisi Dominus aliquid revelet vereor omittere.* Postea tamen Divino invocato auxilio, *imperavit dixitque se pro certo scire, quod Deus mallebat illos laborando sibi victum acquirere, quam tam multiplicibus psalmodiis insistere*, ut scribit in ejus vit. Gaufredus ejus discipulus.

CAPUT V.

De Capitulo.

I. Capitulum vocamus eam Monachorum congregationem, quæ mane fit in Monasteriis ad Martyrologii, Necrologii, Sacræque Regulæ lectionem, culparum emendationem, ac laboris injunctionem distributionemque, a capitibus seu superioribus cœnobiorum qui simul cum aliis conveniebant, ut volunt nonnulli, seu quod verius crediderim, a Regulæ *Capitulo* quod in ea legebatur, ita appellatam; ex quo factum est, ut tam ipsa congregatio, quam locus ubi fieret, ac res quæ in ea tractarentur, *Capitulum* nuncuparentur: qua de re fuse satis Haef. lib. 8. Tr. 1. disq. 1.

II. Tempus congregandi Capituli duplex apud nostros reperio; post Primam scilicet, & post Tertiam. Primum assignat antiquissimus ordo conversationis monasticæ c. 3. quod suæ ad Canonicos Regulæ inseruit Chrodegangus Mettensis Episcopus c. 18. Similiter Antiquæ consuetudines S. Benedicti Anianensis Abbatis tom. 4. Analectorum, de quo etiam Ardo discipulus ejus in vita illius n. 52. sæc. 4. Instituit ut „ (expleta Prima in unum congregati solvant capitulum.) Item antiquum S. Jaliaci ceremoniale p. 1. c. 16. præscribens ut Prima dicta, & Missa matutinali, fiat capitulum; denique Bursfeldenses in ceremoniali dist. 1. c. 4. E contra tempus alterum notatur in vita S. Geremari Abbatis Flaviacensis n. 15. sæc. 2. „ (Tertia vero hora diei post lectionis disputationem in capitulo ante pedes omnium prostratus, &c.) & apud Adrevaldum in lib. Mir. S. Benedicti in Gallia c. 28. sæc. 2. „ (Residentibus hora diei tertia, post lectionem capituli regularis Sanctorumque memoriam, &c.) At S. Dunstanus in Regulari concordia Monachorum Sanctimonialiumque utrumque tempus decernit c. 1. & 5. scilicet æstate post Primam, hyeme post Tertiam: Dunstano subscribit S. Lanfrancus in statutis c. 1. §. 1. & 5. Idemque videre est in antiquis S. Germani a Pratis consuet. & in lib. Usuum Cisterciens. c. 70. & 74. & quidem ut mihi videtur, omnino ad mentem S. Benedicti, nam cum ideo inter

(a) Quinque etiam psalmorum post Primam dicendorum meminit Carolus Calvus in Diplomate de partit. bonorum Monast. lib. 6. de Re Diplom. p. 5?7. & 539. Vide etiam Cart. Gotescalchi Episcopi Aniciensis. ibid. p. 569.

inter alia convocetur capitulum, at in eo fiat laboris diſtributio, & ex Regulæ Benedictinæ cap. 48. a Paſcha ad Cal. Octob. poſt Primam, & a prædictis Calendis poſt Tertiam laborandum ſit, recte omnino æſtate poſt Primam, hyeme poſt Tertiam capitulum inſtitutum.

III. Locus capituli erat clauſtro contiguus ad Orientem: „ (In clauſtris conventum, *inquit Petrus Bleſenſis ſer.* 25., quatuor loca cum propriis deputantur officiis: In latere clauſtri Occidentali eſt Scholaris ſubjectio; in eo quod contigit eccleſiam lectio moralis; in ipſa eccleſia meditatio ſpiritualis; ad *orientem in capitulo* correctio materialis;) Hinc ordo antiquiſſimus converſationis Monaſt. rationem ad capitulum veniendi deſcribens: „ (Veniant, *inquit c.* 3., omnes ad capitulum, & converſi ad orientem ſalutent crucem,) & antiquum Afſigenienſis Monaſterii Rituale part. 1. c. 3. „ (Quilibet in medio capituli incliner ſe profunde ad orientem) & revera in omnibus antiquis noſtræ congregationis Monaſteriis, in quibus manſi, ita eſſe perſpexi. In Fontanellenſi Monaſterio S. Anſegiſus „ (Juſſit condere domum juxta abſidam Baſilicæ ſancti Petri ad plagam Septentrionalem, quam conventus ſeu curiæ, quæ græce Beleuterion dicitur, appellari placuit propter quod conſilium in ea de qualibet re perquirentes convenire fratres ſoliti ſint,) ut habetur in ejus vit. p. 9. ſæc. 4. part. 1. p. 635. At in antiqua Monaſterii S. Galli delineatione nullus eſt capituli locus, ſed omnes capitulares actus in ipſo clauſtro tractabantur, in ea parte ſcilicet quæ reſpiciebat ad Septentrionem, eratque eccleſiæ continua.

IV. Porro congregabatur capitulum ad ſignum ſquillæ ſeu campanulæ ab ipſo Præpoſito ſive Priore pulſatum, ut diſcimus ex concordia Dunſtani c. 1. „ (Facto ſigno a Priore convenientes ad capitulum, &c.) clarius ex ſtatutis Lanfranci c. 2. §. 1. „ (Tunc jubente Abbate, Prior ſonet ſignum minimum, deinde omnes eant in capitulum.) Ex conſuetudinibus Germaniæ MS. nu. 4. „ (Capitulum Prior minimo ſigno & collationem, ſed breviter percuſſo annuntiet;) ex lib. Uſuum Beccenſium: „ (Omnibus feſtis diebus dicta Prima, & facto parvo poſt pſalmos familiares ſpatio, ſonat Prior minus ſignum ad conveniendum in capitulo tandiu donec *Miſerere mei*, dici poſſit.) Apud Ciſtercienſes tamen capituli ſignum dabat ipſe Sacriſta: „ (Poſt Miſſam matutinalem, *inquiunt c.* 70. in lib. Uſuum Sacriſta pulſet ſignum ad convocandum fratres in capitulum.)

V. Vocati autem ad capitulum conveniebant non quidem tumultuatim; ſed, ut ait Lanfrancus in ſtatutis c. 1. §. 1. „ (Duo & duo ſicut ſunt Priores; Majores primo, poſtea infantes;) & quidem Priore *ipſo præcedente* ex concordia Dunſtani c. 1.; Recitantes interim aliquas preces, ut decernunt Caſſinenſes in declarationibus ad cap. 17. his verbis: „ (Secundum antiquam noſtram conſuetudinem dicta Prima immediate proceſſionaliter exeundo de Eccleſia commemorationem facimus de fratribus defunctis, familiaribus, & benefactoribus noſtris, cum pſalmo *De profundis*, & oratione *Deus veniæ largitor* &c. & pergimus in capitulum.

VI. Intrantes capitulum, principalem primo locum, deinde ſeipſos invicem ſalutabant, tum ſedebant: „ (Convenientes ad capitulum, *inquit Dunſtanus in conc.* c. 1., ipſo præcedente, verſa facie ad orientem ſalutent crucem, & cæteris undique fratribus ſe vultu inclinato humilient.) Similiter antiquus ordo converſationis Monaſticæ c. 3. „ (Veniant omnes ad capitulum, & converſi ad orientem ſalutent crucem, & cæteris fratribus ſe undique humilient;) & antiquum Afſigenienſis Monaſterii Rituale pr. part. c. 3. „ (Venientes autem ad capitulum antequam ad ſuas ſeſſiones eant, quilibet in medio capituli inclinat ſe profunde ad orientem.) Idem obſervabant Carthuſienſes, ut patet ex antiquis eorum ſtatutis part. 1. c. 36. & part. 2. c. 12. „ (Intrantes & exeuntes de capitulo ad crucem nudatis capitibus inclinamur;) idem habent in nova coll. ſtat. 2. part. cap. 8. n. 5. Ubi obiter obſervabis antiquum morem crucis in medio capituli collocandæ: Ciſtercienſes vero hac de re ſic ſtatuunt lib. Uſuum cap. 70. „ (Fratres autem audito ſigno conveniant in capitulum, inclinantes ante ſedes ſuas, & cum ſederint, humilient ſe mutuo; veniente vero Abbate, vel quolibet alio, qui capitulum tenere debet, ei omnes aſſurgant, inclinantes tantum Abbati tranſeunti, eoque ſedente reſideant: Sed ille qui juxta Abbatem ſeſſurus eſt, humiliet ſe profunde de loco ſuo verſus Abbatem, nec tamen ſuper genua vel articulos; & ſic reſideat.)

VII. Congregati omnes atque in unum ſedentes ad actus capitulares procedebant, ex quibus tres duntaxat memorat Radulphus Tungrenſis in lib. de Obſervantia Canonum prop. 14. „ (In officio autem capituli quod fit poſt Primam fiunt tria: Primo memoria SS. in recitatione Martyrologii cum verſu *Pretioſa*, & capitulo *Sancta Maria*. Secundo memoria defunctorum in anniverſariis recitandis cum *Miſerere mei Deus*, & collectis. Tertio quia tunc ad labores diurnos præparari debemus, addunt preces congruentes dicendo ter: *Deus in adjutorium* &c.

VIII. Sed multo plures capitulares actus jure recenſere poſſumus. 1. Lectionem Martyrologii cum collecta ſequenti. 2. Divini invocationem auxilii ad reliquos diei actus per ℣. *Deus in adjutorium* &c. 3. Lectionem Regulæ aut alicujus homiliæ. 4. Commemorationem defunctorum & benefactorum per Lectionem Necrologii. 5. Commemorationem item benefactorum viventium cum precibus. 6. Officialium inſtitutionem. 7. Culparum correctionem. 8. Laboris injunctionem, de quibus ſingillatim & breviter pro modulo noſtro.

IX. Primus itaque actus capituli aſſignatur Lectio Martyrologii, Aquiſgranenſi ſynodo ſtatuente can. 66. „ (Ut ad capitulum *primitus* Martyrologium legatur;) quæ tamen lectio antea in uſu fuiſſe, docet antiquus ordo converſationis Monaſticæ, patetque ex vita Sancti Wandonis Abbatis Fontanellenſis, qui ſuo Monaſterio legitur dediſſe „ (codicem in quo continetur Regula S. Benedicti, & S. Columbani, & Martyrologium:) quia nimirum una cum Regula legebatur mane in capitulo, Spicileg. Tom. 3.

X. Circa hanc Martyrologii lectionem obſervandum: Primo quod lector in medio capituli conſtitutus benedictionem poſtulabat ad legendum: „ (Et petat benedictionem lector, & recitentur nomina Sanctorum,) inquit Ordo converſationis Monaſticæ, ann. 1659. Neapoli editus; Et liber Uſuum Ciſtercienſium c. 70. „ (Lector vero veniens ante analogium aperiat librum, & inclinet ſe ad benedictionem.) Et Burſfeldenſes in ordin. c. 11. „ (Procedat in medium qui lecturus eſt, ad benedictionem humiliter ſe inclinans; quo data reſideant; ſed nemo ante præſidentem.) Hinc etiam in antiquo Caſſinenſi Breviario MS. a nobis jam toties citato, precibus, quæ Martyrologii lectionem ſubſequi ſolent, præmittitur illa Benedictio: „ (Dies & actus noſtros in ſua pace diſponat omnipotens Dominus;) quæ in MS. S. Dionyſii conſuetudinibus incipit ſic: „ (*In viam mandatorum*, eſtque a puero petenda.) Et tamen ex antiquis Germaniæ conſuetudinibus MS. ad ſolam Prioris Sacerdotis nutum legi debet Martyrologium: „ (Facto ſigno itur ad capitulum, & ſedentibus cunctis, Prior Sacerdos dat lectori ſignum ut legat;) ſed neque in Concordia Dunſtani, neque in Decretis Lanfranci, neque in MS. conſuetudinibus S. Germani a Pratis ulla fit mentio petendæ benedictionis ad lectionem Martyrologii.

XI. Secundo eos ſemper annunciabant Sanctos, quorum natalis dies in diem ſequentem incideret, ſive ut habet antiquus ordo converſationis Monaſticæ c. 3. „ (quorum feſta craſtina dies excipiet;) quibus diem menſis & lunæ præmittebant: „ (Pulſabitur ad capitulum, *inquiunt MS. conſuetudines S. Germani a Pratis*, & legentur calendæ & pronunciabitur qualis ſit luna, & quota fuerit, & annunciabuntur feſtivitates Sanctorum.) Et ceremoniale Burſfeldenſium c. 11. „ (Lector . . . . legat lectionem de Martyrologio, præmittens quotam menſis & lunæ juxta computationem Kalendarii, & pronuntiatur non præſens dies, ſed ſemper craſtinus.)

XII. Tertio „ (In illa lectione non dicet *Tu autem*; ſed aliorum plurimorum Sanctorum) addunt conſuetudines S. Germani a Pratis: Ita nimirum lectionem Martyrologii concludebant. De hac clauſula ita in Chronico chronicor. fol. 166. „ (Uſuardus qui juſſu Caroli Magni compilavit Martyrologium, reperit ſingulis diebus pluſquam trecenta feſta concurrere; ideo ſtatutum fuit ut diceretur: & aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, &c.) tuncque, ut ait liber Uſuum Ciſtercienſ. c. 70. „ (Surgant fratres, & vertant ſe ad orientem dicentes verſum qui in collectaneo habetur, idest *Pretioſa in conſpectu Domini*, Sacerdote hebdomadario incipiente;) quem ſequebatur dicenda a Sacerdote oratio: (*Ipſi* & omnes Sancti Dei intercedant pro nobis, ut mereamur a Deo adjuvari, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Amen*.) Cui quidem orationi religionis ac devotionis ergo in Beatiſſimam Dei Genitricem præmiſſum eſt a recentioribus Sacratiſſimum *B. Mariæ* nomen hoc modo: *Sancta Maria & omnes Sancti* &c. Neque enim reperitur in antiquo ordine converſ. Monaſticæ, neque apud Chrodegangum in Regula Canon. neque in MS. conſuet. S. Germani a Pratis, neque ceremoniali Burſfeldenſium. Hæc tamen

men additio non ita recentioris est institutionis, nam extat in MS. Breviario Cassinensi Institutionis Oratorii, in quo utrumque dicendi modum, diversis tamen in locis reperi.

XIII. Hæc oratio, ut diximus, a Sacerdote dicebatur: in ordine tamen Monastico apud Hæfteuum, & in MS. S Germani a Pratis a *Priore* dici, præscribitur, pro quo in editione Neapolitana habetur *Presbyter*. Hæc fuer præcipue quæ Martyrologii lectionem spectant saltem pro diebus quotidianis.

XIV. Secundus Capitularis actus erat dicini invocatio auxilii ad omnes diurnos actus per ℣. *Deus in adjutorium*, precesque reliquas, quas etiam nunc in fine Primæ recitamus; de quibus observanda sunt nonnulla.

XV. Primo hujusmodi preces non erant simplex præparatio ad laborem manuum, ut existimant forte nonnulli; sed ad omnes diurnos actus respiciebant, ut satis indicant ista collectæ verba: *Dirigere & sanctificare .... hodie corda* &c. Ad laborem vero manuum in fine capituli, post emendatas culpas, iterum dicebatur tertio ℣. *Deus in adjutorium meum*.

XVI. Secundo hic versus nocturno silentio finem imponebat, ut discimus ex ordine Monasticæ convers. Neapoli edito, ubi post orationem: „ (Ipsi & omnes Sancti, *sequitur*: Deinde dicatur versus ad solvendum silentium, id est *Deus in adjutorium meum intende* &c.) & de hoc versu intelligendum puto locum illum ex consuetudinibus a Benedicto Abbate Anianensi suis in Monasteriis institutis tom. 4. Anal. „ (Et nocturnum silentium semper ab eis custodiri sive intus, sive foris sint, „ quousque in capitulo versum dicant.) Ubi etiam obiter notandum est olim nocturni silentii finem alicujus signi sonitu indicatum fuisse, ut discimus ex Adelerio Monacho in Appendice ad lib. Mirac. S. Benedicti in Gallia ab Adrevaldo c. 40. sæc. 2. Bened. p. 292. „ [ut vero „ se lux diei terris clam infudit, fratribus somno experrectis, idem sonitu fusilis tabulæ, olim mSemndæ locutionis gratia compactæ, Abbatem Theotbertum cum „ aliquis adsciscens,] &c.

XVII. Tertio versus ille: *Deus in adjutorium meum*, ter a Priore vel Sacerdote ex integro dicebatur; terque item a congregatione repetebatur, ut patet ex antiquo Ordine conversationis monasticæ: „ (Dicatur versus ad „ solvendum silentium, idest *Deus in adjutorium meum* „ *intende: Domine ad adjuvandum me festina* tribus vicibus, „ Priore incipiente, cæteris autem respondentibus idipsum „ tertio.) Extat hac de re capitulum undecimum Monachorum Sangallensium in hæc verba sæc. 4. Bened. part. 1. pag. 741. „ (Ut versus ad capitulum, id est „ *Deus in adjutorium meum* a Presbytero ter, terque a „ congregatione repetitus dicatur, & dicta *gloria*, post „ hoc non adjungant *alleluja*:) Accedit ceremoniale Bursfeldensium, in quo præscribitur c. 11. ut a Sacerdote „ (subsequatur versus *Deus in adjutorium meum intende*, quem tertio dicit ex integro, & toties repetitur a „ conventu, addita post ultimam repetitionem *Gloria Patri*.) Dunstanus vero non ita clare rem enuntiat, cum decernit in conc. c. 1. ut prædictus versus „ (tertio re„ petatur ab omnibus Priore incipiente.) in MSS. S. Dionysii consuetudinibus si dies privatus non fuerit, hic versus præcipitur omitti.

XVIII. Quarto ad Litaniam seu *Kyrie eleison* flectebant genua, surgebantque ad orationis Dominicæ conclusionem: Ita in antiquis Germaniæ consuetudinibus MS. quod confirmat capitulum 12. Monachorum Sangallensium loco cit. „ (Ut *Kyrie eleison* oraturi in capitulo, utrum„ que genu flectentes consona voce tribus tantum vicibus „ dicant, idest *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison*. Similiter in refectorio sed sine genuflectione;) Et antea antiquus Ordo conversationis monasticæ: „ (Et „ flectentes genua orent, & dicat Prior *Et ne nos inducas in tentationem*, cæteri respondeant *Sed libera*; sur„ gentes iterum dicant versum pariter *Respice in servos tuos* usque in finem psalmi, subjungentes *Gloria Patri*;) Similiter concordia Dunstani c. 1. „ (Et flectentes genua si tempus dictaverit: dicente vero Priore „ *Et ne nos inducas* surgant omnes, erectoque vultu di„ cant *Respice in servos*, subjungentes *Gloria* humiliato „ capite;) Liber Usuum Cisterciensium c. 70. „ (Pro„ sternantur super sedes superiores, aut incurventur super „ genua secundum tempus, dicentes simul *Kyrie eleison* .... & quando Sacerdos dixerit: *Et ne nos inducas in tentationem* erigantur, donec Sacerdos dicat: *Dirigere & sanctificare*, & tunc incurventur.) Denique cæremoniale Bursfeld: „ (Deinde letaniam scilicet *Kyrie* „ *eleison: Christe eleison: Kyrie eleison*: alternatim per „ choros dicant, & consequenter prostrati aut pro tempo„ ris quantitate incurvati sub silentio *Pater noster* usque ad „ *Et ne nos*, quam partem postquam erectis ad fratrum „ Præsidentis fratribus Sacerdos dixerit, & conversus re„ spondeat: *Sed libera nos a malo*, subjungat Sacerdos „ versum: *Respice*) &c.

XIX. Quinto denique oratio *Dirigere* ita efferetur in antiquo ordine conversationis Monasticæ edit. Neapol *Dirigere & sanctificare digneris Domine Jesu Christe fili Dei vivi hodie corda & corpora nostra in via tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic & in æternum per te salvi esse mereamur Salvator mundi, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum Amen*. In antiquo autem Breviario Monasterii Cassinensis Institutionis Oratorii ita: *Dirigere & sanctificare, & custodire dignare Dominus Deus omnipotens Rex cœli & terræ hodie corda, & corpora nostra, sensus, sermones, & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic & æternum per te salvi esse mereamur, qui vivis & regnas*. Brevius in Breviario MS. S. Germani a Pratis: *Dirigere & sanctificare dignare Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus hodie corda & corpora nostra in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic & in æternum te auxiliante semper salvi esse mereamur*. Hæc oratio ex antiquo Ordine conversationis monast. a Priore est dicenda; ex lib. usuum Cisterc. a Sacerdote; ad quam ex eodem libro, & cerem. Bursfeld. semper incurvati debent omnes. Ea finita, Prior ex eodem ordine monastico subjungebat *Adjutorium nostrum in nomine Domini*; cæteri respondebant, *Qui fecit cœlum & terram*.

XX. Tertius capitularis actus prædictas preces immediate sequebatur lectio Regulæ de qua satis multa in Commentario ad Regulæ c. 66. ad hanc sedebant omnes, ita tamen ut prius assideret, qui capitulo præerat; in cujus fine subjungebat Lector: *Tu autem Domine*; sed nullam initio videtur petiisse benedictionem. Prælectum Regulæ capitulum exponebat Prior, aut cui jusserat ille, ut genuinus ejus sensus omnibus innotesceret.

XXI. Dominicis festisque diebus vice Regulæ aliqua homilia ex Patribus legebatur, unde etiam in MSS. eodem una cum Martyrologio reperitur Regula, & initium Evangeliorum totius anni, cum quibusdam homiliæ lineis ad hunc finem exaratis, ut videre est in MS. codice S. Germani a Patris notato N. ubi hujusmodi Evangeliis hæc præmittitur inscriptio: „ (In diebus Dominicis, festis „ semiduplicibus, & supra feriis 4. temporum Adventus „ 4. feria & 6. ac vigiliis Nativitatis, Pentecostes, feriis „ quoque octavarum Paschæ, necnon Pentecostes, post „ lectionem Martyrologii legitur de Evangelio, cæteris „ autem diebus de Regula.) Vid. comm.

XXII. Lectionem Regulæ vel homiliæ excipit in MS. Sancti Germani a Pratis consuetudinibus, & cerem. Bursf. lectio Necrologii, cujus tamen nulla fit mentio neque in antiquo ordine Monastico, neque in concordia Dunstani, neque in statutis Lanfranci, neque in MS. consuetudinibus Germaniæ: nihilominus videtur Necrologiorum usus satis antiquus; nam Regis Osvvaldi depositionis diem annorum fuisse in codice defunctorum legimus apud Bedam l. 4. hist. Angl. c. 14. quem etiam *Annalem* vocat; & ante Bedam Bertigrannus episcopus Cœnomanensis, in testamento suo, illustris Parisiensis S. Vincentii monasterii abbatem rogat, *ut nomen meum*, inquit, *in libro vitæ recitetur*, apud Mabillonium tom. 3. Analectorum pag. 121. Jam vero nonnullæ hac de lectione minutiæ sunt observandæ.

XXIII. Primo. Ante quoscunque adnunciabatur Abbatum obitus, si ea die contigisset: Deinde Monachorum, tum exterorum qui speciali aliquo beneficio in Necrologio monasterii meruissent inscribi, quamvis in nonnullis promiscue inferentur Necrologiis.

XXIV. Secundo inter Abbates & Monachos aliusque hoc erat discriminis, quod anniversaria Monachorum dies per verbum *obiit* annunciaretur; Abbatum vero hoc modo *Depositio Domini N. Abbatis*; saltem ita in nostro Parisiensi S. Germani a Pratis Necrologio.

XXV. Tertio ad nomen Abbatis præmittebatur ubique vox *Domini*, non item ad monachorum, qui pure ac nudo nomine recitabantur.

XXVI. Quarto adscribebatur gradus & ordo personarum; Abbas, Monachus, Præpositus, Cantor, Sacrista, Episcopus, Sacerdos, Imperator, Rex, Regina, Miles, &c.

XXVII. Quinto Monachis monasterii inserebantur aliorum etiam cœnobiorum asceiæ cum quibus societatem habebant, aut omnes, aut aliqui tantum, quibus ex conventione ita concessum erat. Sic V. Beda ad Eadfriduum Episcopum fratresque Lindisfarnenses scribens rogat in præf. d. cit. Scutberti n. a. ut „ (me defuncto pro redemtione animæ

„ enimæ meæ quasi pro familiaris & vernaculi vestri ora„ re, & missas facere, & *Nomen* meum inter vestræ scri„ bere dignemini :) Cudbertus Abbas Wiremutensis in epist. ad Lullum Archiepiscopum, quæ inter Bonifacii epistolas 95. : „ (nomina fratrum quæ ad nos misistis, „ cum nominibus hujus Monasterii fratrum dormientium „ in Christo scripta continentur;) Et in litteris Societatis inter Stabulense & Solemniacense Monasterium, quæ extant sæc. 2. p. 1093. : „ (Nomina vero defunctorum „ fratrum Stabulensis cœnobii Martyrologio Solemniacen„ si conscripta per singulos dies cum suorum fratrum an„ niversariis recitabuntur.)

XXVIII. Sexto. In Necrologiis Monachorum inserebantur etiam Sancti ab Ecclesia ut tales recogniti; nonnulla hac de re exempla profert Haeftenus l. 8. t. 1. disq. 4. & in nostro S. Germani a Pratis Necrologio Kalendis Januarii reperitur depositio Domni Odilonis Abbatis.

XXIX. Septimo. Cum benefactorum nomina recitabantur, collata etiam ab his Monasterio proferebantur beneficia precesque pro ipsis dicendæ: Extat hujus rei exemplum in Necrologio S. Germani e Pratis: „ (Pridie idus „ Januarii obiit ..... Hugo Marescallus, anniversarium „ ejus & amicorum suorum, & Episcopi Johannis Bel„ macensis Abbas Hugo totumque capitulum singulis an„ nis in perpetuum faciendum concesserunt: Per Odonem „ enim clericum nostrum prædict. Hugonis filium datum „ est Ecclesiæ Beati Germani lignum Dominicæ crucis. „ In die vero obitus prænominati Odonis anniversarius „ ille annis singulis celebrabitur.) Idem patet ex litteris Richardi Archiepiscopi & totius conventus ecclesiæ Cantuariensis ad Ludovicum Francor. Regem, in quibus grates prædicto Regi referunt, suffragia sua, ac preces perplurimas concedunt, atque promittunt, „ (ut autem „ nulla oblivione deleri debeant in posterum hæc omnia, „ in Martyrologio nostro, *inquiunt*, scribi fecimus, & „ singulis annis die recordationis vestræ relegenda statui„ mus.) Extant apud Reynerum de Apost. Bened. in Angl. appendice 3. p. 254.

XXX. Octavo. Unius & ejusdem defuncti per plures dies commemoratio aliquando fiebat, cujus rei exemplum nobis suppeditat Hugonis 3. Abbatis S. Germani e Pratis, qui anno 1181. obiit, quædam charta fundationis seu institutionis sui anniversarii, in qua inter alia hæc decernit: „ (Præter hæc etiam ut per illos sex dies qui sunt „ inter primum anniversarii diem & octavum, quotidia„ na de nobis fiat in capitulo memoria, & ibi nos con„ ventus sicut in primo die & octavo specialiter & no„ minatim absolvat.)

XXXI. Nono. Ad Majorem rei firmitatem & securitatem qui anniversaria sibi instituebant atque fundabant, chartas hujusmodi fundationis in capitulo legi quotannis aliquando volebant, ut patet ex eadem prædicti Hugonis charta, in cujus fine ita habetur: „ (Porro ut hæc om„ nia successorum nostrorum memoriæ facilius semper oc„ currant, & fidelius imprimantur; præcipiendo sub præ„ scripta statuimus conditione, quatenus hujus nostræ in„ stitutionis pagina, singulis annis in vigilia anniversarii „ nostri post lectionem capituli coram omnibus in con„ ventu legatur.)

XXXII. Decimo. Præter speciales preces quæ nonnullis ex aliqua fundatione erant attributæ, fiebant & aliæ quotidie pro defunctis, quas exeuntes e capitulo recitabant: „ (Surgentes a capitulo, *inquit Dunstanus in con„ cordia*, canant quinque psalmos pro defunctis, *Verba „ mea: Domine ne in furore: Dilexi quoniam: Credidi: „ De profundis*:) Eosdem psalmos assignant MS. consuetudines Germaniæ, quos etiam post Matutinos dici præscribunt consuet. S. Dionysii in Francia.

XXXIII. Undecimo. Cistercienses lib. us. c. 70. nullam videntur fecisse defunctorum specialem mentionem, sed generalem tantummodo; nam lecta Regula, & tabella officialium, lector consequenter addebat: „ (Commemo„ ratio omnium fratrum & familiarium defunctorum or„ dinis nostri:) deinde qui capitulum tenebat, subjungebat, *Requiescant in pace*. Respondebant *Amen*. Si tamen absolvendus aliquis erat defunctus, exposita sententia, sive facto sermone, ad cantoris admonitionem absolvebatur. Similiter si ultimus tricenarii dies commemorandus esset, hunc cantor commemorabat. Ita etiam si breve recens defuncti legendum foret, ab eodem legebatur.

XXXIV. Quintum capituli actum esse diximus commemorationem benefactorum viventium cum precibus pro beneficiis ab ipsis collatis; quod colligitur ex libello supplici Monachorum Fuldensium ad Carolum Magnum Imperatorem, in cujus n. 1. sæc. 4. Ben. part. p. 260. petunt „ (quod liceat nobis orationum, & psalmodiæ, & vigi„ liarum modum tenere, quem Patres nostri habuerunt „ pro amicis nostris *viventibus* & defunctis, idest quoti„ dianam precem *pro te Domine Auguste & pro liberis „ tuis* & pro omni populo Christiano, quem mane quan„ do in unum convenimus, & capitulum de Regula co„ ram fratribus legebatur, exsurgentes post lectionem ter „ *V. Deus in adjutorium meum intende* adjuncto *Gloria „ Patri* cantantes, flexis genibus psalmum L. cecinimus „ simul cum versibus & collecta.)

XXXV. Sextus capitularis actus a nobis designatus erat institutio ac nominatio officialium, quæ cum sabbato fieret in capitulo, non tam ad quotidianos ritus, quam ad eos qui per hebdomadam eveniunt, spectat; ac proinde in sequentem librum remittenda videtur.

XXXVI. Septimus erat culparum publica confessio, proclamatio, & emendatio, de qua tria nobis breviter inquirenda sunt 1. Quam sit apud Monachos antiqua. 2. Quoties & quando fuerit. 3. Quo modo.

XXXVII. Primum quod spectat, spontaneæ ac publicæ culparum apud monachos confessionis antiquitatem ab ipsis fere vitæ monasticæ cunabulis repetere licet; hanc imprimis commendavit S. Basilius, docuit ac recepit S. Benedictus, aliique perplures præscripserunt. De S. Basilio luculentum extat testimonium in serm. de Institutione Monachorum: (Completo die, *inquit serm. 1. de Instit. „ Mon.* & absoluto opere tum corporali tum spirituali, „ convenit ut unusquisque ante requiem conscientiam in „ corde suo judicet, & si quid fecit, quod non oportet, „ vel cogitaverit aliquid eorum, quæ condemnantur, „ vel loquutus fuerit extra id quod decet, vel ad ora„ tionem fuerit negligens, ad psalmodiam tædio affectus, „ vel communem vitam desideravit: non abscondat deli„ ctum; sed in communi annuntiet, ut per communem „ orationem sanetur morbus illius, cui tale malum con„ tigerit.) S. Benedictus „ (Collectis fratribus inobe„ dientem Monachum de infidelitate sua & superbia co„ ram omnibus increpavit,) ut scribit S. Gregorius l. 2. „ dial. c. 28. & in Regula c. 46. præscribit, ut si quis „ (aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdi„ derit, vel aliud quid excesserit, & non veniens conti„ nuo ante Abbatem, vel congregationem, ipse ultro sa„ tisfecerit & prodiderit delictum suum, dum per alium „ cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi.) S. Isidorus ter in hebdomada collationem fieri præcipit, „ (& ipsa quoque collatio, *inquit c.* 8. erit vel pro cor„ rigendis vitiis, instruendis moribus, vel pro reliquis „ caussis ad utilitatem cœnobii pertinentibus;) & alibi c. 15. „ (Peccatum palam commissum, palam est arguen„ dum ..... qui sponte culpam confitetur quam gessit, „ veniam promereri debet, quam expetit.) S. Fruct. in Regula monastica communi c. 13. „ (Propter hoc ergo „ jugiter jubemus in collecta fratres adesse, & non plus„ quam septem dies interponere, & per omnes dies Do„ minicos mores pristinos & vitia emendare.)

XXXVIII. Tempus ad id exercitii destinatum non idem fuit apud veteres monachos. Scribit Nebridius a Mundelheim in Antiquario monastico p. 299. diem Dominicum illi deputatum fuisse, idque post Matutinos. Diem Dominicum, ut modo vidimus, assignat S. Fructuosus; sed S. Isidorus „ (tribus *inquit c.* 8. in Hebdo„ mada vicibus fratres post celebratam Tertiam dato si„ gno ad collectam conveniant.) S. Basilius & S. Benedictus nullum ad corrigendas culpas diem assignatum determinat, quoniam id diebus singulis fieri volebant; & quidem S. Basilius *completo die*. S. Benedictus post Primam æstate, hyeme post Tertiam, ut communis Ordinis usus habuit; & certe olim correctas fuisse quotidie culpas, aut saltem dici potuisse, patet ex Hildemaro in Regulam S. Benedict. in c. 46. ex antiquo Ordine conversationis Monasticæ; ex antiquis Germaniæ consuetudinibus; ex Concordia Dunstani, Statutis Lanfranci, MS. consuet. Cluniacens. libro usuum Cisterciensium, & Ceremoniali Bursfeldensium. Idem canonicis suis præscribit Crodegangus Mettensis Episcopus in Reg. c. 18. Idque ipsum observant etiam nunc Cassinenses, exceptis tamen festis. Nunc vero Fuliensium constitutiones c. 16. tres in hebdomada dies statuunt, fer. 2. 5. & Sabb. etiam in diebus festis, nisi forte sint sermonis ad confitendas emendandasque culpas: Vallisoletani fer. 2. & 6. festo 4. capparum aut de præcepto non occupatam: Cœlestini in Const. c. 19. §. 1. duos item dies in monasteriis principalibus; 4. & 6. feriam, nisi festum sit duplex; unicam in minus principalibus 4. vel 6. feriam: in Const. Cœlestinorum MSS. c. 15. singulis diebus aut saltem ter in Ebdomada 2. 4. & 6. feriis. In non conventualibus vero bis 4. & 6. feriis. Idem semel dumtaxat in Dominica præstant Carthusiani ex nova collect. statut.

ſtatut. Caſshuſ. part. 2. c. 8. n. 4. Unicam etiam huic ſatisfactioni feriam 6. aſſignat Reg. Monachorum apud Hieron. c. 9.

XXXIX. De modo vix reperire licet aliquid apud antiquos; de noſtris vero multa nobis ſuppeditant antiquus Ordo converſationis Monaſticæ, MS. Germaniæ conſ., Concord. Dunſtani, ſtatuta Lanfranci c. 19. l. Uſ. c. 70. &c.

XL. Primo enim Ordo converſationis monaſticæ præſcribit, ut lecta expoſitaque Regula, „ (qui culpabilis eſt poſtulet veniam, & ſecundum modum culpæ judicium recipiat.) Ea propter ex antiquis Germaniæ conſuet. MS. Prior dicebat: *Si aliquid ſit loquendum, edicite*, ſive ut habent ſtatuta Lanfranci, liber uſuum Ciſtercienſium, ceremoniale Burſfeldenſium diſt. 1. c. 4. *Loquantur de ordine noſtro*.

XLI. „ (Tunc unuſquiſque, *ut proſequuntur conſuetudines Germaniæ* n. 33. apud ſe tractat, ſi aliquid deliquerit in loquendo, in manducando, in bibendo, in dormiendo; & ſi culpabilem per conſcientiam ſuam ſe proſpexerit, proſternet ſe ad terram, confitebiturque reatum; poſt interrogationem tamen Prioris ita dicentis: *Quid dicitis?* illiuſque reſpondentis *Mea culpa*, & Prioris *Surgite*, proclamantis, poſt iſtam interrogationem reddet rationem, accipietque voluntarie ſibi imperatam ſententiam, aut jejuniis, aut orationibus, ſæpe etenim præcipitur cantare ſeptem aut tres, aut duos, aut unum, cuncta ſecundum modum culpæ.) Contractius Udalricus in lib. 2. conſ. Clun. c. 17. „ (Poſtquam ventum fuerit ad actionem capitali, ſi quid ei exceſſus aliquo modo contingit, quod alius vidit, & digne potuerit reclamare, ipſe præveniens petit veniam, & illam veniam corpore toto proſtrato culpamque ſuam fatetur, quantacumque fateatur, tamen non amplius petit veniam, præter illam quam petiit.) Fuſius vero ceremon. Burſfeldenſium &c. „ (Cum aliis conſuetis expeditis, præſidens dixerit: *Loquamur de ordine*; Mox qui ſe in aliquo reum noverit, ſurgens veniat in medium ibidem pronus ſe in terram proſternens; & ita jaceat ſiniſtro plus incumbens lateri, manibus ſimul & pedibus decenter ad invicem combinatis, interrogatus autem a præſidente: *Quid dicis?* Reſpondeat: *Culpam meam*, & ad juſſum præſidentis erectus, ſtans in eodem loco diſcooperto & parum inclinato capite, ſimpliciter, abſque omni palliatione, voce clara confiteatur negligentias ſuas. Expediant autem ſe primo, ſi illic fuerint, Novitii, Converſi, atque hoſpites; deinde Monachi ſuo ordine incipientes a junioribus. Non prohibentur duo vel tres aut plures ſurgere inſimul, & pro ſuis negligentiis veniam petere. Et cum plures fuerint ſimul in judicio; qui prior fuerit, in capite ſtet partis dextræ ex adverſo Crucifixi, & primus loquatur, & cum ſinguli dixerint culpas ſuas, judicentur, & de judicio dimittantur ſingulariter ſinguli, aut communiter pro ut caſibus exigentibus viſum fuerit Præſidenti: Dimiſſi vero de judicio redeant ad loca ſua. Novitii ſi ſint, mox ut fuerint expediti, aut certe ſi non ſit ab eis vel in eos proclamatio facienda, ſtatim ut dixerit Præſidens: Loquamur de ordine, ipſi exeant, intrantes eccleſiam vel dormitorium: Similiter faciant hoſpites, ita ut Novitii nullius alterius; hoſpites vero duntaxat Novitiorum proclamationi interſint. Dic autem qua Converſis ſervetur capitulum, tam novitii quam hoſpites ante illorum expeditionem, & illi expediti ſimiliter exire debent ut præfertur.)

XLII. Publicam ſpontaneamque confeſſionem ſequebatur occultarum culparum publica etiam denunciatio, quam proclamationem Majores noſtri vocarunt, eamque ſatis innuit ipſe S. Pater Benedictus ſtatuens, ut delictum „ (dum per alium cognitum fuerit, majori vindictæ ſubjaceat.) Ab ea tamen abſtinent Caſſinenſes, & nos eorum exemplo, licet omni tempore apud noſtros uſitata videatur. Proclamationis formulam hanc præſcribit Trithem. in exercit. Monach. „ (Dilectus frater noſter hoc vel illud commiſit, rogo, quatenus emendare ſe propter Dominum velis.)

XLIII. Ut autem aliquis accuſatus ſeu proclamatus eſſet, ſtatim in terra proſtratus dicebat *Mea culpa*: extat hac de re capitulum 13. Monachorum Sangallenſium, ſæc. 4. Ben. part. 1. p. 742. „ (Ut in capitulo ſeu ubicumque quis increpatus fuerit, ſtatim veniam petens dicat *Mea culpa*: & juſſus ſurgat, & ſic humiliter rationem reddat: Et ſi quiſquam hoc facere contempſerit, duplici vindictæ ſubjaceat.) Et in Concordia Dunſtani c. 5. „ (omnis autem frater pro quacumque cauſſa increpatus ab Abbate, vel a quolibet Priore antequam verbum aliquod proferat, veniam petet, & dum a Priore interrogatus fuerit, quæ ſit cauſſa pro qua veniam poſcit, reſpondeat, atque ſuam profitetur culpam, dicens *Mea culpa Domine*, hinc juſſus eriget ſe.) Idem habetur in Ord. converſationis Monaſticæ; & in ſtatutis Lanfranci c. 19. „ (Interrogatus more ſolito qui proſternitur, ad omnes venias *Mea culpa* dicas;) & in MS. conſuetudinibus Cluniac. „ (in omnibus veniis quæ in capitulo petuntur, dicendum vel reſpondendum *Mea culpa* ei qui capitulum tenet, cum dixit *Quid dicitis*.) Denique in libro Uſuum Ciſterc. cap. 70. „ (Qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen ſuum, non reſpondens in ſede ſua petat veniam tenenti capitulum, eumque interroganti *Quid dicitis?* Reſpondeat proſtratus *Mea culpa*; & ad juſſum illius erectus, ſi reus fuerit, humiliter culpam ſuam confiteatur, & de reliquo emendationem promittat.)

XLIV. Cum vero proclamaretur aliquis, omnes, qui ejuſdem erant nominis, proſtrati in terra veniam poſtulabant, niſi forte ſingulariter aliquis deſignaretur; „ (Eſt autem conſuetudo, *inquiunt MS. conſuet. Cluniac.* quod cum unus clamatur, omnes qui ejuſdem nominis ſunt, cujus eſt ille qui clamatur, debent ſe præſentare, donec clamator eligat, de quo dicat, niſi ipſe clamator adeo diſcreverit, & determinaverit, de quo dicat, ut nulla dubitatio ſit; & Lanfrancus in ſtatutis: „ (Si clamatur aliquis, qui commune cum uno aut pluribus nomen habeat, niſi clamans ita diſcernat & determinet, ut nulla dubitatio poſſit eſſe, omnes qui ejuſdem nominis ſunt cujus eſt ille, qui clamatur, ſtatim debent ſurgere, & ad venias humiliter ſe præſentare, donec clamator determinate eligat, de quo dicat.) Idem habent Divionenſes S. Benigni conſ. c. 32. Porro ad vitandam omnem in proclamando ambagem, proclamatos aut a gradu, aut ab officiis deſignabant: „ (Ipſa autem determinatio, *inquit Lanfrancus*, ab ordinibus vel officiis, ſi fieri poſſit, debet eſſe hoc modo: Domnus Eduardus Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Secretarius, Magiſter infantum vel juvenum, vel aliquid hujuſmodi, non Archidiaconus, non Londonienſis, non aliquid cognominatum de ſæculo.) Taliterque deſignatus pronus in terra *Mea culpa* dicebat, & ſic judicium expectabat. Illud autem judicium erat ad Abbatis arbitrium pro gravitate aut levitate culparum: „ (Poſtea autem, *inquit Udalricus l. 2. conſ. Clun. c. 17.* prono pro quo eſt reclamatus, ſuſtinet quod Prælato videtur; vel vapulare, vel eſſe in culpa leviori, nam quæ ad graviorem culpam pertinet, de his non loquor hac vice;) quod primus judicium, nempe vapulare, ita deſcribit S. Lanfrancus cap. 19. „ (Suſcepturus judicium aut ſola groſſiori virga ſuper ſtamineam verberetur, & proſtratus jaceat; aut pluribus gracilioribus virgis, & nudus ſedeat; utrumque ad arbitrium ejus qui præeſt Ordini, conſiderata qualitate & quantitate culpæ. Dum corporalis diſciplina infertur, fratres omnes inclinato capite debent eſſe, & pio & fraterno affectu compaſſionem ſuper eum habere;) Et liber Uſuum Ciſtercienſium: „ (Verberandus poſtquam ab Abbate cædi juſſus fuerit, mox aſſideat in eodem loco in quo ſtat, & exuens cucullam ponat eam ante ſe ſuper genua ſua, per caputium vero tunicæ exeat brachia, & totum corpus uſque ad cingulum, & confitens inclinato capite nihil dicat niſi tantum *Mea culpa, Ego me emendabo*, quod crebrius repetat. Sed neque alius interim loquatur, niſi forte aliquis de Prioribus pro eo humiliter intercedat; qui autem eum verberat, non ceſſet a verbere uſque ad juſſionem Abbatis; qui dum quieverit, adjuvet illum frater ad induendum, qui indutus & erectus non ſe moveat, donec Abbas dicat, *Ite ſeſſum*; & tunc inclinans eat in locum ſuum.) Et Anonymus in Vit. S. Stephani, Abbatis poſtea Obaz. n. 17. „ (Si quis verberandus eſſet; mox exuto eo, quinquageſimus incipiebatur pſalmus, ut ad ſingulos verſus ſingulos ictus acciperet, quod ſi major eſſet culpa, ampliores pſalmi apponebantur, ut ampliori verbere ſulcaretur.) Tom. 4. Miſc. Baluz. Percutiebatur autem ab eo, cui juſſerat Abbas, aut Præpoſitus; hoc tamen obſervato „ (ne infantibus, vel juvenibus, aut novitiis id facere injungatur,) ut loquitur Lanfrancus c. 9. ſed neque ei qui eum proclamavit, id enim prohibent tam ipſe Lanfrancus, quam editæ, ac MS. conſuet. Cluniacenſes & S. Benigni c. 32. & liber Uſuum Ciſtercienſium, in cujus c. 70. & illud habetur: „ (Ille qui inferioris gradus eſt, non debet verberare ſuperiorem, id eſt Diaconus Sacerdotem, ſed æqualis æqualem, vel ſuperior inferiorem.) Porro ad vitandam omnem, quæ hoc caſu contingere

gere posset, inhonestatem, præscribunt Cluniacensis Monasterii consuetudines lib. 2. c. 17. ut „ (quando scilicet „ pulsatur ad capitulum, stamineum suum undique detrahat, & honeste componat, ut paratus sit, si aliquo „ modo accusatus judicium quærere jubetur,) quod idem habent Divionenses S. Benigni consf. c. 32.

XLV. Denique circa hujusmodi proclamationes nonnulla nobis supersunt observanda. 1. Poterat unus & idem Monachus pluries in eodem capitulo proclamari: „ (Quod „ si alius de illo reclamaverit, *ait Udalricus l. 2. consf. Clun.* „ c. 59., tunc quidem quoties de se reclamare audierit, „ toties quoque veniam petit;) & liber Usuum Cisterc. cap. 70. „ (Quando aliquis surgit in judicium clamatus „ ab alio, quoties clamabitur in ipso judicio, toties satisfaciat.) 2. Proclamatus ab aliquo eundem vice versa proclamare non poterat: „ (Et sciendum, *inquit lib.* „ *Us. Cisterc.* quod qui clamatus fuerit, non faciat clamationem ipsa die super illum, qui eum clamavit;) & liber Usuum Becc. „ (Clamatus frater clamantem se non „ reclamare audeat, quia videtur hoc ira dictante facere, „ & se velle revindicare.) 3. (Quod si sedens & reclamationem de se audiens, *inquit Udalricus loc. cit.* prius „ quicquid responderit, quam veniam petierit, jussus ut „ se prosternat in ipso froccum suum, unam accipit percussionem.) Simile aliquid loquuntur Divionenses S. Benigni consf c. 32. 4. Merito monent Cistercienses [lib. Us. Cist. c. 70. dist. 1. c. 15.] ut „ (nullus faciat clamationem super „ aliquem ex sola suspicione, nisi de hoc quod audierit, „ vel viderit, vel referri audierit;) quibus consentiunt Bursfeldenses qui hujusmodi proclamationem saris tantum fieri ab inferioribus, quotidie tamen a Præsidente fieri permittunt. Cæterum ut recte statuunt iidem Bursfeldenses „ (Caveat qui proclamat, ne hoc faciat ex aversione „ vel rancore, sed affectuoso fraternæ dilectionis amore; „ non ea passione cum quadam animi indignatione, seu „ cordis amaritudine, sed pia magis compassione, in spiritu lenitatis, & ita honeste & modeste in proclamando se gerat, ut nec voce, nec nutu, aut signo aliquo „ appareat quidquam indecens in proclamante, vel distortum, unde possit perturbari proclamatus, aut scandalizari circumsedentes pusilli.) Vid. Goffridi Abbatis Vindocinensis Opusc. 55.

XLVI. Quo autem animo fieri proclamatio, eodem etiam recipi debet ab eo qui accusatur; nimirum in spiritu humilitatis & lenitatis, & cum firmo culpas emendandi desiderio; absit enim ut quisquam proclamationem in se factam indigne ferat; aut memoret animos in accusantem se vel minimum conservet; meminisse enim debemus hujus S. Bernardi sententiæ serm. in Nat. S. Joan. Bapt. „ (Nemo vitia palpet, peccata dissimulet nemo; nemo „ dicat: Numquid custos fratris mei ego sum. Nemo „ quod in se est, æquanimiter ferat, cum viderit Ordinem „ deperire, minui disciplinam. Est enim consentire silere, „ cum arguere possis. Et scimus, quæ similis pœna facientes maneat & consentientes.)

XLVII. Tandem quæcumque acta fuerant in capitulo, sub severo tegebantur silentio, unde liber Usuum Beccensium „ (Quæcumque aguntur in capitulo, *inquit*, confessio est, & ut confessio celari debet: Itaque si quis „ deprehensus fuerit extra loqui de his, quæ acta sunt in „ capitulo, districte emendari debet.)

XLVIII. Denique his omnibus peractis surgentes a capitulo quinque pro defunctis psalmos decantabant; scilicet *Verba mea: Domine ne in furore: Dilexi quoniam: Credidi* & *De profundis*, ut præscribunt Conr. Dunstani atque antiquæ Germaniæ consuet. manuscriptæ. Quibus finitis pulsata tabula mittebantur ad opera; & hic est ultimus capituli actus, de quo plenius ac fusius capitulo sequenti disserendum est.

CAPUT VI.

De labore manuum quotidiano.

I. PRimæ & capitulo subjungit S. Benedictus Reg. c. 48. æstate laborem manuum, hyeme lectionem „ (A Pascha, *inquit*, usque ad Calendas Octobris mane „ exeuntes a Prima usque ad horam pene quartam laborent, „ quod necessarium fuerit; & infra: (A Calendis autem „ Octobris usque ad caput Quadragesimæ usque ad horam secundam plenam lectioni vacent.) De utroque nunc breviter, de labore primum; deinde de lectione.

II. Quanti apud veteres Monachos labor habitus sit in pretio, quibus de caussis ab iis sit institutus, quot horas in eo impenderent, quibus denique operibus potissimum vacarent, in Commentario ad Regulæ caput 48. fuse satis prosequuti sumus: nunc restat ut quo ritu, qui hujus operis præcipuus scopus est, illum persolverent, paucis disseramus.

III. Ad omnes laboris manuum ritus perfecte expediendos, tria nobis tempora maxime consideranda sunt: nimirum quod laborem ipsum antecedit, quod concomitatur, & quod subsequitur.

IV. Primum quod spectat, ubi laborandi tempus advenisset, omnes in unum congregabantur ad signum alicujus instrumenti, tabulæ, aut tintinnabuli, ut discimus ex Reg. S. Pachomii art. 5. „ (Si signum datum fuerit, ut „ egrediantur ad opus;] ex S. Fructuosi reg. cap. 6. „ (Dato signo, sumptis ferramentis, congregentur in u„ num;) ex Concordia Dunstani c. 5. „ (Si opus ha„ buerint, pulsata tabula Prior auxilium prius invocet di„ vinum;) ex lib. Usuum Cisterc. c. 75. „ (Finito ca„ pitulo, & præparatis fratribus ad laborem pulsetur tabu„ la a Priore vel a Subpriore, vel certe ab alio, si Pri„ or jusserit, ipsis tamen majori utilitate forsitan occupa„ tis, ad cujus sonitum conveniant omnes exceptis infir„ mis & variis officiis deputatis.)

V. Conveniebant autem in capitulo, injungendum & faciendum opus accepturi c. 4. „ (Surgentes a capitulo „ atque ad opera exeuntes, *inquit antiquus Ordo conver„ sationis monasticæ*; & capitulum 8. *Monachorum ad „ Augiam directorum*: postquam biberint, vadunt ad capitulum, & quod eis injunctum fuerit, laborant.] Cistercienses vero in auditorio, uti patet ex l. 7. c. 75. „ (Prior si domi fuerit, semper tabulam pulset, & or„ dinet laborem fratrum in auditorio.)

VI. Congregati in orationem procumbebant divinum auxilium invocaturi: Regula Fructuosi c. 6. „ (Dato si„ gno sumptis ferramentis congregentur in unum, factaque „ oratione pergant recitantes ad opus.) Regula Magistri c. 50. „ (Ipsum laboris opus terrenum, aut cujusvis artis „ cum inchoant, oratione præcedente incipiant, eadem „ semper oratione & finiant.) Reg. cujusdam ad Virgines: „ [Quando ad opera eundum est, istud capitulum „ psallatur: *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, &* „ *opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus ma„ nuum nostrarum dirige*:) Antiquus Ordo conversationis monasticæ c. 4. „ [Surgentes a capitulo, atque ad „ opera exeuntes, simul omnes circumstantes dicant ver„ sum *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad a„ djuvandum me festina*, subjungendo *Gloria Patri* & o„ rationem Dominicam, flectentes genua. Post oratio„ nem Dominicam dicat Prior: *Adjutorium nostrum in* „ *nomine Domini*, & respondentibus omnibus: *Qui fecit* „ *cælum & terram*, vadant simul aut separatim ad opus „ injunctum sibi.) Regula MS. incerti authoris c. 11. „ (Cum autem corporale opus manibus exercendum ei „ necesse fuerit, prius quam incipies illud, secundum „ authoritatem S. Benedicti & Cassiani Presbyteri dic „ totum conscio *Deus in adjutorium meum intende, Do„ mine ad adjuvandum me festina*, adjungendo *Gloria Pa„ tri*, & tunc uncta fronte, & corde inchoa opus illud.) Concordia Dunstani c. 4. „ (Si opus habuerint, pulsata „ tabula, Prior auxilium prius invocet divinum dicens „ tertio, *Deus in adjutorium meum intende*, fratribus hoc „ idem respondentibus, & *Gloria, Pater noster*, & *Adju„ torium nostrum.*) Idem ferme orabant Cluniacenses, ubi ad locum laboris pervenissent, ut & Divionenses S. Benigni.

VII. Post orationem, si non prius, injungebatur unicuique, cui potissimum labori incumbere deberet. Hanc curam laboris injungendi uni cujus præcepto cæteri sine querela obedirent, committit Regula Serapionis, Macharii, Paphnutii & alterius Macharii c. 10. nominatim S. Fructuosus Decano: „ [Commoneantur Decani, *inquit* r. „ 6. a Præposito suo, quale opus debeant exercere, atque „ illi reliquos admoneant fratres, tum dato signo, sum„ ptis ferramentis, &c. Magister Abbati: „ (Mox ut „ exierint a Tertia universi Præpositi oculos habeant ad „ Abbatem, inquirentes eum quid jubeat suas operari „ decadas, & cum unicuique decadæ diversum laboris as„ signaverit opus, mox obedientes vel a suis Præpositis „ ordinari assignatum laboris opus cum taciturnitate sem„ per exerceant;) Sanctus Benedictus Abbas Anianensis in consuetudinibus quas in monasteriis a se institutis observari fecit, Priori, T. 4. Anal. „ (Exeundum „ *inquit*, ad opus quod præcipitur a Priore.) Similiter & Cistercienses L. Us. 75. „ (Prior, residens in „ auditorio ordinet laborem suum;) eo tamen impedito, Subpriori aut alteri id muneris committunt: [Quod si „ aliqua gravi necessitate impediente tabulam pulsare, &

„ labo-

„ laborem, sicut dictum est, ordinare non poterit, Subprior vel cui injunctum fuerit, idem faciat; signo, si potest, universa ordinans, quod si signo non potuerit, verbum faciat omnino breviatum & de labore tantum.)

VIII. Injuncto distributoque labore, ferramenta aliaque id genus instrumenta ad suas operas idonea accipiebant; & quidem a Priore ex Regula Pauli & Stephani c. 35. „ (Euntes in quodcumque opus, ferramenta necessaria, is qui inter ipsos vadit *Prior*, a custode ferramentorum manu eadem numerata suscipiet, & uni de minoribus ex his qui cum eo ituri sunt, quem ad hoc idoneum viderit, custodienda consignet;) & ex libro Usuum Cisterc. c. 75. „ (Ferramenta & alia instrumenta ad laborem necessaria Prior dividat prout viderit expedire.)

IX. Sumptis ferramentis, ad locum labori destinatum prompti convolabant, & quidem praeeunte Priore, ut praescribit Regula S. Pachomii Abbatis art. 58. novae edit. art. 59. „ (Si signum datum fuerit, ut egrediantur ad opus, Praepositus antecedet eos;) & iterum: „ (Cumque universae domus in unum fuerint congregatae, prioris domus Praepositus omnes antecedet;) & liber Usuum Cisterc. c. 70. „ (Exeuntes autem sequantur Priorem vel quem Prior jusserit) quibus accedunt Bursfeldenses in ceremoniali dist. 3. c. 9.

X. Pergebant autem bini aut singuli, summum servantes interea silentium, aut certe psalmos recitantes: Ita S. Pachomius in Regula art. 59. nov. edit. „ (Pergent juxta ordinem domorum & hominum singulorum, nec loquentur mutuo; sed unusquisque de Scripturis aliquid meditabitur. Si forte eis aliquis occurrerit, & voluerit cum aliquo eorum loqui, janitor Monasterii qui huic operi delegatus fuerit, occurret & respondebit ei, eoque utentur nuntio; si janitor coram non fuerit, Praepositus domus, vel alius cui hoc fuerit injunctum, occurrentibus respondebit;) S. Fructuosus Bracarensis Episcopus c. 6. „ (Ad opere cum egressuri sunt, orationem facturi invicem conveniant, qua expleta incipiat Praepositus psalmum, & sic recitantes pergant ad operationem.] Antiquior Ordo conversationis Monasticae c. 4. „ (Vadant omnes simul aut separatim ad opus injunctum sibi, custodientes silentium decantent psalmos, aut *Pater noster*, aut bini, aut singuli juxta quod congruum est, nihil aliud loquentes, nisi forte de ipsa arte necessarium fuerit dicere, quod dicatur caute;) quae quidem verba in sua ad Canonicos Regula c. 19. exscribit Crodegangus Episcopus Mettensis, addens & illud: „ [Et quando inceperit opus suum, dicant *Benedictus es Domine Deus qui adjuvisti me & consolatus es me, Amen. Misereatur nostri omnipotens Deus. Amen.*) Tom. 1. Spicileg. Antiquae Farfensis monasterii consuet. „ (Eant cantantes pariter omnes, ut nullus sit excusatus etiam Cellerarius, usque ad locum laboris.) Cluniacensium ritus describit S. Udalricus in antiquis consuetudinibus Cluniac. Monasterii l. 1. c. 30. his verbis: „ (Qualiter autem fiat labor manuum, ut hoc etiam digeram; in die quo agendum est, illico ut fratres surrexerint factis orationibus, lignum pulsatur ad Primam, quam aliis psalmis intermissis sola sequitur letania missaque matutinalis; capitulum quoque plus correptius, quam in aliis diebus, nec cum psalmodia, ut moris est, itur ad Sanctam Mariam; sed percusse tabula, & praemisso *Benedicite*, Domnus Abbas pronunciat *Eamus ad opus manuum*; Imponitur psalmodia, quae post Primam est intermissa, incedunt cum processione, ita ut pueri sint primi. Priores novissimi; cum ventum fuerit ad locum operandi, versi omnes ad Orientem per ordinem consistunt, ad finem unius psalmi faciunt ante & retro, & Domno Abbate pronunciente tunc dicunt hunc versum: *Deus in adjutorium*, &c. &c. sequitur *Kyrie eleison*: *Pater noster* versus *Adjutorium nostrum*. Facta rursus inclinatione incipiunt operari.) His nonnulla supplenda sunt ex MS. consuetudinibus ejusdem monasterii, & ex Benignianis c. 33. in quibus indicitur labor faciendus in horto, tabula quinquies percutiatur, ut Hebdomadarius sequatur infantes, ut cum pervenerint ad locum laboris, versis omnibus ad orientem medius inter eos Prior consistet, ut ad *Gloria Patri* quod post versum *Deus in adjutorium* dicitur, super genua inclinentur. Antiquae Germaniae consuetudines MS. ita habent: „ (Post capitulum pulsentur tabulae, Priorque dicit *Benedicite*, & vadunt pariter ad obedientiam: & antequam incipiant operari, dicunt versum *Deus in adjutorium* tribus vicibus, adjecto *Pater noster*, cum versu *Adjutorium nostrum*.) Et haec de tempore quod ipsum manuum laborem praecedit.

XI. Quod vero tempus ipsum laboris respicit, certe aliud nihil intendebant veteres Monachi, quam ut injunctum sibi opus impigre perficerent. Laborantes autem aut psalmos decurrebant, aut mente divinis intenta omnino silebant, aut certe cum quieto aliquo in loco laborarent, librum aliquem legebant. Singulorum exempla proferamus. Quam celebre fuerit antiquis Monachis psalmos & orationes operibus admiscere, luculento Cassiani testimonio comprobatur, cum de Ægyptiis Monachis loquens lib. 3. cap. 2. haec scribit; „ [Apud illos haec officia quae Domino solvere per distinctionem horarum, & temporis intervalla cum admonitione compulsoris adigimur, per totum diei spatium jugiter cum operis adjectione spontanee celebrantur. Ita namque ab eis incessanter operatio manuum privatim per cellas exercetur, ut psalmorum quoque, vel caeterarum scripturarum meditatio numquam penitus omittatur, cui preces & orationes per singula momenta miscentes, in his officiis quae nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumunt.

XII. Quod de Ægyptiis narrat Cassianus, id suis praescribit S. Basilius, Reg. fus. c. 37. „ (Dum manus ad operandum movetur, lingua etiam quandoque, si fieri potest, quod sane utilius esset ad fidei aedificationem, similius, vel corde saltem in psalmis, hymnis, & odis spiritualibus, sicut scriptum est *Laudetur Deus*, & precationes inter operandum absolvantur; ut hoc pacto, & gratias agamus ei qui manibus operandi facultatem, & menti sapientiam ad percipiendam operandi scientiam, & materiam largitus est tam instrumentorum quem eorum in quae se extendent artificia;] & Regulae Tarnatensis c. 8. (Arator stivam tenens alleluja cantet, sudans messor psalmis se avocet, & dum palmitem curvum tondet vinitor falce, aliquid Davidicum canat.) Idipsum de Bethleemiticis Monachis refert Hieronymus ep. 78. cujus verba describit Regulae istius author; & S. Isidorus l. 2. de Eccles. offic. c. 15. de Monachis loquens „ (Canunt autem psalmos manibus operantes, & ipsum laborem tanquam divino celeumate consolantur.)

XIII. Eumdem hunc morem laudat & approbat S. Augustinus in libro de opere Monachorum: „ (Cantica divina cantare, *inquit*, etiam manibus operantes facile possunt & ipsum laborem tanquam divino celeumate consolari. An ignoramus opifices, quibus vanitatibus & plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda, & linguas suas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem, in lege Domini meditari, & psallere nomini Altissimi? ita sane ut ad illa discenda quae memoriter recolat, habeat seposita tempora.) His omnibus accedit regula cujusdam ad Virgines quae sic habet c. 12. „ (Illud inter omnia vel Abbatissa si praesens fuerit coerceat, aut Praeposita quae ejus vice relinquitur, ut nullam penitus Monacham fabulis otiosis, praeter necessariam interrogationem, vacare permittat; sed in ipso opere manuum operis Dei recordatio teneatur, id est ut dum exterius per temporalem opportunitatem manus operibus occupantur, interius mens cum linguae meditatione psalmorum ac scripturarum recordationis dulcescat; ac si violatrix hujus Regulae fabulatione delectetur, silentii poena castigetur.)

XIV. Tam piam tamque laudabilem apud antiquiores Monachos consuetudinem ad nostros etiam transiisse manifestum est. S. Cuthbertus Lindisfarnensis primo Praepositus deinde Episcopus „ (inter psallendum operabatur manibus] teste Beda in ejus vit. c. 16. saec. 2. Bened. pag. 893. Idem de SS. Harlinde & Reinule Abbatissis scribit Anony. in earum vit. n. 11. saec. 3. part. 1. p. 659. Idem de Ramesiensis Monasterii in Anglia Monachis chronic. ejusdem Monasterii 2. par. c. 27. De discipulis S. Benedicti Abbatis Anianensis res explorata est, teste Ardone vitae illius scriptore, n. 32. saec. 4. B. „ (Nec laborantium quis perstrepere audebat: sed manus opere, linguae occupabantur psalmodiis; euntium enim, & redeuntium, ac laborantium ora divinis meditationibus erant intenta;) & in consuetudinibus quas in Monasteriis a se institutis idem Benedictus observari voluit, To. 4. Anal. „ (Post lectionem autem capituli exeundum est ad opus, quod praecipitur a Priore cum summa cautela in modulatione psalmorum, vel spiritualium rerum collocutionibus, ne verba otiosa subripiant; ut juxta regularem authoritatem usque ad interrogationem non loquatur.) Distinctius S. Dunstanus faciendas preces designat his verbis, in conc. c. 5. „ (Tunc cum decantatione canonici cursus, & psalterii operentur quod eis injungitur; & MS. Germaniae consuetudines num. 33. „ (Primitus cantant quinque psalmos pro defunctis, qui quo-

„ quotidie post capitulum psallantur, idest *Verba mea: Domine ne in furore tuo: Dilexi quoniam. Credidi: De profundis: Pater noster* cum precibus, & oratione. Post hos vero incipiunt Romanum cursum per ordinem. Quo completo psalterium per totum, si tantum spatium temporis habent; & de Cluniacensibus Udalricus l. 1. c. 30. „ (Hæc autem psalmodia quæ cantatur inter operandum: Primum quæ remansit post Primam, & post capitulum: Postea omnes Regulares horæ more Canonicorum a Prima incipientes, inter cujus etiam preces subjungitur etiam psalmus quintus, & (*a*) septem psalmi per horas divisi, tres qui remanent, tunc inter preces Completorii dicuntur, & Completorium ipsum præcedunt; vesperi pro fidelibus defunctis adnectuntur psalmi, qui solent dici pro familiaribus post Tertiam & post duas horas quæ sequuntur. Si visum fuerit Domno Abbati, ut amplius operentur; ampliatur quod psalmodia de psalmo *Ad Dominum cum tribularer* usque ad finem psalterii, & tunc etiam a principio *Gloria Patri* &c. post tres psalmos interposito.] Eadem habent Divionenses S. Benigni consuetudines c. 33. Tandem de primis S. Stephani postea Abbatis Obazinensis Discipulis in ejus vit. n. 15. t. 4. Misc. Baluz. „ (Providebatur omnino, ne aut lectio refectioni, aut labori manuum psalmi deessent.)

XV. Aliis magis placuit omnino silere: sic S. Pachomius in Reg. art. 35. „ (Operantes nihil loquantur sæculare, sed aut meditabuntur ea quæ sancta sunt, aut certe silebunt.) Regula incerti authoris cap. 4. „ (Sedentes ad opera taceant, nisi forte necessitas operum exegerit, ut loquatur quis.) Regula S. Fructuosi Bracarensis Episcopi cap. 6. „ (Cum operantur, non inter se fabulas vel cachinnos conferant sive luxurientur; sed operantes intra se recitent taciti: Illi vero qui pausant aut psallunt aliquid, aut recitent pariter, aut certe sileant.) Regula Magistri cap. 50. „ (Assignatum laboris opus cum taciturnitate semper exerceant.) Addit tamen postea „ (Psalmos meditari, vel scripturas recensere, vel de Deo aliquid loqui dumtaxat in absentia Abbatis, humiliter tamen & lenta, quamvis in illa hora fratres licentiam habeant.) Sed neque Cistercienses nostros aliquid loquutos fuisse, aut decantasse laborando legimus; de Sancto Alberico post S. Robertum primo Abbate solum hæc scribit Chrysostomus Herinquex. „ (Dum vero operi esset intentus, ne forte spiritus otio vacaret psalterium Davidis inter manus sumens, crebro ex intimis cordis penetralibus suspirio, frequentibusque piæ mentis orationibus cælos penetrabat] in ejus vit. n. 3. apud Boll. Jan. 26. Nonnulli etiam inter laborandum lectionem adhibuerunt: eam a Sexta ad Nonam præscribit Magister c. 50. his verbis: „ (Mox ergo ut a Sexta exierint, revertentes ad loca sua suum perficiant opus, & in quo opere semper majore fratrum laborantium exhibente cujusvis codicis lectio quotidie ab uno literato legatur; ideo enim ordinavimus quotidie laborantibus legi, ut cum a malis taceamus, de bonis audimus & loquimur, numquam peccemus. Ipse namque frater legat, quem Abbas per aliquam impossibilitatem necessitatis, non posse laborare agnoverit.] Regula S. Cæsarii ad Virgines c. 18. „ (Reliquis vero in unum operantibus una de sororibus usque ad Tertiam legat; de reliquo meditatio verbi Dei & oratio de corde non cesset.) Quæ verba sua item ad Virgines Regulæ c. 20. inseruit S. Donatus. Idem etiam exhortantur Cassinenses, præscribuntque nostræ Declarationes ad Reg. c. 48. Absoluto finitoque labore statim instrumenta Custodi aut Priori reddebant: Regula S. Pachomii art. 66. nov. edit. „ (Cum ad domos suas pervenerint, ferramenta, quibus opus fecerunt, & gallicas tradent ei, qui secundus est post Præpositum domus; & ille inferet ea vespere in cellulam separatam ibique concludet.] Regula Pauli & Stephani c. 35. „ (Opere completo ab ipso suscipiente ipse recipiat ferramenta, & Custodi contradat: ut nihil depereat oblivione solita & negligentia plurimorum.) Liber Usuum Cisterc. c. 75. „ (Revertentes autem de ipso labore ponunt instrumenta quæ detulerant, ubi ad laborem præparari solent, aut Priori reddant, exceptis forcipibus, sarculis, furcis, rastris, & facillis quæ per totum tempus tonsionis, sarculationis, secationis, vel messionis unusquisque sua circa lectum custodire solet.)

XVI. Deinde decano opus deferebant, testante S. Hieronymo ep. 22. „ (Opus diei statutum est *quod Decano creditum* fertur ad Oeconomum, qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddit rationem.) Et S. Augustino l. de mor. Eccles. c. 3. „ [Operantur ea quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens impediri non possit; opus autem suum tradunt eis, quos Decanos vocant: [Quæ verba S. Isidorus transcripsit in l. 2. de Eccles. offic. c. 15. ubi de Monachis. In regula vero „ (Quæcumque, *inquit*, operantur Monachi manibus suis, Præposito deferant; Præpositus autem Principi Monachorum.] Ita etiam S. Gerasimi discipuli „ [laborem manuum suarum, qui ab eis factus fuerat, Sabbato ferebant in Cœnobium] ut scribit Cyr. in vit. S. Euthymii n. 90. apud Boll. 20. Januar.

XVII. Tandem ut unde cœperant, inde quoque finirent absolverentque laborem, oratione terminum imponebant operi: „ (Nam ipsum laboris opus terrenum, *inquit Magister*, aut cujusvis artis cum inchoant, oratione præcedente incipient, eadem semper & finiant.] Regula cujusdam ad Virgines cap. 50. „ [Quando vero finitur opus, istud dicatur capitulum *Benedicat nos Deus, Deus noster, & Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*) Regula MS. incerti authoris cap. 31. „ (Peractum autem opus secundum authoritatem S. Benedicti, dic ante altare Christi: *Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me, & consolatus es me.*) Antiquæ Germaniæ consuetudines MS. n. 33. „ (Facto etiam primo signo horæ Sextæ disjungunt ab opere, versumque cantant *Benedictus es Domine Deus*, qui tribus vicibus cum *Gloria: Pater noster: Adjutorium nostrum*; exinde intrantes oratorium &c.] De Cluniacensibus audiendus est Udalricus l. 1. c. 30. „ (Postea Domnus Abbas cum primum voluerit, innuit fratribus ab opere cessare, & ad se magis appropiare; jubet ut aliquid legatur, citius tamen finiendum, quia ipse facturus est inde sermonem loquens aliquid tale, maxime de vita Patrum, quod ædificet audientes. Quo finito, iterum imposita psalmodia, revertuntur; quam & pueri cum primum claustri limen attigerint, altiore voce, levant, nec prius in capitulo consistunt, quam conventus ante capitulum, Domno Abbate pronuntiante Versum *Adjutorium*, faciunt conversi ante & retro, & iterum præmisso *Benedicite*, accipiunt licentiam loquendi.) Iterum vero post Nonam ad opus revertentes, laborando canebant psalmos familiares, quos ex consuetudine post Vesperas dicere solebant, Vesperas de omnibus sanctis, & de defunctis, officium pro defunctis absque matutinis Laudibus, *Deus auribus*, & *Verba mea*; deinde psalmodiam ab eo loco quo eam intermiserant mane. Finito autem labore revertebantur „ (& postquam reversi fuerint, *inquit Udalricus*, ea vice sermo fieri solet in claustro, a quo esurgentes, & facientes ante & retro, Domno Abbate ex toto pronuntiante, iterum dicunt hunc versum: *Benedictus es Domine Deus*; & sequitur: *Kyrie eleison*, cum familiari appenditio; & novissime versus: *Adjutorium nostrum*, & facto ante & retro datur licentia loquendi) quam loquendi licentiam eis indulgebat Abbas, aut Prior hoc modo: Præmisso *Benedicite*, dicebat Prior: *Levate manus, & loquimini de bono in claustro*, ex MS. consuetudinibus in quibus hæc habetur differentia, quod in eis sermo mane in claustro, sero in ipso laboris loco haberi præscribitur, e contra vero apud Udalricum. Porro fiebat hoc ritu mane in claustro, inquiunt, „ (Legit unus infantum in loco, quem Armarius magistro suo ostenderit, & idem Armarius eumdem locum Priori debet prius ostendere, ut unde sermo debet fieri, possit prævidere; qui puer quæsita atque suscepta benedictione, legit duos, aut tres versus, donec Prior ei significet facere finem, & dicto: *Tu autem*, dicit prior: *Benedicite*; Et deinde exponit fratribus lectionem, vel cui ipse præceperit. Quo facto surgunt omnes, & facientes ante & retro, Priore incipiente, tunc dicunt hunc ℣. *Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me, & consolatus es me*; sequitur *Gloria*, & *Kyrie*, & *Pater noster*, & novissime ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & facto ante & retro præcipitur eis præmisso *Benedicite*, & lotis prius manibus loquuntur in claustro.) Sero vero innuente Priore, seu Abbate, sedebant omnes sub arbore, aut alio aliquo apto in loco, & facta lectione, & inde sermone, jubente Priore iterum parum operabantur, ac finito labore revertebantur. De hac post laborem lectione, & inde sequente sermone hæc habent Farfens. Mon. cons. MS.: „ [Si duabus vicibus pergunt, ibi legatur lectio de libro, qui ad prandium legitur, si talis est, qui ædificet audientes, frater qui legit ad servitorem debet portare librum, & exponat Prior, vel cui ipse jusserit, omnibus sub silentio sedentibus . . . Post Nonam vero redeuntes in claustrum tandiu cantant pueri, qui ante procedunt ad introitum capituli, „ quousque

(*a*) MS. cons. habet (& de septem psalmis quatuor inter preces aliarum horarum divisis.

,, quousque edunentur cuncti : ex tunc residentibus ibi puer ,, petat benedictionem, & legat lectionem de libro, quod ,, ad collationem legitur, jubente Priore expleat, tum fa- ,, ciat sermonem : Deinde surgant omnes, & faciant re- ,, verentiam ; ipse Prior dicat hunc V. *Benedictus es Do-* ,, *mine Deus meus ....*) Quando semel eunt ad opere pe dits, omnia agantur sicut in mane, nisi tantum quod lectio legitur in claustrum &c. Denique laborare nolentes juxta Apostoli præceptum a convivio excludit S. Ferreolus cap. 28. ,, (Monachus absque certis solemnitatibus, vel ma- ,, nifesta ægritudine, diem sine operatione transigentem a ,, convivio decernimus excludendum, jubente beato Apo- ,, stolo, qui non laboret, non manducet .) Et infra : ,, (Quisquis ex his omnibus non elegerit, quo occupetur ,, opere, famem cum improperio sustinere contentus sit) ; sed de his satis.

CAPUT VII.

De Lectione,

I. AB operum labore nos, ut promisimus, constitimus ad lectionis quietem, de qua potissimum quatuor consideranda occurrunt ; quibus scilicet in libris veteres Monachi lectioni vacarent ; Unde & quo ritu Codices ab armario, seu bibliotheca reciperent ; quot horas lectioni impenderent, quibus denique in locis lectioni operam darent. De primo diximus in Commentario ad c. 4. secundum, & tertium expendimus ad c. 48. quartum hic breviter expono.

II. Etsi de loco, ubi lectio facienda sit, taceat S. Benedictus, qui etiam Circatores institui voluit, quos plane circuire Monasterium, cum fratres lectioni vacant, necesse non foret, si omnes uno legerent in loco ; facile enim adverti possent absentes : quo argumento ,, (liqui- ,, do constat, *inquit Menardus not. in conc. Reg.* c. 55. ,, §. 1. fratres non simul in certo quodam loco legere so- ,, litos ; sed habuisse cellas per Monasterium sparsas, in ,, quibus lectioni vacarent, operi, orationi peculiari, ,, quod satis liquet ex Beda l. 4. hist. Angl. c. 25. ubi ,, agit de Monasterii Coludiani incendio : nam & domun- ,, culæ, quæ ad orandum, vel legendum factæ erant, nunc ,, in commessationum, potationum, fabulationum, & ,, cæterarum illecebrarum cubicula conversæ.) Ex S. Isidore qui quamvis cap. 13. Regulæ statuit, ut omnes fratres in uno conclavi dormiant, tamen cap. 1. cellulas fratribus assignat : ,, (Cellulæ, *inquit*, fratribus ju- ,, xta Ecclesiam constituantur, ut possint properare quan- ,, tocius ad officium ;) & ex S. Fructuoso Episcopo Bracarensi, qui cap. 6. regulæ suæ statuit, ut ,, (perfectæ ,, ætatis Monachi habeant cellas, junioribus cum suis ,, Decanis lectioni, & recitationi vacantibus, & si ve- ,, lit omnes uno loco pausare ;) ipse etiam S. Benedictus cellam habebat in qua orabat, ut videtur lib. 2. dialog. S. Greg. cap. 11. ,, (Præcepitque vir Dei, sta- ,, tim eum in cella sua in psiatho, quo orare solebat, pro- ,, jici ;) quod confirmare videtur Hildemarus infra citandus, com. in Reg. S. Ben. cap. 48. improbans lectionem ,, (sigillatim per cubicula, aut in dormitorio fieri,) & vita S. Wandregisili ex Monacho Romanensi, seu Monasterii nunc S. Claudii, postea Fontanellensis Abbatis n. 11. sæc. 2. p. 530. ,, (Quadam nocte cum oratione devotis- ,, sime in cella sua perduraret.) Nimirum cum adhuc Monachus Romanensis esset. Tamen communis postea ordinis usus obtinuit ; ut sicut certis horis occupari debent fratres in lectione divina, certo etiam eidem vacarent in loco, a quo abesse lectionis tempore nemini licitum esset ; quare capitulum 5. Monachorum ad Augiam directorum sæc. 4. Bened. part. 1. in app. ,, (nullos, *inquit*, omnino ,, fratrum, dum lectioni fratres vacant, sit excusatus a le- ,, ctione, quin omnes ibidem sint præsentes una cum Pa- ,, tre Monasterii ;) & consuetudines, quas S. Benedictus Abbas Anianensis in Monasteriis a se institutis observari fecit, Tom. 4. Analect. ,, (Conveniantur ad lectionem ,, in locum deputatum ab omnibus, exceptis his, qui va- ,, siis officiis deputantur &c.) Idem etiam præscripsisse videtur S. Fructuos. in regul. c. 3. Quatuor autem maxime loca a nostris lectioni deputata reperio.

III. Primo enim in ecclesia lectioni vacasse docent capitula Monachorum ad Augiam directorum c. 8. ,, (mox ,, ad ecclesiam cum festinatione solent occurrere, ibique ,, oratione facta, sedentes *legunt* vel orant ;) statuta Lanfranci c. 1. §. 5. ,, (alii vero fratres interim in choro ,, sedeant, & qui voluerint, legant.) Udalricus in antiquis Clun. consuetudinibus l. 1. c. 58. ,, (Pulsato signo ,, ad Tertiam, & oratione facta, sedent in choro le- ,, gentes ;) & iterum l. 3. c. 18. ,, (Si forte contige- ,, rit, quod ad horam refectionis panis, aut aliud quod non ,, sit coctum ; pertinet quoque ad cellerarium, ut anferat ,, malleum, ne cymbalum percuti possit, & interim fratres ,, sedent in choro ad lectionem.) Et ante hæc omnia S. Columbanus Abbas in atrio ecclesiæ librum legens inventus scribitur apud Jonam in vita S. Columbani n. 35. sæc. 2. Bened.

IV. Secundus locus lectioni deputatus claustrum fuit : Antiquus Ordo conversationis Monasticæ c. 9. ,, (Cæteris ,, horis lectioni vacent, & si fieri possit in uno loco, aut ,, in claustro sedeant.) Hildemarus in MS. commentario super Regulam S. Benedicti ad c. 48. ,, (Fratres enim ,, lectioni vacant, illo modo debent vacare : iste, qui sunt ,, sub custodia, debent insimul legere cum magistris suis ; ,, cæteri vero in claustro non singillatim per cubicula aut ,, in dormitorio ; sed sicut dixi in claustro.) Concordia Dunstani c. 5. ,, (Tertia vero peracta, & Missa subse- ,, quente celebrata, uti Regula præcipit, sedentes in claustro ,, vacent lectioni.] Udalricus in antiquis consuet. Cluniacensis Monasterii l. 1. c. 18. ,, (Post Missam sedent ,, in claustro iterum legentes cum magna disciplina & si- ,, lentio ;) & iterum l. 1. c. 27. ,, (Post capitulum sedent ,, omnes in claustro ad lectionem.) Petrus Blesensis serm. 25. ,, (Inde est quod in claustro conventuum quatuor loca ,, cum propriis deputantur officiis ; in latere claustri oc- ,, cidentali est Scholaris subjectio ; in eo quod contingit ec- ,, clesiam lectio moralis ; ad orientalem in capitulo, cor- ,, rectio materialis.) Liber Usuum Cisterciensium c. 71. ,, (Qui vero in claustro sederint, religiose se habent, ,, singuli in singulos libros legentes.) Denique S. Bernardus ser. 47. in Cant. ,, (Quæ foris paulo ante in claustro ,, sedentes in codicibus legeretis.) Quare non ita obvia cunctis erant olim claustra, ut modo cum magno animi dolore cernimus, neque ita aperta ; sed undique vitro clausa, a quibus non recedebat Hebdomadarius, ut ex MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis liquet ; Unde etiam inter reformatoria statuta anno 1303. in capitulo congregato in Monasterio S. Germani a Pratis ad reformationem nidinis nostri facta decernitur, ut ,, (Hebdomadarii per ,, totam hebdomadam non exeant claustrum ; sed conven- ,, tum teneant, sicuti moris est ab antiquo ;) quod tamen de omnibus exercitiis intelligo.

V. Tertio legebant in capitulo, & maxime hyemis tempore, quo propter aeris intemperiem, & frigoris molestiam in claustro remanere difficillimum erat. Liber Usuum Cisterc. docens qualiter post vigilias agere deberent Monachi ,, (Post vigilias, *inquit c. 47.* vel post Offi- ,, cium defunctorum, si dicendum fuerit, accenso lumi- ,, ne a servitore ecclesiæ ante armarium, & in capitulo, ,, sedeant fratres in ipso capitulo, & legant qui volue- ,, rint, nec sedeant in angulis nisi legentes, qui taliter ha- ,, beant capitia in capitibus, ut possit agnosci si dormiant ,, an non ;) & Bohertus in t. super Regulam S. Benedicti Commentario in c. 48. ,, (Habet consuetudo, quod fra- ,, tres horis lectionis non sint per cellas, vel alia loca se- ,, parata ; sed quod sint in uno loco, puta in capitulo, vel claustro.)

VI. Quarto sub Sancto Philiberto Abbate legebant in dormitorio Gemeticenses nostri, ut patet ex ejus Vit. n. 7. ubi de dormitorio sic scribitur sæc. 2. ,, (Singula per lecta ,, lux radiat per fenestras, vitrum penetrans lychnus fovet ,, aspectus legentis ;) & Bursfeldenses, quorum in ceremoniali decernitur dist. 3. c. 22. ut ,, [in dormitorio ,, fratrum ita lecti sint dispositi, ut non minus quatuor aut ,, quinque pedum latitudinis spatium sit circa singulos le- ,, ctos, a lateribus invicem interstitiis separatos, & ha- ,, bentes singuli lumen a retro, quatenus sicut dormitioni ,, vel meditationi, ita & pro tempore *lectioni*, loca sin- ,, gulorum conveniant.]

VII. Præterea æstatis tempore cum meridiano somno indulgere licitum esset, poterant in suis lectis legere, ut vidimus in Comment. ad c. 48. Restat ut circa lectionem ipsam nonnulla breviter observemus. Primo antequam lectioni se darent, aliquam semper præmittebant orationem : S. Fructuosus Bracarensis Episcopus c. 3. ,, (Mox ut ad ,, locum consuetæ meditationis (idest lectionis, quam me- ,, ditationis nomine veteres frequenter appellabant) per- ,, venerint, ternos secitent psalmos, & orationem ex in- ,, tegro finientes, meditentur usque ad ortum solis.) Regula MS. incerti Authoris cap. 10. ,, (Cum aperueris ,, codicem, priusquam incipies legere, dicere te oportet ,, illud Davidicum tertio secundum authoritatem cujusdam ,, Patris : *Domine labia mea aperies, & os meum annun-* ,, *tiabit laudem tuam* ; & *Da mihi intellectum, & scru-* ,, *tabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo* ;

,, & tunc

„ & tunc lectio cum compunctione cordis incipienda est. „ Peracta autem lectione, dicere te oportet: *Confitebor tibi* „ *Domine in directione cordis, in eo quod didici judicia* „ *justitiæ tuæ, eructabunt labia mea*, usque *quoniam man-* „ *data tua elegi*.]

VIII. Secundo qui variis erant officiis deputati, hujusmodi lectionibus non tenebantur cum aliis interesse, nisi per otium sibi liceret; quod tamen eorum conscientiæ relinquebatur; cæteri vero sub summo silentio attenti legebant. Ita præscribunt antiquæ consuet. S. Benedicti Abbatis Anianensis Tom. 4. Analect. „ (Post opus, & Tertiam, & Missam, pleniter conveniatur ad lectionem in „ locum deputatum ab omnibus, excepto his qui variis „ officiis deputantur; sed de his qui possunt, occurrant, „ quorum conscientia sibi testis est, utrum possint, custo- „ dito summo silentio in intentione lectionis, nisi jubeat „ Prior alicui doctiori minus doctis fratribus, vel doctri- „ na indigentibus lectionem tradere, de cujus moribus se- „ curus fit.)

IX. Tertio Cistercienses tempore lectionis permittebant orationis caussa in ecclesiam sedere, ut colligitur ex lib. Usu. c. 71; præterea his qui minus erant in cantu periti in Antiphonariis, Hymnariis, Gradualibus, cantare; Lectoribus refectionis & collationis prævidere lectiones, quas auscultabat Cantor, aut alius ab ipso monitus.

X. Quarto „ (quod si aliquis necesse habuerit diverte- „ re alicubi, addit *liber Usuum Cistert. loc. cit.*, librum „ suum in armario reponat, aut si in sede sua eum di- „ mittere voluerit, faciat signum fratri juxta sedenti, ut „ illum custodiat.] Ex Regula S. Isidori c. 9. libros vespere Custodi redebant, eosdem sequenti mane ab eo recepturi: „ (Omnes codices, *inquit*, Custos sacrarii habeat „ deputatos, a quo singulos singuli fratres accipiant, quos „ prudenter lectos vel habitos semper post vesperam red- „ dent. Prima autem hora codices singulis diebus petan- „ tur, qui vero ante vel tardius petierit, non est dandum „ illi. Hic vides quanta cura, quanta reverentia erga libros fuerit Monachorum: Adde quod ajunt Statuta Guigonis c. 28. cum de Cellæ utensilibus: „ (Adhuc etiam „ libros ad legendum de Armario accipit duos, quibus „ omnem diligentiam curamque adhibere jubetur, ne fu- „ mo, ne pulvere, vel alia qualibet sorde maculentur; „ libros quippe tamquam sempiternum animarum nostra- „ rum cibum cautissime custodiri & studiosissime volu- „ mus fieri, ut quod ore non possumus, Dei verbum ma- „ nibus prædicemus.) Postrema hæc Guigonis verba in memoriam revocant ea, quæ scribit Hariulfus in Chronic. Centul. l. 3. c. 3. ubi recensitis Monasterii sui libris, sic exclamat Spicil. Tom. 4. „ (Hæ ergo divitiæ claustrales, „ hæ sunt opulentiæ, cælestis vitæ dulcedine animam sa- „ ginantes, per quas in Centulensibus impleta est salubris „ illa sententia: *Ama scientiam scripturarum & vitia non* „ *amabis*.)

CAPUT VIII.

De Tertia, Sexta & Nona.

I. QUam supra de aliis canonicis horis tractantes observavimus methodum, eadem & hoc capite tenere animus est, referentes nempe, quas & quot ad has horas Tertiam, scilicet, Sextam, & Nonam veteres Monachi decantarent preces; deinde quas a nostris ad præscriptum a Sancto Patre Benedicto officium superadditas comperimus; Tum denique ritus, si speciales aliqui præter relatos supra capite 2. ad has horas spectantes occurrant.

II. Tertiæ, Sextæ, Nonæque officium omnibus fere priscis Monachis notum celebreque extitit, ex quibus tamen unicam Nonam Tabennensiotæ, seu Pachomiani celebrasse leguntur apud Palladium in hist. Laus. l. 3. c. 2. solam Tertiam, idque Dominicis Sabbatisque duntaxat Ægyptii apud Cassianum l. 2. nu. 2., aliter tamen per alias provincias ubi, eodem Cassiano teste, erant „ (quibus in „ ipsis quoque divinis orationum officiis, idest Tertia, „ Sexta, Nonaque, id visum est, ut secundum horarum „ modum, in quibus hæc Domino redduntur, obsequia, „ psalmorum etiam & orationum pariterent numerum coæ- „ quandum;) hoc est, ut explicat Gazæus in Comment. ad hunc locum, ut „ (hora Tertia tres psalmos, Sexta „ sex, Nonaque novem persolverent, quod proprie est ho- „ rarum & psalmorum numerum exæquare.) *Addit Cassianus*: „ (nonnullis placuit senarium numerum singulis „ diei conventibus deputari.)

III. De Palestinæ vero, ac Mesopotamiæ, totiusque Orientis Monachis alibi sic loquitur l. 3. c. 2. „ (Itaque „ in Palestinæ vel Mesopotamiæ Monasteriis, ac totius O- „ rientis supra dictarum horarum Tertiæ, Sextæ, Nonæ, „ solemnitates trinis psalmis quotidie finiuntur, ut & o- „ rationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur, „ & necessaria operationis officia consummans justo mo- „ deramine spiritualibus obsequiis nullatenus valeat im- „ pediri.) Quem vero psalmodiæ ordinem in suo Massiliensi Cœnobio ipse instituerit omnino nos latet.

IV. S. Cæsarius in sua ad Virgines Regula morem fere ritum psallendi maxima ex parte secundum Lirinensis Monasterii Regulam constituens, præscribit n. 58. apud Boll. 12. Jan. „ (ut quotidianis diebus ad Tertiam, Sextam, „ Nonam, seni psalmi cum antiphonis, hymnis, lectio- „ nibus, vel capitellis suis dicantur;) ubi quoad psalmorum numerum cum eis convenit, de quibus modo Cassianus.

V. Ordinem a S. Benedicto institutum sic exhibet ejus Regula cap. 17. „ (Tertia vero, Sexta, & Nona eodem ordine celebrentur (nimirum quo Prima, de „ qua supra cap. 4.) oratio, idest versus, hymni earumdem „ horarum, terni psalmi, lectio, versus, *Kyrie eleison*, & „ missæ sint. Si major congregatio fuerit, cum antipho- „ nis: si vero minor, in directum psallantur;) & sequenti capite, quo ordine psalmi dicendi sint explicans, Dominica & feria secunda sic psalmum 118. distribuit, ut assignatis ad Primam Dominicæ quatuor ejusdem psalmi capitulis, reliquis horis tam Dominicæ, quam feriæ secundæ terna capitula deputet. Reliquis vero diebus 9. psalmos quotidie repetendos, nempe a psalmo centesimo nono decimo usque ad centesimum vicesimum septimum.

VI. S. Aurelianus decessori suo S. Cæsario adhærens, psallendi ordinem Virginibus ita decernit: „ (Quotidia- „ nis diebus ad Tertiam sex psalmos dicite, antiphonam, „ hymnum *Jam surgit hora tertia*, lectionem, & capitellum „ *Fiat Domine*. Ad Sextam ipse numerus psalmorum „ tenendus: antiphona dicenda, hymnus *Jam sexta sensim volvitur*, lectio, & capitellum. Ad Nonam ille „ ordo servandus, hymnus vero *Ter hora trina volvitur.*) Idem instituit in Regula ad Monachos, excepto quod psalmos duplicat, duodecim ad singulas horas præscribens.

VII. Regula incerti Authoris apud Augustinum de numero psalmorum nihil definite decernit, sed duntaxat „ (ad Primam, *inquit c. 1.*, & Tertiam dicantur sui „ psalmi, antiphonæ duæ, lectiones duæ, simili modo ad „ Sextam & Nonam dicantur sui psalmi cum debitis Res- „ ponsoriis, & Antiphonis.

VIII. S. Columbanus omnium horarum diei cursum eodem ritu ita disponit c. 7. „ (Per diurnas terni psalmi „ horas pro operum interpositione statuti sunt a seniori- „ bus nostris cum versiculorum augmento intervenien- „ tium, pro peccatis primum nostris, deinde pro omni „ populo Christiano, deinde pro Sacerdotibus, & reliquis „ Deo consecratis sacræ plebis gradibus, postremo pro e- „ leemosynas facientibus, postea pro pace Regum, novis- „ sime pro inimicis.) Hujusmodi versiculos ad officium S. Benedicti addidere posteriores nostri, ut supra vidimus c. 4. quod ex utriusque S. Benedicti, & S. Columbani Regulæ conjunctione ortum esse satis probabile est.

IX. S. Isidorus c. 7. Tertiæ, Sextæ, Nonæque officium ita ordinat „ [In Tertia, Sexta, & Nona tres „ psalmi dicendi sunt, Responsorium unum, Lectiones ex „ veteri novoque Testamento duæ, deinde Laudes, hymnus „ atque oratio.)

X. S. Fructuosus Bracarensis Episcopus Tertiam, Sextam, Nonam cum tribus etiam psalmis persolvendas esse decernit.

XI. Similiter & Magister, in cujus Regula c. 35. sic lego: „ (Psalmi per horas supra scriptas diei, id est Primam, „ Tertiam, Sextam, Nonam terni dici debent, currente „ semper psalterio, singula responsoria, Lectionem Apo- „ stoli, Lectionem Evangelii, quam semper Abbas di- „ cat, aut si absens fuerit, Præpositi vicibus dicenti; post „ ipsam Rogus Dei. }

XII. Denique Regula cujusdam ad Monachos „ (Tres, „ *inquit*, psalmi in unoquoque conventu diei canendi „ sunt.)

XIII. Atque hæ sunt præcipuæ preces, quibus Tertiam, Sextam, Nonamque horas veteres Monachi celebrabant, nempe psalmi, hymni, lectiones, versus, responsoria, & orationes seu collectæ.

XIV. Psalmorum ternarius numerus universis Palestinæ, Mesopotamiæ, totiusque Orientis Monachis magis placuit; eumdem numerum ab his acceperunt in Occidente S. Benedictus, S. Columbanus, S. Isidorus, S. Fructuosus Episcopus Bracarensis, & Magister; eumdemque præscribit Regula cujusdam ad Monachos: Hunc numerum duplica-

vit S. Cæsarius, quod etiam alios fecisse illis in provinciis testatur Cassianus, sex has ad horas psalmos decantare volentes; totidem præscripsit Monachis Sanctus Aurelianus; at 12. a Monachis persolvi voluit ad Tertiam. Nonnulli psalmorum numerum horis exæquabant, tres ad Tertiam, sex ad Sextam, novem ad Nonam psalmos decantantes.

XV. Hymnorum meminere dumtaxat S. Cæsarius, S. Benedictus, SS. Aurelianus & Isidorus; & quidem psalmis & antiphonis subjungunt Cæsarius, Aurelianus & Isidorus; præponit vero S. Benedictus, cui & illud peculiare fuit inter omnes Monachos, quod horas canonicas a versu *Deus in adjutorium* inchoet, quem ritum ab ipso universalis Ecclesia recepit.

XVI. Lectiones nullas faciebant Orientales Monachi, saltem id non liquet; e contra Occidentales. Unicam tantummodo præscribunt S. Benedictus, S. Cæsarius, S. Aurelianus; duas Regula incerti Authoris apud Augustinum (saltem ad Tertiam) S. Isidorus & Magister; S. Isidorus unam de novo, aliam de veteri Testamento; Magister primam ex Apostolo, secundam ex Evangelio ab Abbate dicendam.

XVII. Versum unicum Lectioni subjungunt S. Benedictus, S. Cæsarius, & S. Aurelianus, plures congerit S. Columbanus, quos etiam forte responsoriorum nomine intelligunt alii.

XVIII. De collectis & orationibus diximus supra. Nunc additiones per nostros ad statutum a S. Benedicto officium factas investigemus, postquam nonnulla retulerimus, quæ nostri ante Tertiam præmittere solebant. Illud enim omitti non debet, quod in omnibus pene Ordinis nostri Monasteriis communi usu receptum fuit, ut ante Tertiam fratres diurnos calceos induerent; manus faciemque lavarent, caput pecterent tresque orationes officio præmitterent, quod ultimum, ut jam diximus, aliis horis erat commune: Ita Dunstani concordia c. 1. decernit, ne „ (Vacent fratres lectioni usque ad horam secundam „ secundum Regulæ præceptum; tunc facto signo eant, „ & se diurnalibus induant calceamentis, nullus enim „ hoc debet præsumere antequam illud audiatur signum, „ exceptis Ministris, neque tunc ab aliquo intermittatur „ sine licentia, ne præsumtione temeraria obedientiæ „ meritum lugubriter obnubilent: dehinc psalmodiis de- „ ditis facies suas, uti mos est, lavet Schola universa cum „ Magistro, & Abbate: seniores vero, prout Deus uni- „ cuique in corda eorum divino immiserit instinctu, silenter „ ac tota mentis intentione opus suum in his obsequiis, „ sicut in omnibus convenit orationibus, decorando cele- „ brent, horas canonicas, vel septem pœnitentiæ psalmos, „ vel aliud quidpiam spiritualis ad tentationem diaboli- „ cam devincendam psallendo; sicque loti veniant ad „ ecclesiam. Infantibus autem ad ecclesiam intrantibus, „ Æditus primum sonet signum, peractis tribus a pueris „ orationibus, uti prius a senioribus gestum fuerat, dispo- „ siti singuli in locis suis campana pulsare incipient ho- „ ram Tertiam.) Hactenus S. Dunstanus fuse describens, quo ritu fratres ad Tertiam se præparare deberent. Dunstano subscribunt antiquæ Germaniæ consuetudines MS. n. 33. „ (Postea sedent sic legendo usque ad horam se- „ cundam: hora secunda pulsante signum a Priore, in- „ duuntque se calceamenta levium, quem nocturnalia sunt; „ lotisque manibus ac facie, intrent oratorium, orantque „ tribus vicibus inter altaria, sicut in nocte, ut diximus, „ fecerunt: Interea primum signum horæ Tertiæ auditur, „ veniuntque in chorum præstolantes aliud, quo pulsato „ incipient Tertiam;) & statuta Lanfranci l. 1. §. 5. „ (An- „ tequam sonet signum ad apparatum Tertiæ, nullus cal- „ cies se diurnalibus suis, exceptis iis, quibus extra clau- „ strum cura obedientiæ injuncta est, & hi priusquam exe- „ ant, aliquantulum in claustro sedere debent, & expecta- „ re, ut prius infantes in Scholis suis legant. Cum appropinquaverit tempus horæ Tertiæ, pulsetur a Secretario „ modice signum minimum, quam squillam vocant, & „ statim pergant in dormitorium, & calcient se diurna- „ libus, & cutellos accipiant; deinde ad lavatorium va- „ dant, & prius levent se, & postea pectinent: dehinc „ ad ecclesiam veniant, aquam benedictam sumant, in „ chorum vadant, & incumbentes terræ infantes expe- „ ctent. Cum vero infantes loti fuerint, & se pectinere „ incœperint, pulsetur majus signum ad horam: acceden- „ tes & ipsi ad aquam benedictam in chorum veniant, & „ dimisso signo, omnes simul tres orationes faciant; qui- „ bus factis pulsetur minus signum, & canatur Ter- „ tia;) & Udalricus l. 1. consuetud. Clun. cap. 40. „ (Va- „ camus lectioni usque ad Tertiam; pulsatur scilla, & „ tunc primum diurnalibus nos calciamus, lotis manibus & „ facie, & pexo capite, imus ad Ecclesiam, & procumbendo ad orationem pueros expectamus, quibus ingredientibus pulsatur signum; facimus tres orationes, pulsatur scilla; cantatur Tertia, Missa quoque matutinali adjuncta.) His accedunt Parisienses S. Germani a Pratis consuetudines MS. fol. 50. „ (Quando tempus „ erit, calciatio pulsabitur, & ibunt in dormitorium, „ & venient lavare manus suas; & tunc pulsabitur Ter- „ tia cum una campana grossiori, & venient in chorum „ & erunt prostrati, & terminabitur *Pater noster* &c.) Ex his patet, tres, quas diximus orationes, cum prostratione factas fuisse, quod innuunt satis illa Lanfranci verba *Incumbentes terræ*; Hæc tamen omnia, quæ retulimus, æstate præstabant ante Primam, ut constat ex Udalrico l. 1. consf. Clun. c. 18. & ex MS. consuet. S. Dionysii in quibus ab octavis Pentec. ad Cal. Novemb. hæc præscribuntur: „ (mane pulsabitur sonitus, & surgant omnes, „ eant ad lavatorium, & abluant facies & manus, & „ pectant capite, & accipiant aquam benedictam, & eant „ ad Ecclesiam, & faciant orationes, deinde sedeant in „ claustro, usque ad Primam & cantent, & legant in „ audientia, ad Primam eant &c.) immo etiam hyemalibus „ diebus Dominicis, & aliis forte diebus, quibus a jejunio abstinebant, ut colligere licet ex MS. S. Germani a Pratis consuetudinibus. Ut autem ad factas ad officium a S. Benedicto institutum additiones veniamus, duos psalmos Tertiæ subjungit S. Dunstanus: „ (Post „ cujus terminum, *inquit*, dicant pro Rege, atque Re- „ gina, & benefactoribus suis psalmos: *Usquequo Domine*, & *Miserere mei Deus, miserere mei*, subsequentibus „ præscriptis collectis; deinde missam matutinalem cele- „ brent.) Dunstano concinunt antiquæ Germaniæ consuetudines MS. n. 33. statuentes, ut, „ (Cantata Tertia „ psallant duos psalmos: *Usquequo*: *Miserere mei Deus*, „ *miserere mei*, cum precibus supradictis, & exeuntes in „ capellam proximam celebrant priorem missam.) Statuta Lanfranci duorum psalmorum post Tertiam dicendorum explicite non meminerunt, sed tantum, ut „ (in- „ choato psalmo *Miserere mei Deus*, surgentes Missam „ matutinalem celebrent.)

XIX. Cluniacenses quatuor Tertiæ, totidemque Sextæ & Nonæ psalmos adjiciebant, teste U. [illegible] l. 1. Consf. Cluniac. cap. 2. Idemque observabant non tri Sandionysiani, Tullenses S. Apri, atque Beccenses; sed non semper iidem, ut patet ex Tullens. Ord. & lib. usuum Becc. ubi etiam aliquando propter aliquas festivitates psalmorum familiarium numerus minuitur. In MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis fol. 50. præscribitur, ut post Tertiam dicatur „ (Tertia Beatæ Mariæ, & duo „ psalmi familiares, & post Missa) minimum matutinalis quæ tamen æstate, ac diebus Dominicis hyeme post Primam dicebatur.

XX. Quod hic diximus de additionibus ad Tertiam, idem de iis, quæ ad Sextam Nonamque fiebant afferendum est: nimirum duo, vel 4. psalmi pro totorum consuetudine, psalmi familiares addebantur, quibus post Sextam, Letaniam subjungebant; deinde missam majorem, quam nos Conventualem appellamus: „ (Finita Sexta, *inquit* „ *Dunstanus*, canant psalmum *Deus misereatur nostri*, & „ *Domine exaudi* 1. pro Rege, Reginaque, & familiaribus, cum præscriptis collectis; sequitur litania, qua finita Cantor ad hoc more solito indutus missæ officium „ inchoet; finita missa pulsetur primum signum Nonæ, „ & agatur oratio .... Peracta Nona dicant pro Rege, „ Reginaque, & familiaribus psalmos: *Qui Regis Israel*, „ & *De profundis*, & cum prænotatis collectis; dehinc „ pergent ad mensam.) MS. Consuetudines Germaniæ n. 33. „ (Cantant Sextam duosque psalmos: *Deus* „ *misereatur*: *Domine exaudi*. Qua cantata vadunt ministri ad sacrarium, & induunt se, aliique fratres sedent in choro: Paratis vero ministris psallunt don „ C. & letania breviter recitata missaque celebratur ... „ & cantant Nonam, & duos psalmos post Nonam: „ *Qui Regis*: *De profundis*.) Parisienses S. Germani a Pratis consuetudines MS. post Sextam: „ (Sexta Beatæ „ Mariæ, & duo psalmi familiares, antequam incipiatur „ *Kyrie eleison*, pulsabitur una campana, & Sacerdos „ revestiet se cum suis ministris; deinde pulsabitur missa cum duabus campanis .... ad Nonam antiphona „ &c. ... & postea de Beatæ Mariæ, & duo psalmi „ familiares, & post ibit conventus in refectorium.)

XXI. S. Lanfrancus nullam psalmorum facit mentionem sed letaniæ dumtaxat missæque post Sextam celebrandæ. „ (Post Sextam, *inquit*, pulsato ad missam signo, „ oratione facta, dicatur ab infante litania; sedeantur, „ qui celebraturi sunt missam.) Hanc tamen letaniam & „ mis-

missam æstate post Tertiam dicebant, atque aliis etiam forte diebus, quibus hieme jejunium relaxabatur, ut patet ex Dunstani Concord. c. 6. & ex Udalrico l. 1. consuet. Clun. cap. 18. Sed letaniam quandoque propter aliquam festivitatem, aut propter jejunium dimittebant, ut docent Consuet. Sancti Dionysii in Francia in quibus æstate præscribitur, ut „ (Post Tertiam ante missam dicatur letania „ quotidie, nisi pro aliqua festivitate, vel pro aliquo je„ junio, sicut est de Beato Joanne, & de Beato Petro, „ & de Beato Laurentio, & de Beata Maria, & de Bea„ to Dionysio, & de aliis jejuniis contingentibus dimit„ tatur.)

XXII. Hæc vero litania non erat adeo prolixa; sed multo brevior, quam ea quæ post Primam diceretur; ut discere possumus ex Udalrico in antiquis Consf. Cluniac. l. 2. c. 6. ubi sic loquitur: „ (Majorem missam in pri„ vatis diebus solet iterum letania præcenire, quæ tamen „ non est multum prolixa, tribus tantum Sanctis de sin„ gulis ordinibus nominandis.) Hanc videre est in MS. consuet. ejusdem Monasterii, ex quibus descriptam accipe prout sequitur: Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison: Sancta Maria, ora pro nobis: Sancta Dei genitrix, ora; S. Virgo Virginum, ora: S. Michael: S. Gabriel: S. Raphael: S. Johannes: S. Petre: S. Paule: S. Andrea: Sancti notantur, qui honorabiliores habentur in Patria, S. Stephane (hic duæ lineæ abrasæ sunt, quarum loco a Monacho, haud dubium Corbejensi additæ sunt hæ invocationes: S. Gentiane cum sociis: S. Sebastiane: S. Adalarde: S. Ratberte: S. Præcordi: S. Maria Magdalene: S. Felicitas: S. Balthildis.) *Hic surgunt omnes*, Omnes Sancti orate pro nobis I. I. Propitius esto, parce nobis Domine; Ab insidiis diaboli, libera nos Domine; A fulgore & tempestate, libera. *A Pascha, usque ad Festum S. Michaelis dicitur*: Per Passionem & Crucem tuam, libera; Per gloriosam Resurrectionem tuam, libera; Per admirabilem Ascensionem tuam, libera: Per gratiam Spiritus sancti Paracleti, libera: In die judicii, libera: Peccatores, te rogamus audi nos: Ut pacem nobis dones, te rogamus: Ut misericordia & pietas tua nos custodiat, te rogamus: Ut Ecclesiam tuam regere & defensare digneris, te rogamus audi nos: *Et ab oct. Paschæ, usque ad festum S. Michaelis*: Ut fructus terræ dare & conservare digneris, te rogamus. Ut nos exaudire digneris, te rogamus: Fili Dei, te rogamus audi nos I. I.: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Sequitur introitus.

CAPUT IX.

De refectione.

I. UT solitos apud antiquos Monachos ad refectionem ritus omnes faciliori methodo referamus; tria, ut supra de labore manuum, tempora expendenda sunt: nimirum ipsum quod immediate refectionem præcedit, tempus ipsum refectionis, & quod subsequitur.

II. Quod primum tempus respicit, illud ante omnia observatu dignum est, quod nonnullis in Cœnobiis adveniente refectionis tempore, antequam accederent ad mensam, omnes Monasterii fores præcludebantur: Ita S. Isidorus præcipit Reg. c. 10., ut „ (Tempore quo refe„ ctionis debitum solvitur, claustra Monasterii obserentur, „ nec ullus extraneus interesse præsumat, ne quietem fra„ ternam præsentia sua impediat.) Optima sane sanctio, qua etiam nunc observant nostri in celebri S. Udalrici Monasterio Augustæ, quemadmodum in suo Germanico itinere refert Mabillonius noster.

III. Secundo apud omnes omnino Monachos usu receptum fuit, ut statuta reficerent hora, quam prævenire, vel minimum, nefas ducebant. Hanc post Sextam æstate, post Nonam hyeme expectabant nostri in Ecclesia, ut patet ex antiquo Ordine Conversationis Monasticæ c. 21. „ (Ad horam vero refectionis post expletionem ex„ pectant in Ecclesia psallentes in choro, cum audierint „ cimbalum, ordinate & sine ullo strepitu festinent lotis „ manibus introire refectorium;) ex Capitulo 28. Monachorum Sangallensium in append. ad sæc. 4. Ben. part. 1. „ (Ut post omnes cursus, quando ad refectorium ire „ oportet, in Ecclesia illud signum, quod refectionem „ sonat, expectent, nisi quem necessitas exire compellit.) Et in capitulo 6. Monachorum ad Augiam directorum: „ (Ut in oratorio post signum Sextæ omnes in loco si„ bi deputato stantes, finita oratione, cum summa reve„ rentia expectent, dum signum Præpositus pulsaverit ad refectorium, &c.) & in capitulo 8. „ (Finita vespera, „ expectant ibidem, sicut & ad Sextam fecerunt, dum si„ gnum sonaverit ad refectorium.) Idem clarum est ex MS. Germaniæ consuetudinibus.

IV. Hunc ritum a Pachomianis accepisse nostri videntur; in Regula namque S. Pachomii ita lego: „ (Di„ missa collecta, singuli egredientes, usque ad cellulas „ suas, & usque ad vescendi locum, de Scripturis aliquid „ meditabuntur.) Hyemis tamen tempore urgente frigore, finito officio, ad ignem accedentes refectionis horam expectabant; ut discimus ex statutis S. Adalardi Abbatis Corbejensis l. 1. c. 1. Spicil. Tom. 4. „ (Si æstivum „ tempus fuerit, peractis his horis, post quas continuo in „ refectorio generaliter eundum est, oportet ut omnes „ cum silentio in Ecclesia subsistant, quo usque audito „ signo caute reverentiam Deo dantes, exeant, & cum „ præfato silentio intrantes, & residentes, & exeuntes de „ refectorio singuli ad ea, quæ tunc secundum tempus „ ratio docuerit, vel jussum fuerit, attendant: si autem „ hyems fuerit, & calefaciendi necessitas ingruerit, pro„ ut ei, qui præest, visum fuerit, sive ante, sive post „ peractum officium, aliquod intervallum fiat, quando se „ calefacere possint; sin autem in Ecclesia expectent, ut „ supra.)

V. Tertio, ubi refectionis hora advenisset, sonitu tintinnabuli, aut alicujus alterius instrumenti ad refectorium convocabantur: „ (Ad cibum non pergent, nisi generali „ sonitu convocentur,) *inquit S. Pachomius art. 90. cod. Reg.* Hoc signum pulsabat Præpositus ex supra citato capitulo 6. Monachorum ad Augiam directorum, cui concinit Lanfrancus in statutis §. 1. c. 1., „ (Cantata Nona, e„ xeant Prior ad percutiendum cimbalum, hebdomadarii „ coquinæ, & qui servituri sunt ad injuncta sibi officia;) & Bursfeldenses dist. 3. c. 18. „ (Hora adveniente Prior, „ aut ille cui injunxerit, signum pulset.) In antiquis vero Germaniæ consuetudinibus MS. n. 33. hoc officium committitur Circatori: „ (Tunc exeat Circator, & tin„ tinnabulum pulsat ad refectorium.) Pulsando autem aliquid meditari debet ex Regula S. Pachomii. „ (Qui per„ cutit ad vescendum, dum congregantur fratres, medite„ tur aliquid in percutiendo.)

VI. Quarto audito signo omnes illico convolabant in refectorium, quod intrantes superius positam crucem salutabant, ex antiquo ordine Conversationis monasticæ c. 21. „ (Sine ullo strepitu festinent lotis manibus introire „ refectorium, salutantes crucem versis vultibus ad Orien„ tem.) Quem ritum præscribunt Carthusianorum statuta, 2. par. c. 13. (Intrantes refectorium nudamus „ caput, & venientes ad sedes nostras inclinamus ad cru„ cem;) & Bursfeldenses dist. 3. cap. 18. „ (Facto „ igitur signo, fratres intrent refectorium, & ablutis ma„ nibus inclinantes versus Crucifixum, sicut in ordine suo „ dispositi ante mensas;) ubi notandum est, quod observavit Benedictus Haeftenus, not. ad ord. mon. conv. cap. 21. quia antiquo ritu Monachorum refectoria Orientem versus spectabant, eoque loci superioris mensa statuebatur, cui crucis, aut crucifixi supereminebat imago; hinc Johannes Monachus in vita Sancti Petri Damiani c. 19. de eodem scribit: „ (Hic quoque vir tulit mensam Ab„ batis (Cassinensis) quæ Occidentem versus fuerat con„ stituta, & ad Orientem posuit refectorii plagam, ubi „ videlicet imago crucifixi Domini fuerat in pariete „ per picturam expressa;) Quod confirmatur ex historia aurea Johannis ad an. 967. in qua refertur, quod mortuo Eadgaro Rege, ejectis de magnis Monasteriis Monachis, & canonicis per Magnates intrusis, coacto super hoc Wintoniæ Concilio, „ (Ibi imago crucifixi in „ capite refectorii Monachorum posita, humanas exprimens „ voces dixit; Absit hoc ut fiat, absit hoc ut fiat, ju„ dicastis bene, mutaretis non bene:) Citatur a Clemente Reynero in appendice script. 37. pag. 41., refertturque in vit. S. Dunst. n. 36. sæc. 5.

VII. Quinto congregati versum dicebant, cui ne quis deesset, summa diligentia cavebant; unde forte ad illum campanulam dependens super mensam Abbatis signum pulsabant, ut patet ex Ordine monasticæ convers. cap. 21. „ (Et cum secundo signum sonuerit ad mensam, omnes „ congregati simul dicant versum, & orationem Domini„ cam inclinato corpore.) Clarius ex antiquis consuetudinibus Germaniæ n. 33. „ (Exeat Circator, & tintinna„ bulum pulsat ad refectorium, confestimque pariter illuc „ occurrentes lavent manus, & intrant, expectantque Do„ mnum Abbatem. Illo autem intrante pulsatur signum, „ quod pendet super mensam ejus, & dicunt versum) Et ex MS. consf. S. Germani a Pratis: „ (Quando Prior ve„ niet in refectorium, omnes inclinabunt eum, & pulsabit

„ campanam, & incipiat Cantor ℣. *Oculi omnium*) De hoc versu consule Commentarium ad caput 43.

VIII. Sexto dicto versu omnes ad mensam sedebant, non quidem promiscue, & prout se se quisque exhibebat; sed unusquisque ordine suo ad mensam suam: „ (Et data benedictione, *inquit antiquus Ordo convers. mon.* a Priore, sedeant singuli ordine suo ad mensam cum summo silentio;) atque a mensa sua Abbate non jubente, transire nefas ducebant. Hinc Regula Pauli & Stephani c. 20. „ (Nullus præsumere audeat de ea mensa in qua comedere scriptus est, transire ad aliam, nec liceat cuiquam, alteram ad se de alia mensa venientem ad manducandum suscipere: sed unusquisque in mensa deputata comedat, ita ut si in mensa major pars fratrum absens fuerit, residui usque ad tres in numero ad suam sedeant: infra autem hunc numerum remanentes in alia mensa comedant secundum ordinem deputatum.) Regula S. Pachomii art. 11. „ (Cum autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis, & operient capita: statim ut tibi a majore fuerit imperatum, ut de alia mensa ad aliam transeas, ire debebis, in nullo penitus contradicens.) Deni porro ad singulas mensas considebant ex Regula S. Isidori c. 10. „ (Refectorium pariter cunctis fratribus unum erit, ad singulas mensas *deni* convescentes residebunt; reliqua turba parvulorum adsistent.) Hæc sunt præcipua, quæ tempus ipsum refectionem præcedens respiciunt, nunc quæ ad ipsam refectionem, omnibus ad mensas residentibus, spectant, investigare oportet.

IX. In primis observandus ritus in Regula Magistri præscriptus his verbis c. 23. „ (Egressa omni congregatione cum suo Pastore de oratorio, post versus, & orationem, Abbas in suæ mensæ cathedra sedeat; mox omnis congregatio respondeat: *Deo gratias*, & omnibus adhuc ad suas mensas stantibus, canister supra mensam Abbatis pendens trochleæ fune descendat, ut a cœlo videatur operariis Dei annona descendere: statim ut canister descenderit, signans universum panem Abbas, frangens & tollens sibi prius annonam suam a Domino benedicendam, alavet manum, & ponens ante stantibus ad mensam suam, his qui cum eo manducaturi sunt, erogat eis, statim ut acceperint, osculentur Abbatis manum, sedeant tacentes: Deinde vocatis omnius mensæ Præpositis, det eis totius mensæ suæ annonas, quibus dimissis, vocatis aliis tradat & ipsis, jam si Domino juvante multa fuerit congregatio, sic faciat omnibus mensis. Qui Præpositi cum annonas tam suas, quam suorum fratrum accipiunt, pro honore Majoris manus osculentur Abbatis. Item cum ipsi in suis mensis fratribus erogant, pro humilitate manus eis a fratribus osculentur, & postquam quis acceperit, sedeat tacitus. Post omnium vero sessionem lavet se Hebdomadarius lectionis mensalis, & ipse accipiens annonam suam osculetur manum dantis, & commendet eam Cellerario, & resideat in sella cum codice, donec ingrediantur hebdomadarii coquinæ cum Cellerario, & ipsi accipientes annonas suas a Præpositis suis osculentur manus eorum: simul & Cellerarius, quia sub nullius decadæ numero continetur, de manu Abbatis accipiat annonam suam, qui cum acceperit osculetur & ipse manum dantis, & ponet mensæ suæ. Mox primo Abbati, deinde omnibus simul sibi, & ultimis singulos meros porrigant. Statim euntes Hebdomadarii ministrent in primo mensæ Abbatis; deinde allata diversarum mensarum ab inferioribus fercula offerantur Abbati signanda. Sic etiam signat omne, quod apponitur, tam coctum, quam crudum in mensis. Qui signat cruce, sic dicat ore: *Benedic Domine, quidquid ex hinc accepturi sumus*, ut forte, quod non est opus, aut purgatur, ut cadet; aut illud, quod victui non proficit, sine benedictione jactetur in terra, & pedibus conculcetur, ne res benedicta videatur pati injuriam. Quæ ergo fercula signata singulas ponantur per mensas, & cum ministraverint, sedeant una cum Cellerario ad mensam Præpositi sui, & manducent cum congregatione communiter.) Quibus in verbis nonnulla notanda sunt. I. Cathedra Abbatis ad mensam sedentis. II. Canister panis fune desuper mensam Abbatis descendens. III. Ordo panis distribuendi. IV. Osculum manus porrigentis annonas. V. Benedictio ferculorum. VI. Forma ipsius benedictionis.

X. Quod vero nostros potissimum spectat, illud maxime cavebant, ne quidquam cibi corpus ante prægustaret, quam anima spiritualis lectionis alimento reficeretur, ut discimus ex antiquis Clun. consuetudinibus lib. 2. cap. 23. „ (Nihil omnino comedit, antequam lectio sit incepta;) quod etiam observabant Borsfeldenses, in quorum ceremoniali sic lego dist. 3. c. 18. „ (Fratres oppositum non attingant cibum, priusquam percepta sententia aliqua de lectione, Præsidentem attingere signo perceperint.)

XI. Secundo nihil cibi, aut potus ante D. Abbatem percipiebant, ex antiquo Ordine conversationis monasticæ c. 12. „ (Nullusque præsumat quidquam accipere cibi, aut potus ante Domnum Abbatem; ipse autem Abbas non tardet accipere.) Quod etiam in Regula Sancti Pachomii reperio art. 11. „ (Nec ante Præpositum domus tuæ manum in mensa extendas.) Similiter liber Usuum Cisterc. c. 76. „ (Incepta lectione fratres discooperiant panes, Priore tamen prius hoc faciente.)

XII. Priusquam tamen quidquam comederent Cluniacenses nostri, his qui ad missam non communicaverant, hostias distribuebant, & quidem per manus Sacerdotis: „ (Nihil omnino comedat, *inquit Udalricus l. 2. c. 23.*, nisi lectio incepta sit, & antequam de manu Sacerdotis oblatam accipiat, si tamen est privata dies, & si ipsa die non communicant.) Quonam vero ritu id fieret, explicat postea idem Udalricus his verbis l. 2. c. 30. „ (In privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in refectorio, ut his qui ea die non communicaverunt per manus Sacerdotis, distribuantur, quod hoc ordine fieri solet; ut primum tribuat de ipsis hostiis Domno Abbati, postea cum sint mensæ tres, utrimque ad dextram Domni Abbati, ad unam mensam, postea ad omnes in alia parte; & sic iterum redit ad dextram, & tribuentis manus a singulis osculatur;) in MS. etiam Germaniæ consuetudinibus num. 18. ad Hebdomadarii Presbyteri officium spectat *fratribus oblationes dare* ad mensam: At capitula Monachorum ad Augiam directorum hoc munus duobus Presbyteris committunt, decernentes cap. 7. *sæc.* 4. part. 1. „ (ut in refectorio facta benedictione veniant duo Presbyteri ad Abbatem frangentes panem, & dant ipsi eulogiam fratribus, stantes antequam accedant ad mensam.) Idem videre est in antiquis S. Benigni Divionensis consuetudinibus cap. 21. „ (Privatis diebus, *inquiunt*, exceptis his, in quibus una tantum hostia offertur, hostiæ non consecratæ in refectorium portantur ab Hebdomadario Sacrista, & dividuntur ab eo æqualiter in duobus vasculis ad hoc ipsum decenter præparatis, ut illis, qui eo die non communicaverint, per manus duorum Sacerdotum distribuantur, qui duo sunt, Hebdomadarius majoris missæ & minoris; quod hoc ordine fieri solet, ut Hebdomadarius majoris missæ incipiat ab Abbate, vel ab eo qui loco ejus sedet; deinde distribuat illis, qui sedent ad mensas, quæ sunt ad dexteram Domini Abbatis, incipiens a prioribus. Hebdomadarius quoque minoris missæ distribuat illis, qui sedent ad mensas, quæ sunt ad sinistram Domni Abbatis, similiter incipiens a prioribus, & quicumque accipit, manum ipsius a quo accepit, osculatur. Quicumque autem communionem sacram accepit, ut ventum est ad eum, cum manu reverenter signum facit, ut eat in antea: similiter & qui jam aliquid cibi prægustavit quaslibet ingruente caussa.) Hunc ritum præscripserat Aquisgranense Concilium c. 68. statuens, ut „ (eulogiæ fratribus a Presbyteris in refectorio dentur;) atque in usu ante hæc tempora, ut patet ex libello supplici Monachorum Fuldensium ad Carolum Imperatorem, in quo postulant inter alia c. 4. „ (quod communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundum exempla præcedentium Patrum.) Porro illæ oblatæ sive eulogiæ ex ipsæ erant hostiæ, quas in missa fratres obtulerant, & consecratæ non fuerant; ex oblatis enim omnibus unam aut tres, aut quinque dumtaxat consecrare solebant, reliquas reservabant in refectorium deferendas, ut discimus ex consuetudinibus S. Benigni Divionens. ubi de Sacristæ Hebdomadarii officio hæc scribuntur c. 7. „ (Hostias, quæ offerendæ sunt ad missam, ipse offerentibus cum argenteo cocleari porrigit, & in ultimo ipse quoque offert, hostias sane oblatas in duobus vasis ad hoc præparatis æqualiter partitur, quas ipse cum uno æque de sociis tacto cymbalo in refectorium defert, finitoque prandio eodem modo reportant.)

XIII. Tertio singulis ferculis singulas benedictiones dabant, ut præscribit Regula Magistri cap. 23. & Regula cujusdam ad Virgines, cujus hæc verba: „ (Quando in mensam cibus administratur, nulla prius cibum comedat, quam signum ad benedicendum insonet, Abbatissa vero vigilet, ut confestim cum cibus ministratus fuerit, signum tangere procuret, & omnes cum signum audierint, una voce benedictionem rogent, quam vocem Abbatissa subsequatur dicens: *Dominus dignetur benedicere.*

„ Hoc

„ Hoc ad omnia fercula, vel pomorum ac potus administrationem observandum est;)& antiquus Ordo convers. Monasticæ c. 11. „ (Cum autem accipit Abbas panem, dicat frater fratri: *Benedicite*, & respondeant, *Dominus*; & similiter faciant de potu cum primum biberint; de cæteris pulmentis quæ tunc in mensa sunt, non est necesse amplius benedictionem petere . . . . Postea vero quidquid pulmentarii ex coquina ministratur, qui ministrat, a novissimo incipiat, & usque ad Dominum Abbatem ministrando perveniat, & tunc sonent cymbalum tacite, & dicant fratres: *Benedicite* æqua voce & producte; data benedictione in communi expectent (sicut jam diximus) ut Abbas prius accipiat, postea singuli dicentes: *Benedicite*; & sic accipiant. Quando benedicunt cibum aut potum, aut aliud quidquam, non sedendo, sed stando benedicant;) quod etiam observasse videntur Cluniacenses ex lib. 2. Clun. Cons. c. 35. Hanc benedictionem olim in aliquibus Monasteriis dabat Oeconomus sive Cellerarius, ut patet ex vita S. Samsonis n. 16. sæc. 1. Bened., de quo scribitur quod „ (lætus admodum refectorium ingressus est, eo quod ipse Oeconomus erat hujus Monasterii, poculaque fratribus benedicens, &c.) Sed in antiquis Germaniæ consuetudinibus MS. n. 18. hoc officium pertinet ad Hebdomadarium Sacerdotem, cujus erat ad mensam „ (fratribus oblationes dare, & benedictiones cibi & potus: Deinde gratias agere:) quamquam hoc olim ad Abbatem pertinuisse videatur ex lib. 2. Dialogorum Sancti Gregorii Papæ c. 3. „ [Et cum vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti Patri *ex more Monasterii* ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu *Benedictus* signum crucis edidit.] Apud priscos Monachos ab antiquiore seu seniore. Unde Abbas Petrus Pionita excusans se cur ad senum mensam accessisset, * respondit: „ (Si vobiscum sedissem, velut *senem* fratres hortati me essent, ut primus *benedicerem*, & tanquam major vobis habitus fuissem.) Hanc benedictionem crucis signo super cibos efformato edebant: Sic S. Palemon S. Pachomii Magister cibos *Crucis Christi signo* benedicere consueverat, ut legitur in ejus vit. c. 2. apud Boll. 14. Januarii, & in Monasterio Virginum sub S. Æquitii disciplina viventium, quædam Sanctimonialis lactucam, quam *signo crucis benedicere oblita fuerat*, mordens a dæmone correpta est ex lib. Dialog. S. Greg. c. 4.

XIV. Denique Divionenses S. Benigni consuetudines c. 21. „ (Quoties Sacerdos in refectorio, *inquiunt*, sive ad primum versum prandii vel cœnæ, sive ad generale, sive ad pulmentum benedici, tres cruces facit, unam versus mensam principalem, aliam versus dextram, tertiam versus sinistram: ad potum vero quando in phiolis portatur, non nisi unam. Quando vero, ut in diebus jejunii, in justit est potus, & cum scyphis potatur, tres facit. Ad generale hanc benedictionem dat: *Largitor omnium bonorum*; ad pulmentum: *Omnipotens Dominus benedic*; & si pulmentum deest, vicissim prædicit eas; ad potum vero vicissim has dicit: *Dextera Dei omnipotentis bened. potum servorum suorum.*)

XV. Quarto sic ibi invicem ministrabant, ut nullus sibi ipsi aliquid præter sal & aquam apponere præsumeret. „ (De nullo gustat generali, *inquit Udalricus. consf. Clun. l. 2. c. 23.* priusquam benedicatur: sibi ipsi nihil umquam apponat præter sal & aquam, nisi forte generaliter serviendo veniat ad sedem suam.) Et hoc ipsum a nobis hactenus observatus. Sic porro pulmentaria ministrabant, ut a novissimo inciperent, usque dum ministrando pervenerint ad Abbatem, ex Ord. convers. Monast. c. 11. Cluniacenses tamen in administrandis fabis a principali mensa incipiebant, in serviendis oleribus a novissimo; Similiter pitantiam primum Priori, generale novissimo administrabant, ex Udalrico lib. 2. cons. Cluniac. c. 35. Alia servitorum munia hic non attigimus, utpote quæ fusius prosequuti sumus in Commentario cap. 35. sicuti quæ lectorem spectant ad cap. 38.

XVI. Quinto summum in edendo silentium, summam modestiam custodiebant adtendentes lectioni, cujus ab attentione ne præsentibus & occurrentibus objectis, vel minimum distraherentur, cucullas desuper oculos mittebant, ita ut nihil præter mensam, & appositos in ea cibos circumspicere possent: hujusmodi erant Ægyptii, de quibus Cassianus lib. 4. cap. 17. „ (Apud Ægyptios, & maxime Tabennesiotas tanta vescentibus silentii disciplina servetur, ut cucullis ultra oculorum palpebras dimissis, ne scilicet liber aspectus habeat curiosius copiam evagandi, nihil amplius intueantur quam mensam, & appositos in ea, vel quos ex ea capiunt cibos; ita ut quemadmodum vel quantum reficiat alius, nullus invicem notet.) Tales Ammonæ Abbatis discipuli numero ter mille, qui ut scribit Palladius in Lausiac. cap. 48. „ (Vulto tecto comederent, & se deorsum inclinantes, ne quis proximum comedentem aspiceret; & tantum exercerent silentium, ut viderentur esse in solitudine, unoquoque occulte peragente suum vitæ institutum; solum autem specie quadam in mensa sederent, conantes se invicem latere.) Idem satis clarum est ex Regula S. Pachomii art. 29. & 30. in editione codicis Reg. e quo non multum discrepat, quod ait Abbas Isaias orat. 3. „ (Inter vescendum oculos in proximum tuum ne conjeceris, neve respexeris huc & illuc;) & Sanctus Ephrem. tom. 3. de timor. Dei artic. 11. „ (Accumbis mensæ? ut homo comede, & ne huc illucque circumspicias velut immodestus & insolens.) Hinc etiam illud S. Pachomii in Regula: „ (Quod si quis vel loquutus fuerit, vel risserit in vescendi tempore, aget pœnitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & stabit, donec surgant alii de vescendo.)

XVII. Sexto summum præterea studebant ad mensam servare decorum, unde S. Dorotheus serm. 20. „ (Ne impudenter, *inquit*, & irreligiose manum tuam extendas, ut quæ sunt ante fratrem tuum capias;) & Isaias Abbas orat. 3. „ (Manum tuam ante te solum protende, si quid autem ante alium positum est, ad id manum injicias cave.) Huc etiam referendum est, quod præscribit liber Usuum Cisterc. c. 70. „ (Ex hinc nullus exeat de refectorio, nullus etiam incedat comedendo, nullus ibi abluat scyphum suum manu; sed liniat qui voluerit; nullus tergat manus vel cultellum ad mappulam, nisi prius terserit cum pane, qui voluerit sal accipere, cum cultello accipiat.)

XVIII. Septimo quod potum spectat, fratres ad miscendum deputatos reperio in capitulo 19. Monachorum Sangallensium, cujus hæc verba sæc. 4. Bened. part. 1. „ (Ut quatuor fratres juniores, seu quantos exposcerit necessitas, deputentur ad miscendum, qui tamen reficiantur cum cæteris;) & in capitulo 7. Monachorum ad Augiam directorum: „ (Ut autem signum Cellerarius ad potum pulsaverit benedicendum, statim octo vel decem surgunt absque ulla tarditate ad miscendum fratribus.) Cavet autem Regula SS. Pauli & Stephani c. 21. ne nimis calix impleatur: „ (Nulli liceat, *inquit*, pincernarum calicem sic implere, ut transfundatur, sed nec cuiquam liceat, ut si ei ab incautione Ministro transfundens oblatus fuerit, accipere; Sed cum moderatione implere debet, & competenter, dicente Apostolo: Omnia vestra honeste, & secundum ordinem fiant.)

XIX. Porro scyphum bibentes ambabus tenebant manibus, ut patet tum ex Udalrico, tum ex libro Usuum Cisterc. & quidem Udalricus l. 2. c. 23. „ (Minime quoque, *iste*, bibit aliquando, nisi pateram cum ambabus manibus tenendo, & numquam nisi sedendo) Liber vero Usuum Cisterc. c. 76. „ (Qui bibit, duabus manibus teneat scyphum.) Hunc priusquam acciperent, cruce signare solebant, ut docet exemplum S. Benedicti a S. Gregorio relatum l. 2. Dial. c. 3. & lib. Miraculorum S. Celsi n. 5. apud Boll. 23. Febr., ubi puer Trevirensis S. Auchari Monasterii *poculum oblitus signare*, a dæmone correptus dicitur. Hac in observantia plurimum commendabilem sed reddidit S. Wlstanus Episcopus Vigorniensis, qui ut refert Willelmus Malmesburiensis in ejus vit. n. 6. apud Boll. 19. Jan. „ (Nullius umquam personæ contuitu, nec etiam in curia Regis positus, & ad mensam ejus assidens, benedictiones, quas Angli super potum faciebant, omisit.)

XX. Denique cum S. Pater Benedictus vase vitreo usus fuisse referatur, non decet Monachos argenteis, aut aliis pretiosis uti pateris; hinc constitutiones Othobonis Legati an. 1248. editæ apud Spel. To. 2. Conc. Angl. „ (Districtius, *inquiunt*, inhibemus, ne quis Monachorum, vel Monialium, seu Canonicorum Regularium scypho argenteo vel pretiosiore in refectorio, vel in aliis locis utantur, illum quasi proprium possidendo.) Sed huic repugnat constitutioni, quod legitur in Witlaphii Regis Merciorum charta pro Monasterio Croylandensi an. 833. data apud Ingul. in hist. Croyl. „ (Offerro etiam Refectorario dicti Monasterii ad usum Præsidentis quotidie in refectorio scyphum meum deauratum, & per totam partem exteriorem barbaris vinitoribus ad dracones pugnantibus cælatum, quem crucibolum meum solitus sum vocare, quia signum crucis per transversum scyphi imprimitur interius, cum quatuor angulis simili impressione protuberantibus, & cornu mensæ meæ, ut senes „ Mona-

* A pophth. Patr. t. 1. mon. Eccl. Græc. p. 647.

„ non indigeant reficientes; sed luce adhuc diei omnia
„ consummentur. Sed & omni tempore sive cœnæ, sive
„ refectionis, hora sic temperetur, ut cum luce fiant om-
„ nia;) quod certe fieri vix potest, nisi undecima hora
completa compleatur Vespera. Regula Magistri ita habet:
„ (Prima sic debet dici pungentibus jam radiis solis, &
„ Vespera adhuc declinantibus radiis ejus;) Sed hic res-
picit hyemale tempus, nam postea subdit c. 34. „ (In
„ æstivo vero tempore adhuc altius stante sole *Lucernaria*
„ inchoentur propter breves noctes.) Nunc vero aliis
utimur legibus, vixque nonæ horæ terminus expectatur
ad inchoandas Vesperas, quas horas post meridiem tertia
ulapsa cantamus hyeme, semihora vero tardius æstate; &
tamen vix aliquas in Ecclesia reperies Congregationes
religiosas quæ, nobis propius accedant ad pristinam disci-
plinam.

X. Jam vero quod spectat ad preces ab antiquis mona-
chis in Vesperis recitatas, scribit Cassianus diversos per
diversas Provincias diversas super hac re regulas ac typos
sibi constituisse; „ (Sed per universam Ægyptum, *in-*
„ *quit l. 2. c. 3.* & Thebaidem, ubi monasteria non pro
„ uniuscujusque renuntiantis instituuntur arbitrio; sed per
„ successiones ac traditiones majorum usque in hodiernam
„ diem vel permanent, vel mansura fundantur, legitimum
„ orationum modum in vespertinis conventibus, seu no-
„ cturnis vigiliis vidimus retenteri.)

XI. Qui vero esset legitimus ille orationum modus,
exponit sequenti cap. 4. his verbis: „ (Igitur per uni-
„ versam Ægyptum & Thebaidem duodenarius psalmorum
„ numerus tam in vespertinis, quam in nocturnis so-
„ lemnitatibus custoditur; ita dumtaxat ut post hunc nu-
„ merum duæ lectiones Veteris ac Novi Testamenti sin-
„ gulæ subsequantur c. 6. ..... In die vero Sabbati vel
„ Dominico utrasque de Novo recitant Testamento, idest
„ unam de Apostolo, vel actibus Apostolorum, & aliam
„ de Evangeliis.) Præterea singulis psalmis singulas ora-
tiones interponebant ut supra vidimus ad c. 2.

XII. S. Pachomius in Regula de Vesperis ita decer-
pit art. 155. codic. Reg. „ (Per domos singulas
„ vespere sex orationes psalmosque complebunt, ju-
„ xta ordinem majoris collectæ, quæ a cunctis fratri-
„ bus in commune celebratur;) & postea art. 186.
„ (Sex orationes facere vespertinas juxta exemplum
„ majoris collectæ, ; in qua omnes fratres pariter
„ congregantur, summæ delectationis est; & ita fa-
„ cile fiunt, ut nullum onus habeant, & ex one-
„ re nascatur tædium;) hoc statutum tangunt ejus-
dem Regulæ art. 24. 121. 125. 126. quod tamen
nonnihil habet obscuritatis. Quid enim hæc sibi vo-
lunt: „ (Juxta ordinem majoris collectæ, vel juxta
„ exemplum majoris collectæ?) Forte congregabantur
quotidie in unum omnes domus sub vespere, & simul adu-
natæ sex psalmos cum orationibus totidem decurrebant,
idemque separatim singulæ per se faciebant eodem ordi-
ne quo in majori collecta, vel post generalem dimissæ col-
lectam, sex orationes cum psalmis persolvebant eodem ritu
& ordine quo plures, hoc est duodecim, in majori collecta
decantaverant. Hujusmodi sex orationes non multo ante
fecisse videntur, quam ad dormiendum se separarent ex
art. 126.

XIII. S. Cæsarius Episcopus Arelatensis neque in sua
ad Monachos Regula, neque in ea quam Sanctimonialibus
scripsit, Vespertinum officium, saltem pro diebus quoti-
dianis, satis explicat.

XIV. S. Benedictus vero duobus in locis suæ Regu-
læ Vesperarum disponit officium; primo c. 17. „ (Ves-
„ pertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis
„ terminetur, post quos psalmos Apostoli lectio recitanda
„ est, inde responsorium, Ambrosianum, versus, canti-
„ cum de Evangelio, & litania, & oratio Dominica, &
„ fiant missæ;) & cap. 18. expressius: „ (Vesperæ autem
„ quotidie quatuor psalmorum modulatione canantur. Qui
„ psalmi incipiantur a centesimo nono usque ad centesi-
„ mum quadragesimum septimum; exceptis his qui in di-
„ versis horis ex eis sequestrantur, idest a centesimo se-
„ ptimo decimo usque ad centesimum vicesimum septimum,
„ & centesimo tricesimo tertio & centesimo quadragesimo
„ secundo, reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et
„ quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt,
„ qui in numero supra scripto fortiores inveniuntur, idest
„ centesimus tricesimus octavus, & centesimus quadrage-
„ simus tertius, & centesimus quadragesimus quartus:
„ centesimus vero sextus decimus quia parvus est, cum
„ centesimo quinto decimo conjungatur. Digesto ergo
„ ordine psalmorum vespertinorum, reliqua id est lectio-
„ nes, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut
„ supra taxavimus, impleantur.) Hæc omnia postea ex-
pendemus.

XV. Sanctus Aurelianus, cui forte præiverat Sanctus
Cæsarius in sua ad Monachos regula, in ord. psalm. hæc ad
Lucernarium, sive luminum accensionem, & ad Duode-
cimam, sive Vesperas, preces assignat: „ [Ad Lucernari-
„ um omni tempore & festis & quotidianis diebus impri-
„ mis directaneus, postea antiphonæ duæ, Tertia semper
„ cum alleluja dicatur, hymnus una die: *Deus qui certis le-*
„ *gibus*, alia die: *Deus creator omnium*, & capitellum. Ad
„ duodecimam psalmos decem octo, antiphonam, & hy-
„ mnum, lectionem, & capitellum.] Idem Sanctimo-
„ nialibus præscribit.

XVI. Regula incerti authoris apud S. Augustinum non
satis explicite Vespertinum Officium decernit, sed im-
plicite tantum præscribit, ut idem ad Vesperas observetur,
quod ad Nonam: Nonæ vero officium ita instituerat cap. 1.
„ (Ad Nonam dicantur sui psalmi cum debitis responsoriis,
„ & antiphonis.) Clarius Lucernarii preces designat his
verbis: „ (Ad Lucernarium autem psalmus unus, res-
„ ponsorium unum, antiphonæ tres, lectiones tres:)
Paulo aliter tamen in MS. codice Corbejensi ante annos
circiter mille exarato: „ (Ad Tertiam psalmus ad res-
„ pondendum dicatur, deinde antiphonæ duæ, Lectio,
„ & Completorium. Simili modo Sexta & Nona. Ad
„ Lucernarium autem psalmus, responsorius unus, anti-
„ phonæ quatuor, item psalmus unus, responsorius, le-
„ ctio, & Completorium;) ubi nulla est Lucernarii, &
Vesperarum distinctio, aliterque Tertiæ, Sextæ, Nonæ,
& Vesperarum officium ordinatur, quam in editis, quod
superius hac ad horas observare prætermisimus, forte etiam
& Primæ: De hac enim mentionem fieri eo verbo deleto
credimus.

XVII. S. Columbanus omnes diei horas æquales fa-
cit, hoc est Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, &
Vesperas, ut explicant Menardus, & Cointius (Reg. S.
Col. c. 7.) qui tamen dubitat, an Prima a S. Columbano
inter diurnas, & canonicas horas assignata fuerit; sin-
gulis porro diurnis horis tres psalmos cum versiculorum
augmento præscribit.

XVIII. S. Isidorus vespertinum officium in regula sic
instituit Reg. c. 7. „ (In vespertinis officiis primo Lu-
„ cernarium, deinde psalmi duo, responsorium unum, &
„ Laudes, hymnus, atque oratio dicenda est;) Per Lucer-
narium autem intelligit preces, quæ ad lucernæ accensio-
nem dicebantur, & per Laudes, tres ultimos psaltarii Da-
vidici psalmos, qui nos ad Laudes Creatori referendas spe-
cialiter invitant.

XIX. S. Fructuosus in utraque Regula Vesperarum men-
tionem facit; sed de precibus ad eas faciendis ne quidem
unum verbum; has Magister in sua Regula sic nobis ex-
hibet c. 36. „ (Psalmi Lucernariæ in hyeme dici debent
„ sex currente semper psalterio, responsorium unum, ver-
„ sum, lectionem Apostoli, & Evangelii, quæ semper Ab-
„ bas dicat, post hoc & Rogus Dei;) a quibus unum
psalmum æstate detraxisse videtur; Et postea capit. 41.
„ (Psalmi Lucernariæ cum antiphonis psalli debent, in
„ quibus duo ultimi cum alleluja; currente semper psal-
„ terio, singula responsoria, versus, lectio Apostoli, & Evan-
„ gelii, quod semper Abbas dicat sine alleluja, in Domi-
„ nica vero cum alleluja. Nam omnes antiphonæ ipso
„ die benedictionibus dictis cum alleluja psallantur, &
„ genua non flectantur usque ad secundæ feriæ futuros no-
„ cturnos.)

XX. His atque hujusmodi precibus vespertinum sacrifi-
cium consummabant veteres monachi, psalmis scilicet, an-
tiphonis, responsoriis, hymnis, versibus, canticis, & col-
lectis seu orationibus.

XXI. Psalmorum duodenarius numerus Ægypti The-
baidisque Monachis sacratus extitit, utpote ab Angelo acce-
ptus, a quo ne vel minimum unguem recedere volebant;
huc sex psalmis accrevit S. Aurelianus, minuit Magi-
ster; hic enim psalmos duntaxat sex ad Vesperas, ille
decem & octo præscribit. S. Benedictus quatuor tantum
psalmis contentus fuit, alii etiam paucioribus; sed hos
S. Benedictus cum suavi vocis modulatione cantari jussit:
„ (Vespera, *inquit c.* 18. quotidie quatuor psalmorum
„ modulatione canatur;) psalmos autem, & antiphonas
post Abbatem ordine suo, quibus jussum fuerit, imponi
voluit c. 47. Sed usus invaluit, ut psalmos, imponente
Cantore, chorus prosequatur; immo olim id muneris com-
mittebatur pueris, in quo si deliquissent, sine ulla mi-
sericordia virgis excipiebantur, testante Nicolao Descactu-
ra in suo super Regulam S. B. com. in c. 45. „ (Nar-
„ rant antiqui, ait, quod infantes pronunciare solent prin-
„ cipium cujuslibet versus psalmi, qui mos Cluniaco &

in

„ in quibusdam aliis monasteriis usque in hodiernum diem „ servatur, & tunc si fallunt, quia alios fallere fariunt, „ verberantur. Græci morem hunc retinent, quod unus „ habet coram se psalterium, & dicitur medietatem ver- „ sus, vel partem usque ad punctum indirecta sine can- „ to, & chorus idem repetit cum melodia caotando.) Ita Nicolaus Defractuta Monachus Cassinensis & Abbas S. Vincentii de Vulturno, cui præiverat Petrus Diaconus Monachus item Cassinensis in comment. super Reg. S. Benedicti, ita scribens in c. 45. „ (Consuetudo antiqui- „ tus fuit in Monasterio Cassinensi, ut infans versus psal- „ morum pronunciarent; deinde chorus consequeretur. „ Nam infans alta voce dicebat *Beatus vir*; deinde cæ- „ teri, *qui non abiit in consilio impiorum*, & si defuissent „ infantes, alius quilibet. Similiter & lectiones, & anti- „ phonas ipsi pronunciant, ideo dicit SS. P. Benedictus, „ ut pro tali culpa vapulentur infantes.) In MS. etiam S. Germani Pratensis consuetudinibus cantum incipere non semel jubentur infantes.

XXII. Antiphonas autem quod spectat, ostandum quod præscribit liber Usuum Cistet. c. 78. (Ad Vesperas „ incipiat Hebdomadarius primam antiphonam, secundam „ qui ante omnes stat in altero choro, exceptis Abbe- „ tibus: tertiam ille qui stat post Hebdomadarium: quar- „ tam vero qui est secundus in altero choro. Absente „ vero Hebdomadario, quicumque primam antiphonam „ incepit, sive sit superior Hebdomadario, sive inferior, „ si alius juxta se inferius supervenerit, tertiam anti- „ phonam et imponendam nominet; si nullus inferior „ fuerit, & alius post primam antiphonam juxta se su- „ perior advenerit, tertiam antiphonam ei incipiendam „ nominet. Similiter faciat, qui secundam antiphonam „ incipit in alio choro.)

XXIII. Psalmis & antiphonis subjungit S. Benedictus lectionem, & quidem de Apostolo; duplicem dicebant Ægypti Thebaidisque Monachi, unam de Veteri, alteram de Novo Testamento, totidemque Magister, sed ambas de Novo Testamento; nimirum unam de Apostolo, aliam de Evangelio, & quidem ab Abbate dicendam. Sanctus Aurelianus lectionem & capitellum præscribit, id est lectionem & versiculum.

XXIV. Hanc lectionem apud nos recitat Hebdomadarius, ut ex Amalario l. 4. c. 7. e Pastore proferebatur. Qua finita, respondemus *Deo gratias*: Deinde subjungit os breve, vel prolixum R. ab uno vel pluribus cantandum, hymnus, & versus, de quibus sup.

XXV. Canticum ex Evangelio unus S. Benedictus ad Vesperas decantandum decrevit, quod ex S. Patris institutione ubique retinuit Ecclesia; saltem ante eum, qui illud ad Vesperas, aut decantaverit, aut decantandum jusserit, neminem novimus. Ad hoc canticum, perinde ac ad psalmos, antiphonam canere solemus, quod tamen S. Benedicti textus non habet: hanc apud nos cantat Hebdomadarius; sed olim ab ipso Cantore privatis diebus imponebatur ex MS. cons. Germaniæ num. 13.

XXVI. Canticum Evangelii ejusque antiphonam sequuntur litania, & oratio Dominica a Priore, sive Abbate alta & clara voce dicenda, quod unus inter Monachos etiam præscripsit singulari providentia S. Benedictus; deinde missæ, sive orationes, & collectæ, de quibus omnibus supra diximus.

XXVII. Etsi prolixum satis videtur institutum hic a Sancto Patre Benedicto Vesperarum officium; his tamen quibus nihil cordi magis fuit, quam Dei laudibus jugiter insistere, eisque semper in ore versare, longe brevius visum est; quapropter ut tam propriæ satisfacerent devotioni, quam populorum ædificationi saluberrimo omnino consilio perplura ad S. Patris officium addiderunt, quod suprà alias ad Horas canonicas observavimus, nunc etiam maxime ad Vesperas referendum est.

XXVIII. Præter orationes tres, quas ut supra diximus, singulis horis præmittere solebant Patres nostri, ineunte sæculo nono dictis regularibus Vesperis, Vesperas defunctorum consequenter cantabant: „ (Vespera solito finita „ (ut habent capit. Monach. ad Augiam directorum c. 11.) statim Vesperam cum antiphonis celebrant pro defunctis.)

XXIX. Longe prolixior extitit Cluniacensium psalmodia; hi enim singulis diebus ad Vesperas quatuor psalmos inter preces ante versum novissimum recitabant pro familiaribus: Deinde Vesperas pro defunctis decantabant, quibus post cœnam a Septuagesima ad Calendas Novembris, etiam defunctorum vigilias addebant ex Udalrico l. 1. cons. Clun. c. 18. 41. & 49 immo etiam Vesperis defunctorum Vesperas de omnibus SS. præmittebant, quas in Quadragesimam persolvebant in Ecclesia S. Mariæ, ad quam cum ejus cantico, id est *Magnificat*, procedebant post familiares psalmos ex c. 3. & 4.

XXX. Piam Cluniacensium consuetudinem æmulati sunt alii passim nostrorum Monasteriorum Monachi, ut patet ex MS. Germaniæ consuetudinibus, in quibus idem præscribitur, cum hoc tamen discrimine, quod Vesperis regularibus præmittitur in iis officium defunctorum, itque subjunguntur Vesperæ de omnibus Sanctis: „ (Ad pri- „ mum autem sonitum vespertini signi glomerantur in „ chorum, *inquiunt n.* 33., post solito ordine incipiant „ Vesperas pro defunctis, atque vigilias, singulæque „ glocce pulsant; tuncque vespertina laus canitur; de „ omnibusque Sanctis Vespera subjungitur.) Hic nulla est mentio psalmorum pro familiaribus; at quod adeo sollicite ad omnes reliquas horas persolvebant, ad Vesperas omissum fuisse non credendum est: & hæc erat circa finem sæculi decimi Germanorum consuetudo.

XXXI. In Regulari concordia Monachorum, Sanctimonialiumque Angliæ nationis eodem tempore a S. Dunstano edita idem omnino videre est c. 1. „ (Tempore „ agatur Vespera, cujus signa dum sonant fratres post „ orationem in choro, juniores quidem spiritualis lectio- „ nis studio singuli serio occupati; seniores vero orationi- „ bus divinis intenti cum Domini gratia nunquam vagan- „ tes sedeant; Vesperas vero canentes dum post *Miserere* „ *mei Deus, pro Rege, Reginaque, & familiaribus*, ed- „ dant psalmos, idest *Benedixisti Domine*, & *Domine exau-* „ *di* cc. Vesperis dictis, sicut diximus superius, agendum „ de antiphonis post matutinas, ita agatur post Vesperas, „ & vigilia, usque ad Calendas Novembris.) Idem non obscura colligitur ex Statutis Lanfranci, in quibus fit mentio de psalmis familiaribus, de Vesp. omnium SS & de Vesperis defunctorum. Vigilias porro defunctorum cum unico tantum nocturno dicebant, ut patet ex Udalrico lib. 1. cons. Clun. c. 3. & ex lib. Usuum Cistert. c. 50. nisi occurrisset anniversaria alicujus defuncti dies, quæ frequentissime contingebat apud Clun. tunc enim cum tribus nocturnis offic. defunct. persolvebant. In regali vero S. Dionysii in Francia Monasterio, aliquando cum novem lectionibus; aliquando cum unica tantum antiphona super novem psalmos, & tribus lectionibus officium defunctorum dicebatur, ut patet ex MS. consuetudinibus ejusdem Monasterii, in quibus eundem psalmodiæ modum, quem in Germania ex Einsidlensibus consuetudinibus, in Anglia ex Concordia S. Dunstani, Statutisque Lanfranci, & in Burgundia apud Cluniacenses Udalrico advertimus, reperire est: „ (Sunt, *inquiunt*, in clau- „ stro ad colloquendum usque dum signum pulsetur; & „ tunc eant omnes ad orationes Vespertinas; cum termi- „ natæ fuerint, incipiantur Vesperæ de omnibus SS. .... „ deinde sequantur psalmi familiares, post sonet classicum „ cum duabus campanis, incipiantur Vesperæ de die; ..... „ post Vesperas fiat commemoratio de Trinitate, & de „ Cruce; post fiat processio in capitulo: deinde alia suf- „ fragia de Angelis, & aliis Sanctis; post suffragia ca- „ cantur Vesperæ mortuorum, si anniversarium fuerit, „ vel officium præsentis mortui; si autem non fuerit, ca- „ nantur Vesperæ mortuorum ante magnas Vesperas, ... „ post cœnam dicatur vigilia mortuorum, usque ad fe- „ stum omnium SS. excepto XII. lect. &c.) Idem haud dubium observabant etiam Parisienses nostri S. Germani a Pratis, ut facile colligi potest ex MS. consuetudinibus ejusdem Monasterii, in quibus frequenter occurrit mentio Vesperarum de omnibus SS., officii defunctorum, psalmorum familiarium. Non tamen quotidie processionem (*a*) post Vesperas agebant, sed versa vice plurimos psalmos, cum precibus, & orationibus ante Vesperas decurrebant, quos accipe ex MS. Breviario, seu collectaneo ejusdem Monasterii. (*b*)

Psalmi pro pace ante Vesperas.

Deus auribus nostris audivimus: Deus venerunt: Deus ultionum: Ad Dominum cum tribularer: Levavi: Lætatus sum: Ad te levavi: Nisi quia: Qui confidunt: In converten-

(*a*) De hujusmodi processione anonymus in vit. S. Ermenoldi l. 2 c. 4. apud Boll. VI. Januar. „ (Vespere Sabbati cum post officium vespertinum processio ante altare „ S. Crucis solito ageretur.]

(*b*) De hujusmodi psalmis extat Petri Venerabilis statutum 31. „ [ut psalmi illi, qui a *Deus auribus* in- „ cipiunt, & post orationem, quæ fit ante Vesperas, de- „ cantari solent in omni 12. lectionum festivitate, intermit- „ tantur.

convertendo: *Nisi Dominus*. *Beati omnes*: *Sæpe expugnaverunt*: &c. usque *Laudate nomen Domini* (hæc verba &c. usque *Laudate nomen Domini* subra linea transversa sunt)

Preces	*Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*
	Esto nobis Domine turris fortitudinis.
	Memor esto congregationis tuæ.
	Domine fac Reges salvos.
	Salvos fac servos & ancillas tuas.
	Fiat pax in virtute tua.
	A porta inferi.
	Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus a quo sancta desideria &c. cum aliis quatuor collectis.

XXXII. His precibus Vesperas de omnibus SS. prout reperiuntur in MS. collectaneo S. Petri supra Divum, ut supra de Matutinis fecimus, hic adjicere non erit forte abs re.

De omnibus SS. ad Vesperas.

Antiphona	*In consilio justorum, & congregatione magna opera Domini.* Psal. *Confitebor*
Antiphona	*Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: Ps. *Credidi.*
Antiphona	*Euntes ibant & flebant mittentes semina sua*; Psal. *In convertendo.*
Antiphona	*Justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.* Psal. *Eripe me.*
Capit.	Ut supra ad Laudes.
Resp.	*Exultent justi in conspectu tuo. Delectentur in lætitia. Gloria Patri.*
Hymnus	*Christe Redemptor omnium.*
℣.	*Lætamini in Domino & exultate justi.*
℟.	*Et gloriamini omnes recti corde.*
Antiph. in Evang.	*Sancti Dei omnes, qui estis concives supernorum civium, intercedite pro nobis.*

XXXIII. Tempore Paschali dicebantur omnes psalmi cum unica hac antiphona.

Sancti tui Domine florebunt sicut lilium alleluja, & sicut odor balsami erunt ante te alleluja. ℟. cum alleluja dicebatur. Antiphona ad *Magnificat*: *Alleluja; Ego sum vitis vera, alleluja; vos palmites estis, alleluja, alleluja.* Idem omnino videre est in MSS. Germaniæ consuetudinibus excepto capitulo, quod est: *Scimus, quoniam diligentibus Deum*, & precibus; in MS. S. Dionysii in Francia consuetudinibus except. precibus, & in Breviario MS. S. Germani a Pratis excepta oratione, quæ incipit: *Omnipotens Deus*, & antiphona ad *Magnificat*, quæ nonnihil variat, sine precibus.

XXXIV. Cistercienses post regulares Vesperas, Vesperas pro defunctis dicebant; quibus a Dominica I. Quadragesimæ ad Calendas Novembris vigilias eo, quo diximus, modo subjungabant, quas reliquo tempore nocte persolvebant, ut docet nos lib. Usuum Cist. cap. 50. Neque vero hic prætereunda est psallendi ratio, quam suis Eremitis præscripsit Petrus Damiani, ut ex his omnibus appareat, quam exiguum sit, & iners nostræ servitutis devotionisque pensum: Ita porro loquitur eo in opusculo 15. c. 9. quod de institutis suæ Congregationis conscripsit: „ (De „ psalmodia vero hæc consuetudo est, ut cum duo simul „ commorentur in cella, duo persolvant in die psalteria; „ unum pro vivis, & alterum pro defunctis: & illud „ quidem quod est vivorum, cum illis dicitur additamen„ tis, quæ B. Romualdus apponit, quæ etiam nos non „ gravemus inserere: ne nos conqueratur forte novitius, „ quæ sibi magnopere noscenda sunt præteriisse: Decur„ sis plane quinque psalmis, protinus subinfertur: *Glo„ ria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, & ante omne sæ„ culum, & nunc & in perpetuum. Orate pro nobis om„ nes sancti Dei, ut digni efficiamur promissionibus Do„ mini Dei nostri Jesu Christi. Pater noster.* His explatis „ mox subditur: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, „ qui fecit cœlum & terram.* Et evolutis aliis quinque „ psalmis, tunc dicitur: *Te Deum Patrem ingenitum, te „ Filium unigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, „ Sanctam & individuam Trinitatem, toto corde, & ore „ confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gloria in „ sæcula amen. Domine Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Confundantur & „ revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam, „ adjutor meus, & liberator meus esto, Domine ne tardaveris. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Quo „ finito rursus dicitur: *Adjutorium nostrum in nomine Do„ mini.* Hæc igitur per quinquenos psalmos alternatim „ semper adduntur, donec psalterium cum tribus Do„ minicalibus, necnon & totius hebdomadæ canticis ex„ pleatur. His etiam non neglectis, quæ in fine psalte„ rii videntur adjecta, videlicet, *Te Deum laudamus*; „ *Nunc dimittis Domine servum tuum*; duobus symbolis: „ *Gloria in excelsis Deo*; *Pater noster*, cum fide catholi„ ca: Postremo litaniæ, cum orationibus. Hæc omnia „ consueto fine concludunt. Psalterium vero pro defun„ ctis, cum novem lectionibus dicitur, tribus nimirum „ per quinquagenos psalmos (*a*): Qui autem solus mo„ ratur frater, psalterium quidem vivorum totum per „ singulos dies adimplet; defunctorum autem sive medi„ um, sive totum, juxta quod virium possibilitas admi„ nistret. Horarum autem psalmodia canonica omnino si„ cut fit in monasterio, ita hic per ordinem nihilominus „ tota persolvitur.) Idem habet Opusc. 14. quod est de ordine Eremitarum Fontis Avellani. Quonam vero diei tempore hujusmodi psalteria decantarentur, an uno eodemque tenore consequentur, an vero cum intercisionibus per certa intervalla servatis, nos latet; sed hic ista adnotare libuit.

XXXV. Finitis Vesperis olim Ecclesiæ januæ claudebantur, ut discimus ex Anonymo S. Germani a Pratis, qui principatu Caroli Magni translationem S. Pontificis describebat sæc. 3. part. 2. pag. 97. sic enim capit. 7. „ (Cum„ que post sinaxim vespertinam fores Ecclesiæ juxta mo„ rem essent claudendæ, custos Ecclesiæ cunctos, ut ad „ hospitia sua redirent, admonuit:) quod confirmatur ex Herrico Autissiodorensi Monacho, qui in lib. de miracul. S. Germani Episcopi sic ait c. 46. „ (Factum est, „ ut officiis vespertinis exactis generaliter, ut in cœno„ biis mos est, universa vulgi concio a septis Ecclesiæ cu„ stodum instantia pelleretur.) Et certe non solum post Vesperas olim, sed extra divini tempora officii fores Ecclesiæ in Monasteriis semper clausæ obseratæque manebant, ut patet ex MS. S. Benigni cons. & Cluniac. authore Udalrico l. 3. c. 12.

XXXVI. Egressi ab Ecclesia dormitorium ascendebant, cultellos deponebant, abstractis diurnalibus calceis, nocturnales induebant; inde ad lectionem privatam in claustro sedebant, donec vocati ad refectorium poculum biberent, postque brevi ad collationem accedebant; & ita quidem hyeme, nam post Pascha tota æstate „ (post Vesperas cœ„ na sequebatur, *l.* 1. *c.* 18. post cœnam cœna servito„ rum, post cœnam servitorum officium pro defunctis, „ post officium collatio, & ita ad Completorium;) de quibus nunc dicendum.

C A P U T XI.

De Collatione ante Completorium.

I. COllationem vocamus lectionem eam, quam S. P. B. Reg. 42. ante Completorium fieri instituit ex vitis, & collationibus Patrum, ex quibus collationis nomen eidem lectioni inditum est. S. Benedicti institutum uti & alia multa pie æmulatus est S. Isidorus in Regula sic scribens: „ (Post vespertinum autem congregatis fra„ tribus oportet, vel aliquid meditari (*id est legere c.* 7.) „ vel de quibusdam divinæ lectionis quæstionibus dispu„ tare, conferendo pie, atque salubriter, tantumque me„ ditando, disputandoque immorari, quo ad usque Com„ pletorii tempus possit occurrere.) Idem faciendum decrevit S. Fructuosus æstate quidem post Vesperas; hyeme vero post nocturnas vigillas: „ (Sic post medium „ noctem, *inquit c.* 3. si hyemis tempus est, sedentibus „ cunctis unus medio residens releget librum, & ab Ab„ bate, vel a Præposito disserente cæteris simplicioribus, „ quod legitur, pateflat. Quod quidem, & æstate post „ Vesperam conservetur, ut priusquam compleant, liber „ legatur.]

II. Hanc ad lectionem convenire solemus in Ecclesia, idque omnino, ut videtur, ad mentem S. Benedicti, qui

(*a*) Hujusmodi vigilias pro defunctis recitare consueverat S. Aybertus ex Monacho Crispinensi reclusus in Hannonia, ut scribit Robertus Archidiaconus Ostrevandensis in ejus vit. n. 14. apud Boll. 7. April.

qui eodem plane in loco lectionem fieri voluit, quo & Completorium cantari, ut satis innuunt hæc ejus verba: *Omnes ergo in unum positi compleant*. Id ipsum etiam a S. Dunstano præscriptum fuisse existimat Haeftenus lib. 9. tr. 5. disq. 2. conc. 1. quanquam S. Dunstani textus non mihi videatur satis clarus; *facto signo in Ecclesiam initietur collatio*, inquit; incertum est enim an velit in Ecclesia signum collationis pulsari, quo dato initietur loco solito; an vero signo dato, collationem initiari in Ecclesia; vox enim *in Ecclesiam*, & ad prima, & ad ultima propositionis ejus verba potest referri. Et certe communis Monasteriorum usus aliud habuit. In MS. Germaniæ conf. n. 33. etsi locus nullus nominatim notetur; extra Ecclesiam tamen fuisse constat.

III. Antiquus Ordo conversationis Monasticæ locum collationis faciendæ designat capitulum: „ (Post Vesperas, *inquit c.* 12., hora competenti facto signo omnes conveniant in capitulo, & legatur Scriptura, quæ ædificat audientes:) Ita apud Haeftenum. Aliter enim legit editio Neapolitana: Eundem locum non obscure assignat Hildemarus in suo super Regulam S. Benedicti commentario c. 22. cum dormitorii candelas æstate post capitulum, hyeme cum completur capitulum, accendendas esse dicit. Cluniacenses etiam collationem agebant in capitulo, ut docent nos MS. consuet. Monast. Cluniac. „ (Finita collatione, egressi de capitulo, &c. *& alibi*: Quotiescumque fratres de collatione vadunt in refectorium ad caritatem, si altera candela fuerit in capitulo, quam lectoris &c.) & alibi passim. In nostro etiam S. Germani a Pratis Monasterio collatio fiebat in capitulo ex MS. conf. infra citandis; His adde Cassinensium declarationes in cap. 42. Reg. in quibus lego: „ (Pro qua lectione pulsatur primum signum Completorii, & fratres omnes in capitulo conveniunt ad hujusmodi lectionem.)

IV. Alium tamen locum assignat Nicolaus De Fractura & ipse Cassinensis Monachus, cum explicans illa Regulæ Benedictinæ verba Comm. c. 42. „ (Sedeant omnes in unum, ita scribit, idest conveniant omnes in claustro si habent, vel in aliquem locum communem ad silentium tamen aptum.) Quem etiam in locum convenisse Cistercienses existimat Benedictus Haeftenus lib. 9. tr. 5. disq. 2. unde & apud eos lectio collationis *Lectio claustri* appellatur.

V. Petrus Boherius utrumque hunc locum, scilicet claustrum, vel capitulum, ad collationis lectionem designat in 1. super Regulam S. B. Commentario ad c. 42. idque observabatur in suo S. Aniani Tomeriarum Monasterio, ubi ipse testatur, ad hæc verba: *Et lectis quatuor aut quinque foliis*, sic scribens: „ (Istud optime apud nos servetur in quadragesima, quo tempore in claustro legimus, aliis autem temporibus consuevimus in capitulo ad hanc lectionem congregari.)

VI. Camaldulenses etiam, ut scribit Haeftenus loc. cit., collationem fieri volunt in capitulo, vel claustro ecclesiæ proximiori; Vallisoletani in capitulo, vel loco qui choro vicinior est.

VII. Bursfeldenses vero hac de re sic decernunt disq. 3. c. 4. „ (Collatio de qua capitulo Reg. 42. fit mentio, his diebus, quibus bis reficiunt Fratres, servatur in loco capitulari, aut claustro, vel alio aptiori, juxta temporis vel cujuslibet Monasterii dispositionem; reliquo vero tempore, idest in diebus jejunii in refectorio Fratrum solito consuetudine fiat.)

VIII. Hanc ad lectionem dato signo in locum deputatum illico conveniebant, quo audito aliorsum divertere nefas ducebatur, unde MS. consuetud. Cluniacensium: „ (Dum pulsatur signum ad collationem, nullus debet ingredi dormitorium nec ecclesiam.) Nec cuiquam licitum erat abesse; quin etiam diversis occupati commissis tenebantur occurrere; hinc capitulum nonum Monachorum ad Augiam directorum: „ [Ut ad collationem accesserint, omnes unanimiter occurrant debiles, & infirmi etiam, si de lecto surgere valuerint, veniunt; quid de cæteris dicendum est? Lector autem tandiu legat, usque dum omnes in unum positi compleant.) Immo qui certis de causis Completorio non interesse permittebantur ad lectionem collationis tamen cogebantur occurrere, ut patet ex MS. consuetudinibus Cluniac. „ (Omnes qui remanent de Completorio, finita collatione, egressi de capitulo ad sinistram partem introitus debent in trisantia remanere, donec toto conventu egresso, Abbati sive Priori quærant licentiam remanendi, & ad ejus nutum tunc remanebunt quique vel non.)

IX. Omnibus in unum congregatis Lector accedens ad analogium lectionem incipiebat; idque petita benedictione ex lib. Usuum Cisterciensium: „ (Tunc Lector accepta benedictione legat. Hanc benedictioni intersint omnes exceptis Priore, vel alio qui conventum tenuerit, Cellerariis &c.) ex MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis, & ex ceremoniali Bursfeldensi disq. 3. c. 4. De hujusmodi Lectore ita scribit Boherius in t. Comm. ad c. 42. „ (Quod iste Lector benedictionem in Missa diei Dominicæ accipiat, aut ad legendum per totam hebdomadam intret, in Regula non cavetur: Placet tamen, sicut servatur apud nos, quod per Priorem eligatur die Sabbati, ut per sequentem septimanam prævius devote hujusmodi officium valeat adimplere.) Apud Cistercienses Lector collationis is erat, qui præcedenti hebdomade legerat in refectorio, ex lib. Usuum c. 106. Idipsum observabant etiam Beccenses nostri, ut ex MS. eorum Rituali colligere licet, ubi præscribitur, ut „ (a Pascha ad Pentecosten tota hebdomada debeat esse in refectorio ipse cantor Lector, & sequenti hebdomada ad collationem.) Quos vero tunc legerent libros, quantumque temporis hac in lectione impenderent, hic referre non moror, utpote quæ satis fuse tractavi in Comm. ad cap. 42. Certe S. Benedictus collationes, aut vitas Patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes, legi voluit, idque quantum hora permittit: Hic tantum observandum est, quod præter lectionem, ipse Abbas aut qui collationi præerat, sermonem exhortatorium, aut saltem lectionis expositionem ad congregatos fratres habebat: ut discimus ex his Hildemari verbis in c. 42. Reg. S. B. „ (Et hoc sciendum est, quia tempore collationis, & in loco collationis nullus debet loqui, nisi aut Lector qui legit, aut Abbas qui exponit, aut certe talis frater cui jusserit tradere lectionem.) Idipsum clare & diserte suis præscripsit S. Fructuosus Bracarensis: „ (Sedentibus cunctis, *inquit* c. 3., unus medio residens releget librum, & ab Abbate, vel a Præposito cæteris simplicioribus, quæ legerit, patefiat;) & S. Isidorus c. 9. „ (De his autem quæstionibus quæ leguntur, nec forte intelliguntur, unusquisque fratrum aut in collatione, aut post Vesperum interroget; & recitata ad locum lectione, ab eo expositionem accipiat, ita ut dum exponitur, cæteri audiant.)

X. Finita ad nutum Abbatis collatione, & dicto ab Lectore: *Tu autem Domine*, &c. subjungebat Abbas: *Adjutorium nostrum*, &c. & sic intrabant ad Completorium: Ita antiquus Ordo conversationis Monasticæ c. 12. „ (Finita lectione surgant omnes pariter, & dicat Domnus Abbas: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. Respondeant omnes: *Qui fecit cælum & terram*, & recepto silentio nocturno cum reverentia intrent oratorium ad Completum;) & lib. Usu. Cisterc. cap. 81. (Lectione igitur finita surgant omnes, & stantes versi ad Orientem dicat Abbas: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & conventus respondeat: *Qui fecit cælum & terram*, & inclinantes omnes egrediantur ecclesiam.

XI. Successu vero temporis antequam collationis lectioni finem imponerent, propinabatur certis diebus, idque satis frequenter, singulis fratribus haustus vini, atque hunc ritum *Caritatem* vocabant, quem integrum ex MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis referre hic non pigebit: sic ergo ad Sabbatum ante Dominicam primam Adventus: „ (Expleto mandato pedum & manuum, Sacrista accipiet licentiam ante pulpitum capituli per signum manus pulsandi collationem; expleto mandato, Cantor incipiet antiphonam; *Domum istam*. Tunc Hebdomadarius lectionis de collatione accipiet benedictionem, dicens *Domne jube*, &c. & Prior dabit benedictionem, quæ sic incipit: *Angelorum custodia*, quæ solum dicitur diebus, quibus fit mandatum. Cum autem dicti de lectione duo versus vel circiter fuerint; Prior faciet signum Subpriori, vel ordinis alteri, ut exeat a capitulo caput proprium inclinando, & exiens ibit ad tympanum, & in fine unius versus lectionis, quæ debet esse de libro Dialogorum Gregorii Papæ, percutiet tympanum; tunc surgent omnes, ibunt ordinatim in refectorium, subsequente Priore cum duobus cereis, qui debent accendi in medio capituli, antequam incipiatur mandatum. Cumque conventus per ante illum transierit, qui tympanum pulsabit, omnes inclinabunt capite suo coram eo transeuntes, conventus ascendet ad mensas; Sed non sedebunt, quousque Prior sederit ad discum, & sederit super sedem. Si vero Abbas fuerit ad collationem, conventus non erit superius ad mensas, sed stabunt inferius, donec Abbas transierit, & sederit ad discum supradictum; Et tunc debet legere Lector lectionis, & non antequam sederit Prior, vel Abbas. Primo versu dicto lectionis, quidam juvenis pulsabit unam istam campanam, quæ pendet super petram

elec-

„ petitam eleemosynam, & tunc surgent quatuor, aut quinque, vel plures, & accipient modellos vitreos, aut argenteos, & implebunt eos vino. Et cum impleti fuerint, juvenis pulsabit campanam supra dictam; & tunc ibunt illi quatuor ordinate, unus juxta alium versus dasium, & illis inclinatis coram primo gradu ascensus dasii, Cantor incipiet: *Benedicite*, & Hebdomadarius magnæ Missæ dabit benedictionem hanc: *Dextra Dei omnipotentis*, &c. quæ numquam dicitur nisi duo cerei magni positi fuerint coram Priore. Nota quod sic debet fieri in omnibus diebus Sabbatis totius anni, & omnibus diebus Sabbatinis totius anni, mandatum, nisi fuerit caussa, qua non possit convenienter fieri. Et sciendum est, quod tale debet esse luminare in refectorio per totam hyemem, dum bibit conventus, quia antequam intrat in refectorium, Refectorarius debet accendere ad dasium duos cereos, & in unaquaque tabula inferius tres cereos. Postea dabunt illi, qui modellos tenent, bibere Priori, & conventui, unicuique in ordine suo, incipientes ab antiquis usque ad juniores. Completo potu, facient ante & retro in loco, ubi acceperunt benedictionem, & tunc venient, & sedebunt juxta alios, & dabunt sibi potum ad invicem, & quando Priori placuerit, finire faciet lectionem. Finita lectione Lector descendat, & faciet ante & retro, & ibit sessum juxta alios; & tunc unus, qui expectabat illum, stans in medio refectorii, habens in manu plenum modellum vini dabit ei bibere. Et sciendum est, quod conventus debet habere caritatem boni vini, quotiescumque fit mandatum. Finito potu Prior percutiet stalam tribus vicibus, vel quatuor; & tunc surgens dicet: *Adjutorium nostrum*, &c. & conventus respondebit: *Qui fecit cœlum*, &c. & facient ante & retro, & ibunt processionaliter ad Monasterium; & Prior ibit in locutorium Cellarii, præcedentibus duobus cereis, & dicat: *Benedicite*, & dabit licentiam, cui sibi placuerit, & videbitur expedire. Conventu uniti ad ecclesiam, Sacrista pulsabit Completorium cum una minima campana, & cum sederit Prior ordinis, qui fuerit in choro, terminabit *Pater noster*, & dicet: *Confiteor* cum conventu, tunc Hebdomadarius incipiet Completorium.)

XII. Quandonam inceperit iste ritus, non liquet: Constat tamen esse antiquissimum, & annos minimum septingentos superare, ut patet ex Concordia S. Dunstani, in qua præscribitur, ut mandato peracto „ (Facto signo in ecclesiam initietur collatio, sursumque dato tintinnabuli signo, refectorium introeant caritatis gratia. Quotiescumque fratribus caritas, interim dum collatio legitur, præbetur, lectione finita, omnibusque surgentibus, dicat Prior: *Sit nomen Domini benedictum*, & *Benedicamus Domino*, cæteris, ut mos est, respondentibus:) & in MS. consuetudinibus Cluniacensium extant hac de re duo capitula, in quorum uno dicitur esse Conversorum, & juvenum propinare caritatem de potu in refectorio; in altero agitur de accendendis ad eam candelis; sed & Boherius id se vidisse testatur in Sublacensi Monasterio: „ (Vidi, *inquit*, in specu, & Monasterio Sublacensi, quod in medio lectionis hujusmodi diebus jejunii potat conventus.) Verum non solum diebus jejunii, sed aliis insuper diebus propinatam fuisse hujusmodi caritatem, docent nos MS. consuetudines S. Germani a Pratis, in quibus etiam Dominicis diebus caritatem boni vini ad collationem præberi præcipitur.

XIII. Præterea singulis jejunii diebus ante collationem conveniebant hausturi singuli calicem vini, ut patet ex Concordia S. Dunstani, & consuetudinibus S. Germani a Pratis, in quibus præscribitur, ut Sabbatho ante Monachorum mandatum eant in refectorium *ad hauriendo pocula*. Deinde peracto mandato initietur collatio, sursumque pergant ad refectorium ad percipiendam caritatem, unde accedant ad Completorium: quapropter cum præbebatur illa ad collationem caritas vini, bis sero conveniebant in refectorio, bisque bibebant.

XIV. Porro hæc diebus jejunii sero bibendi consuetudo est antiquissima; nam Magister in sua Regula jubet c. 27., ut cum ad Nonam reficiunt Fratres, sero singuli singulos caldos accipiant: Postea etiam Aquisgranense Concilium c. 12. indulsit, „ (ut si necessitas poposcerit ob operis laborem, post refectionem vespertinam, etiam & in Quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio Completorii legatur, bibant.) Exhinc ad nos usque pervenit iste ritus, ut etiam in Monasteriis, in quibus strictior vigeret observantia, quæque ne vel minimum unguem ab Regulæ littera se recedere profiterentur, quales fuere Cistercienses primi, post Vesperas tamen biberetur; sed ad potum aliquid superaddere cibi recentis omnino est consuetudinis, quæ nec ducentos forte superat annos, certe in consuetudinibus quas Guillelmus ..... pius S. Germani Pratensis Abbas anno 1395. conscripsit, ne unum quidem verbum de pane, multo minus de fructibus addendis ad potum serotinum diebus jejunii regularibus, quid de quadragesimalibus? Ne quid tamen dissimulem, nonnihil aliquando cum potu manducasse leguntur Casinenses in vetusto codice annorum 800. in quo hæc scribuntur: „ (Cum autem liberi a vindemia fuerint, statim ad Nonam horam refecerint, & post Vesperas *gustum manducant*, & bibunt iterum, quod in Regula non est scriptum. Similiter & Quinquagesima post refectionem secundum consuetudinem antequam lectio legatur, tota hebdomada bibunt; quod nec in Regula dicitur. Quando autem mandatum faciunt, si Dominus abundantiam vini dederit, semper bibunt, si exiguum fuerit, abstinebunt.) Sed hic *gustum manducere* nihil aliud esse existimo, quam tantillum quid quasi prægustandum comedere, idque quando fratres ad Nonam reficiunt, non autem in Quadragesima.

C A P U T XII.

De Completorio, & diei termino.

I. COmpletorii, sive, ut alii volunt, Completæ nomen, & officium pene ignotum fuit Antiquis Monachis, quorum alii Matutina Vespertinaque synaxi fuerunt contenti; alii Nonam, nonnulli vero etiam Tertiam, Sextam, & Nonam, his superaddiderunt. Primus inter eos sub *petitionis* nomine, quam post Eucharistiam, sive Vesperas initio noctis dici jubet, S. Basilius Completorii meminisse videtur Reg. fus. c. 37. quamvis apud eum petitionem ab Eucharistia non distingui censeat Joannes Bona Cardinalis de Div. Psal. c. 21.; sed nobis aliud suadere videtur ipse S. Basilii textus, multique non contemnendæ eruditionis viri, qui utrumque ab invicem secernunt: nihilominus tamen antiquiorem Basilio, aut posteriorem Græcum authorem aliquem, qui Completorii meminerit, ad hæc nostra fere tempora nusquam reperire est. Quidquid sit, certe primus in Occidente, qui Completorii officium instituerit, nemine refragante agnoscendus est S. Benedictus in Regula sua cap. 17. statuens ut „ (Completorium trium psalmorum dictione terminetur. Qui psalmi directanee, sine antiphona dicendi sunt, post quos hymnus ejusdem horæ, lectio una, versus, *Kyrie eleison*, benedictio, & post Missæ fiant: & sequenti capite 18., ut ad Completorium iidem psalmi repetantur quotidie, idest quartus, nonagesimus & centesimus trigesimus tertius.)

II. Sanctum Benedictum non multo post sequutus est S. Aurelianus in utraque ad Monachos, & ad Virgines Regula ita decernens: „ (Quando repausaturi estis in Schola, in qua manetis, completa dicatur; in primis directanus, & psalmus nonagesimus dicatur; deinde capitella consuetudinaria.)

III. In vulgata inter opera S. Augustini incerti authoris Regula in Append. ad Tom. 1. c. 1. Completorium ac Vesperas eodem prorsus modo atque Sextam, & Nonam persolvi præcipitur. At in eadem MS. Regula codicis Corbejensis annorum circiter mille nulla satis aperta nobis fieri Completorii mentio videtur, nisi forte his verbis, quæ desunt editis: „ (Post hæc autem consuetudinarii psalmi ante somnium dicantur,) quibus psalmis etiam lectiones præmitti voluit.

IV. S. Columbanus *ad initium noctis* duodecim psalmos decantari imperat, per noctis autem initium Completorium intelligendum esse censent Menardus, & Carolus Cointius. In Regula S. Isidori c. 7. mentio equidem fit Completorii, at de psalmis precibusque in eo dicendis ne quidem unum verbum.

V. S. Fructuosus Bracarensis Episcopus Completorium his verbis complecti videtur Reg. c. 2. „ (Nocturno tempore prima noctis hora sex orationibus celebranda est; ac deinde decem psalmorum concentu, cum Laude, & Benedictionibus consummanda in ecclesia est. Deinde valefacientes invicem, & reconciliationi alterutrum insistentes, laxant mutuo debita, & pietate prona, qui segregati a cœtu fraterno ob negligentiam suam fuerant, merentur indulgentiam.

VI. Regula Magistri clarius & apertius Completorii meminit, cujus officium ita disponit c. 37. (Psalmi Completorii tres dici debent, Responsorium, Lectionem A-

„ postoli, Lectionem Evangelistam, postquam semper „ præsens Abbas dicat rogum Dei, & versum clusorem.) Versum clusorem appellat, qui nocturni silentii indicaret initium, atque os & labia fratrum clauderet, nempe: *Pone Domine custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labiis meis*, ex cap. 30. ejusdem Regulæ.

VII. Hæc sunt quæ de Completorii officio apud monasticarum Regularum Scriptores nobis reperire licuit. Cæterum ut cæteras horas diei canonicas, ita & Completorium a versu *Deus in adjutorium* incipi voluit S. Benedictus, nam quæ a nobis nunc præmittuntur, posterioris sunt instituti. Lectio brevis ex epistola S. Petri, ad quam benedictionem postulamus, pro collationis lectione instituta fuit ad Completorium extra chorum dicendum, unde & in ejus fine ℣. *Adjutorium nostrum* subjungimus, ut supra in fine collationis fieri vidimus. Id patet cum ex MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis, tum ex Ordinario Bursfeldensium, in quibus nulla hujusmodi brevis lectionis occurrit mentio; sed maxime ex edito anno 1586. Breviario Congregationis Casalis Benedicti in quo sic lego: „ (Ad „ lectionem ante Completorium: *Jube Domne*, Benedictio: „ *Noctem quietam* &c. ℟. *Amen*. Lectio brevis extra „ chorum: *Fratres sobrii estote* &c.) Versus, *Adjutorium nostrum in nomine Domini* finis erat collationis, ut diximus; dicebaturque in ipso collationis loco; hunc tamen in choro cum omnes ad ecclesiam pervenerint, a præsidente dici volunt Bursfeldenses in ord. c. 13.

VIII. Orationem Dominicam, quam deinde subjicimus primum reperi in MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis, in quibus præscribitur, ut a collatione omnibus in ecclesiam ingressis Prior ordinis qui fuerit in choro, terminent *Pater noster*. Bursfeldenses orationem Dominicam & Salutationem dicunt, idemque prælibant nostri Casalini, ut ex illorum Ordinario & illorum Breviario patet; sed hæc omnia recentiora sunt, vicemque tenent tantum illarum orationum, quas olim Completorio, ut aliis diei horis præmittere solebant.

IX. Quam postea facimus, peccatorum confessio longe est antiquior, ut pote cujus non solum meminere MS. consuetudines S. Germani a Pratis; sed etiam multo anterior S. Dunstani Concordia, quæ sic habet c. 1. „ (Signo „ namque Completorii pulsato agatur oratio, qua finita „ facto signo a Priore, invicem sibi dent confessionis salubre „ remedium;) & antea antiquissimus Ordo conversationis monasticæ c. 12. „ (Et recepto silentio nocturno cum „ reverentia intrent oratorium ad Completam, orent cum „ intentione mentis, & dent confessiones suas alternatim, „ & incipiant Completorium.) Eumdem ritum, sed post Completorium tantum observandum præcepisse videtur S. Fructuosus Episc. Brac. c. 2. his verbis: „ (Deinde valefacientes invicem & reconciliationi ac satisfactioni alterutrum insistentes laxant mutuo debita): cujus rei praxim videre est in observationibus prævis ad Vit. S. Dunstani n. 9. sæc. 5. Hanc confessionem, quam Prior Ordinis cum conventu facere jubetur in MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis, & quidem ad signum Prioris ex Conc. Dunstani, sedem percutientis ex Cons. S. Dionysii, non e nostris, quos sciam, omittunt Bursfeldenses in ord. c. 13., qui dicto *Pater* & *Ave*, Completorium imponunt, & peragunt *Prout disponit Regula*, hoc est a ℣. *Deus in adjutorium*.

X. Versus *Converte nos* non extat in consuetudinibus S. Germani; sed dicto *Confiteor* cum conventu. „ (Tunc „ *inquiunt*, Hebdomadarius incipiet Completorium, & „ dicat *Deus in adjutorium*;) sed neque in Ordinario Bursfeldensium, sed neque etiam nunc a Cisterciensibus dicitur, ut testatur Joannes Bona in l. de divina Psalmodia c. 16. §. 4. Præscribitur tamen in antiquis S. Dionysii in Francia cons. ubi hæc lego: „ (Eant ad collatio- „ nem, deinde ad Completorium, post percutiet unus „ Prior super sedem, & dicat unus ad alterum: *Confi- „ teor Deo*; deinde incipiatur a sacerdote Hebdomadario: „ *Converte nos*.)

XI. Psalmos ad Completorium tres sine antiphona, eosque quotidie repetendos S. Benedictus præscribit totidemque Magister c. 42. sed cum antiphona psalli instituit. Ex his celeberrimus omnium censendus est psalmus nonagesimus, quem etiam ad Petitionem S. Basilius, ad Completam S. Aurelianus decantari voluerunt. Dicto ultimo psalmo, nocturnum silentium incipiebant Parisienses nostri S. Germani, ut ex his verbis discimus MS. cons. „ (Et sciendum est quod post *Gloria* ultimi psalmi, non „ debet aliquis de conventu vocari ad licentiam, nec ali- „ cui loqui.)

XII. Psalmos sequebatur hymnus, quem pro temporis diversitate variabant; scilicet a Pascha ad Dominicam primam Novembris, omnibusque diebus XII. Lectionum, sive trium Lectionum solemnium, seu trium lectionum octav. dicebatur hymnus: *Te lucis ante terminum*; reliquo tempore: *Christe qui lux es, & dies*.

XIII. Post hymnum Lectio, Versus, *Kyrie eleison*, Benedictio & missæ sive collectæ subjiciuntur: Ubi S. Benedictus missis sive orationibus benedictionem præmittit; & tamen communis usus Ordinis obtinuit, ut non nisi post preces & collectam Benedictio detur, quemadmodum videre est in Vit. S. Aicadri Abbatis Gemeticens. „ (qui „ Completorio decantato, omnes sua sancta benedictione „ munivit, & eos Domino commendans simul cum eis ad „ cubile devenit;) n. 30. sæc. 2. p. 966. clarius in consuetudinibus S. Germani: „ (Postea, id est post versum: „ *Custodi nos*, dicatur: *Kyrie eleison*: *Christe eleison*: *Kyrie „ eleison*: *Pater noster*: *Credo in Deum*, & preces: *Be- „ nedictus es Deus Patrum nostrorum*, & alias, Oratio: „ *Visita quæsumus Domine*, & quando dicitur: *Et benedictio „ tua sit super nos semper*; unusquisque debet signare se: „ finita oratione dicetur: *Benedictio Dei omnipoten- „ tis*;) & iterum signabit se unusquisque tribus vicibus. Porro quod preces spectat, eas nobis sic exhibet Breviarium MS. ad usum S. Germani a Pratis.

Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum
Benedicamus Patri & Filio cum sancto Spiritu
Benedictus es Domine in firmamento cœli
Benedicat nos omnipotens Dominus
Dignare Domine nocte ista
Fiat misericordia tua Domine super nos, ut supra,

nempe ad Primam, ubi post ultimum hunc versiculum, alii decem subjiciuntur, quos etiam haud dubium dicebant ad Completorium. Apud Cluniacenses preces ad Completorium erant versiculorum septemdecim, ut discimus ex Udalrico l. 1. c. 2. Sed Casinenses videntur his sex, quos hic repræsentavimus, versiculis fuisse contenti; hi enim soli in eorum antiquissimo Breviario extant.

XIV. Benedictio, cujus hic prima verba referuntur, integra affertur in prædicto Breviario S. Germani Pratensis hoc modo: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus sancti descendat & maneat super nos: Amen.* Quæ formula est antiquissima, ut patet ex Hildemaro infra citando, & ad hæc nostra fere tempora apud nostros in usu fuit; illius enim meminit Boherius in t. comment. ad c. 17. neque aliam proferebant Bursfeldenses sed neque etiam Casalini.

XV. Hanc ad Benedictionem omnes in genua provoluti manebant, ita scribente Hildemaro in c. 20. Reg. S. B. „ (Ad ipsum officium Completorii tandiu debes jace- „ re, quousque dicat Sacerdos: *Benedictio Dei Patris, „ & Filii, & Spiritus sancti*; & tu erectus respondeas: „ *Amen*.) Triplexque, ut modo vidimus, crucis signum efformabant, idque fronti, ori, & pectori, ex Bursfeldensium Ordinario c. 13.

XVI. Quod autem a Sacerdote proferretur, Statutum erat Concilii Aquisgranensis c. 48. decernentis, „ [ut Be- „ nedictio post Completorium a Sacerdote dicatur;) & tamen Petrus Boherius in t. super Regulam S. B. commentario ad c. t. „ (Finita, *inquit*, conclusione oratio- „ nis, dicit Abbas vel Prior: *Benedictio Dei omnipotentis*, „ &c.) De Casinensibus suo tempore ita Bernardus Casinensis Com. Reg. S. B. c. 17. „ (Si autem Abbas „ est in Completorio præsens, hæc sibi benedictio reserva- „ tur; alias Sacerdos, qui agit officium, hanc benedictionem „ dicere consuevit.) Apud Bursfeldenses vero Ord. c. 13. datur a Præsidente.

XVII. Ab hac benedictione nemini fas erat abesse, ne quidem his qui justis de causis Completorio non interfuerant; hinc illud Lanfranci Statutum c. 16. „ (Dum „ regularem horam fratres in ecclesia dicunt, nullus comedat „ in refectorio, excepto solo Completorio; tunc enim li- „ cet iis qui aliqua utilitate impediti ante illam horam se „ expedire non possunt, & fratribus qui de foris veniunt, „ comedere in refectorio, qui si ante collationem inci- „ pientes comedere circa finem Completorii cœnam suam „ commode explere non valent, licet eis a mensa surgere, „ & in monasterium ad benedictionem ire, & postea in „ refectorium ad complendam cœnam redire;) & hac etiam forte de caussa in nostris olim monasteriis audito Completorii signo claudebantur monasterii portæ, ut minimum ipse janitor Completorio adsistens benedictionem percipere posset cum aliis, qua de re Anonymus in vita S. Agili Abbatis Resbacensis n. 20. sæc. 2. p. 324. „ (Con- „ suetudo talis erat, quod janitor ut signum pulsabatur ad „ Completam, confestim portas monasterii firmans, ei

claves

„ claves deferebat.) Ubi obiter observabis antiquum ritum nocte claves monasterii ad superiorum deferendi, quem etiam videre est in regula Cujusdam ad Virgines, ubi de Portariis ita c. 3. (Claves ostiorum, vel portæ „ nullatenus penes se nocte retineant; sed ad Abbatissam „ nocte deferentes præsentent, & mane post secundam „ recipiant.) (a) Sed ad Completorium revertemur. „ (Finito Completorio, *inquit* c. 1. *S. Dunstanus*, & ad „ ultimum more solito *Miserere mei Deus* decantato, „ addantur duo psalmi: *Deus in adjutorium meum*, & „ *Levavi* pro Rege, & Regina, & benefactoribus.) Hi nimirum sunt duo psalmi familiares dicti, quos post singulas horas dicere consueverant; eusdem assignant antiquæ Germaniæ consuetudines MSS. n. 33., totidemque recitabant olim Cluniacenses teste Udalrico l. 1. c. 2., licet alias ad horas quatuor psalmos cantare consuevissent. In MS. vero S. Germani Pratensis consuetudinibus legimus, „ (quod in diebus ferialis dicitur psalmus ad pre„ces *Miserere mei Deus*; postea, idest post benedictionem, „ ut opinor; dicetur Completorium Beatæ Mariæ, nisi „ fuerit festum duplex.) Bursfeldenses vero statuunt c. 13., ut data benedictione, dictisque pro revertentibus de via precibus, decantetur laus Beatæ Mariæ, hoc est antiphona cum collecta, deinde Completorium Beatæ Mariæ. De hujusmodi Laude Beatæ Virginis extat Decretum capituli Generalis Anglorum monachorum anno 1444. Northamptoniæ celebrati c. 2. apud Clem. „ (Ne serpens „ versutus quos vigilantes nequit subvertere, dormientes „ nactenter illudet; opus esse censemus, ante somnum „ ejus implorare suffragium, per quam extitit caput ipsius „ serpentis contritum: hinc est quod statuimus, ut sin„gulis diebus statim post Completorium in honore B. „ Virginis una in choro cantetur antiphona, tractim, pa„riter, & devote; post quam sequetur oratio de eadem;) quod jam diu sancitum fuerat in capitulo Provinciali an. 1343. ibidem celebrato, Reyn. in app. script. 63. Idipsum observabant etiam nostri Casalini; & ante hos omnes Floriacenses nostri, ut discimus ex MS. Statutis capituli Floriacensis Abbatum Floriaci, & Prioris ac conventus de Regula c. 4. „ (In fine Completorii loco anti„phonarum quæ dicuntur de B. Maria, videlicet: *Com„pleti sunt*, &: *Ecce completa sunt*, debet alia antiphona, „ scilicet: *Alma Redemptoris*, aut: *Salve Regina*, seu quæ„libet alia antiphona ad libitum cantoris singulis diebus „ in conventu solemniter decantari.)

XVIII. Denique finito B. M. Completorio, Bursfeldenses statuunt c. 13. „ (ut ab omnibus genuflexis, aut „ juxta tempus profunde incurvatis, dicatur: *Pater noster*: „ *Ave Maria*: *Credo in Deum*. Postmodum ad sonitum „ campanæ, ter *Ave Maria* a prostratis.) Hæc autem post Completorium campanam pulsandi consuetudo Bursfeldensibus est multo antiquior; nam antea consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Post Completorium, *inquiunt*, „ sonet unus Prior unam campanam ter parum; deinde „ fiant orationes ab omnibus:) & sub finem sæculi X. MSS. Consuetudines Germaniæ n. 33. „ (Finita Com„pleta primitus pueri faciunt tres orationes, & postea Ab„bas pulset tintinnabulum, tresque orationes fundit simul „ cum Fratribus.)

XIX. Hujusmodi campanæ sonitus signum erat ad faciendas tres orationes, de quibus Usus Beccenses: „ (O„mnibus per annum diebus post Completam prius a „ pueris, dein a reliquo conventu fiant tres orationes; a „ Pascha usque ad octavam Pentecosten, & omnibus fe„stis per annum, & die ante festum, & Octavis corpo„re tantum inclinato, reliquo anni tempore genu in „ terram deposito.) Nimirum ut diem ipsum a tribus orationibus inceperant, tribus pariter & claudere & terminare voluerunt. Has tres orationes ita nobis exhibet Concordia S. Dunstani: „ (In prima oratione canunt psal„mos: *Usquequo Domine*, & *Judica me Deus*: *Kyrie elei„son*: *Pater noster*, & preces: *Averte faciem tuam*: *Cor „mundum*: *Ne projicias*: *Redde mihi lætitiam*: *Gratias „tibi ago Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus*, „ *qui me dignatus es in hac die custodire per tuam sanctam „ clementiam: concede mihi hanc noctem mundo corde & „ casto corpore sic peragere, qualiter mane surgens gratum „ tibi servitium persolvere possim*; *Per Dominum nostrum „ &c.* In secunda oratione: *Deus misereatur nostri*, & *Nisi „ Dominus*; *Kyrie eleison*: *Pater noster*: easdem preces, „ quas supra ad collectam: *Deus cui omne cor patet*, & „ *omnis voluntas loquitur*, & *quem nullum latet secretum*, „ *purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis „ nostri; ut perfecte te diligere, & digne laudare merea„mur*: *Per Dominum nostrum &c.* In tertia oratione: *De „ profundis*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*, easdem preces, col„lect. *Omnipotens mitissime Deus, qui sitienti populo „ fontem viventis aquæ de petra produxisti, educ de cordis „ nostri duritia compunctionis lacrimas; ut peccata nostra „ plangere valeamus, remissionemque te miserante mereamur ac„cipere*: *Per Dominum nostrum &c.* *Omnipotens mitissime „ Deus respice propitius ad preces nostras, & libera cor no„strum de malarum tentatione cogitationum, ut Spiritus „ sancti dignum fieri habitaculum mereamur inveniri*: *Per „ Dominum nostrum*.

XX. In nostro S. Germani Pratensis cœnobio, finito B. Virginis Completorio, seu data benedictione, ante tres orationes dicebantur consequenter prænotati hic a Dunstano quinque psalmi cum his precibus & collecta. (ex MS. consuet. & breviario MS. S. Germ.)

Kyrie; *Pater noster*.
Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine
Deus meus illumina tenebras meas
Quoniam in te eripiar a tentatione.
Et in Deo meo transgrediar murum
Deus illuminatio mea, & salus mea:
Quem timebo.
Dominus protector meus a quo trepidabo.
Exurge Domine adjuva nos,
Et libera nos propter nomen tuum Domine.
Dominus vobiscum. *Et cum Spiritu tuo*.

Oratio: *Deus qui illuminas noctem, & lucem post tenebras facis; concede nobis, ut hanc noctem sine impedimento satanæ transeamus, atque matutinis horis ad altare tuum recurrentes, tibi Deo gratias referamus*.

XXI. Isthæc vero post Completorium quinque psalmos recitandi consuetudo est ex institutione magni quondam Benedicti Abbatis Anianensis, qui teste Ardone ejus discipulo in ejus vit. n. 52. sæc. 4. Bened. „ (Post Com„pletorium instituit, ut non pro libitu quis aut egredia„tur, aut moretur in Oratorio; sed hiemis tempore de„cem prius canat psalmos; æstate vero quinque; sicque „ pulsato signo omnes pariter, juxta præfatum modum, „ altaria cuncta circumeant, & sic ad lecta sua singuli „ pausaturi accedant.) Convenientius ergo ad primam institutionem Sangermanenses nostri psalmos quinque præmittebant orationibus, quas circumeundo altaria Benedictus Anianensis fieri voluit: Ita tamen ut „ (ad primum „ ex eis orationem Dominicam dicant & symbolum, cæ„teris orationem Dominicam, vel sua confiteantur delicta;) inquit Ardo discipulus ejus. Has ad orationes ita procedendum sanciunt consuetudines S. Germani a Pratis: Dictis supradictis quinque psalmis cum precibus, & collecta; „ (Pri„or surget, & ibit per medium chori ad orationes suas „ ante gradum, & conventus inclinabit eum; & postea „ deponent stalos suos, & sequantur eum unusquisque in „ ordine suo; & tunc Prior inclinabit se, & duo anti„quiores erunt juxta eum, & postea pueri habentes lan„ternas, & magister eorum debet esse in medio eorum; „ & quando Prior surget, omnes surgent, & signabunt se tri„bus vicibus, & tribus vicibus inclinabunt se; primo in „ medio chori, post ad dextram, & ultimo ad sinistram.)

XXII. De hac oratione a pueris etiam facienda ita scribit Hildemarus in suo super Reg. S. Benedicti Commentario c. 22. „ (Post Completorium autem signo fa„cto, debent exire de choro, & magister illorum debet „ accendere lucernam, & ire cum illis infantibus per sin„gula altaria oratorii, & per unumquodque altare usque„dum oraverint, unus magister in ante, alter magister „ vadat in medio, & tertius magister retro. Deinde de„bent ire ad necessaria naturæ cum lumine, & magister „ ipsorum cum ipsis, qui ad exitum voluerint venire.)

XXIII. Absolutis tribus orationibus, fiebat solemnis aquæ lustralis aspersio, idque a Sacerdote Hebdomadario ex Dunstani Concordia, Germaniæ consuetudinibus, S. Dionysii in Francia, S. Germani a Pratis; vel ab ipso Abbate ex lib. Usuum Cisterciensium; sive a Præsidente ut volunt Bursfeldenses. Quod duobus modis fieri contingebat; vel enim cunctos suis in locis stantes circumgyrando aspergebat, vel ipse stans ante ostium singulos ante se transeuntes conspergebat: Primum indicare videtur S. Dunstanus c. 1. „ (His peractis, *inquit*, con„spergantur a Sacerdote Hebdomadario benedicta aqua, „ & sic pergant ad requiem suam cum summa tranquil-

(a) In Nunbergensi S. Erendrudis Monasterio Virtadis Abbatissa fores Monasterii sui, quotidie nocte claudere, & mane reserare solebat, ut discimus ex Cæsario in lib. ir. S. Erendrudis num. 6. (Et mane ante diluculum venit ad portam Monasterii, expectans quando veniret Abbatissa, & januas reseraret, quod per se singulis diebus, & noctibus faciebant,) sæc. 3. Bened. part. 1. p. 352.

„ litatis voce, & reverentia;) Similiter consuetudines Germaniæ c. 53. „ (Et Presbyter spargit singulos benedicta „ aqua, sicque revertentur ad lectulos;) & consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Post orationes eat Sa„ cerdos ad aquam benedictam, de qua aspergit conven„ tum, post aspersionem eant omnes dormire usque ad „ Matutinas;) hic enim nulla fit mentio Fratrum ante Sacerdotem venientium; sed tantum eos spargere jubetur: Secundum præscribunt Sangermanenses consuetudines, in quibus Hebdomadarius Missæ primus exire de choro jubetur, tum additur: (Post orationes ibit Prior ad a„ quam benedictam, subsequente conventu; Hebdomada„ rius autem Missæ dabit eis de aqua benedicta;) Di„ vionenses S. Benigni c. 21. „ (Sacerdos Hebdomada„ rius ante alios exit de choro ad aquam benedictam, „ ut de ea singulos reverenter aspergat;) & liber Usuum Cisterciensium c. 82. „ (Completa autem oratione, „ exiens Abbas aspergat singulos aqua benedicta post se „ ordinatim egredientes:) Bursfeldenses vero in Ordinario suo c. 13. statuunt, ut „ [dato signo a Præsidente, sur„ gentes exeant: egressi vero stent ordinate foris ostium, „ præstolantes aspersionem aquæ benedictæ a præsidente „ faciendam.)

XXIV. Post aspersionem aquæ benedictæ, nulla interposita mora, ascendebant dormitorium, ut patet ex modo dictis, nisi quod S. Dunstanus permittit c. 1., ut „ (si quis post hæc devotionis suæ forte fervore hic „ diutius incumbere voluerit, agat quidem hæc, sed audito „ signo æditui, quo resides ad egrediendum vocat, nihil „ moretur:) Signum hoc æditui erat haud dubium ad obserandas ecclesiæ fores, quas nocte clausas tenebant, ut patet ex Vit. Sanctæ Liobæ ubi de monasterio Sanctæ Tertæ (c. 5. sæc. 3. part. 2. p. 248.) „ (Alio „ quoque tempore contigit, ut soror cui ostiorum cura com„ missa erat, cum post Completorium cubitum itura fores „ ecclesiæ obseraret, claves universas ipsa nocte nesciens „ perderet, &c.] & ex consuetud. S. Benigni c. 6. „ (Sa„ crista post Completorium attendit diligenter, ut porta„ rius cum aliis æque duobus, ne quis latro latendi pos„ sit habere occasionem: ostium deinde ecclesiæ claustro „ vicinum clausum sera obserat, & obfirmat clavi, „ quæ nimirum clavis a latere ejus noctu numquam re„ cedit.]

XXV. Ingressi dormitorium propriæ conscientiæ vacabant examini, antequam sese lectulo committerent: „ (Facta aquæ lustralis aspersione, *inquiunt Bursfeldenses in ord. c. 13.*, quisque petat cellæ secretum, præ„ euntibus junioribus, ad recolligendum se de negligentiis „ suis.) Idem Virginibus in sua Regula sciendum præscribit Ælredus Abbas: „ (Prostrata lectulo pudicitiam „ tuam commenda, & sic signo crucis armata, revolve „ animo quomodo die illo vixisti; si verbo, si opere, „ si affectu Domini tui oculos offendisti; si levior, si „ otiosior, si negligentior debito fuisti; si plus cibo cru„ dior, potu dissolutior metas necessitatis excessisti; si „ subreptum tibi aliquid horum deprehendis, suspira, pe„ ctus tunde, & hoc sacrificio reconciliatam sponso spon„ sus excipiet.) Hoc tamen præstabant olim, priusquam de ecclesia ascenderent in dormitorio, ut videre est in antiquo Ordine conversationis monasticæ, ubi sic lego: „ (Expleto officio, scilicet Completorii, summum si„ lentium teneant, & ore, & corde fiant orationes se„ cretæ, & recordatio peccatorum cum gemitu, & la„ crimis, & fletu, sine suspirio, ita ut nullus alii no„ ceat; tunc agans gratias Deo ita referendo: Gra„ tias tibi ago Domine &c. ut supra ex S. Dunsta„ stano, & sic cum magna cautela vadeat ad dormitori„ um.

XXVI. Præter diuturnam peccatorum suorum discussionem peculiaribus etiam orationibus incumbebant, de quibus Regula Abbatis Isaiæ c. 18. „ (Ora multum ante „ cubitum, quamvis defatigatus sis ab itinere;) & item c. 57. „ (Antequam vero cubitum eas, vigila per „ duas horas in oratione, & laudibus; & tunc corpori „ suo da requiem.) Specialius S. Fructuosus ipsas orationes sigillatim determinans: „ (Cum demum pergen„ tes ad cubilia, *inquit c. 2.*, atque in unum cuncti co„ euntes ob perfectionem pacis, & reorum absolutionem, „ cantatis tribus psalmis juxta morem, cum Laude & „ Benedictione, symbolum Christianæ fidei communi om„ nes recitent voce; ut fidem suam puram coram Domi„ no ostendentes, si, quod dubium non est fieri vel acci„ dere, ut nocturno quisquam tempore evocetur a corpore, „ commendatam jam fidem suam & expiatam ab omni „ scandalo conscientiam proferat ante Deum.) Hujusmodi orationis meminit etiam Regula cujusdam ad virgines c. 9., ubi appellatur *oratio ad somnum capiendum*; eamque commendat S. Athanasius in tract. de Virginitate his verbis: „ (Sive cubitum vadis ad somnum capiendum; „ sive cubitu surgis, non absistat hymnis Dei a labiis „ tuis.]

XXVII. His omnibus ita peractis, suo singuli sese collocabant in lecto, aliquas interim preces iterum recitantes, de quibus Ordo conversationis monasticæ c. 12. „ (Et dum ad proprium lectum frater accesserit, dum „ se collocat, dicat psalmum: *Deus in adjutorium meum* „ *intende* totum, cum *Gloria Patri*; & postea dicat ver„ sum: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circum-* „ *stantiæ labiis meis*; & sic muniat se signo venerabili „ S. Crucis, & dormiat in Domino: Amen.) & S. Fructuosus c. 2. „ (Post deinde adeuntes cubilia summo „ cum silentio, & abitu tacito, gressuque quieto: nec „ ullus se vel ultra cubiti spatium jungens ad alterutrum, „ vel saltem alium respicere audens, pergat ad lectulum „ suum; ubi sociæ orationi insistens, psalmosque recen„ sens, ultimo oratione suam quinquagesimi psalmi reci„ tationem atque oratione consummet: nec strepere, nec „ mutire ausus, aut excreare, cum gratia nocturni so„ mni capiat silentium.) Neque vero hic prætereundum est, quod monet Guigo Cartusiæ majoris Prior ad suos fratres de Monte Dei, sic scribens c. 52. „ (Iturus „ ad somnum semper aliquid defer tecum in memoria, „ vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod non„ numquam etiam somniare juvet, quod etiam vigilantem „ te excipiens in statum hesternæ intentionis restituat: „ sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illumi„ natio tua erit in deliciis tuis, placide obdormies, in „ pace quiesces, facile evigilabis, & surgens facilis, & „ agilis eris ad redeundum in id, unde non totum disces„ sisti.] Sic haud dubium gerebat se sanctissimus Cluniacensis Abbas Odilo de quo Jotsaldus Monachus in ejus vita c. 5. apud Boll. Janu. 1. „ (Cum sæpius illum psallentem „ somnus exciperet, tamen psalmus ab ore dormientis non „ recedebat; ut si nescires, vigilare eum putares.) Vid. ejus decessoris S. Majoli vit. authore Syro l. 3. n. 37.

XXVIII. Omnibus suis in lectis compositis S. Dunstanus præscribit, ut iterum aqua lustrali conspergatur dormitorium: „ (Omni etiam nocte, *inquit c. 1.*, post „ Completorium aspergatur domus requietionis eorum, „ recumbentibus eis, propter illusiones diabolicas,) & MS. cons. Germetiæ n. 18. Hebdomadarii Sacerdotis est, „ (Post Completorium super fratres aquam benedictam „ spargere, & per omnes illorum lectulos;) S. Fructuosus autem perlustrari a Præposito lecta imperet c. 3. „ (Præpositus in medio consistens dormitorio, quo adus„ que cuncti quiescant; omnibus jam cubantibus circu„ meat silenter lecta singulorum, ne quis aut tarde se „ jactet, aut extra regulam occultis mussitationibus va„ cet; & ut plenius perscrutans gesta singulorum & me„ rita, intelligat, quem quomodo veneratus ut suscipiat. „ Similiter & aut Decanus alius, aut quisquam a fratri„ bus bene probatus assistat in secessu communi, quous„ que quieti se tradant cuncti; ne aut fabulas inter se „ ventilent vanas, aut ridiculis studeant, aut quodlibet „ noxiale vitium consuescant;) & Regula cujusdam ad Virgines c. 2. „ (Itemque post Completam lectos omni„ um cum luminaribus visitent Præpositæ, ut omnium „ expergiscentem sensum, vel tepescentem ex oratione „ agnoscant.) Idipsum præstabat in Gemeticensi cœnobio S. Aicadrus Abbas, ut scribit Anonymus in ejus vit. n. 30. sæc. 2. p. 967. „ [Itaque fratribus in lecto locatis, totum dormitorium lustrando gyravit, seque Domi„ nicæ custodiæ in loco destinato statuit, hanc orationem „ decantans: Suscipe Domine preces nostras, & muro cu„ stodiæ tuæ hoc sanctum ovile circumda, & omni ad„ versitate depulsa, sit hoc semper domicilium incolumi„ tatis & pacis per Dominum nostrum &c. Finita deni„ que oratione, & ob confirmationem dicentes: Amen, „ convertit se ad Dominum, &c.]

XXIX. Denique Bursfeldenses volunt, sera obfirmetur dormitorium dum quiescunt ibidem monachi: „ (Prior „ autem ante signum repositionis januas dormitorii firma „ clausura muniri procuret.) Neque solum dormitorium „ nocte obserabatur, sed etiam claustrum, ut patet ex cons. S. Benigni supracitatis, & ex vita S. Stephani Abbatis Obazinensis l. 3. n. 13. tom. 4. Misc. Baluz. „ (Et „ quia idem claustrum ea pote nocturnis horis obseratum „ erat, festinanter ad ecclesiam pertexit, &c.)

XXX. Porro dormire extra dormitorium absque

gravi

grevi alique necessitate nemini fas erat; qua de re habemus statutum Floriacensis capitoli Abbatis Flor. & Prioris ac Conventus de Regula anni 1244. „ [Omnes in „ uno dormitorio simul ordinate jaceant, exceptis iis, quos „ pro necessitate monasterii solus Prior viderit excludendos.) Idem statuitur in decretis capituli Generalis Provinciarum Bituricensis, & Burdigalensis in monasterio S. Augustini Lemovicensis an. 1367. celebrati, in quibus exprese prohibaitur, ne ulli etiam officiarii extra dormitorium jaceant, alioquin disciplinæ subjaceant, „ (vel portionem „ quotidianam non recipiant consuetam, in usus pauperum „ convertendam;] & Capitulum Generale Anglorum monachorum an. 1444. c. 2. „ [A Completorio omnes tam „ obedientiarii, quam alii cum conventu ad dormitorium „ se transferant ad pausandum, nec aliunde se divertere „ valeant, nisi licentiam habuerint specialem, quam quidam a Præposito concedi firmiter inhibemus, nisi subsit causa rationabilis atque justa, vel nisi Major in monasterio cum aliquo ex caussa justa, vel meriti exigentia dispensare voluerit.) Ab hac tamen lege Cistercienses (l. Us. c. 82.] eximere videtur Sacristam, Cellerarium, custodem infirmorum, Hospitalarium, & alios forsan, quibus etiam Bursfeldenses locum alium dormitioni aptum deputent ; & certe quod Sacristam spectat, olim in aliquo ecclesiæ angulo proprium lectulum habebat, ut patet ex vit. S. Liudgeri l. 2. n. 19. sæc. 4. Bened. ex histor. transl. S. Mauri n. 22. ibid. ex serm. de S. Marculfo n. 2. ibid. ex Lamberto monacho Treviensi in hist. de Inventione & mir. S. Mathiæ n. 9. apud Bol. 24. Febr. ex vit. S. Petri Urseoli n. 14. sæc. 5. & ex cons. S. Benigni.

XXXI. Tandem quod jam observasse debueramus, sero post Completorium, vel etiam antea, omnia Monasterii loca Abbas perlustrabat, una cum socio, ut videre est in actis S. Agili Abbatis Resbacensis, ubi describitur n. 20. „ (Vespere circumiens officinas Monasterii . . . omnis tantum potius fratre solano, qui vocabatur Brandonus) & in vit. S. Stephani Abbatis Obazinensis Ord. Cist. l. 2. n. 54. sæc. x. p. 322. „ [Dum quadam die Sabbati post „ Completorium officinas circuiret ex more &c.) Tom. 4. Misc. Baluz.

XXXII. Tanta vero erat apud eos silentii nocturni religio, ut si quis vel minimum strepitum edidisset, aut aliorum somnum in aliquo perturbasset ; statim ad Crucem poenitentiæ gratia ire jubebatur : Extat hujus rei exemplum in vita S. Austrobertæ Abbatissæ Pauliacensis n. 15. sæc. 3. part. 1. p. 34. „ [Die quadam matutinis „ expletis, cum sorores fessis corporibus post laborem se „ in lectulis collocassent, in ipso lucis crepusculo, cum „ aurora terram perfunderet, & ipsa volens cognoscere, „ an cunctæ quiescerent, progrediebatur leviter per dormitorium, inspiciens lectulos singularum ; evigilansque „ Præposita nesciens esse Dei famulam, valde eam increpavit, dicens : Cur ita agis Soror, quoniam inquietas quiescentes? vade, inquit, ad Crucem : Illa autem gavisa „ cucurrit quantocius.] Idem erit usus in Stabulensi Monasterio, ut patet ex Vit. S. Landeberti Episcopi n. 5. qui cum mediante nocte orationis caussa surrexisset „ (porrectaque manu arreptisque sandalibus, de quibus „ unus elapsus corruens de manu ejus cecidit in pavimentum, sonusque ejus quiescentium aures inquietavit. „ Hæc audiens Pater Monasterii nesciens, quis hoc egisset, ait qui istum sonitum fecit, statim ambulet ad „ Crucem. Tunc Sacerdos religiosus illico obedientiam „ sine mora sequens &c.]

Sed de his satis, nosque interim dum quiescentes in dormitorio fratres relinquimus, ab hujusce de Veterum Monachorum ritibus libri lucubratione quiescamus.

LIBER SECUNDUS.

DE RITIBUS

PER HEBDOMADAM, ET MENSEM OCCURRENTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Dominica, & primo de nocturnis ejus vigiliis.

I. QUos in fine prioris libri dormientes dimisimus veteres Monachos, hos in hujusce principio ad celebrandas diei Dominicæ vigilias nocturnas iterum excitare necesse est. Nimirum ut singularis est inter alias dies Dominica; ita singulares eam decebant vigiliæ, licet eodem modo, ac ritu apud Ægypti Thebaidisque Monachos, ut privatis diebus, celebratas fuisse Cassianus indicare videatur l. 2. c. 6. nempe cum 12. psalmis, totidemque orationibus; quibus binas addebant lectiones, suos hoc duntaxat discrimine, quod privatis diebus, una ex Veteri, altera ex Novo dicebatur Testamento; Sabbatis vero Dominicisque diebus utraque de Novo; scilicet una de Apostolo, vel Actibus Apostolorum, alia de Evangeliis. De reliquis Orientis Monachis nihil certi, aut explorati habemus.

II. Si tamen de Dominica, ac de Sabbato, quorum par fuit apud eos cultus, similis ubique solemnitas, & devotio, idem judicium ferre liceat; certo affirmare poterimus eos per totam fere noctem, si postremas duas horas excipias, vigilias insomnes perduxisse; tales enim eorum Sabbato vigilias describit Cassianus his verbis lib. 3. c. 8. „[Sane vigilias, quæ singulis hebdomadibus a Vespera illucescente Sabbato celebrantur, idcirco seniores hyemali tempore, quo noctes sunt longiores, usque ad quartum gallorum cantum per Monasteria moderantur; ut post excubias totius noctis reliquis duabos ferme horis reficientes corpora sua, nequaquam per totum diei spatium somni torpore marcescant, requie brevis hujus temporis pro totius noctis refectione contenti.) Quod confirmat Cyril. Scythop. in vit. S. Sabæ n. 32. tom. 3. mon. Eccl. græc. p. 265. „(Sanxit etiam, ut Sabbato quidem synaxis in Ecclesia e Deo condita, Dominica vero in Deiparæ templo celebraretur, nec non sine intermissione a Vespera usque ad mane vigiliæ in utraque Ecclesia diebus festis & Dominicis fierent.]

III. Quas porro per tantum temporis spatium preces persolverent, non satis indicat Cassianus, cum ait: „(Est tripartitis distinguunt officiis, ut labor hac diversitate divisus, delectatione quadam defectionem corporis relevet. Nam cum stantes Antiphonas tres concinuerint, humi post hæc vel sedilibus humillimis insidentes tres psalmos uno modulante respondent, qui tamen singuli a singulis fratribus vicissim succedentibus sibi præbentur, atque bis sub eadem quiete residentibus ternas adjiciunt lectiones.) Nisi forte quis dicat, repetitis eos vicibus idem pluries præstitisse, ut dictis tribus lectionibus, tres aliæ succederent antiphonæ, quibus tres alios subjungerent psalmos, psalmisque lectiones totidem; neque enim placet, quod dicit nonnemo, antiphonas, atque lectiones illas valde fuisse prolixas, aut lente admodum fuisse decantatas.

IV. Clarius atque distinctius, qui per Occidentem Monachis tradiderunt regulas, vigiliarum Dominicarum officia precesque describunt: Sanctus Cæsarius in sua ad Monachos Regula Dominicas vigilias in hoc duntaxat discernit a nocturnis dierum privatorum, quod privatis diebus tres tantum missas, sive orationes, cum lectionibus dici velit, Dominicis vero sex, quibus subjungit Matutinos: (Omni Dominica, *inquit* c. 21., sex missas faciete: Prima missa semper resurrectio legatur; dum resurrectio legitur, nullus sedeat; peractis missis dicias Matutinum.) Missam autem hic intelligo orationem simul cum lectione; nam lectionibus orationes præmittit, & immiscet privatis diebus S. Cæsarius, ut patet ex c. 20. Resurrectio vero, cujus hic fit mentio, est Lectio ex Evangelio de Resurrectione Domini, quæ alternis Dominicis mutabatur, ut patet ex ejusdem Regula ad Virgines, ubi idem præscribit his verbis n. 69. apud Boll. xit. Jan. „(Omnibus vero diebus Dominicis ad vigilias Evangelia legantur, sed semper in prima missa non resurrectio legatur, altera Dominica, altera resurrectio, sic & tertia, sicque quarta.) S. Aurelianus Cæsario subscribit in utraque ad Monachos, & ad Virgines Regula, aut certe parum ab eo discrepat.

V. S. Benedictus Veterum Monachorum æmulatus exempla, nocturnas Dominicæ vigilias ab hora noctis octava, vel etiam prius ad auroram usque perduxit (ut probavimus in commentario; ideo enim Matutinos, qui *incipiente luce* dicendi sunt, vigiliis conjunxit) quaas perpluas ad privatarum noctium vigilias superaddidit, nempe lectiones novem, totidemque responsoria, tria cantica, hymnum *Te Deum laudamus*, lectionem de Evangelio, hymnum *Te decet laus*, & Benedictionem, quæ omnia videre est in ejus Regulæ c. 11. ubi sic loquitur: „(Dominico die temperius surgatur ad vigilias. In quibus vigiliis teneatur mensura, idest modulatis, ut supra disposuimus, sex psalmis, & versu; residentibus cunctis disposite, & per ordinem in subselliis; legantur in codice, ut supra diximus, quatuor lectiones, cum responsoriis suis, ubi tantum in quarto responsorio dicatur a cantante *Gloria*, quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant; post quas lectiones sequantur ex ordine alii sex psalmi, cum antiphonis, sicut anteriores, & versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones, cum responsoriis suis ordine quo supra. Post quas iterum dicantur tria cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas, quæ cantica cum alleluja psallantur. Dicto etiam versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de Novo Testamento ordine quo supra. Post quartum autem R. incipiat Abbas hymnum *Te Deum laudamus*, quo perdicto legat Abbas lectionem de Evangelio, cum honore, & tremore stantibus omnibus; qua perlecta respondeant omnes: *Amen*; Et subsequatur mox Abbas hymnum *Te decet laus*, & data benedictione incipiant Matutinos.) Hactenus S. Benedictus, cujus verba postea exponemus.

VI. S. Columbanus etiam reverendissimis Sabbati, ac Dominicæ noctibus divini cursum officii plurimum auxit; sed ejus textus cum adeo sit obscurus, ut vix intelligi possit, sensum ejus tantum hic referimus ex cap. 7. „[Itaque habita ratione temporum brevium, longiorumque noctium, statuit ut hyeme, idest a Calendis Novembris ad Calendas Februarii, ad reverendissimas Sabbati, ac Dominicæ noctes septuaginta quinque psalmi cum antiphonis viginti quinque decantentur; ita ut singulis tribus psalmis una interseratur antiphona, & totum psalterium duabus illis noctibus ex integro decurratur. A Calendis vero Februariis ad Calendas Majas singulis hebdomadis ternos detrahit psalmos, cum una antiphona; ita ut Sabbato Calendis Majis proximo triginta sex tantum psalmi cum antiphonis duodecim dicantur, sicque fiat per totum tempus, quod a Calendis Majis ad solstitium æstivale, seu 8. Calendas Julias intercedit; e solstitio vero æstivali sensim augeatur cursus nocturnus Sabbati, & Dominicæ per tres psalmos, usque ad Calendas Novembris, in quibus psalmi 75. cum antiphonis 25. decantandi sunt.) Vid. Carol. Cointium Ann. Eccles. Franc. ad an. 590. n. 43. & sequentibus.

VII. S. Columbano in omnibus pene concinit S. Donatus in sua ad Virgines Regula c. 75. nimirum „[Itaque hyeme quæ a Calendis Novembris incipit, & finit in Calendis Februarii) psalmis septuaginta quinque, cum antiphonis 25. noctes Sabbati, & Dominicæ consecrat, a quibus primo post Calendas Februarii Sabbato 15. psalmos cum antiphonis 5. detrahit; ita ut psalmi 60. cum antiphonis 20. dicantur: deinde alternis hebdomadis usque ad æquinoctium veris tres psalmos cum una antiphona; ab æquinoctio vero veris ad Calendas Majas tres etiam psalmos cum una antiphona singulis hebdomadis, ita ut Calendis Majis triginta sex psalmi duodecimque antiphonæ persolvantur; sicque per totam æstatem, usque

ad æquinoctium autumnale, sive ad 8. Calendas Octo. brit fiat. Ab æquinoctio vero autumnale ad Calendas Novembris ita cursum auget, ut Sabbato primo 5. choræ, sive quindecim psalmi cum antiphonis 5. superaddantur, reliquis vero Sabbatis singulis singulæ choræ, sive tres psalmi, & una antiphona; ita ut ad Calendas Novembris psalmi 75. & antiphonæ 25. dicantur.

VIII. S. Isidorus c. 7. Dominicis noctibus unicam tantum missam superaddere videtur. Sanctus Fructuosus mentem suam ita explicat c. 3. „ (Sabbatorum vero, & „ Dominicarum noctium curricula seno missarum super ad„ jecto officio, senis etiam missis vigiliæ, cum senis re„ sponsoriis celebrentur, ut Resurrectionis Dominicæ so„ lemnitas ampliori officiorum psalmodia magis hono„ retur.)

IX. Regula cujusdam ad Monachos n. 30. ad antiquam Orientalium Monachorum praxim accedit: „ (In his ve„ ro conventibus, inquit, idest Sabbati, & Dominicæ, us„ que ad gallorum cantus missæ celebrandæ est, & quo„ modo vires uniuscujusque sufferre poterint, excubiæ pe„ ragendæ sunt.] Ubi gallorum cantum non pro primo, qui fit post mediam noctem; sed pro ultimo cantu, qui proxime antelucem auditur, sumendam existimo; hoc enim sensu frequenter *gallorum cantus* simpliciter prolatus sumitur apud authores; ut videre est in Regula S. Columbani c. 7.

X. Magister denique nocturnas Dominicæ vigilias non immutat; sed præscribit tantum c. 45. ut „ (omnibus „ diebus Dominicis Benedictionibus dictis, omnes anti„ phonæ, vel responsoria, cum alleluja dicantur usque „ ad secundæ feriæ nocturnam: & genua non flectan„ tur, quia Dominica Paschalis Resurrectio imputa„ tur.) Sed ad S. Benedicti textum nostrorumque ritus redeamus.)

XI. Igitur Sanctus Benedictus, qui privatis diebus duos dumtaxat nocturnos ad vigilias præscripserat, tres omnibus diebus Dominicis assignat; ita ut sex psalmi singulis duobus primis nocturnis, quemadmodum privatis noctibus, dicerentur: ad tertium vero nocturnum, ne recederet a sacrato 12. psalmorum numero, tria cantica cum antiphonis, aut alleluja canendis psalmis, vel canticis quatuor lectiones subjungit cum totidem responsoriis, Dictoque postea hymno *Te Deum laudamus*, lectione de Evangelio, hymno *Te decet laus*, tandem benedictione sive collecta totum terminat officium. Hic in omnibus persolvendis certos quosdam ritus adhibuerunt Patres nostri, in quibus referendis nunc incumbendum est.

XII. In primis Invitatorium, quod privatis diebus ab uno dumtaxat *Hebdomadario Invitatorii* dicebatur, Dominicis diebus a duobus, nempe ab Hebdomadario, & ab eo, qui præcedenti hebdomada Hebdomadarii vicibus functus erat, concinebatur: Ita liber Usuum Cisterciensium agens de Vigiliis Dominicis: „ (*Venite exultemus*, inquit „ c. 68. cum Invitatorio dicatur ante gradum Presby„ terii a duobus fratribus; illo videlicet, qui præ„ sentem facit Hebdomadam Invitatorii, & illo, qui præ„ teritam fecit:) Quod etiam observabant Cluniacenses, quoties apud eos a duobus Invitatorium diceretur, ut patet ex Udalrico l. 2. c. 29.

XIII. Psalmos, uti privatis diebus, cum vocis modulatione cantari voluit S. Benedictus, sed hoc omnino cum longe majori gravitate: Hos ad psalmos antiphonas præmittebant, unam scilicet singulis duobus psalmis. Primam ex MS. consuetudinibus Germaniæ n. 12. imponebat Hebdomadarius cantus sive melodiæ, secundam tertiamque Abbas in utroque nocturno, ad cantica prædictus Hebdomadarius: cum vero singulis psalmis præmitterentur antiphonæ, reliquæ a prioribus suo dicebantur ordine: „ (Hoc sit offi„ cium Hebdomadarii melodiæ: Primam in primo noctur„ no, & secundam ad Matutinum inchoet antiphonam, „ & ad Cantica ..... Domnus Abbas secundam & „ tertiam tam in prima nocturna, quam in secunda, seu „ matutina possideat omni tempore antiphonam: octa„ vum quoque R. & duodecimam lectionem; a Priori„ bus deinde incipiantur antiphonæ per ordinem veniendo „ ad juniores.) Apud Cistercienses primam ad vigilias antiphonam Abbas imponebat, psalmum vero secundus ab eo, reliquas antiphonas omnes ordine quique suo descendendo ad inferiores, vel pro ut notati erant; ita tamen ut cum clericorum ultimus suam intonaret antiphonam, psalmum imponeret superior ab illo; ita enim habet liber Usuum c. 68. „ (Abbas incipiat primam antiphonam, vel „ alleluja in primo nocturno; qui si defuerit, ille qui „ prior est in illo choro, in quo est invitatorium. Cæte„ ra vero alleluja Hebdomadarius: qui autem incipit anti„ phonam, aut alleluja, reverenter, & paululum a podio „ semotus stet usque ad metrum, nec inclinet, donec „ primus versus impleatur. Psalmum autem incipiat, & „ intonet, qui juxta eum stat inferior, tam per diem, „ quam per noctem, similiter semotus a podio usque ad „ metrum. Illo tamen, qui novissimus est Clericorum, in„ cipiente suam antiphonam, tunc tantum qui superior „ illo est, psalmum imponat .... Et notandum, quia „ quotiescumque ille, qui novissimus in choro est, antipho„ nam suam imposuerit, tunc penultimus, & alii superiores „ ordine retrogradiendo antiphonas, quotquot supersunt in „ eodem choro dicendæ, etiamsi quis eorum aliam anti„ phonam ad idem officium imposuit, incipiat.... Quod „ si antiphona adscripta fuerit Abbati, & ipse dixerit: „ si Invitatorium in dextro choro fuerit, ille qui „ juxta eum stat, incipiat eam, deinde suam. Si autem „ in sinistro, similiter faciat. Eodem modo unusquisque „ incipiat antiphonam illius, qui superior illo stat, si „ defuerint. In nostro Sancti Germani Pratensis Monasterio primam antiphonam incipiebat Hebdomadarius cantus, alias vero pueri, ut videre est in MS. consuet. ejusdem Monasterii. At merito dubitaverit aliquis, an is fuerit tempore Sancti Benedicti antiphonarum usus, quas olim, saltem aliquibus in locis, ad singulos psalmorum versiculos repetebant. Sub finem ultimi psalmi cujusque nocturni lectiones decantaturus accedebat ad analogium: „ (Lectu„ rus lectionem, inquiunt Bursfeldenses in ord. c. 9., dum „ dicitur penultimus versus sexti psalmi ante *Gloria Pa„ tri*, accenso lumine accedat ad gradum; & facta ibi„ dem profunda inclinatione, incedens per medium cho„ rum cum gravitate humilitateque se paruumper ante Ab„ batem, veniat ad analogium; ubi mox finito versiculo, „ inclinans se versus præsidentem, eadem voce qua lectu„ rus est, benedictionem (a) petat. Qua percepta non „ legat, donec tumultus residentium conquiescat. Lectio„ ne autem finita, eadem disciplina qua venerat, redeat „ ad gradum; & ibidem supra genua prostratus veni„ am petat. Ita se gerat, qui primam, qui quintam, & „ qui nonam leget lectionem: qui autem cæteras lecturi „ sunt, caute legere, dum responsorium canitur ante „ versum.) Hæc illi, quæ desumsisse videntur ex lib. Usuum Cist. c. 68. Quem porro in dicendis lectionibus servarent ordinem, aliunde repetere oportet. Hildemarus, cujus hac in re plurimum valere debet authoritas, in suo super Regulam S. Benedicti Commentario ad c. 38. ita scribit: „ Iste ordo debet esse in ecclesia legendi: Prius debent le„ gere quatuor infantes, deinde quatuor Presbyteri, deinde „ tres Diaconi, postea Abbas.) Ultimam ergo lectionem Ab-

(a) Has benedictiones accipe ex antiquo codice Colbertinæ Bibliothecæ nor. 6001. ab annis circiter 700. exarato.

Benedictiones Lectoribus.

Heredes regni cælestis nos faciat pietas Patris.

Alia.

Regum Regem sentiamus propitium Jesum Christum Dominum nostrum.
Spiritu principali nos repleat gratia conditoris nostri.
Trinitas Sancta repellat a nobis vitia cuncta.
Ille nos benedicat, qui sine fine vivit & regnat.
Ineffabilis Deitas ad amorem sui erigat mentes nostras.
Ignem sui amoris accendat Dominus in cordibus nostris.
Omnipotentis gratia deducat nos ad æterna gaudia.
Lumine suæ claritatis mentes nostras irradiet propitiatio Trina majestatis.
Ille nos protegat per tempora, cujus est in sæculum misericordia.
Auxilium suæ pietatis impendat Dominus nobis.
Preces in se sperantium exaudiat Rex Regum.
Dominus virtutum, & Rex gloriæ nos dignetur benedicere.
Pax Christi multiplicetur in cordibus nostris.
Rex Regum respiciat in auxilium nostrum.
Redemtor omnium repleat in bonis desiderium nostrum.
Consortes supernorum civium faciat nos Rex Regum.
Propitians divinitus visitando purificet mentes nostras.
Ille nos benedicat per tempora, qui dixit, lux fiat, ante sæcula.
Virtus & salus omnium intendat in adjutorium nostrum.
Preces supplicum benignus exaudiat Dominus.
Trinitas inseparabilisque Unitas Deus nos benedicat.
A præsenti tribulatione, & ab æterna damnatione eripiat nos Rex gloriæ.
Æternus Dominus æternam benedictionem nobis conferre dignetur.
Gressus nostros Dominus ab errore convertat, & viam pacis & caritatis ostendat.

Abbati tribuit, idque usus in omnibus Ordinis nostri Monasteriis obtinuisse videtur, ut prope infinitis testimoniis comprobari potest. Luculentum nobis exhibet Odo Abbas Glannofoliensis in historia Transl. S. Mauri n. 21. „(Tempore Gauzlini Abbatis in solemnitate Innocentium, cum nocturnum officium fratres in ecclesia S. Salvatoris celebrarent, & duodecimam lectionem idem Abbas, ut *in Congregationibus Monachorum mos est*, recitaret &c.) Sæc. 4. part. 2. 177. Idipsum videre est in MS. Germaniæ consuetud. supr. cit. n. 12. apud Udalricum in consuetud. Cluniacensium l. 3. c. 2., ubi sic loquitur „(Quamdiu est (Abbas) in conventu, numquam omittitur, ut non ad octavum responsorium noteur, & ad duodecimam lectionem, ad quam incedenti & recedenti universi assurgunt;) & in libro Usuum, & Rituali Beccensis Monasterii „(ad octavum Rⱼ. & ad XII. lectionem Abbas scribitur.) Extat etiam nunc in nostro S. Dionysii in Francia Monasterio ad Usum Abbatis, vel eo absente, Prioris hac de re Codex MS. in quo lectio XII. cum VIII. responsorio pro omnibus XII. lectionum festis descripta habetur.

XIV. Ex antiquis Germaniæ consuetudinibus n. 12. „(Octava quoque lectio librorum inspectori, & XII. responsorium Cantori omni tempore assignetur.) Sed tam in Rituali, quam in libro Usuum Beccensium „(ad octavam lectionem, & ad XII. responsorium Prior scribitur,) de reliquis vero lectionibus id tantum accipere liceat, quod habent Germaniæ consuetudines: „(A Prioribus, incipiantur antiphonæ per ordinem veniendo ad juniores; sed responsorium a junioribus derivetur ad Priores; similiter lectiones.)

XV. Idipsum observant etiam nunc Carthusienses Monachi, in quorum antiquis statutis hæc lego: „(In officio duodecim lectionum, qui inferior est ordine, primam lectionem legit, & singuli per ordinem singulas. In officio trium lectionum tres lectiones legimus; unus de inferioribus primam, de mediocribus secundam, & de superioribus tertiam;) & in nova collectione Statutorum p. 1. c. 12. n. 1. „(Diebus XII. lectionum Prior semper legit duodecimam, & ultimus in ordine licut sit novitius primam, & sequuntur singuli per ordinem, alias etiam ipse Procurator, si aliqua evenerit ei.)

XVI. Quod pertinet ad responsoria ex MS. Germaniæ consuetudinibus Hebdomadarius melodiæ primum *clarificet responsum*. Reliqua vero responsoria a junioribus ad Priores derivare debent. In MS. etiam consuetudinibus tam Compendiensis, quam Sandionysiani Monasterii primum Responsorium Cantor concinere jubetur. Octavum responsorium ad Abbatem pertinebat, ut patet ex dictis. Duodecimum vero ad Priorem: quamquam in antiquis Germaniæ S. Dionysii in Francia, & Compendiensis Monasterii consuetudinibus duodecimum *Cantori* assignetur. Porro antiquæ Germaniæ consuetudines præscribunt, ut „(uniuscujusque nocturnæ quartum responsorium post *Gloria* a capite repetatur, & excelsius cantetur.) Saltem in summis festivitatibus.

XVII. „(Finito ultimo responsorio, hymnum *Te Deum laudamus* Abbas imponere jubetur, quem dum cantant fratres, humiliant se ad *Sanctus*, *Sanctus*, surgentes ad *pleni sunt*, & dum finiunt canticum, vertant se ad Altare,) inquit lib. Usuum Cistarc. cap. 68. Hanc autem humiliationem ita explicant Bursfeldenses in Ordinario c. 9. „(Humiliet se chorus contra chorum profunde inclinantes ad *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, erigentes se ad *Dominus Deus Sabaoth*;) adduntque: „(Ad versum autem *Te ergo quæsumus*, prosternent se universi recumbentes super formas usque ad finem versus, qui cantari debet aliquantulum maturius cæteris ab utroque choro in simul . . . . . Ita autem ut post finem talis clausulæ inter surgendum modice respiretur . . . partem vero ultimi versus hujus hymni, scilicet: *Non confundar in æternum*, uterque chorus similiter cantet.)

XVIII. His adde, quod de S. Odilone Abbate Cluniacensi scribit Petrus Dam. in ejus vit. c. 3. apud Boll. 1. Jan., quod „(constitutus in choro, psallentium, cum ad illum veniretur ex modulantium alternatione versiculum: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*, in terram se prosterneret.)

XIX. Lectio S. Evangelii ex Regula pertinet ad Abbatem, & tamen ex communi ordinis usu Sacerdoti Hebdomadario commissa est, cujus rei exemplum tradit Anonymus in l. 5. de gestis SS. Rotonensium c. 1. sæc. 4. p. 2. p. 215. „(Peractis vero responsoriis cum lectionibus, tempus adest, quando S. Evangelium recitari fratribus debuisset; tunc unus ex fratribus Presbyter religiosus Omin nomine ex more se induit sanctis Vestibus, & cœpit Evangelium legere cunctis stantibus, & cum silentio attente audientibus.) Ritum ita exponit Udalricus in antiquis Cluniacensis Monasterii consuetudinibus l. 1. c. 30. ubi agens de Sacerdote hebdomadario ita habet: „(Quoties autem fiunt XII. Lectiones, post nocturnos lecturus Evangelium non prius exit de choro, quam ex alternatione modulantium ventum fuerit ad illum versiculum: *Pleni sunt cœli & terra*; & tunc festinanter lavatis manibus, sacrarium intrat, vestitus alba, stola, & casula; rursus versiculo illo imposito: *Per singulos dies*, præcedit tenens ambabus manibus Evangelii textum reverenter contra pectus reclinatum, quem etiam accedens ponit in medio altaris, & cum incenso facit super eum crucis signum semel tantum; inclinat se ad orationem maxime Dominicam; ad ultimum versum hymni præsignati erigens se tollit textum de altari deosculato, & pergit ad analogium; contra quem etiam conventus totus conversus inclinat; mutatis laudibus inceptis non movet se a loco usque dum dicatur cum aliis: *Gloria Patri*, & aliquantulum inclinans; quibus se erigentibus ipse quoque recedit: verum semper accelerat, ut prius sit reversus in chorum, quam prius psalmus finiatur;) & Boherius in c. super Regul. S. Benedicti Commentario ad c. 11. „(Mos autem apud nos inolevit, quod semper Hebdomadarius Missæ majoris hoc legit Evangelium. Indutus Sacerdotalibus indumentis, & altare incensato, venit ad pulpitum contra altare positum, in quo legere habet Evangelium; & facta humili supplicatione ante & retro, salutatoque populo, ac Evangelio thurificato, ipsum legit. Et hoc verum est cunctis diebus Dominicis, & festivis; aliis autem diebus simplicibus XII. lectionum non induitur Presb. vestibus sacris; nec legitur, in dicto pulpito ante altare; sed in analogio, ubi lectiones leguntur;) & in consuetudinibus Monasterii S. Germani Pratensis: „(Incipiet Prior *Te Deum laudamus*; tunc Hebdomadarius Missæ ibit accipere albam, stolas, & manipulum, & casulam; & accipiet librum Evangeliorum, & ibit ad magnum altare cum sociis suis; videlicet tribus Monachis, quorum duo portabunt duos cereos, & alter thuribulum; & veniens coram altari, inclinabit, & faciet orationes suas privatas, & incensabit Corpus Domini, & altare; & accipiat librum super altare, & veniens ad pulpitum inclinabit conventum, & posito libro super pulpitum, incipiet Evangelium finito *Te Deum laudamus*; & dicet *Dominus vobiscum*, & conventus dicet *Et cum spiritu tuo*. Et perleget Evangelium, sicut in Missa solet fieri ... Finito Evangelio, respondet conventus: *Amen*. Et Hebdomadarius incipiet hanc antiphonam *Te decet laus* quæ dicitur omnibus diebus post Evangelium, & iste ordo tenendus est in omnibus diebus festis XII. lectionum. Post antiphonam dicet orationem, postea incipiet Laudes in eodem loco.) Aliter Bursfeldenses nostri præscribunt cap. 9., scilicet, ut „(*Te Deum*, finito, vertant se ad altare; lecturus autem Evangelium accedens ad summum altare, præmissaque genuflexione, ac ritu privatim celebrantium benedictione accepta, accedat ad analogium cum reverenti inclinatione ad fenestram Venerabilis Sacramenti, si eam pertransire habuerit. Et accepta stola, dum dicitur *Initium*, vel: *Sequentia sancti Evangelii secundum N.* signet se, fronti, ori, & pectori figuram crucis pollice imprimentes: Ad *Gloria tibi Domine* inclinet versus altare, & mox erecti non mutent facies donec incipiatur Benedictus, idest collecta immediate sequens, ad quam reducentes, facies ab altari, chorus contra chorum se humiliet, ut moris est.) Quibus in verbis notandum, primo quod lecturus Evangelium textum ejus desuper altari desumebat. 2. Quod benedictionem ritu privatim celebrantium accipiebat. 3. Quod transiens ante fenestram SS. Sacramenti inclinabat, quod proinde non servabatur in altari. 4. Quod cum sola stola legeret Evangelium. Sed de hit satis.

CAPUT II.

De Matutinis, & Prima diebus Dominicis.

I. NOcturnis Dominicæ vigiliis Matutinos cum S. Benedicto adjungunt Cæsarius & Aurelianus Arelatenses Episcopi, quos etiam cum speciali officio, & precibus decantari volunt. Et quidem S. Cæsarius in sua ad Monachos regula cap. 21. instituit, ut ad Dominicæ Matutinos dicatur primum „(Directaneo. *Exaltabo te Deus meus, & Rex meus*. Deinde: *Confitemini*. Inde: *Cantemus Domino*. *Lauda anima mea Dominum*: Benedictionem: *Laudate Dominum de cælis*: *Te Deum laudamus*: *Gloria in* „ *excel-*

excelsis Deo; & capitellum omni Dominica sic dicatur.) Et in Regula ad Virgines n. 69. „ (In primis, *inquit*, dicite directaneum parvulum: *Confitemini*, cum antiphona: *Cantemus Domino*, & omnes matutinarii cum allelujis dicantur.) Sanctus Aurelianus vero „ (Ad Matutinos, *inquit*, in primis directaneum *Exaltabo te Deus meus, & Rex meus*: Inde: *Judica me Deus*, & *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, cum *alleluja*. Deinde: *Confitemini Domino* cum *alleluja*. Inde: *Cantemus Domino*, & ipsum sic: Postea: *Lauda anima mea Dominum: Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus: Lauda Jerusalem Dominum*: istos tres cum *alleluja*; deinde benedictio dicenda est. Post benedictionem *Laudate Dominum de cælis*: *Cantate Domino canticum novum*: *Laudate Dominum in sanctis ejus* cum *alleluja*: *Magnificat anima mea Dominum*, aut cum antiphona, aut cum *alleluja*, hymnum; *Gloria in excelsis Deo*, & capitellum .... Sic omni die Dominico, & omnibus majoribus festivitatibus, in quibus ab opere vacabitis.) Speciales etiam ad Dominicos Matutinos preces, & psalmos adhibebant laudati a Sancto Columbano in Regula Monachi c. 7., qui cum privatis diebus duodecim ad Matutinos psalmos recitarent; „ (Noctibus reverendissimis Dominicæ scilicet vel Sabbati, *inquit*, ad Matutinum ter idem volvitur numerus, idest ter denis & sex psalmis.) S. Benedictus vero precum & orationum numerum Matutinis Dominicis augendum esse non censuit, eumdem omnino servans ordinem, quem diebus privatis; sed in hoc persolvendo nonnullos ritus speciales observaverunt ejus postea discipuli, & Patres nostri; quos huc referre nostri existimamus esse officii.

II. In primis ergo observandum est, quod dum Sacerdos lecto Evangelio collectam concluderet, signum seu classicum ad Laudes tamdiu resonaret, quoad psalmus *Deus misereatur nostri*, & *Gloria Patri*, terminaretur; saltem id colligere licet de Beccensibus nostris ex libro Usuum Becc.

III. Secundo Sacerdos incepto eodem ipso in loco quo Evangelium legerat, versu *Deus in adjutorium*, revertebatur in Sacristiam, sacerdotalibus indumentis depositis mox reversurus in chorum ante *Gloria* psalmi *Deus misereatur nostri*: „ (Matutinis Laudibus inceptis, *inquit Udalricus l. 2. cons. Clun. c. 30.* „ non se movet a loco, usque dum dixerit cum aliis *Gloria Patri*, & aliquantulum inclinans, quibus se erigentibus ipse quoque recedit; verum semper accelerat, ut prius sit reversus in chorum, quam primus psalmus finiatur.) MS. consuetudines sic habent: „ (quibus se erigentibus, ipse discedit ferens similiter textum, ut oportet, donec Secretarius accipiat; verum semper acceleras) &c.

IV. Tertio revertebatur indutus alba, & manipulo, ex consuetud. S. Germani a Pratis, in quibus sic lego: „ Postea incipiet Laudes in eodem loco, antequam discedat a loco; & tunc recedet cum sociis suis, & veniet in vestiarium, & expoliabit casulam, & veniet in chorum indutus alba, & habens manipulum in brachio tantum.) Ideo autem revertebatur ante gloriam primi psalmi, haud dubium ut primam possit incipere antiphonam, unde etiam MS. consuetudines S. Germani Pratensis: „ (post *Gloria* & *Deus misereatur*, Hebdomadarius incipiat antiphonam.)

V. Quarto sub finem hymni reversus in Sacristiam assumtaque cappa, thure adolebat altaria: „ (In fine hymni *inquiunt consuetudines S. Germani Pratensis*, ibit Sacerdos in vestiarium, & si Abbas fuerit in choro, Sacerdos apportabit incensum ad benedicendum ei; & si non fuerit, ipsemet benedicet, & ibit incensare Corpus Domini, & duo altaria, & Corpora Sanctorum, & ibit circa sacrarium intus indutus cappa.) Modum vero altaris incensandi ita describit Udalricus in consuetudinibus Cluniacensis monasterii; (*a*) „ (De incenso ita gerit, ut primum incenset faciem altaris, tunc superficiem, manu ter cum incenso porrecta per diversa loca latitudinis altaris, & semel in transversum, tum retro dextrum cornu altaris, tum cornu altaris sinistrum. Incensat etiam altaria quæque minora choro proxima, & sanctæ Crucis altare, faciens per singula cum incenso crucis tantummodo signum.) Addunt consuetudines MS. „ (Qui postquam in chorum redierit, dat incensum majori Priori, sive Abbas sit in choro, sive non; si Abbas est post eum: si non est, similiter sicut Abbati.) Tempus porro suum sic temperabat, ut rediens per chorum non ambularet, dum diceretur: *Gloria Patri*.

VI. Quinto post dictam ad officium diei pertinentem collectam, Sacerdos revertebatur ad Sacristiam, alteri de choro significans, ut consueta Sanctorum suffragia diceret. Ita MS. consuetudines Cluniacensis monasterii, & Divionensis S. Benigni c. 20. „ (Quando finita collecta vadit divestitum se sive ad Vesperos, sive ad Matutinos semper debet uni de choro suo significare, ut dicat suffragia Sanctorum.) Dicta autem ista prima collecta subjungebatur *Benedicamus Domino*, ex consuetudinibus S. Germani a Pratis, etiam ante suffragia.

VII. Sexto cum S. P. Benedictus, finitis Dominicæ diei Matutinis, tum exeuntes, tum intrantes benedici velit servitores; hujusmodi benedictio ante SS. suffragia dabatur, ut patet ex consuetudinibus Sangermanensibus, ubi sic lego c. 35. „ (Dicto *Benedicamus*, Hebdomadarii coquinæ exeuntes accipient benedictionem ad gradum dicentes: *Benedictus es Domine*, &c. tribus vicibus, & hoc idem tertio repetet conventus; & Sacerdos dicet: *Salvos fac servos*: *Converte Domine*: *Dominus vobiscum*. Oratio: *Deus cui humilium*. Intrantes autem in officio coquinæ post ipsos accipient benedictionem & dicent: *Deus in adjutorium* tribus vicibus, & conventus similiter repetet hoc idem tertio; & Sacerdos dicet *Salvos fac servos tuos*: *mitte eis auxilium de Sancto*: *Dominus vobiscum*: Oratio: *Misericors*, &c. post hæc fiet memoria de Patronis nostris Vincentio, & Germano, vel alicujus Sancti, si in ipsa die supervenerit, & postea suffragia SS. & duo psalmi familiares, & post Matutinæ B. Mariæ.) De hac benedictione servitorum satis diximus in comm. ad c. 35. Regulæ.

VIII. Septimo post hæc in MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis facienda præscribitur processio, cujus usus apud monachos est antiquissimus; ut si S. Benedicto non antiquior, saltem ejusdem cum eo temporis: nam S. Cæsarius Arelatensis Episc. in ea psallendi ratione, quam magna ex parte ex Lyrinensium disciplina Sanctimonialibus tradidit, instituit n. 69. apud Boll. xii. Jan. „ (ut in solemnitatibus ipsis, impletis Matutinis, & hymnum dicant: *Te Deum laudamus*. Tum subdit. In exteriore oratorio *procedendum est*, & dicendus est directaneus parvulus. Post hoc canticum; *Cantemus Domino*, deinde Benedictio trium puerorum, post benedictionem hymnus *Gloria in excelsis Deo*.) Idemque faciendum statuit post Vesperas. An vero idem in suis monasteriis instituerit S. Benedictus, non liquet; constat tamen hunc ritum apud nostros esse antiquissimum; & annos circiter nongentos minimum obtinere, ut patet ex charta S. Angilberti Abbatis Centulensis ad Hariulpho in chronico Centulensi relata l. 2. c. 12. specil. to. 4., ubi de divinorum officiorum institutione ita habetur: „ (Matutinali etenim seu Vespertinali Officio consummato, mox omnes chori ordinabiliter se ante sanctam Passionem congregent, decem tantum psalmistis unicuique choro remanentibus, & sic per portam S. Gabrielis, & per salam Domini Abbatis ambulando, per occidentalem claustri regionem cantando veniant ad S. Mariam; ubi oratione pro temporis ratione deposita, remeando veniant ad S. Benedictum in orientali parte claustri situm, inde gradus arcuum intrent ad S. Mauritium; sicque intrantes S. Richarii Basilicam, restituantur suis choris.) Hujusmodi processionis meminit S. Dunstanus in Concordia c. 1., sic scribens: „ (Post psalmos familiares, & nonnullas commemorationes, eundum est ad matutinas Laudes de omnibus Sanctis, decantando antiphonam ad venerationem Sancti, cui porticus, ad quam itur, dedicata est; post quos Laudes de defunctis;) & MS. consuetudines S. Dionys. in Francia mox citandæ.

IX. De hac porro processione nonnulla observanda sunt. 1. Quod nonnullis in monasteriis quotidie celebraretur, ut in Centulensi S. Richarii ex citata Angilberti charta, in Anglicanis, in quibus recepta erat S. Dunstani Concordia ex eadem Concordia in Regali S. Dionysii ex ejusdem consuetudinibus MS. quæ ab octava Pentecostes ad Cal. Novembris quotidie præscribunt in capitulo faciendam processionem. In aliis vero non nisi Dominicis aliisque diebus solemnibus; ut in Parisiensi S. Germani a Pratis, quod ad primævam hujus processionis institutionem magis accedere videtur, ut colligere est ex S. *Cæsario* supra citato; apud quem primam ejus mentionem mihi reperire licuit.

X. Secundo cum in nostris olim monasteriis duo ad minus haberentur oratoria sive ecclesiæ; fiebat isthæc processio ab eo in quo matutinas Laudes celebraverant ad aliud; immo etiam in pluribus si plura duobus essent oratoria; ut apud Centulenses, qui ab ecclesia S. Richarii ad S. Mariam; inde ad S. Benedictum, tum ad S. Mauritium procedebant. Aliquando tamen ad sacellum ali-

quod

(*a*) Eadem fere leguntur in Benignianis cons. c. 20.

quod ejosdem oratorii fiebat, maxime in eorum Sanctorum festis, quibus illud altare confecratum erat; id videre est passim in consuetudinibus S. Dionysii, & S. Germani a Pratis.

XI. Tertio, bini & bini *Praeuntibus duobus cereis* procedebant, ex MS. consuet. S. Germani; idque imposita a Cantore vel alio antiphona, aut responsorio de Sanctis, quibus ecclesia, ad quam procedebant, erat dedicata. Aliquando cum antiphona cantabant canticum: *Benedictus*, aut *Magnificat*: Ita Cluniacenses nostri atque Sandionysiani ex utrorumque monasterii consuetudinibus; absolutoque responsorio subjiciebat Sacerdos orationem, seu collectam tempori, aut loco congruentem.

XII. Quarto fiebat hujusmodi processio in aliquibus monasteriis ante Sanctorum suffragia, ut patet ex consuetudinibus S. Dionysii in Francia, in quibus sic lego: „Post „ Matutines dicantur commemorationes de Trinitate, & „ de Cruce; deinde processio in capitio, & incipiatur „ una antiphona de Beato Dionysio, ad illam antiphonam „ dicatur: *Benedictus Dominus Deus Israel*. Ante oratio„ nem dicatur: *Dominus vobiscum*, & dicat Sacerdos ora„ tionem, quam voluerit de B. Dionysio. Ad finem oratio„ nis dicat *Per Dominum nostrum*, usque *Per omnia*; post „ fiat commemoratio de B. Maria, post comm. de Vir„ gine sequuntur alia SS. suffragia, scilicet de Angelis, „ & aliis SS. hic ordo teneatur per omnes hebdomadas „ ab octava Pentecostes ad Nativitatem Domini.

XIII. Quinto his omnibus expletis quod supererat psalmodiæ, scilicet Laudes de omnibus SS. pro defunctis, aliosque psalmos persolvebant, aut eodem in loco, aut in ea ecclesia, ubi Regulare celebraverant officium. Et hæc de Dominicis matutinis.

XIV. De Prima vix nobis singulare aliquid observandum occurrit. A illam excitati confestim e strato surgebant, lotisque manibus ac facie, pexoque capite, ad privatas orationes vaciabant in ecclesiam, ubi Dominicis diebus illud peculiare erat, quod habent Parisienses S. Germani consuetudines his verbis: „ (Et venient in medio chori, & „ non debent accipere de aqua benedicta ad portam mo„ nasterii (idest ecclesiæ) diebus Dominicis; sed in omni„ bus aliis diebus accipient; post hæc facient orationes „ privatas, & revertentur in claustrum, & sedebunt in „ claustro, donec pulsabitur ad Primam, quæ debet pul„ sari in magna turri cum una campana;) & liber Usuum Cisterc. c. 69. „ (Revertentes ad Primam aspergant se „ aqua benedicta, excepto *Dominica*.)

XV. Audito horæ Primæ signo, in chorum conveniebant, quam more solito decantabant, cum hoc tantum discrimine, quod sub finem precum ante collectam, symbolum vulgo S. Athanasii appellatum dicerent, post cujus *Gloria*, dicto: *Benedicat nos Deus Deus noster*, & *Dominus vobiscum*, subjungebat Sacerdos hanc de Trinitate collectam *Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione vera fidei æterne Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum, &c.* (ex *MS. Brev. S. Germ. a Pratis.*)

XVI. In nostris Angliæ monasteriis duplex dicebatur collecta; una ante, altera post dictum Athanasii symbolum; ut patet ex hoc Statuto Capituli generalis Nortamptoniæ an. 1343. celebrati c. 1. apud Reyn. in app. 3. „ (Statuimus insuper, ut ad Primam Dominicis diebus „ tantum post collectam: *In hac hora hujus diei* dicatur „ symbolum Athanasii, videlicet: *Quicumque vult*; sequa„ tur una oratio de Trinitate; *Omnipotens sempiterne Deus*. „ Diebus autem ferialibus psalmi pœnitentiales cum lita„ nia dicantur in choro post Primam.) Prima autem collecta, cujus hic mentio fit, ita habetur in Breviario MS. S. Germani a Pratis: Pro festis XII. lect. ad Primam: *In hac hora hujus diei quæsumus Domine tua nos reple misericordia, ut per totum diem exultantes in tuis laudibus delectemur. Per Dominum.*

XVII. Post collectam in MS. consuetudinibus S. Germani subjungitur Prima Beatæ Mariæ, deinde duo psalmi familiares, nulla 7. psalmorum facta mentione, quos forte cum aliis psalmis dicebant post capitulum, ut colligere licet ex l. Usuum Becc. „ (Festis diebus post capitu„ lum, facto intervallo, septem psalmi dici possunt.)

CAPUT III.

De solemni Lustralis Aquæ benedictione & Processione Dominica.

QUod privatis diebus partim lectioni, partim labori, veteres monachi impendebant tempus medium Primam inter & refectionem, hoc diebus Dominicis totum pietati divinisque laudibus consecrabant. Inde est, quod prisci illi Ægyptii Patres nocturnis vespertinisque officiis diebus privatis contenti; Sabbato & Dominica etiam *hora tertia sacra communionis obtentu* conveniebant, quemadmodum refert Cassianus lib. 3. cap. 2., & Regula SS. Serapionis, Machari, Paphnutii, & alterius Macharii. „ (Die autem Dominica, *inquit* c. 9. nihil „ aliud agant, nisi Deo vacent, ne pro aliqua occasione „ se velint, aut alios excusare; tamen contestor fratres, quod „ nulla operatio in die illa sancta comperiatur; nisi tan„ tum hymnis, & psalmis, & canticis spiritualibus dies „ illa transigatur.) Benedictus etiam ubi de labore manuum diebus privatis agendo dixit, addit c. 48. „ (Domi„ nico die lectioni vacent omnes;) & alibi Meminit Missæ die Dominico celebrandæ, decernens c. 38. „ (at lectorus „ Dominica ingrediatur, qui ingrediens post missas, & com„ munionem, petat ab omnibus pro se orari.) Hanc Missam apud nostros præcedebat processio; hancque solemnis aquæ lustralis benedictio, ut discimus ex MS. Germaniæ consuetudinibus n. 17. „ (Die Dominico, *inquiunt*, post „ Missam matutinalem non Tertia, sed aqua efficiatur be„ nedicta; deinde processio.) De utrisque, priusquam de Missa differamus, paucis dicendum.

II. De Benedictionis aquæ institutione, variisque ejus effectibus multa hic congerere non est animus; hanc enim Apostolis referendam esse, & ab Alexandro Papa solemni Decreto confirmatam ad effugandos dæmones, morbosque psallendos, insidias inimici dissipandas, omnemque ejus potestatem effringendam, nemo est qui nesciat. (Alex. Epist. tom. 1. conc.) Quibus vero potissimum temporibus apud antiquos fieret, omnino nos latet, nisi quod solemnis inter alias semper fuerit ad baptizandos catechumenos Paschalibus, Pentecostesque diebus aquæ benedictio. Notat præterea Menardus ad sacr. S. Greg., moris esse apud Græcos, ut sacro Epiphaniorum die „ (omni„ bus ad fontes convenientibus cum lampadibus, & thu„ re; ibi multis precibus aqua benedicatur, tam ad ba„ ptismum, tam ad varios usus Christianorum. Sacerdos „ sanctam crucem rectam in aquam mergit, & ex eadem „ aqua templum & populum aspergit.)

III. Circa medium sæculum nonum præceptum de benedicenda singulis diebus Dominicis aqua reperio in quadam homilia Leonis Papæ IV. de cura Pastorali, in qua sic lego: (to. 8. conc. p. 34) „ (Omni die Dominica „ ante Missam aquam benedicite, unde populus asperga„ tur, & ad hoc proprium vas habete,) & in Capitulis Hincmari Remensis Episcopi ad Presbyteros parochiæ suæ anno 852. datis c. 5. to. 8. conc. p. 569. „ (Ut omni „ Dominica die quisque Presbyter in sua ecclesia ante „ Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase ni„ tido, & tanto ministerio convenienti; de qua populus „ intrans ecclesiam aspergatur, & qui voluerint in vascu„ lis suis nitidis ex illa accipiant, & per mansiones, & „ agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super „ pabula eorum, nec non & super cibos, & potum suum „ conspergant.)

IV. Hunc ritum a Clericis ad monachos transisse certissimum est, tum ex Udalrico, tum ex lib. Usuum Cist. Ordo. Bors. & consuet. S. Germani Pratensis (si tamen a monachis, ut & multa alia, illum non acceperint ipsi Clerici:) „ (Missa matutinali finita, *inquit Udalricus l. 1. consuet. Clun. c. 10.*, confestim a Sacerdote qui majorem „ Missam cantabit, sal & aqua consecratur,) cujus consecrationis ritum fuse omnino describunt MS. consuetudines Cluniacenses his verbis: „ (In diebus Dominicis post „ Evangelium Missæ minoris, Hebdomadarius majoris ma„ nus, & faciem, atque os abluit, & postmodum reve„ stiarium petit, ac sacerdotalibus vestimentis, sola casula „ usque ad introitum Missæ dimissa, se induit. Postea „ chorum ingreditur, sic expectans donec eadem Missa „ finiatur. Si dies Dominica non est, facta oratione, & „ secundo signo pulsato, Tertiam incipit: si vero adest „ Dominica; confestim ut Missa matutinalis fuerit finita, „ ab eodem Hebdomadario sal & aqua consecratur; nisi „ forte sit in illis festis, quando alba dearata induitur; „ tunc enim alius pro eo stola manitus facit consecratio„ nem, ac officinarum perlustrationem. Benedictione super „ salem & aquam singulari data; dum miscet salem

„ aquæ

aquæ, dicit sub silentio: *Commixtio salis & aquæ pariter in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti fiat sacramentum salutare*, & aspergendo faciens de ipso sale ter signum Crucis; quo facto dicit: *Dominus vobiscum: Oremus: Deus invictæ virtutis*. Post cujus finem ponit librum super analogium, quod semper ante altare est; & accipit sparsorium, & mittit prius in ipsum vas, in quo aquæ consecrata est, roiscens aliquentulum utrumque. Inde abstrahens, mox cum sinistra manu girones albæ accipiens, & ante se tenens, spargit primum de aquæ benedicta super pavimentum in circuitu majoris altaris, & exiens per januam ferream, quæ est ad sinistram partem altaris, vadit primum ad altare Apostolorum Philippi & Jacobi, & transit ante ipsa tria altaria, quæ sunt post majus altare, usque ad altare S. Johannis Evangelistæ & Jacobi fratris ejus, & tandem redit super gradum, semper spargendo aquam. Conversus autem qui eum comitatur, jugiter portat urceolum continentem aquam benedictam sumptam ex illo vase, in quo consecrata fuit, postquam Sacerdos sparsorium primo inde abstrahit. Postquam autem super gradum redit, singulos cum aqua benedicta reverenter aspergit, & ad ulrimum iosantes. Quo peracto, librum desuper analogium accipit, & præmisso tantum: *Dominus vobiscum*, dicit: *Oremus: Exaudi nos Domine sancte*; moxque conversis duobus, altero crucem, altero qui portat aquam benedictam, præeuntibus, exit de choro; & veniens ante altare B. Johannis, dicit hanc orationem, præmisso: *Dominus vobiscum: Omnipotens Deus qui sacerdotum ministerio, &c.* conventu interim stante in choro. Sciendum autem, quod quoniam ad hanc & paulo ante dictam collectam minime expectet, ut antiphona post ℣. & item post *Gloria Patri*: repetita finiatur; sed si prius quam finita sit, poterit omnes aspersisse, audientibus duobus conversis, & respondentibus: *Et cum spiritu tuo*, & *Amen*, primam dicit in choro, secundam extra chorum: Si vero prius finiatur antiphona quam omnes asperserit, expectatur a conventu in choro manente, donec utramque finierit collectam, ipso conventu respondente, & audiente. Quibus finitis Armario antiphonam, seu responsorium incipiente, præcedit Sacerdos cum duobus conversis, & per ecclesiam B. Mariæ ad domum infirmorum primum vadit, inde rediens in eandem ecclesiam, unam collectam de eadem Dei Genitrice, præmisso ℣. *Post partum Virgo*, & in Adventu Domini: *Benedicta tu in mulieribus*, præmissoque: *Dominus vobiscum*, tonali pronunciatione dicit. Deinde reliquas officinas cum duobus conversis perlustret; primum dormitorium, postea refectorium, coquinam regularem, & cellarium, & in singulis, sicut in domo infirmorum factum est, ipse proprias orationes dicit; & conversorum unus in circuitu cujusque aquam benedictam spargit. De quibus conversis sciendum est, quia ille qui fert aquam, ad dextram Sacerdotis, ille vero qui Crucem, ad sinistram debet esse, quando in uno loco stent; quando autem vadunt, aqua præcedit, & crux sequitur, & deinde Sacerdos. Conventus autem facit primam stationem in ecclesia S. Mariæ, secundam, Sacerdotem expectando ante dormitorium, tertiam ante refectorium, quartam simul in vestibulo ecclesiæ, ubi & una collecta dicitur: *Domine Jesu Christe qui introitum*; duobus audientibus conversis, & respondentibus, quintam facit ipse Sacerdos cum conventu ante Crucem a Pascha usque ad octavam Pentecostes, ubi rursus præmisso versiculo: *Dicite in nationibus*, & præmisso: *Dominus vobiscum*, tonali pronunciatione dicit de ipsa Cruce collectam: *Respice quæsumus Domine super hanc familiam*. His rite peractis, Armario antiphonam seu ℟. incipiente, præcedentibus conversis duobus, chorum ante alios ingreditur; & nisi omnes in albis fuerint; tunc enim prior omnium in choro stat cum aliis, nisi alba deaurata indutus sit, quia tunc stat super pavimentum ante altare juxta ultimam stationem chori; & tunc affertur ei faudestolus in quo sedeat. Reliquis omnibus Dominicis stat aliquantulum juxta majus altare super pavimentum superiori parte, & ibi quoque sedes illi affertur, in qua sedeat, qui postquam in stationem suam erit, expectat donec omnia signa pulsari conversi desinant, & mox sine qualibet mora dicit: *Constitues eos principes*, respondente conventu: *memores erunt*, adjungente, *Kyrie*. Finita autem Dominica oratione sub silentio dicit: *Et ne nos*: *In omnem terram*: *Exultabunt sancti in gloria*: *Dominus vobiscum*; & tunc surgit, vertitque se versus caput ecclesiæ, & stans dicit hanc orationem: *Oremus*: *Via sanctorum omnium*, qua finita continuo incipit Tertiam.) Eadem fere habent Divionenses S. Benigni consuetudines c. 20.

V. Brevius & solemnius etiam Cassinenses in pervetusto Rituali, seu Ordinario tempore Oderisii Abbatis litteris Longobardicis manu exarato: * „ (Convenientibus in choro fratribus, Presbyter Hebdomadarius indutus pluviali cum Diacono, ac Subdiacono, vel cum Acolyto, necnon cum aliis tribus Acolythis, & cum Presbytero, qui aquam benedictam per omnes officinas aspersures est induti nigris casulis, venientes ante altare pergant ad dextram; alii ad sinistram, & stent usque dum Presbyter Hebdomadarius benedicat aquam ante altare. Mox autem ut benedicta fuerit, incipiatur in choro: *Asperges me Domine*, cum Psalm. *Miserere mei Deus*: *Et secundum*: *Amplius*: *Gloria Patri*: *Sicut erat*. Et incipiat Sacerdos aspergere aquam sanctificatam per altaria, dehinc per ordinem cunctis fratribus; interea venientibus ante altare Diacono, & Subdiacono, & duobus Acolythis cum cruce, & incenso dicat Præsbyter orationem. Et incipientibus in choro antiphonam: *Signum salutis*, exeat prius Sacerdos cum ipsis ministris. Deinde alia Crux, quæ præcedat congregationem, post quam omnes exeant bini & bini cantantes antiphonas ad processionem dispositas. Interim vero alius Presbyter cum Acolytho induti lineis, vadant per omnes officinas Monasterii spergendo aquam sanctificatam, quos sequatur Hebdomadarius cum Diacono, & Subdiacono, & Acolythis cum Cruce, & incenso. Processio autem fiat in circuitu claustræ disposite & ordinate, incedentibus binis & binis. At ubi ad fores ecclesiæ redierint, expectent Hebdomadarium; ut dicat orationem ad introitum ecclesiæ; qua finita ingrediantur omnes simul ecclesiam, cantando antiphonam S. Mariæ, quam subsequetur antiphona S. Benedicti; deinde dicta oratione ante altare, incipiat Tertiam.)

VI. Ex his plurima observanda occurrunt. Primo quod solemnis aquæ consecratio fiebat finita Missa matutinali ante Tertiam, idque a Sacerdote Hebdomadario, & præsente conventu; qua tamen in re ab aliis Ordinis nostri Congregationibus discrepant Bursfeldenses, statuentes, ut præveniens conventum Sacerdos aquam sanctificatam faciat, antequam congregetur conventus: Ita enim illi in Ordinario c. 42. „ (Omni die Dominica tempestive ordinetur sal & aqua a Sacrista super gradum presbyterii, cum aspersorio & collectario; pulsatoque signo ad Tertiam, Sacerdos hebdomadarius cum ministris sine mora veniet ad armarium ad induendum se, & cum induti fuerint sicut interesse solent horæ, mox præveniendo pulsum ingrediantur chorum: & benedicetur a Sacerdote sal & aqua juxta formam in collectario descriptam.) Nulla hactenus præsentis conventus mentio: Additur: „ (Sub hujusmodi autem benedictionis mora pulsus fiat, & congregetur conventus.) Idem præscribunt in suo ceremoniali c. 57. Casalini.

VII. Secundo benedicturus aquam Sacerdos pluviali indutus apud Cassinenses, vel omnibus quibus ad Missam, una excepta casula, vestibus, ut apud Cluniacenses, ea propter veniebat ante majoris altaris gradus, adsistentibus sibi ministris, scilicet duobus conversis apud Cluniacenses, vel Diacono, Subdiacono, tribus Acolythis, & Presbytero omnibus casulis nigris indutis, ut apud Cassinenses, ibique aquæ benedictionem faciebat. Parisienses vero Sancti Germani in suis MS. consuetudinibus, hæc præscribunt: „ (In fine Missæ matutinalis Hebdomadarius Missæ magnæ, & Hebdomadarii Evangelii, Epistolæ, tres Servitores, duo qui cantabunt ℟. duo qui cantabunt Alleluja, & Hebdomadarius cantus revestient se; ita quod Sacerdos habebit stolas & manipulum; Diaconus manipulum; & Subdiaconus similiter; omnes alii erunt in albis. Sacerdos & Diaconus debet habere albam paratam & etiam Subdiaconus, & ministrabitur aqua in pelvim, & sal, & veniet ad gradum Sacerdos, & incipiet benedictionem salis.)

VIII. Tertio cum Sacerdos preces ad benedictionem salis & aquæ institutas decantaret: „ (Quidam de Servitoribus ecclesiæ, *inquiunt Sangermanenses consuetudines*, tenebit sal juxta illum, & alter sanctam Crucem a sinistris secus illum;) resonantibus interim duabus campanis quandiu duraret ipsa aquæ benedictæ consecratio, ex eisdem consuetudinibus.

IX. Quarto facta salis & aquæ consecratione; utriusque etiam fiebat a Sacerdote commixtio; idque, ut ait Rabanus, ex divina authoritate: „ (Quod autem sal sanctificatum, *inquit l. 2. Instit. Cleric. c. 55.* aquæ immi-

„ fce-

* Extat ad calcem breviar. Cassin. instit. orat. Paris.

„ fcetur, ex divina authoritate processit; quia illud per Eliseum in fontem mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquarum Jericu:) *additque* (natura salis & aquæ vicina & conjunctissima est, quia ejusdem elementi ambo sunt, & idem officium & significationem habent. Nam aqua a sordibus mundat, sal putredinem fugat, aqua nitorem præbet, sal sinceritatem adhibet,) &c.

X. Quinto peracta aquæ benedictione, fiebat ejusdem aspersio tam apud Cassinenses, quam apud Cluniacenses, Cistercienses, Sangermanenses, aliosque communiter Ordinis nostri Monachos, discrepantibus etiam hac in re solis Bursfeldensibus, & Casalinis, apud quos absoluta aquæ sanctificatione, Sacerdos cum ministris advenienti congregationi sese adjungebat in choro, statim absque ullo intervallo Tertiam incepturus, quam sequebatur aspersio. Ita quippe illi in Ordinario suo: „ (Benedictione quoque & pulsu, (scilicet quo fratres in chorum vocati sunt) pariter consummatis, jungatur conventui Sacerdos, & ministri, & stet Sacerdos immediate post fratres cappatos in choro suo . . . . Subdiaconus vero immediate sub Sacerdote stet, & Diaconus post fratres locum alterius chori observet; & ita omni tempore collocentur, quando intersunt horæ ante Missam . . . Finita autem hora & cantore inchoante antiphonam ad aspersionem,) &c. Idem fere habent in suo ceremoniali c. 17. Casalini.

XI. Sexto. In hac aquæ sanctificatæ aspersione majus altare circumeuntes primum irrigabant; deinde viciniora etiam altaria, ut patet ex consuetudinibus Clun., Rituali Cassinensium, & ceremoniali Casalis Benedicti, in cujus capite 17. sic lego: „ (Post aspersionem summi altaris, eo ritu & cætera altaria, quæ tantum in cancello sunt, aspergat, nec opus est, ut ad alia divertat.) Singulare aliquid addunt Sangermanenses consuetudines: „ (Et Sacerdos irrigabit magnum altare, & post altare B. Germani, & Sancta Sanctorum, & post circa Sacrarium.) Cistercienses & Bursfeldenses unum aspergebant majus altare ritu in lib. Usuum Cisterciensium his verbis descripto c. 55. „ (Cantore imponente antiphonam, sumat Sacerdos sparsorium, qui intingens in aqua, ascendat ad altare, inclinans ad gradum ipsius altaris: Deinde aspergat aquam ante ipsum altare, & incipiens a dextra parte, circumeat illud aspergendo, quo usque perveniat in anteriorem partem, ubi inclinans aspergat Presbyterium hinc & inde;) & in Ordinario Bursfeldensium c. 42. „ (Sacerdos intincto sparsorio in aquam, accedat ad altare, ac ad illius gradus accepta venia, aspergat ipsum circa medium, in utrumque cornu, & postea circuiens altare per gyrum, aspergat similiter & presbyterium hinc & inde.)

XII. Septimo. Facta altarium aspersione, ipse consequenter conventus aspergebatur, idque duobus modis; vel Sacerdote ad chorum accedente, omnesque suis in locis stantes circumgyrando aspergente; vel choro ipsum ad Sacerdotem stantem ad gradus altaris accedente, & ab eo pertranseundo ante ipsum aspersionem aquæ recipiente. Primum observabant Cassinenses, Cluniacenses, Bursfeldenses, & Casalini, posterius Cistercienses. Sangermanenses, & Carthusienses Monachi: „ (Et exinde veniet ad gradum Sacerdos, (*ita habent Sangermanenses consuetudines*) & transibit conventus per chorum juxta illum, & asperget eum Sacerdos de aqua benedicta, & præcedent illi qui sunt in albis, & post Prior, & alii unusquisque in ordine suo, & revertetur in sedibus suis;) & lib. Usuum Cisterciensium c. 55. „ (Sacerdos vero stans supra gradum Presbyterii aspergat prius Abbatem, postea seipsum, deinde Ministros, & cæteros accedentes a superiori parte chori.) Fusius antiqua Carthusiensium Statuta 1. part c. 43. n. 6. „ (Aqua benedicta, vadens Sacerdos ad aspergendum eam, transit per sinistrum chorum, veniens ad gradum altaris inclinat; incipiensque antiphonam: *Asperges me*, aspergit semel ante faciem altaris, semel ad dexteram, semel ad sinistram partem; ascenditque gradum a parte Evangelii, & altare circuit aspergendo, veniensque ad gradum primo aspergit Abbatem, si adsit, deinde Priorem, & hospites Religiosos, postmodum Monachos per ordinem, deinde Diaconum, si sit indutus cuculla ecclesiastica, deinde illum, qui aquam attulit, & seipsum. Rediensque Sacerdos per sinistrum chorum aspergit infimum Monachum, si sit ad ostium ecclesiæ, postea Clericum, & Conversos, & hospites sæculares.) Ex his postremis verbis, patet infimos Monachos, Fratres laicos, seu ut loquimur, Conversos, aliosque sæculares viros etiam hospites, chorum non intresse, utpote quos Sacerdos ad ipsum ecclesiæ, seu chori ostium aspergeret; & certe quoad sæculares hospites, hos expressis verbis excludunt Guigonis Statuta c. 10. his verbis: „ (In chorum nostrum hospites tantum Religiosos introducimus;) idque omnino juxta veterum Monachorum praxim, qui sæculares viros suis sacris non permittebant interesse, ut videre est in vit. S. Johannis Reomanensis n. 10. ubi prædictus S. Joannes Agrestium quemdam, qui die Dominico ad Monasterium venerat, „ (ut ab ore Joannis Corpus consecretum Christi mereretur accipere,) ab ecclesia dimisisse scribitur, dicens (in Append. ad sæc. 1. Ben.) „ (Non ideo hæc facimus, quod execrari velimus tuæ caritatis præsentiam, sed ne videamur SS. Patrum irrita præcepta facere, neve præsumamus regularem laxare censuram.) Bursfeldenses etiam fratres laicos in choro non admittebant, unde & in Ordinario „ (choro utroque expedito, *inquiunt cap.* 42. declinet Sacerdos ad ecclesiam inferiorem, fratres laicos, familiam, & hospites illic aspergendo.) Apud Cistercienses vero non Sacerdos, sed Secretarius aquam hospitibus, & familiæ portabat ex lib. Usuum loco citato. Porro apud Casalinos eodem, cap. 17. Sacerdos Abbati sparsorium aqua benedicta intinctum porrigebat, quod ille accipiens primo Sacerdotem aspergebat, deinde seipsum, postea vero Sacerdos cunctos.

XIII. Octavo imposita a Cantore vel Presbytero antiphonam chorus interim prosequebatur cum tribus psalmi 50. versiculis, & *Gloria*, id tamen solis Cassinensibus, quod sciam, peculiare fuit, aliis primo versiculo contentis; „ (eaque finita antiphona, *inquit liber Usuum Cisterc. c.* 55., Sacerdos intermittens aspersionis officium, versus ad altare dicat, collectam: *Exaudi nos* in loco quo stat. Et incepta Tertia, post *Gloria Patri* cœptam subsequatur aspersionem. Quæ si forte ad *Gloria* primi psalmi nondum peracta fuerit, Presbyter stans in eodem loco usque post *Gloria Patri* aspersionem intermittat, qua peracta, redeat in locum suum, & sedeat cum ministris.) Econtra vero apud Cluniacenses, si finita antiphona necdum Hebdomadarius aspersionem consummasset, conventus expectabat; sin autem Prior ipse aspersionem absolvisset, quam chorus antiphonam, collectas sub silentio dicebat, respondentibus sibi conversis.

XIV. Nono, peracta aquæ sanctificatæ aspersione, dictaque collecta, ordinabatur per claustri circuitum processio. Processionum usus apud Monachos est antiquissimus, ut vidimus præcedenti capite ex S. Cæsario, duas solemnibus diebus statuente processiones in exteriori oratorio; unam post Matutinos, alteram post Vesperos; & patet ex Magistri Regula, quæ processionis diebus festis in albis faciendæ meminit, cum loquens de vestimentis fratrum, inter alia hæc dicit cap. 81. „ (Et habeant singulas paraturas lineas subtiliores, quas in diebus festis solum in processionibus utantur.) Et clarius de nostris ex libello supplici Monachorum Fuldens. in cujus cap. 19. postulant „ (ut crucis gloriatio in singulis diebus Dominicis fiat ante Missam, fratribus omnibus circa vicina quæque loca Monasterii crucem sequentibus, hymnus & antiphonas cantantibus, sicut apud Majores nostros usus erat, in diebus Dominicis, Passionis, & Resurrectionis Domini gloriam celebrari.) Neque solum Monachi, sed etiam Sanctimoniales diebus Dominicis processiones agebant: ut patet ex vit. S. Cunegundis apud Boll. 3. Mart. n. 12. „ (Quadam die cum ipsa cum conventu crucem [nam dies Dominicus erat] sequitur, Abbatilla defuit,) &c. Inchoato autem a Cantore ℟., vel antiphona; præeunte cruce, bini & bini per claustrum in cucullis procedebant; in his tamen Monasteriis, in quibus duo existebant oratoria, primum in eorum altero; deinde per claustri circuitum incedebant. Interim Sacerdos Hebdomadarius „ (uno converso cum cruce sinistro ejus lateri jugiter adhærente, & altero consecratam aquam præferente, perlustrat claustri officinas, *inquit Udalricus l.* 1. *c.* 10., in singulis unam collectam benedictionalem dicendo; 1. Domum infirmorum: 2. Dormitorium: 3. Refectorium: 4. Coquinam regularem: 5. Cellarium.) Idem videre est in MS. consuetud. S. Germani a Pratis, in quibus ipsa processio incipit post dormitorii benedictionem. Sollemnius omnino Cassinenses, apud quos „ (alius Presbyter cum Acolytho induti lineis vadant per omnes officinas, spargendo aquam sanctificatam; quos sequatur Hebdomadarius cum Diacono, & Subdiacono, & Acolythis cum cruce, & incenso.) De nostris vero Germaniæ Monasteriis ita Einsidlenses consuetud. n. 17. „ (In processione vero illa nihil aliud feratur nisi aqua benedicta, crux, missale ante Presbyterum, & ipse Sacerdos in collo suo Philacterium cum ligno Domini gerat.) Denique de primis discipulis S. Stephani Obazinensis postea Abbatis in ejus vit. l. 1. n. 22. tom. 4. Misc. Baluz. Diebus Do-

Dominicis tam ipse quam fratres lectionibus, & Missarum celebrationibus insistebant agentes processionem per claustrum, & singulas officinas singulis benedictionibus perlustrantes.

XV. Apud Cistarcienses, & Bursfeldenses, qui nullas diebus Dominicis processiones celebrare consueverant; incepta e acerdote in ecclasia aquæ lustralis aspersione, alter omnes claustri officinas eadem aqua perlostrabat; ut videra ast in libro Usuum Cistercienlium c. 55. in quo sic habetur: „ (Interim vero Minister recipiat aquam „ in quolibet vase de urceolo, in quo est aqua be„ nedicta, & habens sparsorium aliud, claustrum asper„ gat, & officinas, scilicet capitulum, auditorium, dor„ mitorium, & dormitorii necessaria, calefactorium, re„ fectorium, coquinam, cellarium. Rediens autem da „ officinis, si quid supereft et de ipsa aqua, infundat in „ recapiaculum, quod est ad introitum ecclesiæ ad hoc de„ putatum;) & in Ordinario Borsfeldensium: (Canto„ ra inchoante antiphonam ad aspersionem, accedens ad „ gradus Presbyterii unus ex conventu Sacerdos, vel Dia„ nus ad hoc a Priore ordinatus, accipiat ax urceolo, in „ quo est aqua benedicta, partem ejusdem aquæ in vase „ alio, & habens sparsorium aliud, & stolam, claustrum „ circumeat aspergendo officinas ejus, scilicet capitulum, „ auditorium, dormitorium, & dormitoril necessaria, ca„ lefactorium, refectorium, coquinam, & cellarium.)

XVI. De Carthusianis etiam hæc habent antiqua eorum Statuta 1. part. cap. 43. no. 7. „ (Aspersione autem fa„ cta, aquam unus e fratribus accipit, & per omnes offi„ cinas, & per cimiterium spargit, postea in vas, quod „ ad domum inferiorem portandum est, mittit; tandem „ post epistolam, eam reddit Procuratori.) De Casaliois vero MS. ceremoniale cap. 17. „ (Fratribus post processio„ nem chorum ingredientibus, mox petita venia, Sacerdos „ & Clericus præcedantis hebdomadæ egrediantur chorum, „ & sumpta stola cum aspersorio, & aqua benedicta, eant „ ad officinas Monasterii aspergendas; videlicet dormito„ rium, calefactorium, infirmitorium, coquinam, refe„ ctorium, cellarium, ut moris est; claustrum enim jam „ aspersum est a Clerico.) Scilicet tempore processionis, quam præeunte clerico cum aqua benedicta Subdiacono aum cruce, Diacono, & Sacerdote, postea subsequente conventu per claustri circuitum faciebant. Isthæc porro apud Monachos officinarum perlustratio est antiquissima, utpote quam videra ast in antiquo Ordine in domo S. Benedicti ente Pascha, quam ex pervetusto codice ab annis fere nongentis exarato edidit Mabillonius noster Tom. 4. Anal., in quo ad Dominicam Resurrectionis hæc leguntur: „ (Item Dominico die vaduet cum antiphona, „ & aqua sancta per singulas mensiones.) In ipsa vero refectorii statione dum Sacerdos orationem recitaret, omnibus in salariis benedictum & consecratum sal ponebatur ex consuetud. MS. Cluniacensis Monasterii, & S. Benigni Divionensis infra referendis l. 5. c. 5.

XVII. Decimo, unam duntaxat ad processionem Dominicam stationem faciebant Cassinenses, ad fores scilicet Ecclesiæ, expectantes Sacerdotem officinas interim perlustrantem, ut diceret orationem. Hæc statio postea congruentius visa in ipsa Ecclesiæ navi esse facienda: Apud Cluniacenses quatuor fiebant stationes, quibus a Pascha ad Pentacosten quintam addebant: „ (Conventus eum „ expectando, *inquit Udalricus l. 1. c.* 10. facit primam „ stationem in Ecclesia S. Mariæ, ubi & una collecta de „ ipsa vocali est pronunciatione dicenda: secunda ante „ dormitorium: tertia ante refectorium: quarta simul „ cum ipso in vestibulo Ecclesiæ: quinta a Pascha, usque „ ad Pentecostem ad sanctam Crucem, ubi rursus mos „ est, ut de ille una collecta dicatur:) sextam addebant nostri Divionenses S. Benigni, nempe ad tumulum S. Martyris, cujus aram simul, & sepulchrum Sacerdos incensabat. In Parisiensi S. Germani e Pratis Monasterio tres fiebant stationes; in majori S. Mariæ capella, ubi Sacerdos irrigato altari, finito resp. ante gradare, ℣. & orationem de ea cantabat: 2. ante refectorium, dum Sacerdos illud ingressus orationem in eo diceret: 3. *In medio navis Monasterii* idest Ecclesiæ.

XVIII. Undecimo, completa oratione, vel finito ℟. in iis Monasteriis, in quibus ad stationem navis non dicebatur; imponebatur antiphona, vel ℟. de Patronis loci, seu Monasterii, resonantibusque interim campanis, chorum omnes intrabant; ubi finita antiphona, vel ℟., humiliato super formas conventu, ex consuet. S. Germani, Sacerdos ante altare versus, orationem Dominicam, & collectam: *Visum sanctorum omnium* dicebat, statimque Tertiam incipiebat, sine *Pater noster*, inquiunt consuetudines S. Germani a Pratis. Apud Casalinos antiphona ad ingressum chori, erat de Beata Maria, ad cujus prima verba omnes genu flectebant; postea surgentes, & antiphonam prosequentes, chorum ingressi ad ima se subsellia collocabant; versa ad altare facie donec Sacerdos astantibus sibi ministris, ℣. Kyrie eleison, orationem Dominicam, & collectam: *Visum sanctorum omnium*, ad quam inclinabat conventus, consummasset, ex cerem. c. 17. De hac porro collecta scilicet: *Viam sanctorum*, & altera, quæ ante portam Ecclesiæ diceretur: *Domine Jesu Christe*, ita scribit Udalricus l. 1. c. 10. *Nescio si apud Teutonicos, ita sunt in usu*, de aliis vero non meminit, utpote quæ omnibus erant notæ.

XIX. Porro antequam capitulum istud absolvam, prætermittenda non videtur laudabilis Monachorum S. Galli sæc. 1x. consuetudo, quæ sæculares viros, cujuscumque conditionis existerent, etiam Dominicis diebus festisque processionem sequentes, claustrum ingredi non permittebant, sine prævio duce, & nisi monachica cuculla indutos, ut videre est apud Ekkahardum juniorem in vita Notkeri Balbuli n. 21. & 22. apud Boll. 6. April.

C A P U T IV.

De Missa, & de majori primum.

§. I.

De Missa, usque ad Evangelium.

I. CUm Sacrosanctum Missæ sacrificium multis jam ante sæculis, apud Monachos quotidie offeratur; quereretur forte non nemo, quod superiori de ritibus quotidianis libro illud prætermittentes, in hunc, qui est de ritibus per hebdomadam contingentibus, de eo differere distulerimus. Sed propositi nostri ratio ea fuit, quod licet nunc Missam quotidie celebrent Monachi, non tamen ita consueverant, in prima sui institutione; quo tempore Sabbatis tantum, Dominicisque diebus hora diei tertia sacræ communionis obtentu conveniebant, ut docet in primis Cassianus l. 3. c. 2. & nominatim de Pachomianis insinuat Palladius Laus. c. 38. & 69. Clarius tamen de Nitriensibus, de quibus „ (Solum, *inquit*, „ Sabbato & Dominico congregantur in Ecclesiis, & se „ invicem accipiunt.) Ipse S. P. Benedictus Reg. c. 48. ubi quotidiana diei exercitia temporaque disponit, omnia autem labori, aut lectioni, aut psalmis consecrat spatia, nulla Missæ facta mentione, cujus duntaxat meminit, eum de lectore mensæ præcipit, ut Dominico die post Missas, & communionem ingrediatur ad legendum. In antiquo etiam Ordine conversationis Monasticæ, in quo sigillatim cuncta diei exercitia describuntur, ne quidem unum verbum de Missa. Quin & ipsi Cartusienses Monachi in ipso Ordinis sui nascentis exordio Missas singulis diebus non faciebant, ut docet Petrus Blesensis epist. 123. ad Richardum Londoniensem Episcop. scribens his verbis: *Raro sacrificat Cartusiensis Ordo*, & alibi epist. 86. ad Alexandrum Monachum, qui hac de caussa Ordinem deserere volebat. „ (Hoc in Ordine Cartusiensi „ causaris, & arguis, quod singulis diebus Missas non „ faciunt, atque hujus religionis, aut potius superstitio„ nis obtentu tuum machinaris egressum.) Immo, quod de Nitriensibus Monachis affirmat Palladius in Laus. c. 7. apud eos fuisse octo Presbyteros, ex quibus unus duntaxat, scilicet primus, quandiu viveret, Sacerdotis fungebatur officio; id de priscis S. Brunonis discipulis non obscure innuit Guigo in vit. S. Hugonis Episc. n. 11. apud Boll. 1. Aprilis, ubi S. Brunonis socios recensens, inter alios nominat Hugonem „ (quem cognominabant, „ *inquit*, Capellanum, eo quod solus ex eis Sacerdotis „ fungeretur officio.)

II. Quandonam vero apud Monachos invaluerit usus, & consuetudo quotidie Missas solemniter decantandi, certo definire non possumus. Constat plane, morem hunc apud eos esse antiquissimum, ut prorsus mirari subeat, quod de Cartusianis hic scribitur. Certe religiosissimi omnium Regulæ Benedictinæ observatores Monachi Cistercienses, ab ipsis Ordinis sui primordiis Missas quotidie decantabant, ut patet ex libro Usuum cap. 84. licet ab iis tempore secationis, & messionis conventus nonnumquam abesset; quo casu *minuti, & infirmi extra chorum, & de infirmitorio* ea præstabant, quæ præsens conventus præstitisset. Idem in aliis Ordinis Monasteriis ante Cistercienses generaliter observatum fuisse colligitur tam ex Udalrico, quam ex MSS. consuet. Cluniac. Germaniæ, & Benignianis, ex Lanfranci Statutis, & ex Concordia Dunstani sæculo x. edita. Ita in Prioratu S. Leonardi de Ma-

de Magenciaco n. 3. (extat Sæc. 4. part. 2.) Missa singulis diebus solemniter cantabatur; ut discimus ex donatione Guillelmi Ducis Aquitaniæ ann. 1064. facte, in qua postulat, ut pro se *ad Missam quotidianam unam orationem canant*. Sub finem sæculi IX. Frotarius Bituricensis Episcopus Bellilocensibus Monachis Orbaciacum villam contulit, ut annuatim custodi Ecclesiæ vini modii decem tribuerentur, unde sacrificium *quotidie* Domino offerant; ut videre est in vit. S. Rodulfi Epis. Bituric. n. 12. sæc. 4. part. 2. p. 163.

III. In Centulensi S. Richarii Monasterio duæ quotidie Missæ solemnes decantabantur tempore S. Angilberti Abbatis spicil. tom. 4. hoc est ineunte sæculo IX., ut patet ex ejus charta ab Hariulfo relata in chron. Centul. l. 2. c. 11. In editis etiam circa idem tempus capitulis Monachorum ad Augiam directorum sex reperio c. 3. „ (quotidie deputetur fratres, sacram offerentes oblationem, incipientes ab Abbate, omnes per ordinem ;) & in consuetudinibus S. Benedicti Abbatis Anianensis decernitur (tom. 4. Anal.) ut „ (post opus & Tertiam, & *Missam* plenitet conveniatur ad lectionem.) Denique S. Guillelmus Dux Gellonensis Monasterium anno 804. condidit sæc. 4. in quo *perpes oblatio*, *juge sacrificium* offerretur, ut scribit Anonym. in ejus vit. n. 8. quod ego de quotidiano interpretor, maxime cum Gellonense Cœnobium Anianensi subjectum fuerit. Idem videre est in regula MS. incerti authoris ex cujus cap. 2. a Pascha ad Cal. Octobr. *post Tertiam Missarum solemnia celebranda sunt*, & prædictis Cal. ad Pascha *post Nonam*.

IV. Sæculo octavo in Kitzingo Monasterio *virginibus Christi Missas quotidie celebravit* earum Capellanus, & fundator, ut scribit Anonymus in vit. S Hadelogæ n. 5. apud Boll. 2. Feb. & Ceolfridus Abbas in Anglie, (Beda in vit. S. Bened. Episcop. lib. 2. n. 17.) qui anno 716. apud Lingonas diem clausit extremum „ (primo mane Missam in Ecclesia B. Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, & in Ecclesia Apostoli Petri pridie nonas Junias feria v., communicantibus, qui aderant,) cantasse legitur ; si feria v. ergo non solum Dominica.

V. Eodem S. Bertilla, quæ post medium sæculum VII. Kelense Sanctimonialium regebat Monasterium „ (quotidie quoque pro salvatione animarum fidelium, & recto statu S. Ecclesiæ Dei, Domino hostias sacras suos jubebat offerre Sacerdotes,) ut discimus ex Anonymo in ejus vit. num. 6. sæc. 3. part. 1. p. 24. & S. Setenicus in pago Oximensi confessor, qui medio etiam sæcul. VII. florebat (in ejus vit. n. 15. sæc. 2.) „ (humilitatis gratia Sacerdotalem gradum suscipere renuebat, ipsum, quod acceperat Diaconatus officium, *quotidie* sollicitus Deo exhibebat, *per singulos enim dies* sacris altaribus, Sacerdotique ministrando adstans, oblationes Deo pectore casto, menteque devota offerre studebat ;) & ante hæc omnia in quadam S Euthymii Laura, qui anno 405. in solitudinem secessit, *sacra mysteria quotidie peragebantur*, teste Cyrillo Scytopol. in vit. S. Euthymii n. 45. tom. 2. monum. eccl. Græc. Ex quibus omnibus patet, quam longo jam usu receptum sit apud Monachos, ut Missa quotidie solemniter decantetur : quonam vero ritu cuncta peragerent jam inquirendum est.

VI. Omnium ad instar nobis hanc in rem esse debent Cassinenses nostri, quorum proinde ritus antiquos in celebratione Missarum ex pervetusto Institutionis Oratorii ritualis MS. hic ex integro referre operæ pretium existimamus, ostensuri postmodum, in quibus aliis consentiant, & in quibus discrepent: hi autem tales sunt.

VII. Tertia „ (finita Sacerdos cum ministris vadat induere se sacris vestibus, & cum inceperint Clerici in choro gloriam post introitum, procedant, antecedente eum Diacono, & Subdiacono, cum libro Evangelii, & ante Subdiaconum Acolytho cum thimiamate, ante quem duo alii Acolythi procedant cum incensis luminaribus, & sic ordinate exeant a secretario, & ut pervenerint ante altare, incipiat Sacerdos antiphonam: *Introibo ad*, cum psalmo: *Judica me Deus*. Deinde faciant confessionem, Diacono stante ad dextram Sacerdotis, & Subdiacono tenente librum Evangelii contra faciem ejus; ubi autem finierint confessionem, Subdiaconus apertum librum Sacerdoti præbeat osculandum, & statim dum inceperint in choro *Kyrie eleison*, Acolythi deponant candelas in pavimento. Diaconus vero finita confessione accipiat thuribulum de manu Acolythi, & accedens osculentur altare, quem subsequatur Sacerdos, & inclinatus secrete oret prius, deinde surgat, & osculetur altare, & sic accepto thuribulo de manu Diaconi, facit incensum super altare, & reddat eidem Diacono porrigens ei osculum. Diaconus ergo faciat incensum circum altare, & revertens odorem præbeat Sacerdoti, redditoque thuribulo ipsi Acolytho, stet post Sacerdotem, & Subdiaconus retro post eum. Finientibus in choro *Kyrie*, si tempus fuerit, dicat Sacerdos : *Gloria in excelsis Deo*. Sciendum quod ab hac Dominica (*Adventus*) usque in natali Domini, & a Septuagesima, usque in cœna Domini : *Gloria in excelsis Deo*, ad Missam non canent, exceptis festivitatibus S. Andreæ, & S. Thomæ, & Purificatione, & Annunciatione S. Mariæ, S. Scolasticæ, S. Benedicti. Præterea nec ministri induunt tunicas seu Dalmaticas; sed in nigris planetis ad Missam procedunt, exceptis festivitatibus SS. & Cœna Domini, & Sabbato sancto. Finita itaque *Gloria*, Sacerdos versus ad populum dicat : *Dominus vobiscum*, & orationem, qua dicta Subdiaconus versus contra altare legat epistolam, quam dum incipit, Sacerdos & Diaconus sedeant in sedilibus suis in dextra parte altaris, juxta quos & Subdiaconus post lectam epistolam sedeat. Deinde canetur graduale, & alleluja. Tunc surgat Diaconus, & inclinato capite, petat benedictionem a Sacerdote, & sic pergat ad altare, accipiatque librum Evangelii ex eo, quem osculetur, patenamque ejus in sinistro humero ponens, præcedentibus ante eum candelis, & incenso, vadat legere Evangelium versus ad Septentrionem, vel Meridiem; quod statim ut incipit, candelæ deponantur in pavimento, & stet ante eum Acolythus cum incenso usque dum finiatur; & tunc primum præbeat odorem Diacono, & Diaconus osculato Evangelio recedat; quod Subdiaconus accipiens præcedente eum Acolytho cum incenso præsentet osculandum Sacerdoti, deinde cæteris in choro. Sed finito Evangelio extinguendæ sunt ipsæ duæ candelæ ab Acolythis in loco suo ; & Sacerdos osculato Evangelio dicat : *Credo in unum Deum*. Sciendum tamen est, quia hoc symbolum non in omni festo debet cantari, nisi tantum in diebus Dominicis, & in solemnitatibus Domini, idest Nativitate, Epiphania, Ypopanti, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Transfiguratione, S. Crucis, S. Angeli, & in festivitatibus S. Mariæ, & in natalibus Apostolorum, & solemnitate Omnium SS. & Dedicationis Ecclesiæ. Hoc ergo finito, vertat se Sacerdos ad populum dicens : *Dominus vobiscum : Oremus*. Deinde incipientibus in choro offertorium, qui ministraturi sunt abluant manus. Tunc Subdiaconus accipiat calicem cum vino, & corporali desuper, & patenam cum oblatis de manu Acolythi; utrumque ante altare, ferens calicem in sinistra manu, & patenam in dextra. Tunc Diaconus prius accepto corporali, ornet altare in dextro latere, deinde accipiens patenam cum oblatis offerat Sacerdoti. Calicem vero ipse Diaconus ponat super altare, iterumque acceptam ampullam a Subdiacono cum aqua fundat in calicem, faciens crucem, & operiat eum dimidia parte ipsius sindonis. Ita tamen ordinandum est, ut calix, & oblatæ juxta ponantur ; calix in dextra parte, oblatæ in sinistra ; & reddatur patena Subdiacono. Tunc Sacerdos suscepto thuribulo a Diacono facit incensum super calicem, & oblatas, & reddat thuribulum Diacono, cum quo Diaconus faciat incensum in circuitu altaris, & præbens incensum Sacerdoti reddat Acolytho, ipseque stet in loco suo post Sacerdotem. Inter hæc Sacerdos inclinatus contra altare oret ; Deinde surgens osculetur altare ; versusque ad populum petat pro se orari. Tunc Subdiaconus vadat post altare, & tenens patenam in manibus, stans erectus, respiciat contra faciem Sacerdotis. Finita itaque secreta, & oratione Dominica revertatur Subdiaconus, & offerat patenam Diacono, & Diaconus Sacerdoti ; Sacerdos autem cum dixerit : *Per omnia sæcula sæculorum*, rumpat oblatam in dextro latere super calicem, dicens : *Pax Domini*, & sic dimittat eamdem particulam in calicem ; postea dicat : *Agnus Dei*, & osculato altari convertat se, & det panem primum Diacono, deinde Subdiacono, & cæteris per ordinem, & communicent. Quo finito dicit orationem ad complendum, & in fine Diaconus dicit : *Benedicamus Domino*. Hoc tamen sciendum est, quod in omnibus solemnitatibus, vel SS. festivitatibus, & in omnibus per annum Dominicis diebus, quando *Gloria in excelsis Deo* ad Missam canitur, debet dicere in fine : *Ite missa est*, cæteris autem diebus sive Dominicis, sive solemnitatibus non dicitur nisi *Benedicamus Domino*. Tunc demum revertentur ad secretarium ordinate ut venerunt, cantantes hymnum trium puerorum & *Laudate Dominum in sanctis ejus*. Ad Missam autem ordo

qui

„ qui superius scriptus est ad celebrandam Missam, observandus est, quandocumque festum celebratur cum XII. lectionibus: In diebus autem quotidianis, incipientibus in choro introitum procedat Presbyter a Secretario, antecedentibus eum Diacono, & Subdiacono, & Acolytho cum incenso, lineis albis indutis; & venientes ante altare, data confessione, omnia ut supra peragant. Et hoc sciendum est, quia omni tempore, quando prima oratio dicitur ad Missam, liber poni debet in dextera parte altaris, & quando præparari debet altare, removeatur in sinistra; & post communionem reducatur in dextra, & ibi dicatur oratio ac complendam. Et hoc sciendum est, quia quotiescumque ad Missam symbolum canitur, exceptis præcipuis festivitatibus, duo Subdiaconi, & duo Acolythi ad Missam induantur; ut cum idem symbolum canitur, simul in utroque choro ab eisdem incensum fratribus, & osculandum Evangelium præbeatur; ipsi etiam Subdiaconi postquam a Sacerdote pacem acceperint, eandem pacem in choro deferant, & osculatis utriusque chori primatibus, ad altare sicut venerant, redeunt, sicque omnes fratres se invicem ac per ordinem osculantur. In festivitatibus tamen duabus per annum, scilicet Nativitat. & Resurrect. omnes singillatim ad pacem a Sacerdote accipiendam ad altare accedimus, & sic omnes per ordinem invicem osculamur.)

VIII. Hactenus Cassinensium in Missarum celebrationis ritus satis fuse prosecuti sumus; nunc quæ sit eorum cum aliis concordia, quæ discrepantia, investigare oportet. Volunt itaque in primis, ut dicta Tertia, *Sacerdos cum ministris vadat induere se sacris vestibus*, quæ scilicet induendæ supersunt; Tertiam enim ut patet ex superiori capite, cantabat sacris vestibus indutus; sed non omnibus; quod omnibus privatis diebus, maxime quibus bis reficiebant, præstabat, ut constat ex Udalrico l. 2. c. 30. de Sacerdote Hebdomadario ita disserente: „ (In privatis „ diebus quotiens bis comeditur, priusquam signum pulsetur ad Tertiam, manus lavet ea more, ut oratione facta mox Sacerdotalibus induat se, & Tertiam imponat. Qua finita litania, qua Missa prævenitur, cum decantata fuerit usque ad illum versiculum: *Omnes sancti*, exit de choro, ut casula quoque vestiatur, & cum processione veniat ante altare. Si dies est talis, ut non nisi semel comedatur; vestit se inter cantandam litaniam: Et si processio agenda est, ut in 4. & 6. feria in Quadragesima, non se vestit, donec & ipsa jam facta fuerit.) Eadem fere habent Divionenses S. Benigni consuet. cap. 20. & liber usuum Cisterciensium cap. 53. „ (In XII. lectionibus Sacerdos induat se ad celebrandam Missam cum Diacono, & Subdiacono, quos adjuvent ad induendum præteritæ septimanæ Hebdomadarii .... ad Tertiam ambo maneant in presbyterio cum Sacerdote, ubi eis & sedere ad psalmos liceat. Finita Tertia exeant, & unus ministrorum, qui adjuverunt eos ad induendum, pulset signum & accendat duas candelas, quæ solent ardere juxta altare, hinc & inde, & absconsam cum lumine super altare, si necesse fuerit, præparet: Alter vero deserviat Sacerdoti in induenda casula. Postea infundat ei aquam in manibus: Diaconus vero sumat stolam, & aspersis manus aqua data sibi a Ministro, & Subdiaconus similiter, quas tergant Sacerdos, & Diaconus ad tersorium sibi deputatum, Subdiaconus vero ad alterum.

IX. Sacris acceptis vestibus Cassinenses ad altare non accedebant, nisi incepta in choro post introitum *Gloria*, quod observabant etiam Benigniani, Sangermanenses nostri ex consuetudinibus MS. mox citandis, & Cistercienses ex libro Usuum. Introitum autem vocamus antiphonam illam, quam chorus cantat, & Sacerdos ut ascendit ad altare legit cum versu, & gloria; de qua Udalricus in antiquis Cluniacensis monasterii consuetudinibus l. I. c. 8. „ (In Dominicis diebus ad majorem Missam introitus post versum dimidius solet recantari, post *Gloria Patri*, totus;) & MS. consuetudines c. 106. „ (In diebus Dominicis, & in minoribus festivitatibus, ad majorem Missam introitus post versum dimidius recantatur: In mediocribus autem, quæ vel in albis, vel in cappis sunt, & in quinque præcipuis Dominicis, & in vigiliis quinque præcipuarum festivitatum, totus recantatur, & in majoribus vero aliquando versus dicitur, & post singulos introitus totus repetitur, & semper post gloria.) Et cæremoniale Casalis Benedict. c. 18. „ (Qui quidem introitus bis tantum dicitur, præterquam in summis & duplicibus majoribus in quibus triplicatur. (Rationem reddunt consf. Grand. c. 129. „ (In præcipuis festivitatibus ter cantatur introitus, propter tres leges, scilicet naturalem, Mosaicam, & legem Evangelicam gratiæ, quia in unaquaque Deus habet præcones suos, quod significat ter repetitum officium.)

X. Olim post introitum integer decantabatur psalmus, ut docet Menardus noster in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ. Quamvis Alcuinus in lib. de divinis off. c. de celebratione Missæ, nullam psalmi aut versiculi faciat mentionem, sed antiphonæ immediate subjungat *Gloria*: „ (Primo, *inquit*, omnium dicitur antiphona ad „ introitum .... deinde imponitur *Gloria Patri*, *& Filio*, „ *& Spiritui sancto* .... & hoc, *ait*, ad nutum Diaconi ait Cantor, sicut & *Kyrie eleison*, qui ad hoc ministerium admittitur, ut officium integre peragi possit.) Quæ posteriora verba: *Et ad nutum Diaconi ait* Cantor, explicant MS. Germaniæ consf. num. 18. ubi dicitur esse Diaconi *Gloria Patri*, nutu suo incipere a Præcentore, & *Kyrie eleison*, forte quia totius introitum repeteret Cantor, donec sibi Diaconus innueret, aut *Gloria*, & *Kyrie* omitteret, si non significasset. Porro introitus Missæ Cælestinum Papam authorem agnoscunt, idem Alcuinus de div. offic. c. quid *significent vestimenta*, & Amalarius l. 3. de offic. c. 5. „ (Officium Missæ, *inquit* „ *Alcuinus*, addidit Cælestinus Papa, & constituit, ut „ psalmi CL. ante Sacrificium psallerentur antiphonatim „ ex omnibus, quod antea non fiebat, nisi tantum Epistola Pauli recitabatur, & sanctum Evangelium, & sic Missa celebrabatur. Quod nos ita intelligimus, quia ex omnibus psalmis excerperet antiphonam, quæ psalleretur in officio Missæ, nam antea inchoabatur Missa a lectione, qui mos adhuc retinetur in vigilia Paschæ, & Pentecostes.)

XI. Incepta itaque *Gloria* in choro, Sacerdos cum ministris ad altare procedebat hoc ordine: duo primum Acolythi cum luminibus, deinde alter Acolythus cum incenso, postea Subdiaconus ferens Evangeliorum librum, cum Diacono, ac tandem ipse Sacerdos. Eundem pene ordinem advertere licet in MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis, in quibus sic lego: „ (Sic autem ibit „ Sacerdos ad altare: primo præcedet thuribulum, & „ post duo cerei, & Subdiaconus ferens textum, & Diaconus ferens missale, & Sacerdos habens casulam albam, nimirum si tempus exigat, & Diaconus, & Subdiaconus suo modo, & non debent intrare sacrarium donec cantetur *Gloria Patri*.)

XII. Quis fuerit apud Cluniacenses ordo procedendi ad altare, habemus ex Udalrico, & consuetudinibus nostris MS. idem nimirum, qui apud Cassinenses; nam ex MS. consuet. c. 100. reliquos ministros ad altare procedentes præcedunt simul duo ferentes candelabra, tertius thuribulum; & ex Udalrico l. 2. cap. 32. „ (Diaconus Sacerdotem præcedere solet ad altare.) Hoc unum Cluniacensibus erat singulare, quod Subdiaconus librum Evangeliorum, Sacerdos vero *codicem missalem in brachio sinistro*, deferret, ex Udalrico l. 2. c. 30. & 31. quod tamen Abbate celebrante præstabat Diaconus, ex MS. consf. c. 34. Sed hoc agebant apud Cistercienses Diaconus, & Subdiaconus ante Tertiam, testante libro Usuum Cist. c. 53. his verbis: „ Quibus „ indutis, Diaconus, & Subdiaconus cum manipulis eant „ præparare altare, petentes veniam ad gradum altaris, „ & ponentes textum super analogium, & missale super „ altare in dextro cornu, in sinistro vero ponat tersorium, &c.) In antiquis Germaniæ consuetudinibus n. 18. processionis ad Missam ordo committitur Diacono: „ (Diaconi est .... processionem ad introitum ordinare, & incensum ponere, *Gloria Patri* nutu suo incipere a præcentore, & *Kyrie eleison*, Presbyterum quoque de sacrario manu ad altare deducere;) cum tamen apud alios præcederet. De Cisterciensibus autem ita liber Usuum c. 53. „ (Pulsato signo a ministro exeant de vestiario, & ordinentur ante altare, quod est in prima statione, habentes vultum ad ingressum chori, ita ut Subdiaconus prior sit, & Diaconus posterior, & Sacerdos novissimus; & sic maneant usque ad *Gloria Patri*; & cum inde se moverint, inclinent ante ipsum altare. Deinde ingredientes inclinent rursus ad gradum Presbyterii, & sic ascendentes divertat Diaconus ad dexteram, & Subdiaconus ad sinistram, Sacerdos vero inter eos transeat ad altare, & dum transit inclinent ei.) Grandimontenses vero ex Guillelmi Pilliterii consuetudinibus cap. 129. præscriptum a Cassinensibus servabant ordinem.

XIII. Ut autem ad altare pervenerat Sacerdos, habens Diaconum a dextris, Subdiaconum a sinistris tenentem librum Evang. incipiebat antiphonam: *Introibo ad altare*, cum

ea, cum psalmo: *Judica*; deinde confessionem. Hunc ritum, quem etiam nunc religiose observamus, apud antiquos nobis reperire non licuit, nam licet ab oratione, & confessione Missam inciperent, non tamen ab antiphona psalmoque prædictis. De Cluniacensibus ita scribit Udalricus l. 2. c. 30. „ (Sacerdos ad altare accedens portat & ipse codicem missalem in brachio sinistro, quo deposito in dextrum cornu altaris, inclinat ad orationem maxime Dominicam, vel si magis voluerit: *Domine sancte &c.*, osculatur altare, & textum Evangelii, dat locum Diacono, ut stare possit prope dextrum cornu altaris, ipse quoque stat prope sinistrum, & inclinis contra Diaconum similiter inclinem, dicit confessionem, cujus etiam forma ita est præscripta, ut nec ad Missam, nec ad horas quibus est dicenda, verbis amplioribus dicatur quam hujusmodi: *Confiteor Deo, & omnibus sanctis ejus, & vobis, pater, quia peccavi in cogitatione, locutione, & opere, mea culpa; precor vos orate pro me.* Resp. *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet, & confirmet vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam amen*;) De Cistarciensibus liber Usuum cap. 53. „ (Tunc Sacerdos incurvus ante medium altaris faciat orationem, & Diaconus similiter retro ipsum, & Subdiaconus post Diaconum, qua completa erigant se. Deinde Sacerdos osculato altari signat se. Diaconus vero signans se inclinet, & pergat osculari sinistrum cornu altaris. Quo osculato inclinet, & eat in dextram partem, stans sub gradu altaris paululum remotus e pariete, & Subdiaconus retro ipsum. Sacerdos autem descendens sub gradu altaris, inclinet circa medium altaris ad dicendam confessionem, Diacono existente ad dextram, Subdiacono ad sinistram, & dicant invicem confessionem Sacerdote incipiente . . . . . qua dicta erigant se, & sic accedat Sacerdos ad librum, qui est super dextrum cornu altaris. Quam confessionem si ea hora complere non potuerint, dicant postea, cum eis vacuum fuerit.) MS. consuetudines S. Germani a Pratis, „ (Et venient coram altari & dicet Sacerdos *Confiteor*, & sicut ei placuerit, faciat, prout habuerit in consuetudine.) Quibus ex verbis colligitur has preces sive orationes ad Sacerdotis libitum extitisse. Bursfeldenses suas nobis exponunt in Ordinario suo c. 43. ubi sic lego: „ Venientes ante altare reverenter inclinent, dispositisque Diacono a dextris, & Subdiacono a sinistris, Sacerdos inter illos stans circa altaris medium supplici devotione legat versus subsequentes, scilicet *Judica me Deus, & discerne: Quia tu es Deus fortitudo mea: Emitte lucem tuam: Et introibo ad altare Dei: Confitemini Domino quoniam bonus: Dignare Domine die isto*; tres primos cum silentio solus, reliquos vero cum ministris. Deinde inclini dicant invicem confessionem, Sacerdote incipiente sub hac forma: *Confiteor Deo, B. Mariæ, omnibus SS. & vobis fratres, quia peccavi nimis mea culpa per superbiam, cogitatione, locutione, opere, & omissione; precor vos orare pro me.* Et inter pronuntiandum hæc verba: *cogitatione, locutione, opere, & omissione*, tertio pectus tundat, & continuo ministri precando subjungant: *Misereatur tui omnipotens Deus per intercessionem B. Mariæ, & omnium Sanctorum, & dimittat tibi omnia peccata tua, & perducat ad vitam æternam*; Sacerdote respondente *Amen*. Ministri suam subsequentur confessionem modo prædicto. Quibus simili modo Sacerdos precatur subinferens: *Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, & misericors Dominus: Amen*. Confessione peracta erigant se ministri, ac etiam Sacerdos; signansque se subjungat ex more, *Aufer a nobis Domine* . . . . qui accedens ad altare impresso signo crucis labro illius, ipsum osculatur, dicens: *Tuam crucem adoramus Domine, tuam gloriosam &c.* Deinde ad latus sinistrum etiam textum Evangelii illic apertum, sibi a Subdiacono exhibendum (si tale festum fuerit, idest summum, majus aut minus, in quo plenarius deferri solet) post hoc divertens ad dextrum cornu altaris, aperto missali dicat: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*; & ministris respondentibus: *Qui fecit cælum & terram*, mox incipiens legat introitum Missæ cum ministris. Incipientes autem, & iterum repetentes introitum, Sacerdos signando se parum incurvet genua, & ad gloriam introitus modice caput inclinet. Finito introitu eodem loco dicant: *Kyrie eleison*, Sacerdote incipiente, & ministris respondentibus.)

XIV. Denique de Casalinis nostris ita in eorum cæremoniali MS. c. 18. „ (Postquam Sacerdos & Ministri ad Missam Conventualem præparati, rite, & ordine prætactis, vestiarium ingressi fuerint, Diaconus & Subdiaconus sine tunicis, excepto in magnis solemnitatibus, Subdiacono tamen præeunte, simul exeant ad altare discooperiendum, super quod Subdiaconus in dextro cornu ponat Missale, Diaconus vero corporale explicet, & super illa calicem, quem secum veniens cum pane detulit, nudatum reclinet. Clerico interim vinum & aquam deferente, & luminaria juxta ritum Monasterii accendente; quibus peractis simul redeant ad vestiarium, & ita moderentur omnia, ut antequam introitum repetat chorus, in vestiarium sese recipiant; quo repetito, & antequam finiatur, Sacerdos crucem ferens, complosis manibus una cum Ministris eodem ritu incedentibus ordinate procedant e vestiario ad altare, dicentes alternatim Sacerdos videlicet cum Diacono & Subdiacono psalmum: *Judica me Deus, & discerne*, &c. cum *Gloria Patri*, & *Sicut erat*; & genua simul flectentes ad primum altaris gradum, Diacono ad dextram, Subdiacono vero ad sinistram, Sacerdote in medio eorum constitutis... Tunc Sacerdos det crucem, quam a Sacristia ad altare secum detulit, Diacono, & si sit Abbas, Subdiacono, quam super altare ponat; & antequam inclinent, dicat Sacerdos, vel Abbas oculis in cælum erectis: *Oremus, actiones nostras*, &c. qua finita, & non ante, inclinent profunde simul omnes, moxque pariter se erigentes signet se Sacerdos dicendo: *In nomine ✠ Patris, ✠ Filii, ✠ & Spiritus Sancti. Amen.* Deinde: *Et introibo ad altare Dei*, & reliqua: dicens *Confiteor* profunde cum Ministris inclinet, non se erecturus, donec & ipsi absolutionem a Sacerdote acceperint, Sacerdos tamen Ministris *Confiteor* dicentibus, se erigens subjungat: *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam*, semper erectus Diaconus, & Subdiaconus, Ministri respondeant: *Amen*, ad altare simul accedentes, sicut sunt ordinati, dictis omnibus, quæ prædicenda sunt, veluti in privata Missa tractavimus; vid. inf. c. 6. Illud quoque simul caveretur osculentur; tunc divertentes ad dextrum cornu altaris . . . . Ministri cum Sacerdote dicant introitum Missæ, Diacono ad dextram, Subdiacono vero ad sinistram constitutis . . . . *Kyrie eleison* similiter cum Sacerdote alternatim pronuntiare debent.)

XV. Post hæc præscribitur in Rituali Cassinensium altaris per Sacerdotem incensatio, in qua tria maxime notanda sunt. 1. quod Sacerdos reddens thuribulum Diacono, eidem osculum porrigeret. 2. quod Diaconus accepto a Sacerdote thuribulo circum altare incensum faceret. 3. quod post hæc Diaconus revertens odorem præberet Sacerdoti. De hac altaris incensatione, ita scribit Udalricus lib. 2. cap. 32. officium Diaconi apud Cluniacenses referens: „ (Porrigit incensum, quo imposito, porrigit quoque ipsum thuribulum, quod postea recipiens, si est dies solemnis, incensat altaria quæque proxima choro, & maxime ipsius altaris principalis coram posteriora.) In MS. vero consuetudinibus c. 99. Diaconus thuribulum a Sacerdote „ (recipiens, ipsum Sacerdotem incensat, & casulam inter brachia trahit;) ex quibus etiam habemus, quod diebus privatis usque post offerendam incensum non offerretur. Singulare aliquid addunt Sangermanenses consuetudines, scilicet quod conventus etiam incensaretur: „ (Et incensato altari, *inquiunt*, Diaconus incensabit sacrarium, & post servitor ecclesiæ conventum.) Servitores ecclesiæ vocabant Acolythos thuribulum, & candelabra ad Missam, aliaque divina officia deferentes, de quibus Udalric. lib. 2. c. 33. & MS. consuetud. c. 100. Consuet. S. Benigni c. 22. addunt: „ (In solemnitatibus quoque Sanctorum, in quorum honore altare aliquod de ecclesia dedicatum est, ubi etiam tunc luminare tam in nocte, quam in die ardere debet, & in quatuor diebus Paschæ, & Pentecostes, tam illud, ante quod luminare pro aliqua festivitate arserit, quam illud de S. Maria, & illud de S. Benigno, & illud de Crucifixo, incensatur ad majorem Missam.)

XVI. Interim incepto in choro *Kyrie*, Acolythi candelas in pavimento deponere jubentur in Rituali Cassinens. hi apud Cluniacenses & Benignianos, ut pervenerunt ad altare, unus ad dextram, & alter ad sinistram se collocabant; inceptoque etiam in choro *Kyrie*, candelabra deponebant, eadem ad Evangelium resumturi ex MS. consuet. c. 100. Apud Casalinos nostros ceroferariorum usus nullus extitit, exceptis duplicibus majoribus, & maximis solemnitatibus, in quibus, ut habet eorum ceremoniale MS. c. 18. „ (ob reverentiam solemnitatis duo adhibebuntur, qui Sacerdotem, & Ministros cum luminaribus ad altare præcedentes, ad cornua altaris se collocabunt, „ can-

„ candelabra sua semper tenentes, donec Sacerdos confessione peracta cum Ministris ad altare conscendat; tunc retrocedentes candelabra sua super altaris gradum, sicut in Vesperis & Laudibus ejusdem solemnitatis, collocare debent, ut denuo resumantur, cum institerit hora Evangelii.)

XVII. Finito in choro *Kyrie*, ad quod tam Bursfeldenses ex Ord. c. 49. quam Casalini ex cerem. MS. c. 19. denudabant capita, Sacerdos imponebat hymnum: *Gloria in excelsis*, quem solus chorus prosequebatur; neque enim Sacerdos olim solemniter celebrans hunc hymnum integrum dicebat, immo solis Episcopis illum cantare licebat non Presbyteris, nisi forte in die Paschæ, ut patet ex lib. Sacramentorum S. Greg. Pap. qua de re queritur Berno Abbas Augiensis in libro, quem de quibusdam rebus ad Missam spectantibus composuit c. 2. „ (Cur non liceat omni die Dominico, vel natalitiis Sanctorum Presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere dicentes, *Gloria in excelsis Deo*, quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum prætitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in cœlis.) Porro apud Casalinos Ministri una cum Sacerdote intonatum, *Kyrie*, *Gloria in excelsis Deo*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, dicebant ex eorum cerem. MS. c. 17. Carthusienses aut Monachi *Gloria* canunt in cornu Epistolæ ex Ordinario c. 25. non elevatis manibus ex antiquis Statutis 1. part. cap. 43. Incipiente autem Sacerdote *Gloria in excelsis*, chorus ad altare se convertebat, prosequente Cantore, *Et in terra pax*, vultum ut antea reducebat ex lib. Us. Cisterc. c. 56. Ord. Bursfeld. c. 49. cerem. Casalin. c. 19. Inclinans ad verba: *Adoramus te: Suscipe deprecationem nostram*; & insuper apud Casalinos ad *Gratias agimus tibi*, quod etiam cum Bursfeldensibus observabant ad Sanctissimum *Jesu* nomen tam initio, quam in fine prædicti hymni, ad cujus extrema verba: *Cum sancto Spiritu*, *signant se*, inquit lib. Usuum Cisterc. *& convertuntur ad altare*.

XVIII. Porro Angelicum hymnum in Advento, & a Septuagesima usque ad Pascha dicere usus non tulit, neque apud Cassinenses ex eorum Rituali, neque apud Cluniacenses ex Udalric. l. 1. c. 8. & consuetud. MS. neque apud Divionenses ex Benignianis consuetud. c. 29. neque apud Cisterc. ex lib. Usuum c. 63. sed neque apud alios. Immo neque in ipso Purificationis die, si in Septuagesima accidisset, olim dicebatur, ut patet ex Alcuino in lib. de Eccles. off. cap. de Purificatione S. Mariæ; „ (Quod etiam, *ut scribit Micrologus l. de eccles. obs. c. 2.* numquam post meridiem legitur dicendum, nisi in Cœna Domini, ubi Chrisma conficitur, & in Sabbatis Paschæ, & Pentecostes.)

XIX. Quare autem istis temporibus omittatur, vid. apud Amalar. l. 1. c. ... & l. 3. c. 40. scilicet in Septuagesima, quia tempori tristitiæ non competit hymnus lætitiæ, & in Adventu, quia tempus Veteris Testamenti significet: „ (Vidi, *inquit*, tempore prisco *Gloria in excelsis Deo* prætermitti in diebus Adventus Domini, & in aliquibus locis dalmaticas; habet enim & istud aliquid rationis ad insinuandum tempus Veteris Testamenti,) &c.

XX. Finito *Gloria in excelsis Deo*, Sacerdos ad populum conversus dicebat *Dominus vobiscum*, & quidem apud Cartusianos in cornu epistolæ, ex antiquis eorum Statutis 1. part. c. 43. & ex Ord. 25. ubi etiam observandum, quod apud Bursfeldenses in Ord. c. 43. & 49. Diaconus etiam se cum Sacerdote convertebat, non tamen Subdiaconus; choro interim nudo capite, facie ad altare conversa, ex eorum Ordinario, & caput humiliter inclinante, ex cerem. MS. Casal. c. 19. qui respondens, *Et cum spiritu tuo*, signabat se, & ad altare convertebatur, reclinans se super misericordias, donec epistola inchoaretur, ut præscribit liber Usuum Cisterc. c. 56.

XXI. Post hæc Sacerdos orationem sive collectam subjungebant dicens: *Oremus*, quam ad vocem „ (Flexis poplitibus modice se humiliet, *inquiunt Bursfeldenses in Ord. c.* 43. Similiter faciat repetendo: *Oremus*, ante secundam collectam, necnon ad *Oremus* in secretis & complendis.) Unicam vero collectam assignat Rituale Cassinensium, unicam lib. Sacramentorum S. Gregorii Papæ l. 4. c. 8. unicam etiam Dominicis diebus Benignianæ consuet. c. 29. & Udalricus in antiquis consuet. Monasterii Cluniac. c. 6. plures vero privatis diebus, quas ibidem notat, agens de majore Missæ privatis diebus; „ (Prima collecta præmissa, *inquit*, hæ rite sequuntur; *Deus cujus dextra B. Petrum: Concede quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio nos. Quæsumus omnipotens Deus, ut famuli: Omnipotens sempiterne Deus, qui facis: Deus a qua: Omnipotens sempiterne Deus, miserere famul.* Ab octavis Paschæ usque ad festum S. Michaelis: *A domo tua quæsumus*.) In MS. consuet. c. 103. his omnibus præmittitur oratio: *Concede nos*, & orationi: *Deus, a quo sancta desideria*, subjungitur: *Prætende Domine famulis & famulabus tuis*, ex quibus, ut dicit idem Udalricus „ (quarta est pro Regibus, aliisque Principibus, quinta pro Episcopis, & Abbatibus nostris, sexta pro familiaribus nostris, septima pro Regibus Hispaniarum per vices.) MS. vero consuetud. „ (quarum quinta est pro Regibus... sexta pro Episcopis, & Abbatibus nostris, septima pro pace, octava pro nostris familiaribus. *Addit Udalricus*: Et aliæ collectæ, si est caussa, pro qua opus fuerit, adjiciuntur, ut v. g. pro iter agentibus, pro infirmis, vel pro qualibet alia tribulatione supervenient.)

XXII. Quod Cistercienses spectat, hos diebus Dominicis duas ad Missam collectas cantasse credimus, ex his verbis libri Usuum c. 32. „ (Omnes Dominicales collectæ, quæ binæ dicuntur,) &c. Quatuor vero privatis diebus certo affirmamus ex eodem libro, ubi hæc inter alia leguntur cap. 38. „ (Privatis diebus non amplius quam quatuor collectæ ad Missam in conventu dicantur, exceptis octavis Domini, commemorationibus, octavisque Sanctorum, & illis quatuor diebus, qui sequuntur diem Circumcisionis, & feria 6. post octavas Ascensionis: aut si abbas unam tantummodo collectam dicendam adjungit; vel præsens defunctus fuerit; excipitur etiam tricenarium quod fit post generale Abbatum capitulum, cujus collecta idest: *Deus veniæ largitor*, per omnes triginta dies, exceptis solemnitatibus XII. lect. tam ad Vesperas, quam ad Laudes, & ad Missas continuetur.) De Bursfeldensibus, Cartusianisque Monachis vid. eorum Ordinarium, Bursfeldens. cap. 51. Cartusiensium cap. 26.

XXIII. Dicta per Sacerdotem collecta, (Subdiaconus versus contra altare legat epistolam, *inquit Rituale Cassinensium l. 2. c. 31.* atque inchoans lectionem, vel ea finita, ad utramque vicem facit ante & retro ibidem, ubi lecturus est,) ut ait Udalricus, sive, ut habent liber Usuum Cisterc. c. 54. Ord. Bursfeldensium cap. 43. Ceremon. Casalin. cap. 18. „ (Inclinat priusquam incipiat legere, & postquam legerit.)

XXIV. Hanc tam apud Cistercienses, quam apud Bursfeldenses, & Casalinos, legebat ad gradus Presbyterii ante medium altaris, & quidem apud Casalinos super analogium ibidem ab Acolytho præparatum: „ (Qui si forte in ipsa epistola erraverit, *inquit liber Usuum loco citato*, perlecta epistola satisfaciat ibidem;) quod etiam præscribunt Casalini in ceremoniali MS. immo si taliter erraverit, ut inde scandalizetur chorus, etiam in choro post Missam. Apud Cartusienses Monachos (Ord. Cart. c. 30.) absente Subdiacono, procurator legit Epistolam, (absente procuratore, unus ex Diaconibus; quod si unus tantum sit Diaconus, & nullus Subdiaconus, absente procuratore, ultimus in ordine Sacerdos epistolam legit.)

XXV. Epistolam sequebatur Graduale, sive ut alii loquuntur, Responsum; deinde alleluja, quod apud Cluniacenses, teste Udalrico lib. 1. cap. 8. a duobus in albis cantabatur Dominicis diebus; ita enim ille de Missa majore in diebus Dominicis agens: „ (Graduale a duobus albatis cantatur; ita ut versu finito a principio repetatur; Item alleluja a duobus;) MS. consuetudines c. 116. „ (℟. a duobus albatis canitur in Dominicis, & in minoribus festis; quod si in cappis omnes sunt, a tribus, vel a quatuor secundum quod Armario videtur, canitur; ita ut versu finito, semper a principio repetatur. Item *alleluja*, a duobus, vel si in albis, aut in cappis fiat solemnitas, a tribus, vel quatuor, seu a pluribus secundum nutum Armarii.) Idem habent Benignianæ consuet. c. 29. & MS. consuetudines S. Germani a Pratis ad Dominicam primam Adventus: „ (℟. *Universi, qui te*, &c. ℣. *Vias tuas Domine*, quem duo Monachi cantabant in albis; *alleluja*, quam duo Presbyteri cantabant in cappis similiter.) Simplicius & forte religiosius Cistercienses nostri lib. Us. c. 56. apud quos „ (in omnibus præcipuis festivitatibus, sicuti & cæteris diebus *Responsoria*, *alleluja* cantantur communiter ab utroque choro.) Idem observabant nostri Casalini, (cerem. MS. c. 28.) qui tamen in majoribus duplicibus ita præscribunt, „ (Responsorium inchoabitur a duobus fratribus junioribus albis indutis, versusque ab eisdem decantabitur; alleluja vero cum ℣. a duobus Cantoribus tantum.)

XXVI. Interim inchoante Subdiacono Epistolam, Rituale Cassinensium præscribit, ut „ (Sacerdos & Diaconus sedeant in sedilibus suis in dextra parte altaris, juxta quos & Subdiaconus post lectam epistolam sedeat.)

Idem videre est apud Cluniacenses, teste Udalrico, qui de Sacerdote „ (ad epistolam, *inquit l. 2. c. 30.*, sedet „ usque dum ad Evangelium venitur ;) & de Diacono cap. 32. „ (Cum Sacerdos sederit, ipse quoque sedet, „ prius tamen Sacerdote innuente, nec sedet absque licen-„ tia ejus ;) consentiunt Benign. consf. cap. 22. De Cistercienfibus in libro Usuum c. 53. „ (Interim Sacerdos usque „ ad Evangelium sedere, & in Missali legere potest, & „ Diaconus ad nutum ejus sedere, & in textu legere, si „ voluerit.) De Bursfeldensibus in eorum Ordinario c. „ 43. „ (Subdiaconus descendit legere Epistolam . . . . „ Sacerdos vero declinans ab altari ad dextrum latus, in „ medio sedilis illic pro se & Ministris præparatis se collo-„ cet.) De Cartusiensibus Monachis in eorum item Ordinar. „ [Finitis orationibus Sacerdos defert Missale clau-„ sum ad alterum cornu altaris, ante medium ejus incli-„ nando . . . Tum pergit ad cathedram cum simili incli-„ natione, manus tenens simul insertas: ubi recepta a Dia-„ cono mappula, libroque aperto, epistolam attente audit, „ aut legit, cum responsorio, & alleluja, vel tractu.) Tria hic observanda esse existimo. Primum, quod epistola olim a solo Subdiacono legeretur, graduale & alleluja, sive tractus in solo choro cantaretur, non autem a Sacerdote, quamvis ei sedenti prædicta legere apud Cistercienses & Cartusianos liceret. Secundum, quod sedenti Sacerdoti assidere Diacono non liceret, nisi jussisset ille ; immo nec ipsi etiam Sacerdoti, si præsens Abbas extitisset, ut patet ex MS. consuetudinibus Germaniæ n. 21. „ (Presbyter vel Diaconus præsente Abbate non sedeant absque „ illius licentia.) Tertium, quod lecta epistola, Subdiaconus etiam cum Sacerdote & Diacono resideret tempore responsorii, & alleluja ; quamvis apud Cistercienses lib. Us. c. 53. „ (Perlecta Epistola Subdiaconus sedeat juxta „ Diaconum, aut eat in chorum cantare cum aliis, si ne-„ cesse ; fuerit) & apud Bursfeldenses in Ordin. c. 43. „ (Mi-„ nistri, idest Diaconus, & Subdiaconus, expleto mini-„ sterio suo, socientur conventui ad adjuvandum in can-„ tu, si propter paucitatem fratrum, aut alias opportunum „ viderint ; alioquin considere poterunt Sacerdoti, Diaco-„ nus ad dextram, Subdiaconus ad sinistram.)

§. II.

De Missa ab Evangelio usque ad Canonem.

I. AD Evangelium, quod, finito in choro *Alleluja*, dicebatur a Diacono, sex præcipue observabant Cassinenses. 1. Surgens ante Diaconus inclinato capite benedictionem a Sacerdote postulabat. 2. Evangelium vel ad Septentrionem, vel ad Meridiem pronunciabat. 3. Incipiente eo Evangelium Acolythi candelas in pavimento deponebant. 4. Finito Evangelio Acolythus incensi odorem præbebat Diacono. 5. Osculato postea per Diaconum Evangelio, Subdiaconus, præcedente eum Acolytho cum incenso, primum Sacerdoti, deinde cæteris de choro osculandum textum præsentabat. 6. Acolythi finito Evangelio candelas suas suo in loco extinguebant. Hæc omnia sigillatim observare placuit, ut facilius postea aliorum cum Cassinensibus concordiam, discordiamque demonstraremus.

II. Primum quod spectat, generalis & ubique recepta consuetudo fuit, benedictionem ad Evangelii lectionem petendi, licet in modo & forma non unus ubique usus fuerit. Hanc apud Cassinenses Diaconus, uti observavimus, inclinato capite postulabat ; quonam vero in loco, ibi non dicitur. Apud Cluniacenses, Benignianos, Bursfeldenses, Casalinos in cornu altaris sinistro, a Sacerdote in cornu altaris dextro stante „ (Diacono lecturo, *inquit Udalri-„ cus agens de Sacerdote Hebdomadario l. 2. c. 30.*, dat be-„ nedictionem hujusmodi : *Deus misereatur vestri, & be-„ nedicat* : Et ipse stat prope dextrum cornu altaris, & „ Diaconus prope sinistrum ;) Ordinarium Bursfeldensium c. 44. „ (Ad sinistrum cornu altaris Diaconus textum E-„ vangelii utraque manu ante pectus tenens, humiliet se „ versus Sacerdotem ad benedictionem, quam submissa vo-„ ce petat his verbis : *Domne jube benedicere*, & Sacer-„ dos in dextro cornu stans eadem voce respondeat ;) Et Casalinorum MS. ceremoniale postquam præscripsit, ut Diaconus ante medium altaris genuflexus præmittat orationem : *Munda cor meum*, &c. (quod iis solis ex antiquioribus singulare, quod sciam, fuit) subjungit cap. 18. „ [Librum Evangeliorum clausum ante pectus utraque ma-„ nu tenens, ad sinistrum altaris cornu genibus flexis pe-„ tat benedictionem a Presbytero dicens : *Jube Domne be-„ nedicere* ; & Sacerdos ad eum conversus manibus junctis „ in dextro cornu altaris dicat, *Dominus sit*, &c.) Apud Cistercienses lib. Us. c. 53. Diaconus ab eo loco, ubi Evangelium erat pronunciaturus, benedictionem petebat, & quidem ab Abbate, non a Sacerdote, nisi forte re ejus absentia ; „ (Diaconus vero ponens textum super analogium, „ vertat se ad Abbatem, humiliter petens benedictionem „ sub silentio dicens : *Domne jube benedicere* ; sive ad Sacer-„ dotem, si Abbas defuerit ;) quod & præsente Abbate observabant Bursfeldenses cap. 4. „ (Quod si Missam can-„ tat alius ab Abbate, *inquiunt in Ordinario*, & ille ta-„ men primus fuerit in choro, antequam cantus finiatur, „ tempestive Diaconus portans utraque manu textum, de-„ scendat in chorum, & stans contra Abbatem humiliato „ capite, ut moris est, ab eo benedictionem petat, & „ suscipiat.) Divionenses etiam S. Benigni ab Abbate, aut Episcopo præsente benedictionem petebant ex consf. c. 20.

III. Benedictionis hujus forma hæc erat apud Cluniacenses lib. Us. c. 53. *Deus misereatur vestri & benedicat* ; apud Cistercienses : *Dominus sit in corde & in ore tuo, ut digne annunties Evangelium Christi* ; apud Bursfeldenses in ord. c. 44. *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis ad digne annunciandum Evangelium pacis, dando signum Crucis* ; apud Cartusianos in ord. c. 26. *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut recte nobis pronuncies Evangelium pacis* ; apud Casalinos denique cer. MS. c. 8. *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut digne, & competenter annuncies sanctum Evangelium pacis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ministrum signando, & respondeat Diaconus. *Amen*.

IV. De benedictione incensi, quæ aliquibus in locis ante Diaconi Evangelium cantaturi benedictionem, in aliis postea fiebat, nullum quidem verbum in Rituali Cassinensium ; sed neque apud Udalricum, neque in libro Usuum Cisterciensium. Cluniacensium tamen ritus MS. consuetudines ita nobis repræsentant c. 34. „ (Sacerdos antequam „ benedictionem det, si dies festus est, ponit incensum „ in thuribulum, Converso tenente ipsum thuribulum, & „ Diacono acerram : quo accepto de manu Diaconi oscu-„ latur ei manum (sic semper quando ei aliquid ad Mis-„ sarum solemnia dat) facit super textum tantummodo „ crucis signum cum ipso thuribulo ; Diaconus autem ac-„ cepta benedictione, accipit textum & ante pectus por-„ tans pergit ad analogium ; Subdiaconus vero, si dies „ festus est, præcedens portat pulvillum, & ponit super „ analogium, Conversus pulvillum cum analogio incen-„ sat eum non tantum signo crucis, ac Diaconus textum „ desuper ponit, & Evangelium inchoat.) Idem habent Benignianæ consf. c. 20. MS. vero Sancti Germani Pratensis ita : (Versus finem alleluja, faciet signum „ ille, qui tenet chorum, & surgent de sedibus suis ser-„ vitores ecclesiæ, & ibunt ; & accipiet unus thuribu-„ lum & recensum, & porriget Diacono ad benedicen-„ dum ; & Diaconus porriget Presbytero, & Sacerdos „ debet incensare corpus Domini, & altare ; & Diaco-„ nus accipiet benedictionem a Sacerdote in sinistro al-„ taris cornu dicens : *Domne jube benedicere*, & dicet „ Sacerdos : *Dominus sit in corde tuo*.) Apud Casalinos, singulari, ut credo, ritu benedicebatur incensum ad Evangelium, quem ritum ita describunt in ceremoniali MS. c. 18. „ (Diacono incipiente : *Dominus vobiscum*, vel „ ante, Subdiaconus ipse super gradum altaris in dextro „ cornu genua flectens, utraque manu teneat acerram sive „ vas incensi a Sacerdote benedictionem postulans, atque „ dicens : *Benedic Pater* ; Presbyter eam benedicendo di-„ cat : *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis, In „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen* res-„ pondeat minister sive Diaconus. Quo benedicto mox im-„ ponat ipse Subdiaconus cum cocleari in thuribulum a „ clerico præsentatum, cum eo crucem faciendo.] Apud Cartusianos Ord. Cart. c. 26. „ (Cum impositurus est „ Sacerdos incensum thuribulo, quod solis diebus capitu-„ li adoletur ; imponendo nihil dicit.) Denique de hac incensi benedictione pauca hæc præscribunt consuetudines Germaniæ n. 21. „ (Ad Evangelium, si placuerit, in-„ censum ponat Abbas super ignem.)

V. Secundo Evangelium ad Septentrionem vel Meridiem legebant Cassinenses ; ad analogium Cistercienses, Bursfeldenses, & Casalini ; ad Aquilam vero Sangermanenses : „ [Et veniet Diaconus cum sociis suis, *inquiunt MS. „ consf.* videlicet Subdiacono, & thuribulo, & duobus ce-„ reis ad Aquilam, & inclinabit conventum.] Diacono autem incipiente Evangelium, tam ipse, quam Sacerdos ac conventus (a) signabat se, & quidem ad hæc verba : *Initium*, vel *Sequentia sancti Evangelii*, fronti, ori, & pectori

(a) Hujus rei videre est exemplum sæculo 9. in lib. Mir. S. Bertin n. 1. Sæcul. 3. part. 1. pag. 454. *Postquam autem Diaconus S. Evangelii initium incepit, præfatus Salomon manum ad se signandum elevavit, &c.*

pectori crucis signum imprimentes; & ad resp. *Gloria tibi Domine*, versus altare se humiliantes, ex Ord. Bursf. c. 44. & cerem. MS. Casal. c. 18. Apud Cistercienses vero Diaconus dicens: *Initium*, vel *Sequentia sancti Evangelii* signabat se, reliqui autem ad *Gloria tibi Domine* ex lib. Us. c. 53. Apud Bergomianos, dum dicit Diaconus: *Sequentia sancti Evangelii*, singulas cruces cum pollice, & in fronte, & in pectore sibi facit, cum respondetur: *Gloria tibi Domine* unam ante faciem suam cum digitis, *inquiunt in cons. c.* 20. „ (& ita prosequebatur Lectio„nem; Acolytho interim continuo thurificante,) ex Ordinario Bursfeldens. cap. 44. Apud Casalinos tamen dicto per Diaconum, *Sequentia sancti Evangelii*, mox sine mora offerebat illi Subdiaconus thuribulum, quo stans Evangeliorum librum tribus quatuorve revolutionibus incensabat, redditoque Subdiacono thuribulo, & ab eo Clerico, Evangelium prosequebatur.

VI. Perlecto autem Evangelio, *inquit liber Usuum Cisterciensium c.* 53. „ (si forte erraverit Diaconus in ipso, „ vertat se ad Orientem, satisfaciens eo modo quo Sub„diaconus.) Similiter Casalini in ceremoniali MS. „ (Quod „ si contingat Diaconum errare inter legendum Evange„lium, more Subdiaconi per omnia satisfaciet.)

VII. Tertio, quod incipiente Evangelium Diacono, Acolythi apud Cassinenses candelas ad terram deponere jubentur, solis, quod sciam, Cassinensibus singulare extitit. Idem & de praebendo post Evangelium Diacono odore incensi, sentiendum esse existimo; quin ex MS. consuet. Germ. n. 18. ad ipsum pertinebat Diaconum „ (thuribu„lum offerre post Evangelium Presbytero, & per tria „ altaria deferre; deinde solummodo Abbati.) De extinguendis vero tunc Acolythorum cereis, hanc rationem reddit ritus antiquus celebrandi Missam a Menardo editus in appendice ad lib. Sacrament. S. Greg. Papae p. 275. „ (Evan„gelio lecto candelabra extinguentur, immolatione enim „ veri agni, typici cessavit immolatio, & caetera myste„ria, quae in lege continebantur, & Prophetis per can„delabra designatis.) Forte quibusdam in locis viguerit usus, cereos ad initium tantum Missae, & ad Evangelium accendendi, id saltem suspicari licet de Bursfeldensibus, quorum in Ordinario haec lego: „ (Priusquam finiatur „ cantus ante Evangelium, Sacerdos & ministri surgen„tes ordinent, praeparentque se ad officii sequentia pro„sequenda; missali & textu Evangelii in pulpitis, seu „ locis suis collocatis, *accensis cereis*, praeparatoque thu„ribulo.) Quibus ex verbis patet, aliquos ad Evangelium cereos accensos fuisse, an acolythorum? certe nullibi reperire licuit.

VIII. Quod vero tandem observavimus apud Cassinenses, de textu Sacerdoti, reliquisque de choro ad osculandum praebendo, hoc communi consuetudine nostris in monasteriis ubique receptum fuisse constat. De Cluniacensibus tacet quidem Udalricus, sed ex MS. consuetudinibus c. 96. res est manifesta: „ (Prius tamen quam Sacerdos „ procedat ad offerendam, osculatur textum, in privatis „ diebus ad majorem Missam a ministro, & ad minorem, „ quotiens cappa non est in choro, a Converso sibi de„latum. Qui textus, postquam Sacerdos osculatus fuerit, „ semper debet deferri illi, qui primus offert, vel qui „ solus facit offerendam. In Dominicis autem, & festis die„bus, & ad alias matutinas Missas, in quibus ille, qui „ tenet chorum, cappa induitur, Subdiaconi est ferre tex„tum, prius Sacerdoti, deinde illi qui facit offerendam, „ deinde Archichoro, deinde per dextrum chorum, inde „ sinistrum, deinde his qui sunt in minore choro, & po„stea his qui stant ad formas in dextro, ad ultimum & „ ipsis his qui stant & in sinistro, & semper de utroque „ choro; post alios, qui in eadem sunt parte, infantes „ osculantur. Qui dum per chorum transit, omnes ei„dem inclinant illi, & si alicui tale quid contigerit, si„gnum sibi cum manu facit, ut erat in antea, & in„clinat. Quo completo ad Presbyterum redit, Conver„so ipsum textum reddit, qui ante armariolum praedi„ctum tenet, ut hi qui sunt extra chorum, illuc venien„tes osculari possint, & sic tandem ipsum textum super „ altare ponit.) Quibus in verbis nonnulla sunt observanda. 1. Quod in Missis quotidianis solus Sacerdos cum eo, qui offerendam esset facturus, textum osculaSSretur, non quidem a Subdiacono, sed a ministro vel Converso sibi praesentatum. 2. Quod Dominicis ac festis, omnibus etiam in choro adsistentibus a Subdiacono osculandus praeberetur. 3. Quod nocturnam illusionem his diebus passis Evangelium osculari non liceret; hos enim notant haec verba: *Si alicui tale quid contigerit*. 4. Quod ipsis & extra chorum existentibus, licet ab aliquo quam Subdiacono, Evangelii textus osculandus praeberetur.

IX. De Parisiensibus nostris S. Germani a Pratis MS. „ consuetudines: „ (A Diacono, perlecto Evangelio, „ Subdiaconus accipiet Evangelium, & portabit Sacerdoti „ ad osculandum, & tunc accipiet textum argenteum, & „ portabit in choro, & dabit osculari primo Priori; & si „ Abbas fuerit, ad Missam Diaconus dabit Evangelium „ osculari ei, & post dabit Subdiaconus osculari textum „ illi, qui tenet chorum, postea antiquioribus a parte „ chori Domini Abbatis usque ad novitios ultimos, post „ haec incipiet a parte chori Prioris a senioribus usque ad „ novissimos, & postea ponet textum super altare;) & de Bursfeldensibus in eorum Ordinario c. 44. „ (Evan„gelio finito, & osculato per Diaconum textu, ipsum „ Subdiaconus accipiet, & osculandum exhibeat Sacerdoti, „ ac deinde accedens inferius ante stallum Abbatis, si pri„mus fuerit, eidem Evangelium exhibiturus, a quo cum „ reverenti genuflexione osculetur. Quod si festum prae„cipuum fuerit, idest summum majus, vel minus, oscu„lum praebeatur cum textu gemmato, interius Sacerdo„ti, exterius vero caeteris per ordinem fratribus in cho„ro, Subdiacono eumdem utraque manu circumferente „ super cussinum, aut pectus.) Apud Cistercienses vero ex lib. Usuum c. 53. Cartusianos ex Ordin. c. 29. & antiq. Stat. part. 1. c. 43. & Casalinos ex ceremoniali MS. c. 18. solus Sacerdos, & post eum Diaconus textum Evangelii osculabatur, quem tamen praesenti Episcopo prius offerebant Cartusienses & Casalini. Neque vero absque observatione praetereundum est, quod in Rituali Cassinensium sub finem legitur. „) Et hoc scien„dum est, quia quotiescumque ad Missam symbolum ca„nunt, exceptis praecipuis festivitatibus, duo Subdiaco„ni & duo Acolythi ad Missam induantur, ut cum idem „ symbolum canitur, simul in utroque choro ab eisdem „ incensum fratribus, & osculandum Evangelium prae„beatur;) & tamen prius dixerat: „ (Diacones oscu„lato Evangelio recedat, quod Subdiaconus accipiens, „ praecedente eum Acolytho cum incenso, praesentet oscu„landum Sacerdoti, deinde caeteris de choro:) quae quomodo conciliari debeant, aliorum relinquimus judicio: hoc enim observandum; quod in utroque textu Acolythus cum incenso Subdiaconum textum osculandum offerentem praecedit; quod etiam praescribitur in antiquo ritu celebrandi Missam, quem ex codice Prioratus Silicosani Ord. Canonic. S. August. edidit Menardus in app. ad lib. sacr. S. Greg. p. 275. Apud Divionenses S. Benigni ministrorum altaris erat textum osculandum praebere, cum id muneris non obiret Subdiaconus, ex cons. S. Benig. c. 25.

X. Post haec Sacerdos osculato Evangelio dicebat: *Credo in unum Deum*; quod diebus Dominicis, aliisque Domini nostri Jesu Christi, B. Mariae, Apostolorum, S. Michaelis, Omnium Sanctorum, Dedicationisque ecclesiae solemnitatibus tantum canebant Cassinenses. Eadem fere habent, sed pro majori tantum Missa, Lanfranci Statuta, in quorum capite primo §. 11. haec habentur: „ (In „ omnibus Dominicis diebus, & in prima die Dominicae „ Nativitatis ad majorem Missam tantum, & in die Do„minicae Circumcisionis, & Epiphaniae, & in prima die „ Paschalis solemnitatis, & in die Ascensionis, & in pri„ma die Pentecostes, & in festivitate Omnium Sancto„rum, & in Dedicatione Ecclesiae, & in omnibus festi„vitatibus B. Mariae, & in die Passionis Apostolorum Pe„tri & Pauli, & in caeteris festivitatibus aliorum Apo„stolorum dicatur ad majorem Missam *Credo in unum* „ *Deum*; nam ad matutinalem Missam in conventu num„quam dicitur.) De Apostolis tamen extat Pet. Vener. Stat. 57. „ (Ut in festivit. ejus. Apostolorum *Credo in unum* „ *Deum* ad Missam majorem dicatur, sive ad alias quas„libet Missas, quae extra conventum cantantur. Caussa „ hujus instituti fuit, aliarum ecclesiarum & pene om„nium rationabilis mos, quem ab antiquis Patribus in„stitutum retinent.) De Cisterciensibus ita liber Usuum c. 65. „ (In die Natalis, Circumcisionis, & Epiphaniae „ Domini: in die Paschae, Ascensionis, & Pentecostes, „ & omnibus diebus Dominicis, & ad omnes Missas, „ nisi sint pro Defunctis, *Credo in unum Deum* dicatur. „ Porro in Inventione, & Exaltatione sanctae *Crucis*, & „ in solemnitate S. Coronae, & in omnibus solemnitati„bus S. Mariae, & in omnibus solemnitatibus Apostolo„rum, & Evangelistarum, in festivitate omnium Sancto„rum, & Dedicatione ecclesiae, tantum ad propriam Mis„sam ipsius solemnitatis dicatur.) MS. consuetudines S. Germani a Pratis symbolum tantum cantandum notant in festivitatibus Domini, B. Mariae, SS. Apostolorum, Omnium Sanctorum, Dedicationis ecclesiae, SS. Vincentii, & Germani, omnibusque Dominicis diebus. Burs-

felden-

feldenses Ord. c. 45. in Natali Domini, & per ejus octavam ad Missas de ipso festo, in Circumcisione, Epiphania, in die Paschæ, & per totam octavam, in die Ascensionis Domini, in die, & per totam oct. Pentecostes, in festo Corporis Christi, & omnibus Dominicis, & quidem ad omnes Missas, nisi pro defunctis. Porro in festis Inventionis & Exaltationis S. Crucis, B. Mariæ, SS. Apostolorum, Conversionis & Commemorationis S. Pauli, in octavis Corporis Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Visitationis, Assumtionis, & Nativitatis B. Mariæ, nec non Apostolorum Petri & Pauli, sed non infra octavas, insuper in festo omnium Sanctorum, Dedicationis ecclesiæ tantum ad propriam Missam ipsius solemnitatis, symbolum dicebant.

XI. Notandum vero, quod de symbolo scribit Berno Augiensis Abbas in libello de quibusdam rebus ad Missam spectantibus c. 2. quod nempe ad sua usque tempora in ecclesia Romana non cantaretur ad Missam; ejus verba hæc sunt: „ (Nam si ideo, ut sæpe dictum, illum Angelicum hymnum prohibemur in festivis diebus cantare, „ eo quod Romanorum Presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Evangelium symbolum „ reticere, quod Romani usque ad hæc tempora divæ „ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt; „ sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere; videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa, & ideo magis his necessarium esse illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non „ ante desiit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent; sed utrum hanc consuetudinem servent „ adhuc, affirmare non possumus, quia certum non tenemus.) Bernonis textus quo modo sit intelligendus, explicavimus in libro primo Rituum ecclesiasticorum cap. 3.

XII. Porro non legimus Sacerdotem olim, vel ministros ad symbolum, vel hymnum Angelicum sedisse ad Missam, ut nunc moris est; immo quod hymnum angelicum spectat, Ordo Romanus expresse dicit: „ (Sedere autem „ non oportet Pontificem, antequam dicant *amen* post „ primam orationem,) & de symbolo liber Usuum Cisterciensium c. 53. „ [Sacerdos dum *Credo in unum Deum* dicitur a conventu, stet in eodem loco, donec illo „ cantato dicat: *Dominus vobiscum*.) Quod vero conventum attinet, ad verba: *Et homo factus est*, genuflectebat, & ad *Adoratur* inclinabat, tam apud Cisterc. ex l. Us. c. 56. quam apud Bursf. ex Ord. c. 39. & Casalinos ex ceremon. MS. c. 19.

XIII. Postea Sacerdos salutato conventu, lotisque manibus, interim dum chorus offertorium decantaret, panem & vinum, sacrificii materiam offerebat; quonam vero ritu, ita habemus in Cassinensium Rituali: „ (Hoc ergo „ finito, vertat se Sacerdos ad populum dicens: *Dominus* „ *vobiscum*: *Oremus*. Deinde incipientibus in choro offertorium, qui ministraturi sunt, abluant manus; tunc „ Subdiaconus accipiat calicem cum vino, & corporali desuper, & patenam cum oblatis de manu Acolythi, veniatque ante altare ferens calicem in sinistra manu, & patenam in dextra, tunc Diaconus prius accepto corporali, ornet altare in dextro latere; deinde „ accipiens patenam cum oblatis, offeret Sacerdoti. Calicem vero ipse Diaconus ponat super altare; iterumque „ acceptam ampullam a Subdiacono cum aqua fundat in „ calicem faciens crucem, & operiat eum dimidia parte ipsius sindonis. Ita tamen ordinandum est, ut calix, & oblatæ juxta ponantur; calix in dextera parte, „ oblata in sinistra, & reddatur patena Subdiacono.) Hic nulla fit mentio offerendæ, qua unus olim, vel plures de choro, immo etiam omnes, panem & vinum in Missa consecrandum ad Sacerdotem accedentes offerebant; cujus ritus meminisse videntur capitula monachorum ad Augiam directorum n. 2. „ (Sunt equidem sex per brevem deputati fratres sacram offerentes oblationem, incipientes ab Abbate, omnes per ordinem, sicut & nos „ aliquando fecimus;) Et Concordia S. Dunstani c. 1. „ (Deinde Missam matutinalem celebrent, ad quam secunda feria dexter offerat chorus, sinister ad principalem Missam, tertia rursum feria sinister offerat ad matutinalem, dexter ad principalem, sicque alternatim „ eo hebdomadam percurrant;) & MS. consuetudines Germaniæ n. 21. „ (Quando XII. lectiones faciunt, Abbas tantummodo offerat ad generalem Missam, vel pro „ eo aliquis Priorum; privatis autem diebus si pro defunctis cantaverint, omnes, nullusque omittat sine conscientia Prioris. Ad generalem vero Missam secunda „ feria sinister chorus, tertia dexter, & sic vicibus sibi succedant usque ad Sabbatum. Dominus etiam „ Abbas, quotiens ei visum fuerit, ipsum agat ...... „ oblationem quoque tempore suo nullus prætermittere „ audeat absque permissu Prioris.) Et Udalricus pluribus in locis, sed maxime in l. 2. c. 12. ubi ritum hunc describit his verbis: „ (In privatis diebus ad Missam matutinalem; quia cuncti offerunt, curet Hebdomadarius Apocrisarii „ sive thesaurarii adjutor, ut inter calices mediocres ad „ hoc solum factos, & inter ampullas cum vino habeat quinque, & totidem patenas, cum hostiis, quas ordinatim ponit forinsecus prope chorum, super tabulam „ desuper coopertam, & panno intrinsecus sinistram, ut „ inde fratres eas accipiant cum offertorio oblaturi ad „ majorem Missam, quia non offertur nisi ab uno choro, tria tantum calices seu ampullæ præparantur, & „ Hebdomadarius stat in choro sinistro tenens in manu „ auream patenam, & ampliorem hostiis refertam, quas „ cum aureo cochleari offerentibus distribuit sigillatim;) & lib. 1. c. 8. Ad majorem Missam Dominicæ: „ (Nisi „ unus offert, sed quinque simul hostias, ut qui voluerint, „ possint communicare;) & cap. 9. ad Missam matutinalem Dominicæ solus Prior offert unam tantum hostiam. Ad recipiendas autem offerentium oblationes paululum ab altari procedebat Sacerdos cum ministrorum aliquo, hoc est Subdiacono, ex Udalrico l. 2. c. 30. „ (Subdiaconus, *inquit*, calicem retinens & patenam, comitatur Sacerdotem præcedentem aliquantulum contra „ fratres, ut a singulis offeratur, vel puero;) ut didicimus ex MS. consuetudinibus Cluniac. „ (Ad majorem Missam de calice in his diebus, & corporali unus „ interim ministrorum servit; ad minorem unus infantum, qui & cum Sacerdote ad offerendam procedit, calicem & patenam cum linteolo jugiter tenens, ut in „ altero vinum, in altera hostiæ oblatæ ponantur. Si quis „ autem est Sacerdos, vel Levita, de his qui offerunt, vinum ipse infundit in calicem, cæteri omnes, cujuscumque sint ordinis tam vinum quam hostias offerant Sacerdoti.) Hoc in textu observandum est, quod pueri manu nuda calicem non tangebant, sed involuta tantum linteo.

XIV. Porro cum nullum hoc de ritu verbum extet in Rituali Cassinensium, nullum in antiquo ritu celebrandi Missam Maurilio Rotomagensi Archiepiscopo inscripto, quem ex codice MS. Prioratus Salicosani apud Velocasses Ordinis Sancti Augustini Canonicorum edidit Menardus noster, nullum in libro Usuum Cisterciensium, nullum in Ordinario Bursfeldensium, aliisque recentioribus, signum est jam tunc ex illis temporibus abire in dissuetudinem cœpisse, quamvis in Pariensi S. Germani Monasterio ad finem usque sæculi decimi quarti perseveraverit, ut patet ex consuetudinibus MS. quas Guillelmus Episcopi Abbas ejusdem Monasterii anno 1305. conscripsit, ubi dicitur quod Subdiaconus post Evangelium textum præbebit osculandum: „ (Et postea ponet textum super altare, & accipiet calicem cum offertorio, & veniet ad „ suscipiendam oblationem, unus de Prioribus ordinis „ debet facere oblationem, & debent poni ibi hostiæ ad consecrandum.) Fluxerat apud nostros hic ritus ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, qua fideles quique in Missa communicaturi, panem & vinum Sacerdoti offerebant manum ejus dexteram offerendo osculantes, ut didicimus ex consuet. MS. Guillelmi primi abbatis Grandimontensis c. 129. quo de argumento vid. Menardum in notis ad librum Sacramentorum S. Greg. Papæ pag. 371. & Mabillonium in Præfatione ad sæc. 3. Benedict. part. 1. pag. 40. observat. 7. certe sæculo adhuc decimo oblatio vini in Sacrificio fiebat a Laicis ex Transl. S. Glodesindis, n. 42. sæc. 4. part. 2. p. 446. & ex vit. B. Mathildis Reginæ n. 24. apud Boll. 14. Mart. „ (Mos quippe fuerat „ S. Dominæ, quotidie Sacerdoti ad Missam præsentare oblationem panis & vini, pro salute, & utilitate totius „ Sanctæ Ecclesiæ.] Sed revertamur ad Cassinensium ritus.

XV. Ante omnia præscribunt, ut qui ministraturi sunt, abluant manus. Apud Cluniacenses Subdiaconus interim dum Evangelium cantaretur, manus suas lavabat, Diaconus dum oblatio fieret, Sacerdos vero postea, ut didicimus tum ex Udalrico, tum ex MS. consuetud. Quod Subdiaconus anticiparet manus lavare, hanc rationem reddit Udalricus lib. 2. c. 30. nimirum „ (ut ipse ad ministerium calicis sit paratus,) quem nempe ad recipiendas oblationes cum patena tenebat. Quonam vero ritu Diaconus, Sacerdosque manus abluerent, habemus ex MS. consuet. c. 69. „ (Diacono aqua cum manutergio apponatur,

& a

& a duobus Conversis, qui de manutergio serviunt, brachium utrumque osculatur; similiter postea fit Sacerdoti, qui lavatis manibus accedit ad altare.) Apud Cistercienses econtra lib. Us. c. 53. primus Sacerdos „ (aqua sibi e Subdiacono de empulla data, & in pelvi ad hoc præparata, recepta digitos abluebat, tergebatque *ad linteum ad hoc deputatum*, sed post factam super oblata thurificationem,) interim vero dum Sacerdos secreta sub silentio diceret „) minister ille, qui thuribulum obtulerat *Sacerdoti*, deferebat Diacono, & Subdiacono aquam ad lavandum manus suas.) Apud Bursfeldenses Ord. Bursf. c. 44. solus Sacerdos binos utriusque manus digitos abluebat, sed post thurificationem, interque lavandum dicebat: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine: Veni sancte Spiritus &c.* usque *congregasti*. Idem pene erat ritus Casalinorum. Sed apud Cartusienses Ord. Cartus. c. 26. n. 18. & 20. vide etiam c. 29. cum dicitur symbolum „ (dicto; *Et homo factus est*, Sacerdos manus abluit, dicens versum: *Lavabo inter innocentes manus*, cum uno aut duobus sequentibus, aquam infundente Diacono; cum vero non dicitur *Credo*, lecto offertorio, inclinans ad altaris medium, pergit ad cornu Epistolæ, ubi primum manus lavat, & corporale suscipit; Diaconus vero quoties tractaturus est calicem aut corporale, toties digitos lavare debet, nisi loco hujusmodi jam præcesserit, quin etiam sunt lavandæ post rerum consecratarum tractationem, quando finis imponitur.]

XVI. „ (Tunc Subdiaconus, *inquit Rituale Cassinensium*, excipiat calicem cum vino, & corporali desuper, & patenam cum oblatis de manu Acolythi.) Hic calix cum corporali &c. conservari solebat in armariolo altari proximo, quale erat illud, quod describit Udalric. l. 2. c. 30. his verbis. „ (Propter hoc ipsum factum est armariolum unum, ante faciem majoris altaris, optime compaginatum, & intrinsecus pannis vestitum, in quo nihil aliud reconditur, præter illa utensilia, quæ necessaria sunt ad Missarum solemnia duntaxat in conventu generaliter agendarum; præcipue duo calices aurei, cum patenis diversæ quantitatis; & duo corporalia, unum duplum, sicut omnia corporalia solent esse ad privatas Missas, alterum simplum. Minor calix cum duplo corporali ad matutinalem Missam, major cum simplo ad majorem; nam & unum simplum semper jacet in sinistro cornu altaris, ut a Prioribus nostris accepi, propter hoc, ut ad manum possit esse contra periculum ignis, contra quod si forte contigerit, crediter a multis, quia multum valeat expansum. Item ibi est patena mediocris, & argentea, & aurea scutella, habens operculum ejusdem metalli subtili opere colligatum, ibi ampullæ ad subministrationem vini, & aquæ, nam & in ampulla vinum ante consecrationem solet offerri. Ibi urceus argenteus cum appendicio suo ad manuum ablutionem, ibi linteola plura, sine quibus singula sacrata vasa nec levantur, nec usquam portantur. Ipsum autem armariolum habet in medio tabulatum, ut quæque sacratiora sunt sursum, cætera deorsum. Ad initium Missarum refertur a majore custode Ecclesiæ, vel ejus suffraganeo, qui est hebdomadarius; panno totum desuper aperitur, qui & patenam ibi ponit simul cum corporali; calicem vero cum linteolo in longum extento tenens, & desuper operiens portat ad amphoram aquæ, quæ de stanno semper est in Ecclesia, & in loco competenti, ut omnes ibi calices laventur, quorum usus est ad privatas Missas. Ibi quoque tunc hebdomadarius apportatum calicem diligenter lavat aqua bis infusa, & si non est Sarerdos vel Levita, quærit ad hoc Vicarium alterius ordinis, ut in quarta feria, & Sabbato, manu interius missa bene quoque in fundo ipso talia confricetur, ne forte aliquantulum fœtiscat, propter vini crebram infusionem; ergo lavatus reportatur, & ponitur super armariolum.) Hunc locum licet valde prolixum, cui simile legitur in Benignianis consuet. c. 21. ex integro referre libuit, tum quia nonnullos ritus continet, quos prætermittere par non erat, tum ut majorum nostrorum exemplo discamus, quanta cum reverentia res sacras contingere conservareque debeamus. Extat etiam nunc in Regali S. Dionysii prope Parisios monasterio hujusmodi armariolum a latere summi altaris positum, huic ad usum destinatum, in quo vasa sacra ad majorem Missam inservientia summa cum religione servantur; visunturque etiam in multis aliis monasteriis, licet nunc alios ad usus destinata. Hæc obiter dicta sint.

XVII. Apud Cluniacenses Subdiaconus calicem prius patenamque accipiebat, nimirum dum cantaretur Evangelium, teste Udalrico loco citato: „ (Subdiaconus, *inquit*, anticipat lavare manus, ut ipse ad ministerium calicis sit paratus, quem interim dum Evangelium legitur, accipiens simul cum corporali, & patena, experitur, si quid aquæ in illo remansit inter lavandum.) Similiter apud Benignianos, sed apud Cistercienses, Bursfeldenses, Casalinos, adhuc prius: nimirum apud Cistercienses ante Tertiam: „ (Diaconus & Subdiaconus cum manipulis, *inquit liber Usuum c.* 53. eant præparare altare, petentes veniam ad gradum altaris, & ponentes textum super analogium, & Missale super altare in dextro cornu. In sinistro vero ponant tersorium sub palla, cui benedicta superponitur. Quatuor enim pallæ absque sudario super altare poni debent. Postea præparent ministerium, quod est juxta altare, in quo ministratur, ponentes calicem desuper cum corporali, & ipsi ministri, & piscinam ....) Facta vero confessione „ (Diaconus, si spatium habuerit, antequam Sacerdos dicat *Dominus vobiscum*, ponat corporale super altare, & liniens calicem intus aqua, ministret panem super patenam, & vinum in calice, Subdiacono ei ministrante &c.) Similiter & Bursfeldenses Ord. c. 43. (Diaconus si spatium habuerit, antequam Sacerdos dicat; *Dominus vobiscum*: sin autem post finem collectarum, extendat super altare corporale in longum, non tamen explicet, ne pulveribus maculetur, ministrans panem super patenam, & vinum in calice.) Apud Casalinos vero Cerem. MS. c. 18. choro Missæ introitum canente, Diaconus & Subdiaconus exibant ad altare discooperiendum, super quod Subdiaconus in dextro cornu Missale ponebat. Diaconus vero corporalia explicabat, & super ea calicem, quem secum veniens cum pane detulerat, nudatum reclinabat, Clerico interim vinum & aquam deferente, & lumina juxta ritum monasterii accendente. Propius ad Cassinensium nostrorum ritus monachi Cartusienses [Ordin. Cartus. c. 26.) apud quos cantato in symbolo *Et homo factus est*, lotisque manibus, Diaconus „ (mox capsam corporalis apertam profert Sacerdoti, ut ipse sumens corporale, sic idem super lapidem altaris consecratum expandit, ut aliqua sit distantia utrimque tam inter frontem altaris, quam illius tabulam, & corporale;) si vero non cantatur symbolum, lecto Offertorio, lotisque manibus „ (corporale suscipit, si hæc jam ante non egerit: deinceps calicem accipit a Diacono osculante manum ejus.)

XVIII. Allatis per Subdiaconum calice, patena cum oblatis, & corporali; „ (Tunc *subjungit Rituale Cassin.* Diaconus prius accepto corporali, ornet altare in dextera latere. Deinde accipiens patenam cum oblatis offerat Sacerdoti; calicem vero ipse Diaconus accipiens ponat super altare. Iteremque acceptam ampullam e Subdiacono cum aqua, fundat in calicem faciens crucem, & operiat eum dimidia parte ipsius sindonis. Ita tamen ordinandum est, ut calix & oblatæ juxte ponantur, calix in dextera parte, oblatæ in sinistra.) Hic multa sunt observanda. Primo, quod Diaconus corporale non in ipso altaris medio explicabat, sed in dextra ejus parte; *Accepto corporali ornet altare in dextro latere;* econtra apud Cistercienses c. 53. in medio: „ (Diaconus autem, *inquit liber Usuum*, displicet corporale, habens tres plicatus in latum, & quatuor in longum, medium latitudinis ponens in medio altaris.) Similiter & Bursfeldenses in Ordinario c. 44. Apud Cluniacenses, & Benignianos singulari omnino ritu corporale explicabatur, quem ita describit Udalricus lib. 2. cap. 30. Diaconus „ (utrumque corporale, vel quod in altari semper jacet, vel quod Subdiaconus apportavit, accipiens expandit; pollicem tamen, & indicem utriusque manus combinatos diligenter constringit, ne vel ipsa corporalia cum eis tangat, cum quibus hostias habebit in proximo tangere, & tractare;) quod lotis manibus præstabat, dum Sacerdos oblationes reciperet.

XIX. Secundo Diaconus oblata Sacerdoti patena cum pane, calicem super altare ponebat; haud dubium, ut una utriusque simul oblatio fieret, non separata, ut nunc usus obtinet, quod patet ex libro Usuum Cisterciensium c. 53. Diaconus „ (statim post *Oremus*, opertis manibus de offertorio, tenens sinistra manu pedem calicis, dextera patenam offerat Sacerdoti, simul utramque manum ejus semel osculans: Sacerdos *simul utramque assumens* deponat juxta corporale ad dextram partem, relinquens ea Diacono præparanda, & postea trahat se ad sinistrum cornu altaris, ibidem consistens, donec recipiat thuribulum ad thurificandum calicem;) Ex MS.

MS. Consuetudin. Guillelmi primi Abbatis Grandim. c. teg. „ (Post offerendam dictam, Sacerdos accipit calicem cum pane, vino, & aqua mixta, & offert in medio altaris:) Ex Ordinario Bursfeldensium c. 44. „ (Postquam Sacerdos offertorium dixerit, ipse Diaconus ad dextram ejus stans, tenensque sinistra manu pedem calicis, dextera autem patenam, parum elevatas super altari, offerat Sacerdoti dicens submissa voce: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*, quod in Missis soli Abbati adscriptis fieri consuevit; Sacerdos vero elevatis manibus dicens: *Veni invisibilis sanctificator, spes æterne Deus, Bene†dic*, facit desuper crucis signaculum, complosisque manibus dicendo: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi*, & continuo subjungens, *Calicem salutaris accipiam*, ipsam oblationem de manibus Diaconi suscipiat, tenensque eam parum elevatam ante pectus, hanc tota devotione prosequitur orationem: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem*, ut dum in illa, seu aliunde, quolibet loco *Jesus* vel *Maria* dixerit, reverentiam faciat modice incurvando genua. Finita autem oratione, cum dicit *In nomine Domini Jesu Christi*, facta cruce cum calice, ipsum super corporale deponat in secundo plicatu anterioris & sinistræ, dextræque partis, & panem ante calicem.) Ex Ceremoniali MS. Casalis Benedicti c. 15. „ (Absoluto offertorio, cum dextra manu removeat parvum corporale, quod est supra calicem, & continuo calicem cum patena, & oblata accipiens, honeste ante pectus teneat elevatum, oculisque sursum erectis, ac reverenter toto corpore paululum inclinatus, & contra altare modice appodiatus dicat hanc orationem: *Grata sit tibi Domine Deus hæc oblatio, quam tibi offerimus pro nostris delictis, & Ecclesia tua sancta catholica, amen.*) Quod etiam patet ex Ordinario Cartusiensium c. 26. n. 20. Verum tamen olim, saltem in aliquibus Ecclesiis, tam panis, quam vini, sua utriusque erat specialis ac singularis oblatio: ut videre est in antiquo Ordine celebrandi Missam, quem ex codice Tilliano edidit Menardus noster in Appendice ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ p. 269. In eo enim distinctæ, & diversæ preces leguntur, ad oblationem primum oblatarum, deinde calicis.

XX. Tertio non legimus in prædicto Cassinensium Rituali, Diaconum infudisse vinum in calicem, sed tantum Subdiaconum patenam cum oblata, & calicem cum vino obtulisse Diacono, Diaconum vero Sacerdoti, quod signum est, jam ante vinum in calicem infusum fuisse, & forte ante Missam; quod apud Cistercienses, & Bursfeldenses præstabat ipse Diaconus statim post confessionem, ut supra vidimus apud Casalinos ante Evangelium immediate; Cartusiani vero vinum in calicem fundunt, priusquam Missa incipiatur. Alius apud Cluniacenses usus omnino vigebat: nimirum unus saltem ex præcipuis e choro adsistentibus panem vinumque in Missa consecrandum offerebat, ut supra vidimus: qui, si Sacerdos aut Levita extitisset, vinum ipse in calicem sibi a Subdiacono tenente exhibitum infundebat, alioquin ipse Sacerdos; quo ex vino tantum reservabantur, quantum consecrationi sufficeret; reliquum vero alium in calicem transfundebat a Subdiacono: „ (Consummata autem oblatione, *inquit Udalricus*, ... Subdiaconus portat hostias ad Diaconum secus altare stantem, & se operientem, ut de omnibus tres, quas voluerit, eligat ad consecrandum; propter quod dimissa patena cum hostiis super altare, vinum quod oblatum est, funditur ab ipso quoque Subdiacono in alterum calicem, tantumque relinquit, quod sufficit ad consecrationem.)

XXI. Quarto Diaconus ex Cassinensium Rituali aquam in calicem non miscebat, nisi post oblatum Sacerdoti calicem. Hunc ritum videre est in supra citato antiquo ordine Missam celebrandi Codicis Tilliani, in quo post orationem, quam Episcopus calicem offerens dicebat, alia subjungitur oratio *ad miscendum vinum cum aqua: Deus qui humanæ substantiæ* &c. Apud Cistercienses, & Bursfeldenses vino in calice infuso, statim miscebatur aqua; neque a Diacono, aut Subdiacono, verum ab ipso Sacerdote, aut Abbate. „ (Et notandum, *inquit liber Usuum c.* 53. quia sive Diaconus, sive Subdiaconus sit, qui ministrat, prius vinum infundat. Deinde ampullam cum aqua Sacerdoti tradat, *quando eum viderit magis expeditum*, & Sacerdos aquam in calicem fundat, deinde posita patena super calicem, cooperiat eam de offertorio;) Ex Ordinarium Bursfeldensium: Diaconus „ (ministrans panem super patenam, & vinum in calice, aquam vero ministrante Diacono misceat Abbas *per se* & fiat mixtura cum parvo cocleari in omni Missa. Infusa autem aqua dicat: *Fiat hæc commixtio vini, & aquæ pariter salutare sacramentum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*) Cartusiani autem vinum, ut diximus, Ord. Cartus. c. 26. ante Missam, aquam vero tantum ad offertorium mittunt in calicem; „ (tunc enim Sacerdos calicem accipit a Diacono osculata manum ejus: ibidemque expectat, calice superposito altari, donec Diacono aquam infundens dixerit: *De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis, & aqua in remissionem peccatorum*, & addens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen*, integram oblationem signaverit.) Casalini vero (Cerem. MS. c. 18.) eodem simul tempore vinum, & aquam in calice miscebant; sed Diaconus vinum, Sacerdos aquam fundebat, idque immediate, antequam Sacerdos Evangelium legeret: „ (Diaconus tamen illic assistens, calicem sinistra manu teneat sine patena; dextera vero urceolum vini in manu Subdiaconi accipiens, coram presbytero vinum fundat in calicem; presbyter vero sumto parvo cocleari paululum aquæ similiter infundat, atque dicat: *Fiat hæc commixtio vini, & aquæ pariter salutare Sacramentum; In nomine Patris, & Fi†lii, & Spiritus Sancti. Amen* responso, subjungat hanc orationem: *Deus qui humanæ substantiæ, &c.* Quo facto, Diaconus ipse calicem super corporalia collocet, atque cooperiat, sicut in privatis Missis fieri consuetum est, quo facto ad dicendum Evangelium properet Sacerdos.) Quonam vero ritu aqua misceretur in calice apud Cluniacenses, docet Udalricus l. 2. c. 30. his verbis: „ (Vinum quod oblatum est, funditur ab ipso quoque Subdiacono in alterum calicem, tantumque relinquit, quod sufficit ad consecrationem; ad quod tamen ipse non miscet aquam, quia ei nec vinum, nec aquam licet infundere, sed allatam ampullam aquæ simul cum calice dat Diacono, ut ille misceat; dat & linteolum, ut calix deforis tergatur diligenter, ne forte quid vini, vel aquæ exterius remaneat, & consecratum pereat. Hac vice non cavet digitos Diaconus, quorum supra meminimus, disjungere, qui hac hostias jam posuit, quas erat positurus; & sic tandem calice super altare posito, Subdiaconus cum patena & ampulla revertentes, patenam hostiis refertam ponit super armariolum, & patenam in loco quo solet reservari.) Simile aliquid habent consf. Benign. c. 25. Nec vero hic prætereundum est, quod in antiquo ritu celebrandi Missam codicis Salicofani legitur, „ (Cantor aquam linteo coopertam in festis Diacono deferat, quam Diaconus vino misceat . . . . . aliis diebus ministret eam Acolythus.)

XXII. Quinto Cassinenses calicem dimidio sindonis, idest corporalis, parte cooperiebant, idque etiam nunc præstant monachi Cartusienses, corporale super calicem replicantes, quod & præscribitur in lib. Usuum Cist. c. 53. & in Ordinario Bursfeldensium c. 44. his verbis: „ [Plicatu vero extremæ partis corporalis calicem operiat, & patenam sub corporali in dextra parte abscondat, ita tamen ut circumferentiæ ejus pars aliqua extensa remaneat.)

XXIII. Sexto Cassinenses calicem, & oblatas ita collocabant, ut calix dextram, oblatæ sinistram partem obtinerent, cujus ritus rationem hanc reddit Codex Prioratus Salicofani: „ (Sacerdos oblationem ita componat, ut in dextera parte hostiæ calicem constituat, a dextro enim latere Domini sanguis defluxit & aqua;) & tamen Cistercienses, Bursfeldenses, Casalini, Cartusiensesque monachi panem ante calicem non a latere collocabant, sed ita, ut cum plures consecrarent oblatas, unam ante calicem, reliquas separatim disponerent. Cluniacenses, teste Udalrico lib. 2. c. 30. tres quotidie consecrabant hostias, quas ex omnibus oblatis eligebat Diaconus, Subdiacono reliquas super patenam in armariolum deferente; sed Dominica quinque consecrabant: „ (Tametipsi unus offert, *inquit Udalricus l.* 1. *c.* 8. sed quinque simul hostias, ut qui voluerint, possint communicare.

XXIV. Ex his quinque mutabantur „ (quatuor cum illis, quæ in pixide, & in aurea columba super altare pendente jugiter servabantur, maxime propter infirmos quidquid de eis eveniat, viaticum sit in promtu.) Nimirum, quod hoc loco prætermittendum non fuit, singulis Dominicis Corpus Domini renovare solebant, neque ultra unius hebdomadæ spatium easdem sacratas hostias reservare fas erat, ut patet tum ex Udalrico l. 2. c. 30. tum ex Germaniæ consf. n. 2c. tum ex lib. Us. Cist. c. 53. quo de re extat Concilii Eboracensis in Anglia anno 1195. Decretum in hæc verba: (Provideatur etiam, ut in pixide munda, & honesta hostia reservetur, singulisque Dominicis

„ nicis diebus renovetur.) Concilii Londonensis anno 1200. Can. 5. apud Spel. Tom. 2. „ (Renovetur quoque hostia ipsa singulis Dominicis diebus, habeaturque certitudo circa ipsam Eucharistiam, ita quod non sumat non consecratam pro consecrata.) Concilii Wigorniensis an. 1240. „ (Circa species, quæ exiguntur ad hoc Sacramentum, quod piæ recordationis W. prædecessor noster statuit in prima constitutione, approbantes, & verba canonis distincte proferenda, de hostiis consecratis non ultra septem dies conservandis, ne forte per vitium, vel diuturnam conservationem humiditatem contrahant, aut mucorem quapropter abominabiles gustui, vel aspectui turpes appareant, firmiter præcipimus, quod ipsa super hoc provide statuit, observari.) Concilii Exoniensis an. 1287. c. 4. „ [Habeat Sacerdos parochialis propter infirmos semper hostias consecratas, quas ultra septem dies conservari firmiter prohibemus, &c.) Concilii Wintoniensis an. 1308. „ (Ne autem ipsa Eucharistia communicantibus reddatur abominabilis; præcipimus, quod ipsa in vase mundo, & contra vitiorem *, seu humiditatem apto, & non ultra octo dies postquam consecrata fuerit, conservetur.) Quibus accedunt constitutiones Richardi Episcopi Sarum apud Spelmanum Tom. 2. Concil. Angl. ad an. 1217. decernentes, ut „ (Eucharistia in munda pixide conservetur, nec ultra septem dies serventur hostiæ consecratæ, sed qualibet hebdomada die Dominica innoventur.) Constitutiones Richardi Episcopi Dunelmiensis an. 1220. & Constitutiones Episcopi anonymi an. 1237. ibidem rem eandem statuentes. Cartusienses tamen Monachi Eucharistiam non renovabant, nisi bis in mense, ex tertia statutorum compilatione c. 1. §. 6e.

XXV. Porro dum renovaretur Eucharistia, Diaconus ante oblationem a Sacerdote faciendam, conservatas in pixide consecratas hostias ad altare deferebat, deponebatque, ut patet ex MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis, ubi ad Dominicam primam Adventus hæc lego: Subdiaconus „ [accipiet calicem cum offertorio, & veniet ad suscipiendum oblationem juxta altare, nous de Prioribus ordinis debet facere oblationem ...... & debet Sacrista deponere Corpus Domini, & Diaconus illud suscipiens honorifice cooperiat eum juxta calicem. Oblatione facta suscipiet eam Diaconus, & cum magna diligentia ordinabit hostias, & cooperiat calicem.) Ritum hunc paulo fusius describunt Bursfeldenses in Ordinario c. 44. „ (Quod si vasculum, in quo servetur communio sacra pro infirmis, deferri debeat super altare, sub *Credo*, aut alias dum magis vacat, apportatur a Diacono, quem præcedat Subdiaconus ferens manu una cereum ardentem, & alia stiliam **. Quam interea dum continuo pulset, quod simili modo fiat, dum circa antiphonam post finem Missæ refertur in locum suum. Diaconus vero stans ante altare in dextro cornu versa facie ad chorum, tenensque utraque manu vasculum, sive cum ipsum apportaverit, sive cum ipsum referre voluerit, cum eo signum crucis faciat versus chorum;) & Casalini in ceremoniali MS. c. 18. „ (Quoties sub Missa conventuali pretiosissimum Christi Corpus e sacrario, ubi reponi consuevit, super altare fuerit deferendum, postquam cum Presbytero Ministri ex integro dixerint *Credo*, Diaconus ipse præcedente Subdiacono cum thuribulo, quod semper est adhibendum, etiam die privata, si contingat pretiosissimum Christi Corpus a loco suo transferri sive deponi; ceroferariis tamen cum duabus tædis versus sacrarium præeuntibus, ac omnibus genua flectentibus, illud incenset. Quo facto illud ad altare perferat, & super corporalia demittat; Subdiacono inter eundum, & redeundum, si fieri potest, a latere thurificante. Sic tamen moderentur omnia in ipso accessu ad altare, ut dum chorus canit: *Et homo factus est*, sub illis verbis dictum pretiosissimum Corpus super altare precise reponatur, omnibus tam propter verba hæc: *Et homo factus est*, quam propter reverentiam Dominici Corporis genua flectentibus. Reposito autem Dominico Corpore super altare, Diaconus genua flectens in medio illud reverenter incenset, Sacerdote a medio altaris paululum semoto, eoque juxta sinistrum altaris cornu genua flectente; quod & observetur, quando idem pretiosissimum Sacramentum ad sacrarium refertur.) Apud Cluniacenses hoc præstabat Diaconus ante Missam, testante Udalr. l. 2. c. 30. his verbis: „ (Sciendum quoque, quoniam omni die Dominico Corpus Domini mutatur, & dum Sacerdos procedit ad pacem, recens consecratum tum a Diacono in pixide cortica reponitur .... Prædictam autem pixidem, dum psalmi familiares post Tertiam dicuntur, Diaconus de columba jugiter pendente super altare, bene cum linteolo de pulvere exterius tersa abstrahit, & super dextrum cornu sub coopertorio ponit, Missaque finita in eodem loco reponit.) Idem habent Divionenses S. Benigni consf. c. 25. Hic obiter observandum est, Bursfeldenses, Casalinosque nostros, saltem communiter, extra altare Christi Corpus Eucharistiæ reservasse; Sangermanenses vero, Benigniani, Cluniacensesque super altare, idque in columba aurea suspensum, ut de Cluniacensibus adfirmat Udalricus l. 1. c. 8. Sed de his satis; Missæ celebrandæ ritus prosequamur.

XXVI. Facta panis ac vini per Sacerdotem oblatione, super oblata solebant incensum adolere; cujus rei antiquum habemus exemplum inter Patr. apophtegm. tom. 1. Mon. Eccles. Græc. p. 491. ubi dicitur de Abbate Isaaco „ (quod cinerem thuribuli oblationis manducaret cum pane suo.) Ritum vero ita exprimit Rituale Cassinensium. „ (Tunc Sacerdos suscepto thuribulo a Diacono, facit incensum super calicem & oblatas, & reddat thuribulum Diacono, cum quo Diaconus faciet incensum in circuitu altaris, & præbens incensum Sacerdoti reddet Acolytho, ipseque stet in loco suo post Sacerdotem.)

XXVII. Hic tria notanda: 1. quod Sacerdos solus thurificaret oblata. 2. quod Diaconus postea in circuitu altaris incensum faceret. 3. quod deinde solus Sacerdos a Diacono incensaretur. Eadem videre est in antiquo ritu celebrandi Missam codicis Salicensani: „ (Sacerdos oblationem ita componat, ut in dextra parte hostiam calicem constituat, ... sicque corporali cooperta incensum desuper offerat, & sic Diacono præbeat; Diaconus vero in circuitu altaris deferat, postea Sacerdoti; deinde Ministro reddat, ut clero populoque deferat.) Amplius aliquid præstabant Cluniacenses, quibus Udalricus l. 2. c. 30. „ (Sacerdos iterum calicem & hostiam incensans, facit cum incenso super ambo tres cruces, & unum quasi circulum. Incensat quoque contra utraque altaris cornua, dextrum & sinistrum, quantum manum extendere possit, pedibus tamen immotis: Deinde reddit thuribulum Diacono, qui prius incensat Sacerdotem, & casulam inter brachia versus pedes trahit, postea faciem dextri cornu altaris, & superficiem, ad extremum sinistri faciem & superficiem. Si vero dies festus adest, quinque illa altaria & principalia proxima incensat, & illud, ad quod conventus ad Vesperos, & Matutinas Laudes ivit, ubi & cereus tam in nocte, quam in die ardet .... Postquam autem Diaconus altare, vel si talis est dies, altaria incensaverit, & aliquem Episcopum, vel Abbatem, si forte affuerit, juxta columnam ciborii stans, thuribulum Converso reddit, a quo & incensatur .... Conversus quoque, si cappa est in choro, prius illum incensat, qui ea indutus est; Deinde incipiens a dextra, eodem modo & ordine thuribulum portat, quo superius diximus, his qui sunt in choro majori vel minori; hoc plus faciendo, quod in minorem chorum exit prius ad dextram, postea ad sinistram. Post hoc vero exiens incensat eos, qui extra chorum sunt, incipiens ab introitu chori in superiori parte, deinde alios, sicut sunt in stationibus suis per circuitum; postremo ipsa minora altaria, quæ sunt prope chorum, quæ e Diacono non incensantur, in anteriori parte, & in latere dextro, & in sinistro, non tamen præsumit super altare manum extendere. Quod si aliquem Sacerdotem Missam ibi cantantem ostenderit, vel ipse, vel Diaconus, si competenter fieri potest, ei thuribulum offert, & ipse altare, vel sacram oblationem incensans ei thuribulum reddit, ipseque Conversus, vel Diaconus eum reverenter incensare, & casulam inter brachia aptare non negligit. Cum autem; *Per omnia secula*, &c. ante præfationem audierit, si jam de incensandis altaribus redilt, vel si ibi præsens est, ut in privatis diebus, vadit post Sacerdotem retro, &c.) In hoc ergo discrepabant e Cassinensibus. 1. quod non solum oblata thurificaret Sacerdos, sed utrumque insuper cornu altaris, eodem tamen in loco stans, & pedibus immotis. 2. prius Sacerdotem, quam altare Diaconus incensabat. 3. præter Sacerdotem Diaconus etiam Episcopo, aut Abbati incensum præbebat. 4. certis diebus (id autem Dominica præstabat e Udalrico ibid.) etiam quinque minora altaria incensabat. 5. Diaconus ipse a Converso incensabatur. 6. chorum postea eosque qui erant extra chorum idem Conversus incensabat. 7. etiam minora altaria, quæ Diaconus non incensasset; ubi etiam notandum, quod Sacerdoti eisdem in altaribus celebranti thuribulum offerrat; quæ quidem omnia offendes in consuetudinibus S. Benigni c. 21. nisi quod Diaconus majus, & matutinale tantum altare incensarat. Cum Clunia-

* f. mucorem.

** forte squillam.

Cluniacensibus etiam conveniebant in aliquibus Parisienses nostri S. Germani, in aliis discrepabant. Horum ritus ita repræsentant antiquæ consuetudines MS. ejusdem Monasterii: „ (Post hæc ministrabitur incensum Diacono ad benedicendum, & post Diaconus dabit Sacerdoti thuribulum osculata manu; incensatis Corpore Domini, & altari, suscipiet Diaconus thuribulum, & stabit retro Sacerdotem, & incipiat Sacerdos: *In spiritu*, inclinans se toto corpore, eriget se, vertet faciem suam versus conventum dicens: *Orate*, &c. & tunc debet Diaconus accipere Sacerdotem per inferiorem partem casulæ, & incensabit eum, & post etiam altare, & Sancta Sanctorum, & etiam sacrarium. Interim Subdiaconus præparabit patenam suam super altare B. Germani, & tunc Sacerdos dicet secretam suam. Interim incensabit servitor ecclesiæ conventum.] De Cisterciensibus ita liber Usuum: „ (Unus ministrorum, cujus officium est, teneat thuribulum ante Abbatem, vel ante Sacerdotem, si Abbas deest, Subdiacono incensum tenente. Posito itaque incenso in thuribulo, qui thuribulum tenet, offerat illud Sacerdoti, osculans ei manum; quod Sacerdos accipiens thurificet calicem isto modo. Semel volvat illud circa calicem, semel thurificet dextram partem altaris desuper, semel & sinistram, semel quoque anteriorem; quod dum fecerit, Diaconus ponat manum suam sub asella ipsius tenens ei casulam, ut expeditius possit agere. Quo facto, reddat thuribulum Diacono . . . . . Diaconus autem thurificet prius dextram partem ipsius altaris bis desoris, deinde elevans manum thurificet bis crucem, & inde transiens per retro altare ad sinistram partem, thurificet eam, similiter & crucem; deinde reddat thuribulum Subdiacono, qui ponat illud ubi poni solet.) Bursfeldensium ritus habemus in eorum Ordinario c. 44. his verbis: „ (Thuribularius præparet thuribulum, & tradat Subdiacono, Diaconus vero incensum tenens in dextra ante Sacerdotem, illo benedicente hoc modo: *Acceptum sit hoc incensum omnipotenti Deo, & sit benedictum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, imponat thuribulo, ipsumque thuribulum accipiens a Subdiacono, tradat Sacerdoti, manum ei osculando. Sacerdos vero accepto thuribulo adoleat hoc modo: primo cum thuribulo super oblationem tres cruces faciat, deinde ter volvat girando circa calicem, deinde semel thurificet dextram partem altaris desuper semel & sinistram, semelque anteriorem, & interim legat: *Incensum hoc a te Domino benedictum ascendat* . . . Diacono supponente manum sub ascella Sacerdotis, & tenente ei casulam, ut expeditius possit agere. Quo facto restituat Sacerdos thuribulum Diacono genuflectenti ante se ad dextrum cornu altaris, qui suscepto thuribulo in dextra, ac sinistra trahens oram casulæ, ipsum Sacerdotem trina vice thurificet, & postea altare, incipiendo a parte dextra & circa medium, elevans manum versus crucifixum, & postremo sinistram partem, & inde transiens per retro altare, thurificet, ut moris est fieri in Vesperis, & Laudibus. Postea reddat thuribulum thuribulario, qui incensatis primo Diacono, deinde Subdiacono, accedat ad chorum illic thurificando singulos ordine suo.) Casalini denique in ceremoniali MS. cap. 18. suum thurificandi ritum ita describunt Sacerdos „ (primo cum thuribulo super calicem unam crucem reverenter faciat, deinde ter lente ducendo ipsum circumgyret calicem, postmodum thurificet dextram altaris partem semel & sinistram, non se inde movendo, semelque inferiorem per longum ipsius altaris thuribulum ducendo: Interim vero dum hæc peragit, dicat *Incensum*, &c. Interim etiam Diaconus caute sublevat casulam Sacerdotis, ut expeditius thurificare possit. Thurificatione peracta, Presbyter Diacono reddens thuribulum dicat: *ascendat*, &c. & respondeatur *Amen*. Diaconus vero illud a Sacerdote reverenter sumens, mox genua flectat ad dextrum altaris cornu, & Sacerdotem ad se conversum incenset, quo incensato oram casulæ ipsius sinistra manu accipiens, illam deosculetur, exinde ad reliqua altaria, si quæ in cancello sint, assumto secum uno ex thurificatoribus, si plures sunt, subsequente thurificando pergat.) Tandem apud Cartusianos Ord. Cart. c. 26. & ant. stat. 1. part. c. 43. Sacerdos „ [thurificaturus dicit: *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*; postea thurificat semel super calicem & hostiam in modum crucis, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen*; & semel in modum coronæ ducendo thuribulum ab Epistolæ cornu versus alterum post calicem, deinde semel ad crucem, semel ad cornu Epistolæ, semel ad cornu Evangelii, & ter interius ante faciem altaris. Redditoque thuribulo Diacono, lavat digitos, & extergit stans in cornu altaris, donec Diaconus ter ad Corpus Domini thurificaverit. Quo facto ad medium altaris rediens expectat, donec Diaconus, qui interim altare circuit, reversus fuerit.) Hæc omnia fusius, quam forte par erat, referre oportuit, eo quod in singulis speciales, diversosque ritus advertimus. Ceterum quod de aliorum altarium a Diacono incensatione dicitur, hoc etiam nunc in nostro S. Dionysii in Francia Monasterio observabatur: ibi enim incensato a Sacerdote majori altari, Diaconus recepto thuribulo ad altare SS. Martyrum pergit, ac deinde ad Regum Christianissimorum sepulchra, tandemque ad chorum.

XXVIII. Postea Sacerdos osculato altari, conversus ad populum rogabat pro se orari dicens: *Orate fratres pro me peccatore*, quod apud Cartusianos Ord. Cart. c. 26. non dicit, nisi absoluto in choro offertorio. (*a*) Tunc vero, ut subjungit Rituale Cassinensium „ (Subdiaconus vadat post altare, & tenens patenam in manibus, stans erectus respiciat contra faciem Sacerdotis.] Quod Cassinensibus extitit singulare, nam apud Cluniacenses, Benignianos, Cistercienses, Bursfeldenses, Casalinos, Subdiaconus non pone altare facie ad Sacerdotem conversa stabat; sed retro Diaconum, manu sustentans involutam patenam, quam apud Cistercienses, & Bursfeldenses initio præfationis, apud Casalinos post *Sanctus* a Diacono accipiebat. Apud Cluniacenses vero alius vigebat usus, nimirum postquam consecrandas hostias de patena Diaconus acceperat, eandem oblatis plenam ad armariolum Subdiaconus reportabat, eitamque assumens, primum linteolo ibidem jugiter dependente tergebat; deinde involutam manumque sustentandam secum deferens pone Diaconum sese collocabat. In Divionensi S. Benigni Monasterio patenam in XII. Lectionibus sustentare solebat unus Ministrorum, manens pone Subdiaconum, ex cons. c. 21.

XXIX. Præfationi Sacerdos præmittebat secretas orationes, sic dictas, eo quod secrete, & sub silentio dicerentur; *ita ut a nullo alio audirentur*, ut habet antiquus ordo Romanus ad usum Monasterii Morbacensis accommodatus, Tom. 1. Anecdotorum nostrorum. De his ita Bursfeldenses in Ordinario c. 44. „ (Diacono vero sub silentio orante psalmum: *Exaudiat*, cum tribus versibus sequentibus; Sacerdos dicat secretas præmittendo: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Oremus*, &c. quas dum legit, teneat manus oppansas super calicem, combinatis tantum digitis consecratis utrinsque manus. Dicendo: *Per omnia*, in fine ultimæ secretæ, manus leves super humeros.) Idem, omisso *Domine exaudi orationem meam*, observat apud Cartusienses in Ord. c. 26. Sacerdos, choro interim tacente, & cum Sacerdote secrete orante, quod etiam faciebant Grandimontenses ex MS. cons. Guillelmi primi Abbatis Grandim. cap. 129. dicto „ (*Orate fratres* a Sacerdote, ipse Sacerdos statim incipit dicere secretas orationes Missæ, quo Sacerdote orante, debet chorus fratrum orare cum eo secrete, & potest quilibet in Missa præsens dicere, sicut Clericus *Domine exaudi orationem meam*: vel *Exaudi deprecationem meam*, vel Sacerdoti oranti secreto: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, & dimittat tibi omnia peccata tua*.) Secretas sequebatur præfatio, quæ pro diversitate temporis, aut festivitatis, erat diversa; tot quippe habebant præfationes distinctas, quot fere festivitates, ut passim videre est in antiquis Missalibus, & in MS. consuetudinibus S. Germani a Pratis, sub quarum finem hæc leguntur: „ (Sequitur videre, quando dicatur præfatio: In vigilia natalis Domini, in die ad tres Missas, in natali sancti Stephani, & Johannis Evangelistæ, nec non SS. Innocentium, in Circumcisione Domini, in Epiphania, in festo S. Vincentii, in Hypapanti Domini, in vigilia Paschæ, & in die, & reliquis VII. diebus ad utramque Missam, in Ascensione Domini ad utramque Missam, in vigilia Pentecostes, & in die, & reliquis septem diebus ad utramque Missam; in solemnitate sanctæ Trinitatis ad utramque Missam, in Nativitate S. Johannis Baptistæ, in die Apostolorum Petri & Pauli, & generaliter omnibus festis omnium Apostolo-

(*a*) Observandum hic antiquum Petri Venerabilis statutum, ne ad Missam matutinalem & majorem, statuto cantu offerendæ usque ad præfationem, conventus, ut olim fiebat, stare cogatur, sed mox, ut cantus cessaverit, qui sedere voluerint, sedeant, tamen ut, cum Sacerdos conversus ad chorum dixerit: *Orate fratres*, modeste scabellis elevatis in illis subselliis, quæ iisdem sedilibus inhærent, acclives ex more residant privatis diebus: festivis autem inclinentur ante formas.

stolorum, & etiam Evangelistarum, quæ sic incipit: *Te Dominum suppliciter exorare*; in Transfiguratione Domini, in die Assumptionis S. Mariæ, in octavis ejusdem ad utramque Missam, in nativitate ejusdem, & octavis ejus, & generaliter in omnibus festis beatæ Mariæ, in festo omnium SS. in Dedicatione Ecclesiæ, in Inventione sanctæ Crucis præfatio: *Qui salutem humani generis*; similiter in Exaltatione sanctæ Crucis eadem præfatio, in festo Sacramenti, & oct. ejusdem præfatio: *Quia per incarnati*.) & in libro Usuum Beccensium, in quo capitulum 53. extat: „(Quando debet dici ad Missam *Credo in unum Deum*, & præfatio, & quot collectæ ad majorem Missam;) ubi quod præfationem spectat, ita habetur; „(Omnibus Dominicis diebus, & omnibus festivitatibus quæ in cappis, vel in albis fuerint, præfatio dicitur, & in aliis simplicibus festis, & in vigiliis festivis, si Dominice evenerint, ad majorem Missam præfatio dicatur; item in nocte Natalis, vel illucascente die, infra octavas, quando vel magna vel matutinalis Missa de die Nativitatis dicitur, præfatio ipsius diei dicatur; si aliunde fuerit, præfatio non dicitur; in vigilia, & in die Pentecostes præfatio dicitur: in cœna Domini, & octo diebus Paschæ; similiter & Pentecostes ad utramque Missam præfatio ipsius diei dicitur; octava tamen die Paschæ matutinalis Missa de Dominica dicitur, hoc est: *Quasi modo geniti*, & ideo præfatio non dicitur, octava die Pentecostes Missa matutinalis de Trinitate dicitur, & præfatio, idest *Qui cum Unigenito tuo* dicitur: privatis diebus ad Missam matutinalem præfatio numquam dicitur, nisi festive pro defunctis dicatur, vel de festivitate, cujus quartum responsorium e duobus dicitur, die jejunii dicitur, si die jejunii dicitur.) His adde MS. consuetudines Cluniacensis monasterii c. 102. ita statuentes: „(His quoque tantum diebus præfationem ad Missa dicimus: vigilia Nativit. Domini, & ad tres Missas ipsius diei, natali S. Stephani, & S. Johannis Evangelistæ, Sanctorumque Innocentium, Circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti Domini, vigilia Paschæ, in die sancto Paschæ & reliquis septem diebus ad utramque Missam, Ascensionem Domini ad utramque Missam, vigilia Pentecostes, & in die, & reliquis septem diebus ad utramque Missam, in solemnitate sanctæ Trinitatis ad utramque Missam, S. Johannis Baptistæ, vigilia Apostolorum Petri & Pauli, & die Festo S. Laurentii, Assumptione S. Mariæ ad utramque Missam, Nativitate ejusdem, solemnitate omnium Sanctorum, & S. Andreæ, & Dedicatione Ecclesiæ;) sed hujusmodi præfationes ad denarium numerum restrinxit Conc. Wistmonasteriense ann. 1175. quem nunc retinemus, servabantque olim nostri Divionenses S. Benigni, rejectis aliis quibuscumque, ex Cons. S. Benigni c. 28.

XXX. Quonam vero ritu dicerentur, ita describit lib. Usuum Cisterc. c. 53. „(Ut autem *Sacerdos* finierit secretas, retrahat se contra medium altaris dicens: *Per omnia sæcula sæculorum*, sed non elevans manus usque ad *Sursum corda*. Diaconus autem audiens: *Per omnia sæcula sæculorum*, veniat post ipsum Sacerdotem supplicans ad altare, & stet habens faciem ad Sacerdotem usque ad *Pater noster*. Subdiaconus eadem hora accipiat patenam offertorio coopertam, & veniat post Diaconum, supplicans circa altare. Deinde erigens se, supponat sinistram manum brachio dextro, ut levius ferat ipsam patenam; qui Subdiaconus signet se ad *Sanctus* de ipsa patena; Diaconus similiter signet se, manens curvus, dum ipsa dixerit; *Sanctus Sanctus Sanctus* breviter sub silentio. Finita vero præfatione, Sacerdos inclinet se ante dicens, *Sanctus Sanctus Sanctus* breviter, & signans se, mox incipiat: *Te igitur*;) Et Bursfeldenses in Ordinario suo: „(Sacerdos dicendo: *Per omnia* in fine ultimæ secretæ, manus levet super humeros: Ad *Sursum corda* crucem pectori imprimat cum pollice dextræ manus: Postquam dixerit: *Gratias agamus Domino Deo nostro* manus conjungat, inclinans reverenter cum capite, inclinet etiam parumper conjungendo manus ad *Per Christum Dominum nostrum*. Ad *Sanctus* autem profundius incurvatur, complosis manibus, quarum extremitates digitorum labium altaris contingant, ita manens usque ad *Benedictus*, quod dum incipit, erigendo se cruce signat.) Porro apud Cistercienses ad *Sanctus* se se conventus inclinabat; ad *Pleni sunt* se erigebant, & ad *In nomine Domini* signabat se, ex lib. Us. c. 56.

§. III.

De Canone usque ad finem Missæ.

I. DE Canone, ut vocant, Missæ usque ad orationem Dominicam ne quidem unum verbum in Ritnali Cassinensium, vixque aliquid de eo reperire licet apud Udalricum, aut in MS. cons. Cluniac. Benig. lib. Usuum Cisterc. consuetudinibusque Sangermanensibus. Bursfeldenses, & Casalini eosdem, aut pene eosdem, ac nos, ritus observabant. Si quid autem diversum, aut singulare alicubi fuerit observatum, hic breviter adnotandum est.

II. Illud autem imprimis prætermittendum non fuit, quod de Cluniacensibus scribit Udalricus l. 2. c. 30. præscribuntque cons. S. Benigni s. 21. „(Unus autem ministrorum, qui semper duo debent esse, stans cum flabello prope Sacerdotem, ex quo muscarum infestatio exurgere incipit, donec finiatur, eas arcere a sacrificio, (*a*) & ab altari, seu ab ipso Sacerdote non negligit. Diaconus vero, Subdiaconus, & unus ministrorum, si dies festus est, acclives postea manent orationi intenti;) & MS. consuet. Guillelmi, primi Abbatis Grendim. „[Dicente ergo Sacerdote: *Te igitur*, & usque, *sed libera nos a malo*, Diaconi, & alii ministri in orationibus humiliato capite perseverare debent.] Secundo Cartusienses, Ord. Cart. c. 27. ad hæc verba; *In primis quæ tibi offerimus*, elevabant manus, & expansas in modum crucis tenebant usque ad *Hanc igitur*. (*b*)

III. Tertio Cistercienses facta consecratione, hostiam & calicem adorandum populo non ostendebant, ut patet ex libro Usuum 53. „(Cum pervenerint ad *Qui pridie quam pateretur*, sumat hostiam, & elevans ante calicem paulo altius inter alios digitos, quos ad hoc conservavit, benedicat: si vero plures fuerint, non deponens ipsam, quam tenet, & simul omnes benedicat; & iterum utraque manu eam teneat, usquequo dicat: *Hoc est enim corpus meum*; & tunc remittet eam in loco suo. Cum autem dixerit: *Simili modo postquam cœnatum est*, accipiat calicem stringens corporale cum calice inter utramque manum, & sic elevet eum paululum usque ad signum faciendum, & tunc deponat, faciens signum crucis desuper, quod postquam fecerit, elevet sicut superius, donec dicat: *In mei memoriam facietis*; & tunc dimittat.) Ita primi Cistercienses, qui tamen non multo post in capitulo Generali ann. 1215. statuerunt, (Instit. Cist. disti. 3. c. 25.) ut „(cum Missæ celebrantur, consecratione peracta, hostia elevetur. In Missis vero de conventu, in ipsa elevatione minor campana uno ictu pulsetur, & omnes qui audierint, exceptis his, qui in dormitorio fuerint, petant veniam, nec de terra surgant, qui in choro fuerint, donec post consecrationem elevet manus.) Casalini, cerem. MS. Casal. c. 19. ad elevationem SS. Sacramenti cantabant stropham; *O salutaris hostia*, idque *propter instantes necessitates bellorum & hæresim*.

IV. Quarto. Tam apud Cistercienses, quam apud Cartusienses (Ord. Cartus. c. 27.) Sacerdos post consecrationem manus expansas in formam crucis tenebat, quas tamen dimittebat, cum calix, aut hostia esset signanda; sed hanc manuum expansionem, licet a nonnullis fieri constentur, Bursfeldenses prohibent in Ordinario c. 45.

V. Quinto. In nostro S. Germani Pratensis monasterio ad hæc verba: *Supplices te rogamus*, Diaconus manus lavabat ex MS. consuetudinibus: „(Quando Sacerdos dicet: *Supplices*, Diaconus inclinabit toto corpore, sicut &

(*a*) Hunc ritum respicere videtur locus ex vit. S. Euthymii nu. 78. tom. 2. monum. Eccles. Græc. „(Aliquando una Sabbatorum ille quidem Deo ministrabat, eique incruentem offerebat sacrificium: Donatianus autem adstabat ad dexteram partem cum mystico illo ventilabro.) Et Theosteristus in vit. S. Nicetæ Hegumeni Monasterii Mediciensis in Bithynia n. 14. apud Boll. 3. April. „[Quando divina peragebantur mysteria ...... S. Athanasius intendendo ad rem animo adsistebat, liturgicum tenens flabellum, erat enim Diaconus, &c.) & Venusinus Abbas in vit. S. Petri Abbatis Cavens. num. 11. apud Boll. 4. Martii: „(Cum in ecclesia S. Johannis Missas cele- „braret, & quidam flagelli ministerium negligentur exhiberet, lampadem impulit, & oleum super altare fudit, &c.) Denique Hildebertus Episc. Cœnom. epist. 8. quem vid. & Clement. l. 8. c. 12. Porro isti apud nostros dicti erant a Diacono, Subdiacono, Ceroferariis, & Thuribulario, quorum officium describitur in Benignianis Consuet. c. 25.

(*b*) Cujus ritus fit mentio in MS. cons. Guillelmi primi Abbatis Grandim. c. 129. & in vit. S. Elphegi Cantuar. Episc. num. 12. apud Boll. 19. April. „Cum manus ecclesiastico more tensas in altum porrigeret, &c.

„ Sacerdos ; & tunc ibit lavare manus suas, & veniet re„ tro Sacerdotem ;) quem ritum a Cluniacensibus mutuati erant Sangermanenses nostri, ut patet ex Udalrico l. 2. c. 30. ita scribente : (Notat tamen Diaconus, quando „ Sacerdos ad *supplices te rogamus*, inclinatus se erexerit, „ & tunc quoque ipse se elevans, ut quatuor digitos, qui„ bus Dominicum corpus tangendum, & dividendum „ est, abluat ; in partem ante supra dictum armariolum „ secessit ... Digitis ablutis, & tersis ad locum ubi pri„ mitus inclinis manebat, redit.)

VI. Sexto. Paulo antequam Sacerdos orationem Dominicam inciperet, Diaconus accedens ad Sacerdotem discooperiebat calicem, aut solus, aut apud Sangermanenses & Grandimontenses, ut simul cum Sacerdote, ut apud Cluniacenses, & Cistercienses, prius tamen osculato altari, ut observabant Cistercienses; aut humero Sacerdotis, ut præscribunt MS. consuetudines sancti Germani a Pratis ; aut altari simul & humero Sacerdotis, ut de Cluniacensibus narrat Udalricus, & Grandimontensibus præscribit Guillelmus primus eorum Abbas in MS. consuet. c. 129. quod etiam habent Divionenses S. Benigni conf. c. 21.

VII. Factis a Sacerdote cum Dominico corpore super calicem crucibus, statim Diaconus eundem cooperiebat apud Cluniacenses, Divionenses & Cistercienses, quod tamen Sangermanenses non præstabant, nisi ad *Panem nostrum* ; Grandimontenses nisi finita oratione Dominica. Interim Subdiaconus accedens ad Diaconum, patenam quam hactenus sustinuerat, eidem tradebat, ille vero Sacerdoti. Rem ita describit Udalricus l. 2. c. 30. „ (Subdiaco„ nus non prius se erigit, neque de loco in quo post „ Diaconum acclivis, ex quo *Sanctus* inceptum fuerat, „ manserat, recedit, donec a Sacerdote *Panem nostrum* in „ oratione Dominica dicatur. Sed tunc inde recedens, at„ que reverenter succedens & linteamen de patena devol„ vens, manuque linteaminis parte involuta ipsam te„ nens, partem ejusdem linteaminis pendere ex indestra „ facit, ut Diaconus quoque cum digitis mediis lintea„ mine involutis eamdem patenam ab ipso osculante in „ manum accipiens, finita oratione Dominica offerat Sa„ cerdoti ; propter quod tamen pollicem & indicem mi„ nime disjungit, sicut tunc non disjunxit, quando cali„ cem cum Sacerdote levavit. (Idem habent conf. Benignianæ c. 21. in quibus additur. „ (Cum in duodecim „ Lectionibus patenam minister tenet, ipse eam Subdia„ cono, ille vero diacono, ut dictum est, offert ;) & MS. Consuetud. S. Germani a Pratis : „ (Subdiaconus incepto „ *Pater noster*, debet discooperire patenam, & quando „ dictum fuerit : *Panem nostrum*, debet venire ad altare, „ & tradere patenam Diacono, & osculari manum ejus ; „ & Diaconus dabit eam Sacerdoti, dum opus fuerit ; & „ tunc venient justa Sacerdotem, & flectent genua, & „ dicens *Agnus Dei*.] Finita oratione Dominica, & tradita Sacerdoti patena, Diaconus & Subdiaconus genua flectebant, ut habent consuetudines S. Germani, vel quid simile faciebant ; quod non obscure insinuat Udalricus l. 2. c. 30. dum ait : „ (Postquam vero Diaconus Sacerdoti „ patenam obtulit, ibi prope dextrum cornu altaris ora„ tionis, si sapit, intentus manet acclivis, donec : *Per om„ nia sæcula sæculorum* dicatur ;) quæ etiam verba leguntur in Benignianis Conf. c. 21.

VIII. Sacerdos vero acceptam patenam deponebat super corporale ad calicis pedem, ex Udalrico, & Conf. Benign. c. 21. subtus, vel si conventus ibat ad pacem, super, ex lib. Us. Cist. vel tandem ad caput elevatam tenebat ex Ordinario Bursfeld. c. 45. Postea sacram hostiam sumens tres dividebat in partes : deinde pacem Diacono, ceterisque dabat ; tum sacram communionem volentibus communicare distribuebat : hæc ita breviter tangit Rituale Cassinensium, his verbis : „ [Sacerdos autem cum dixerit „ *Per omnia sæcula sæculorum*, rumpat oblatam in dextro „ latere super calicem, & cum ipsa particula oblatæ faciat „ crucem super calicem dicens : (*a*) *Pax Domini*, & sic „ dimittat eamdem particulam in calicem ; postea dicat „ *Agnus Dei*, & osculato altari convertat se, & det pa„ cem primum Diacono, deinde Subdiacono, & cæteris „ per ordinem, & communicent.)

IX. De fractione hostiæ ita MS. Consuetudines Grandimont. c. 29. „ (Sacerdos post orationem Dominicam „ dictam, in fine orationis : *Libera nos quæsumus Domi„ ne ab omnibus malis*, &c. Dominicum corpus in tres di„ vidit, & cum illa parte, quam calici immittit, dicit : *Pax „ Domini sit semper vobiscum*, & parte hostiæ posita in „ calice, a Sacerdote pax Diacono, & a Diacono Subdiacono „ datur ;) quibus ex verbis colligimus hostiæ particulam non ante *Agnus Dei*, ut apud Cassinenses olim, & etiam nunc apud nos observatur, in calicem fuisse immissam ; sed postea : Ea siquidem immissa, statim Diacono pacem dabat Sacerdos, quam tamen, nisi præmisso *Agnus Dei*, non præbebat. Hæc clarius patent ex libro Usuum Cisterciensium, in quo præscribitur c. 53., ut Sacerdos „ (di„ cendo : *Per eumdem Dominum nostrum*, frangat Corpus „ Domini super calicem in tres partes, & dicto *Per om„ nia sæcula sæculorum*, faciat ad *Pax Domini* intra cali„ cem unam crucem, & aliam ad *sit semper*, tertiam ad „ *vobiscum* ; & postquam ter dixerit *Agnus Dei*, & di„ miserit in calicem illam partem Dominici corporis, quam „ tenebat in dextra manu, dicens : *Hæc sacrosancta com„ mixtio*, totam orationem sub silentio, divertat se ad „ Diaconum osculans illum ;) & Ordinarium Bursfeldensium cap. 45. „ (Dicto ter *Agnus Dei*, mittat ipsam „ particulam in sanguinem dicens : *Fiat hæc commixtio* ;) Ceremoniale Casalinorum c. 16. „ (Continuo subjungit „ Sacerdos : *Agnus Dei* : quo ter dicto, mittat simpliciter „ sine signaculo ipsam particulam, quam dextra manu te„ net, in calicem dicendo : *Hæc sacrosancta commixtio* :) Apud Cartusienses vero in ord. c. 27. Sacerdos particulam ipsam dimittit in calicem, cum responderetur : *Et cum spiritu tuo* ; & tunc dicit : *Agnus Dei*, semel, excutiendo digitos in calicem, & ipsum cooperit.

X. Duas alias particulas super patenam depositas, prius excussis super calicem digitis, corporali tegebat, ut patet ex Udalrico l. 2. c. 30. „ (Unam particulam, ut „ mos est, mittit in calicem, duas supra patenam, & cum „ corporali tegit utramque ; prius tamen super ipsum ca„ licem digitis, quibus tetigit, diligenter fricat, & excutit, „ ne quid forte lateat frangendum de corpore Domini adhæ„ serit,) quæ totidem verbis leguntur in Benignianis conf. c. 21.

XI. De pace plurima dici possent, hanc olim ad Missam omnes Christi fideles per mutuum osculum ante communionem sibi dabant, ut patet ex Tertulliano in l. de orat. Innocentio Papa I. in epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum, August. ser. 83. de diversis, qua de re vide Menard. in not. ad l. Sacram. S. Greg. p. 376. Idem in signum mutui amoris & unitatis præstabant veteres monachi, unde S. Benedictus in Regulæ cap. 63. præscribis, ut omnes secundum conversionis ordinem accedant *ad pacem* ; & Adrevaldus in vita S. Aigolfi Abbatis Lirinensis sæc. 2. de Columbo monacho omnium flagitiosissimo narrat, quod in insula Caprasia, sacro Resurrectionis Dominicæ die, Diaconatus officio fungens ; „ (Cum ad id loci ventum esset, quo „ Corporis & Sanguinis Christi sacramenta percepturi os„ cula sibi invicem libant, ille infelix non dubitavit a se „ sic crudeliter mulctatis oscula porrigere, non columbina, „ sed prorsus corvina, aut certe canina.)

XII. Pacis dandæ ritus apud eos diversi extiterunt ; aut enim per osculum, aut per instrumenti porrectionem id exequabantur. Aliquando etiam soli altaris ministris, aliquando omnibus in choro existentibus, aliquando uni dumtaxat choro idque per vices dabatur. Hac de re sic scribit Udalricus in antiquis Cluniacensis monasterii consuetudinibus l. 2. c. 30. Sacerdos „ (manus interim cum summo „ studio claudens, & in modum crucis ad pectus applicans, „ vertit se primum Diacono reverenter inclinanti, & casu„ lam duobus mediis digitis post pacis osculum inter bra„ chia apprehendit, dans illi pacem. Deinde Subdiacono ; & „ in procedendo contra conventum duobus ministris, ad ul„ timum veniens super gradum ante analogium dat pacem „ ceteris, sicut annotari decrevimus, in quinque præcipuis „ festivitatibus toto conventui ; cæteris autem diebus exce„ ptis Sabbatis, in quibus eveniunt jejunia quatuor tempo„ rum, & exceptis Missis jejunii, in festivitatibus Quadra„ gesimæ, & reliquis jejuniis, in quibus festivitas ta. lectio„ num evenerit, quando una hostia offertur, & pax uni Dia„ cono datur, sic itur ad pacem : in tertia, & quinta feria, „ & Sabbato semper dexter chorus vadit ad pacem ; præter „ illum, cui tale quid in noctu contigit : in secunda, „ quarta, & sexta sinister ; In Dominicis autem alterna„ tim, ut alter chorus in una, alter in altera, sicut alter„ natim incipiuntur hymni, antiphonæ, & Psalmi, ab „ uno choro, in una hebdomada, ab altero in alia. Si ve„ ro revestiti sunt in cappis seu in albis, secundum digni„ tatem ordinis ibunt ad pacem, ut primo loco Sacerdotes,

(*a*) Apud Bursfeldenses ad *Pax Domini sit semper vobiscum*, conventus fronti, ori, & pectori pollice dextræ manus crucis signum imprimebant, ex Ordin. Bursfeld. c. 49. Apud Cisterc. dicto semel *Agnus Dei*, conventus genuflectebat, factaque mora unius *Pater noster*, Cantor secundum *Agnus Dei* subjungebat, ex lib. Usuum c. 56. Sangermanenses etiam secundum & tertium *Agnus Dei* non cantabant, nisi facta Fratrum communione, ex consuet. MS.

dotes, sicut sunt priores, secundo Diaconi, tertio Subdiaconi, deinde alii, sicut ordo eorum exigit; ad extremum Conversi. Si autem aliqui sunt in cappis, & aliqui in albis, & aliqui in frocis, vel cucullis, secundum dignitatem ordinis, prius ibunt hi qui in cappis, deinde qui in albis, postremo qui in frocis, seu cucullis erunt, sicut semper prout ad conversionem venerunt, seu a Domno Abbate levati sunt, sive sint Cantores, sive Conversi... privatis autem diebus Conversus qui servit de candelabro, quia albis indutus est, primus postquam Sacerdos super gradum venerit, vadit ad pacem.) Hactenus Udalricus fuse, sed clare Cluniacensium ritus exprimens, quibus fere in omnibus concinunt Divionenses S. Benigni Consuetudin. c. 21. in quibus additur: „ (Sacerdote ad pacem procedente, Diaconus ad altare accedit, nusquam recedens, donec Sacerdos redeat.) His subjicienda sunt nonnulla, quæ habentur in MS. Germaniæ consuetudinibus n. 21., his verbis: „ (Ad pacem Cantor inter majores, & pueros vadat propter *Agnus Dei*. Pueri cum magistris suis intermixti.) Et infra: „ (Illi quoque eant ad pacem, qui oblationem obtulerant.) De Cistarciensibus liber Usuum Cisterciensium: „ (Sacerdos, *inquit c. 53.*, divertat os suum ad Diaconum osculans illum, & Diaconus Subdiaconum, sibi invicem supplicando, & Subdiaconus similiter alium, si pacem quæsierit, eundo ad gradum;) & alibi c. 57. „ (Pacem, nisi communicaturus, nemo accipiat, nisi forte Prior cum necesse fuerit, ut hospitibus porrigat, aut Subprior absente Priore, aut qui superior tunc fuerit ex omnibus in choro, si uterque defuerit. Diebus vero Dominicis & festis, quibus solent ire Fratres ad communionem, prior illorum, qui communicare voluerit, veniens ad gradum accipiat a Subdiacono pacem: quo redeunte ad altare, qui communicaturi sunt, ordine suo accedant ad Priorem, ita ut prior stet ad gradum, ubi pacem accepit, quousque, qui post eum primus est, pacem ab eo acceperit. Qua data secedat in dextrum chorum novitiorum, relicto ad gradum cui dedit. Qui & ipse ubi sequenti pacem dederit, manente ibi similiter cui dedit, cedat post priorem. Et istis interim facientibus ad invicem confessionem, cæteri sequantur per ordinem eo modo, quo descriptum est de primis, pacem ab invicem accipientes ordinatim post priorem sese collocantes, bini & bini alterutrum confitentes, vultus suos post confessionem ad altare vertentes, nec ad sua stalla usque post perceptam communionem revertentes. Porro novissimus novitius dabit pacem occurrenti sibi in medio chori, qui portabit & Converso, cum se ad ostium chori ostenderit; deinde ordinans se ultimus cum penultimo confiteatur.)

XIII. Apud Grandimontenses MS. cons. c. 129. „ A Sacerdote pax Diacono, & a Diacono Subdiacono datur duntaxat.) Casinenses etiam tempore Bernardi Casinensis, pacem sibi, saltem omnes, quotidie non dabant, sed diebus tantum solemnibus, ut colligere est ex eodem Bernardo in comment. ad Reg. S. Benedicti c. 63. ubi sic loquitur: „ (Quod manifestius apparere potest apud nos in Natali Domini, Resurrectione & Pentecoste, quoniam singuli post *Agnus Dei* ante communionem ab Abbate pacem assumunt, & qui prior assumsit, secundus in ordine stat, & accedit secundus ab Abbate pacem sumpturus, qua percepta, a Priore stante pacis osculum sumit, & stat juxta Priorem; accedit tertius ad Abbatem, & sumta pace ab Abbate, & primo, & secundo stantibus, stat & ipse.) Sic omnes ordinatim accedunt ad pacem, & singuli a singulis pacem sumunt.

XIV. De suo S. Aniani S. Pontii Tomeriarum monasterio Petrus Bohatius, relatis mox citatis Bernardi Casinensis verbis, in suo item Commentario ad reg. S. Bened. primo ita loquitur: „ (Hoc quidem apud nos non servatur quia in Missa monachorum, qui mundo sunt mortui, sicut in Missa mortuorum pax non datur, & est ratio, quia in perturbatione hujus mundi non sunt; veruntamen Abbas solus, vel Prior absente Abbate, vel alius post ipsos proxime stans, ipsis absentibus, recipit quotidie pacem in Missa conventuali Diacono ministrante.) Hac forte ratione Bursfeldenses a danda sibi invicem pace abstinuerunt, saltem nullum hac de re verbum extat eorum in Ordinario. Casalici, Cartusienfesque non per osculum, sed per instrumentum pacem sibi exhibebant, quod ita præscribit Ceremoniale MS. Casal. c. 18. „ (Pacem Sacerdoti utrisque manibus Diaconus reverenter offerat, Magnatibus seu Ecclesiasticis sive Laicis, si qui præsentes fuerint, ut Episcopis & Consulibus, quam ubi osculari fuerint, illam ipse quoque mox osculetur, osculandamque Subdiacono tradat, Subdiaconus vero illam thurificatoribus Clericis, Ceroferariis; demum omnibus Fratribus communicaturis, qui per ordinem ex utroque altaris latere tunc genua flectant, & propterea tempestive ante majus altare se ordinare debent, & qui illam offerat, sequetur ex integro unum ordinem, postea alterum.) Vid. Ordinar. Cart. c. 27. n. 10. & c. 29. num. 15.

XV. Data omnibus, quibus danda erat, pace, Sacerdos primos, deinde singuli per ordinem sacram communionem percipiebant. De communione satis multa in commentario; hic dicendum mihi tantum superest, quonam ritu perciperetur, quod ut expediam, singulorum singulorum consuetudines per ordinem referre visum est. Cluniacensium ritus habemus in eorum MS. consuetudinibus, & apud Udalricum l. 2. c. 30. ubi sic describuntur: „ (Sacerdote ad pacem procedente, Diaconus ad altare accedit, duasque hostias, vel si plures fuerint, ut in Dominicis, frangit, & dividit; quas Sacerdos non divisit, duasque particulas illius hostiæ, quam Sacerdos divisit, separatim dimittit, ut de altera ipse, de altera Sacerdos communicetur, & si priusquam Sacerdos redeat, perfecerit; nusquam tamen recedit. Mox vero ut Subdiaconus, & ministri pacem acceperint, manus abluere in piscina, quæ est prope altare, non negligunt, & Subdiaconus patenam auream ad calicem pertinentem, quam posuerat super armariolum, reportat ponens super altare, & simul linteolum extensum in transverso altaris; & postea stat inclivis inter reclinatorium, & dextrum cornu altaris, usque dum redeat. Qui rediens, & aliam portiunculam Dominici corporis, quam sumpturus est, de patena accipiens, cum duobus mediis digitis sinistræ manus, patenam modice Diacono porrigit, & super calicem ipsam portiunculam sumens, postea eumdem calicem cum sanguine Diacono dat. Unus autem de ministris tollit de armario scutellam, & allatam tenet cum linteolo super reclinatorium, quod est, quantum puto, propter hoc maxime factum inter duas ciborii columnas: super quod Diaconus mittit patenam, in qua Dominicum corpus est divisum, calicem quoque cum Sanguine dat Subdiacono intrinsecus stanti inter reclinatorium & altare, qui tenebit eum reclinem, quam conjunctius poterit, erga scutellam: communicat primus Diaconus, & post eum alii forinsecus accedentes, eo ordine quo & ad pacem, & præter illos, qui in albis sunt, antequam communicent cuncti veniam petentes, & manum Sacerdotis osculantur, tam illi, quam alii. Si quis autem, qui non sit de illo choro, qui vadit ad pacem, voluerit communicare, facto inde signo illi, qui servat ordinem, si Domnus Abbas, vel Prior abest, accedit tam ad pacem, quam ad communionem in suo ordine. Debent autem singuli ita se scutellæ adjungere, ut si forte inter sumendum Corpus Domini aliquando vel de ore sumentis, vel de manu porrigentis lapsum fuerit, nisi in scutellam cadere possit. Quotquot autem ipsum Corpus sacrum dederit, singulis Sanguine prius intingit. Communicatis autem omnibus, qui voluerint, & novissime Subdiacono, qui semper per consuetudinem ad majorem Missam communicare debet, exceptis his diebus, in quibus tantum una hostia consecratur, & communicato illo, qui tenet scutellam; si Corpus Domini superest, vel si videtur sibi, cooperitur ipsa scutella, & qui tenet eam, non se submovet inde, quousque Sacerdos calice a Subdiacono recepto, Sanguinem sumat, vinumque quo postea calicem lavet, infusum ab eodem Subdiacono in altera manu tenente ampullam, & cum altera involuta linteolo, quod cum patena super altare posuerat, sublevante calicis pedem. Diaconus percepta communione prope armariolum venit, ut cum vino in altero calice digitos abluat, quibus Dominicum corpus tractavit, ministro qui superest, cum ampulla fundente vinum, & pedem calicis sublevante; quos ablutos ad calicem prius tergit, deinde ad faciem, & eam partem, quam tersit, ori applicat, & vinum sumit vertens se ad Orientem; & tunc corporalia plicare, & librum missalem de sinistro cornu altaris in dextrum ponere, & ad locum illum, ubi prior collecta est in proximo dicenda, vertere accelerat. Subdiaconus vero mox, ut Sanguinem sumsit Sacerdos, & vinum quo postea calicem lavit, accipit ab eodem calicem, osculans ei manum; & a Diacono patenam calicis, ubi altari semper imposito uno corporali acceptam; unam alterem in locum suum super altare reponit, & tunc ille, qui tenet scutellam, altius eam elevans vadit ante sinistrum cornu altaris, & Subdiaconus remanet cum calice

lue ante dextrum; post Sacerdotem tenens cum altera manu calicem, cum altera patena paulumper sublevata cum corporali. Venim contra ipsos totus conventus pro reverentia Dominici corporis, & sanguinis veniam petit ..... Mox autem ut ille minister, qui supererat, digitis Diaconi vinum superfudit, accedit extra reclinatorium, deferens alium calicem minorem cum ampulla, quam subministravit Diacono, & post ab eodem recipit, ut Sacerdos quoque digitos illos lavet, quibus Dominicum corpus tractavit, quos numquam in majoris Missæ calice abluere licet. Quo sumto iterum vinum in calicem funditur, ut ipse aliquantulum calix abluetur, & a Sacerdote sumitur.) Hactenus Cluniacensium ritus ab Udalrico descripti. Divionenses S. Benigni in MS. ejusdem monasterii consuetudinibus c. 21. ita habent: „ (Mox vero, ut Subdiaconus pacem accepit, fistulam argenteam, cum qua sanguis Domini ebibi solet, in sacculo ex panno mundissimo ad hoc ipsum facto reconditam, de armariolo Diacono defert; ipseque eam accipiens, super corporale juxta calicem ponit. Idem vero Subdiaconus ad dextram partem secedens, intendit orationi, usque dum redeat Sacerdos. Qui rediens, & illud Dominici corporis, quod sumturus est, de patena accipiens; postquam se, & Diaconum osculante sibi mutuum communicaverit, mediis digitis utriusque manus patenam modicum eidem Diacono porrigit. Subdiaconus autem interim tollit de armariolo scutellam, & aliam tenet cum linteolo super dextrum cornu altaris, super quam Diaconus mittit patenam, in qua Dominicum corpus est positum; excepto quando non nisi una hostia consecratur; quia tunc prædicta scutella minime apportatur. Sacerdos vero accipiens præfatam fistulam, & longiorem a gibbo partem deorsum in Domini sanguinem mittens; breviorem vero, quæ & superior, ori immittens; postquam de sanguine Domini sumserit, eundem calicem cum sanguine, & fistula Diacono dat. Qui accipiens fistulam subtus digitos sacros, duobus primis digitis manus dexteræ, manu vero sinistra calicem defert ad altare huic officio deputatum, linteoque mundissimo reverenter ornatum; totusque conventus pro reverentia Dominici Corporis & Sanguinis veniam petit. Illis tamen diebus in quibus non nisi tres hostiæ consecrantur, expectat, ut simul cum Subdiacono patenam ferente ad præfatum altare deveniat. Qui postquam illuc pervenerit, juxta dextrum cornu altaris stans, manu sinistra calicem per medium super ipsum, duobus vero, ut dictum est, digitis fistulam in ipsius calicis medio inter sumendum Domini sanguinem jugiter tenet; donec omnes, & ad ultimum ipse quoque percipiat. (*a*) (Debet autem vinum in ampulla juxta eum jugiter esse; ut quando opus esse perspexerit, eodem vino Dominicum Sanguinem augere possit.) Communicant vero post Diaconum & alii, eo ordine accedentes, quo ad pacem, & præter illos, qui in albis sunt, antequam communicent, cuncti veniam petentes, & manum Sacerdotis osculantes tam illi, quam alii. Si quis autem privatis diebus, qui non sit de illo choro, qui vadit ad pacem, voluerit communicare; facto inde signo illi, qui servat ordinem, si Domnus Abbas vel Prior abest, accedit tam ad pacem, quam ad communionem in suo ordine. Debent autem singuli ita se scutellæ adjungere; ut si forte inter sumendum aliquando Corpus Domini, vel de ore sumentis, vel de manu porrigentis lapsum fuerit, nisi in scutellam cadere non possit. Quotquot autem ipsum corpus Sacerdos dederit, singulis sanguinem Diaconus cum fistula dabit. Communicatis autem omnibus qui voluerint, & novissime Subdiacono, qui semper per consuetudinem ad majorem Missam communicare debet, exceptis his diebus, in quibus tantum una hostia consecratur; si corpus Domini superest, vel si videtur sibi, dat eum sumendum Subdiacono, aut recondit in pixide. Quo facto ille, qui tenet scutellam, altius eam elevans, vadit ante sinistrum cornu altaris: ubi Diaconus juxta dextrum stando Domini sanguinem percipientibus subministrat. Venim contra ipsum totus conventus pro reverentia Dominici Corporis veniam petit. Sciendum autem quoniam, si quilibet post communem veniam supervenerit, nec in choro, nec extra chorum veniam petere debet. Similiter postquam aliquis communicaverit, præter hanc communem, nullam veniam consuetudinaliter petit. Mox autem, ut Subdiaconus cum scutella discedit; ille minister, qui digitis Diaconi vinum superfudit, accedit deferens sinistra linteolo involuto calicem, dextra vero ampullam cum vino, ut Sacerdos quoque lavet digitos illos, quibus Dominicum corpus tractavit, quos numquam in majoris Missæ calice abluere licet. Quo sumpto, iterum vinum in calicem funditur, ut ipse etiam calix aliquantulum proluatur, & a Sacerdote sumitur; quod dum sumit, faciem versus altare, vel versus Orientem vertit. Duo autem Conversi, qui portant candelabra, & tertius tenens thuribulum, postquam Sacerdos e pace redierit, continuo accipiunt tenentes ea ante gradum sublevata, nec prius recedunt, quam Diaconum cum Domini sanguine recedentem comitando, candelabra juxta eum hinc inde deponant: tunc quoque ille, qui fert thuribulum, de ante altare discedit. Privatis vero diebus, ille qui portat candelabrum, eodem omnino modo ante gradum & accedit, & discedit, quo dictum est de duobus in XII. lect. Sciendum vero, quoniam quoties non nisi una hostia consecratur ad majorem Missam, eadem Missa cum calice minoris Missæ cantatur; & tunc neque patena a Subdiacono suscipitur, neque Conversus de candelabro serviens, postquam Sacerdos post ablutionem digitorum vinum calici infusum biberit, amplius operitur. Subdiaconus autem perveniens ad supra dictum altare, quamtumlibet clara dies sit, tamen cum cereo patenam, super quam Domini corpus fractum fuit, diligentissime considerat: Si quid forte minutissimum de eodem remanserit, & si quid viderit remansisse, sive talis sit particula, quæ convenienter sumi possit, seu minutissima, & indivisibilis, & atomo similis, hanc non manu tangere præsumit; sed in eo tantum loco, ubi eam viderit, linguam summatim applicando levat & sumit, sicque patenam cum linteo ponit. Quod si Subdiaconus, aut Diaconus est in custodia; Custodis est, tunc cereum ad hoc tunc videndum tenere; sin autem unius servitorum Ecclesiæ. Expletis vero omnibus, qui Sanguinem Domini sumturi erant, ipse etiam Subdiaconus accedens sumit. Diaconus quoque postmodum fistulam de calice levans, & ori admovens, postquam eam ex utraque parte sugendo, Sanguine vacuaverit, Subdiacono eam interim custodiendam committit, ipseque residuum Sanguinem cum ea particula Dominici corporis, quam Sacerdos in eum miserat, per anteriorem partem calicis sumit. Post hoc fistulam ab eo, qui eam duobus primis digitis manus dextræ per gibbum inversam in longum super lævam extensam tenuerat, accipiens, primum illam partem, quæ in Domini, de hinc illam, quæ in Fratrum ore fuit; utramque versa vice deorsum tenendo, & vinum cum ampulla fundendo, desuper abluit, postmodum per medium concavitatis ipsius bis, hinc inde semel mittendo vinum currere facit, sicque eam Subdiacono panno mundissimo ad hoc ipsum deputato tergendam tradens, hoc idem vinum, sicut & aliud quo post eum eumdem calicem lavat, vertendo se versus Orientem, per anteriorem, ut supra, partem calicis sumit. Deinde patenam a Subdiacono accipiens, diligentissime eam vinum super infundendo abluit, & illam superfusionem Subdiacono eodem modo, quo ipse prius, sumendam tribuit, & post eundem calicem, quo vinum illud patenæ superfusum fuerat, alio vino abluens, similiter eidem sumendum. Postquam patenam, ut fistulam, prius tergendam tradit. Et tunc non alio vino ipsum calicem abluit, nisi forte tale aliquid postea ibi diligenter cum cereo respiciendo remansisse cognoverit. Quando autem in majori calice aureo Missa cantatur, tunc postquam Sanguis Domini bibitus fuerit, ipse calix semel, & iterum diligenter abluitur; ipsaque ablutio in alterum calicem funditur. Prædicta vero omnia de fistula, vel patena in alio calice complentur. His expletis Diaconus ad altare majus reverenter corporale plicat, & ibidem relinquit super altare ..... Subdiaconus vero calicem cum patena accipit, & sic cætera quæque sacrata suo loco componit.) De Cisterciensibus hæc in libro Usuum Cisterciensium c. 53. leguntur: „ (Sacerdos dicat orationem *Domine Jesu Christe*, qua dicta, statim sumens Corpus Domini cum calice, utraque manu applicet ad se: & sic percipiat Corpus Domini super calicem; deinde Sanguinem. Itaque deposito calice super Corporale non cooperto, vertat se ad dextrum cornu altaris, & posita ibi patena cum hostiis, sumat hostiam de vasculo præparato a Diacono, quam ponat super pate-

(*a*) *Quæ ansulis includuntur* addita sunt in margine, sed eadem, ut videtur, manu.

„ patenam, & in eam vel plures, ubi necesse fuerit, ex illis, quæ ibi sunt, recondat in illo vasculo: hoc autem fiat tantum Dominicis diebus, & in cœna Domini. Vasculum autem illud super altare dimittatur usque post Missam; quo facto, Sacerdos communicet Diaconum, & Subdiaconum de tertia parte: deinde de aliis hostiis cæteros, qui communicaturi sunt. Provideat autem, quantum poterit, ne aliqua pars Dominici corporis remaneat: Diaconus vero accedens ad communionem, non osculans manus Sacerdotis, sublevet albam ab anteriori parte, flectens genua juxta altare, & resupinato capite sub manu Sacerdotis, convenienter aperto ore percipiat Corpus Domini. Quo percepto surgat, & suppliciter: similiter & Subdiaconus, quod postquam fecerit, sumens fistulam, si tunc necessaria est, eat ad sinistram per retro altare. Quod si tunc necessaria non fuerit, sequatur Diaconum. Qui Diaconus veniens ante calicem inclinet, & ad nutum Sacerdotis accipiat illum, sumatque Sanguinem eadem parte calicis, qua & Sacerdos; nec tangat eam manu, donec vino abluatur; quod si unus, vel duo tantum post eum communicaturi sunt, ministret eis Sanguinem eadem parte calicis, qua ipse recepit; ita ut ipse dextra manu calicem tenens, sinistram mento illorum supponat. Qui vero percepturi sunt Diaconi, vel Subdiaconi, sinistra manu pedem calicis tenentes ad os suum, sicut sibi viderint expedire, coaptent. Quod si plures fuerint, Diaconus percepto Sanguine, ibidem ponet calicem super sinistrum cornu altaris tenens illum, Subdiacono sibi assistente, atque adjuvante hoc modo: scilicet ut dextram manum teneat expansam juxta labium calicis deforis; sinistra vero teneat pedem ipsius calicis; Diaconus autem teneat utraque manu in calice fistulam a Subdiacono antea præparatam. Qui Subdiaconus percipiet Sanguinem cum fistula, priusquam se componat ad tenendum calicem, eo modo quo diximus. Dum autem fratres percipiunt Sanguinem, infunderet vinum in calice a Diacono, cum opus fuerit, de ampulla a Subdiacono ante præparata juxta altare. Si quid autem residuum fuerit de ipso Sanguine, bibat illud cum calice, postquam fistulam reddiderit Subdiacono. Quam fistulam antequam reddat, in quantum potuerit, ab utraque parte sugendo, a Sanguine Domini evacuet, & calicem reddit Sacerdoti, non osculans ei manum. Subdiaconus vero tenens fistulam contra faciem suam in transverso, eat ad Sacerdotem per retro altare ministrare ei vinum in calice. Sacerdos autem antequam recipiat calicem, si quæ hostiæ integræ superfuerint communicatis, reponat in vasculo. Qui recepto calice, respergat digitos suos in ipso calice, quem ponens super altare, eat ad piscinam abluere ipsos digitos in aqua. Quibus tersis ad medium linteum ad hoc ipsi præparatum, redeat ad altare sumere vinum quod dimisit in calice. Quo sumto, iterum aspergat calicem vino. Quo hausto, ponat illum non reclinatum super altare juxta patenam. Similiter nec ad privatas Missas reclinetur. Ex hinc Subdiaconus tenens fistulam adstat alteri, habens faciem in pariete usque ad finem collectæ. Interim Diaconus complicet corporale super altare, & versus ad Postcommunionem referat Missale ad dextrum cornu altaris;) & alibi c. 58. (Qui primi sunt, ordine suo accedant ad communionem, venientes vero ad gradum altaris proximum incumbant super articulos manuum; ascensoque gradu, flexoque genu juxta cornu altaris, & suscepta Eucharistia, cum se erexerint, inclinent, & sic per retro Sacerdotem accedant ad Calicem; ubi iterum inclinantes hauriant, & rursus inclinent regredientibus ab altari. Sacrista stans in capite sinistri chori Novitiorum vinum propinet, inclinans singulis, sicut & ipsi inclinarent singulis eorum, & post susceptionem, quod non solum hic, sed etiam ubique quoties vel dant, vel suscipiunt aliquid faciendum est. Quibus peractis inclinantes ad altare ascendant ad stalla sua.)

XVI. In Ordine Grandimontensi cap. 129 tenetur hoc de consuetudine, quod omnibus diebus Dominicis communicat Diaconus, & Subdiaconus in Missa ministrantes Presbytero celebranti, inquit Guillelmus primus Abbas in MS. constit. quonam vero ritu id præstarent, ni fallor, ibi non exprimitur.

XVII. Apud Bursfeldenses c. 45. dicto ter *Agnus Dei*, Sacerdos subjungebat orationem *Domine Jesu Christe, qui ex voluntate Patris*, &c. qua finita, tundendo ter pectus; dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori*; & complosis manibus; modice inclinatis genibus semel subjungebat: *Domine non sum dignus*. Deinde seipsum communicabat; tum hausto in calice vino, dicebat: *Corpus Domini nostri Jesu Christi*, &c. Postea alios binos & binos communicabat, fratrumque communione peracta, subjungebat: *Quod ore sumsimus*, &c. Interim ablutionem digitorum faciens super calicem, collectis prius reliquiis per excussionem corporalis super patenam, haustaque ablutione, iteratam ablutionem digitorum, & calicis cum aqua faciebat piscinæ infundendam.

XVIII. In Casalis Benedicti Congregatione cap. 18. Sacerdos sumto pretioso Corpore & Sanguine Domini, fratres binos & binos communicabat, qui propterea, Cantore in choro *Agnus Dei* incipiente, ad altare bini accedebant, susceptaque sacra communione retro altare divertentes, vini paululum degustabant; ibique usque ad finem Missæ genuflexi manebant, donec Sacerdos ultimam collectam concluderet. (Illud autem notandum, quod cantores ad percipiendam sacram communionem cappas deponebant.) Communicatis omnibus, utramque de manu Subdiaconi Sacerdos ablutionem sumebat; adstante etiam cum pelvi Clerico, ultimam ut calicis ablutionem, quæ sola fiebat aquæ, reciperet. Abbas autem celebrans, post ultimam ablutionem ministrantibus Diacono, & Subdiacono, manus lavabat.

XIX. Peracta eo quo diximus modo communione, Sacerdos orationes ad complendum cantabat; quarum in fine Diaconus conversus ad populum: *Ite Missa est*; vel non conversus: *Benedicamus Domino* subjungebat, & sic Missæ finis imponebatur: nam, quod postea Evangelium S. Johannis superaddimus, recentioris est instituti, cujus nulla mentio in Rituali Cassinensium, Consuetudinibus Germaniæ, aut Cluniacensium, libro Usuum Cisterciensium, neque in Ordinario Carthusiensium. Immo Rituale Cassinensium expresse jubet, ut dicto *Ite Missa est*, aut „ (*Benedicamus*, revertantur ad secretarium ordinate, ut venerant, cantantes hymnum trium puerorum, & *Laudate Dominum in Sanctis ejus*.) Prima vitae istius mentio occurrit mihi in Ordinario Bursfeldensium, ubi sic lego: „ [Tam Diaconus, quam Sacerdos, stent versis vultibus ad chorum dum canitur: *Ite Missa est*; sed antequam plene finiatur, circa conclusionem facies reducant ad altare; sin autem, cum *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace* concluditur, maneant versis faciebus ad altare. Postremo Sacerdos responso *Deo gratias*, vel *Amen*, subjungat dicens submisse voce, *Fidelium animæ*, nisi Missa fuerit pro defunctis &c. Diacono respondente *Amen*; & insuper: *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in sæculum*. Deinde crucem pollice imprimet altari ipsum osculando, & mox erectus dicit sub silentio: *Cælesti benedictione bene†dicat nos*, crucem faciendo ante se versus crucifixum; deinde vertens se ad meridiem, dicendo: *Omnipotens Pater* †, & ad occidentem dicendo: *& Fi†lius*, & ad septentrionem quoque dicendo: *& Spiritus † Sanctus*, singula cruces faciat sinistra manu ante pectus collocata; sicque benedictione completa, incurvatus ante altare dicat hanc orationem: *Placeat tibi Sancta Trinitas*. Deinde erigendo se dicat: *Dominus vobiscum*, & *Initium sancti Evangelii secundum Joannem*, &c.

XX. Finita Missa Sacerdos cum Ministris, ordine quo venerant, in Sacristiam revertebantur: „ (Recedens autem Sacerdos ab altari, *inquit Udalricus*, det Missalem Diacono, ut ab eo reportetur;) quæ verba leguntur etiam in Benign. cons. c. 21. Sed apud Cistercienses cap. 53. „ (Finita Missa Sacerdos incurvet se ante medium altaris, faciens orationem solus sine Diacono. Qua facta erigat se, & osculans altare signet se,) ex lib. Usuum Cisterciens. ibid. Interim vero Diaconus „ (dicto *Benedicamus Domino*, vel *Ite Missa est*, inclinet; deinde iens ad altare transferat inde calicem, & patenam super ministerium sumens ibi lingua sua, si quid de Corpore Domini remanserit super patenam. Et postea accipiens fistulam, abluat eam vino, & postea patenam; quod bibens infundat aliud vinum circumliniens ipsum calicem intus, quod iterum percipiat. Tertio infundat vinum, eo modo circumliniens, quod perficiat Subdiaconus. Et adhuc alia vice infundat, si necesse fuerit, quibus lotis, & detersis ad linteum, quo Sacerdos paulo ante digitos suos detersit, recondat ea, & corporalia cum calicibus.)

XXI. Apud Cluniacenses vero Diaconus mutatas a se, dum pacem præberet fratribus Sacerdos, hostias, finita Missa, loco consueto reponebat, ex Udalrico lib. 2. c. 30. quod Bursfeldenses præstabant circa antiphonam post finem Missæ; Casalini vero „ (mox finita Fratrum communione.. Ministris cum thure, & luminaribus præcuntibus,

„ tibus, omnibusque in choro genua flectentibus ;) ex cerem. MS. cap. 18. Porro easdem Sacerdotis, & Diaconi vestes sacras Conversi notari ad candelabra, & thuribulum infra suam hebdomadam complicare solebant ex cons. S. Benigni c. 24.

XXII. Denique post Missam Lector hebdomadarius benedictionem postulabat ; qua de re in comm. ad c. 38.

XXIII. Neque vero hic prætereunda est optima S. Stephani Grandimontensis institutio, quam scriptam habemus ejus in Regula his verbis c. 5. „ (Dominicis etiam & festis diebus, quibus eis (sæcularibus viris) convenit in „ ecclesiis divinis interesse officiis, si ad audienda Missarum solemnia apud vos frequenter venerint, eos ne recipiatis ; si vero quandoque Deo inspirante, vos visitare voluerint, a divinis non excludantur officiis.)

XXIV. Hactenus de Missa satis : Ceterum ritus hic descripsimus quales observarentur Dominicis diebus ; cum vero quotidie Missam decantare publice cœperunt Monachi, privatis diebus non adeo solemniter celebrabant, & quidem quod Cassinenses, Cluniacensesque spectat, privatis diebus uno contenti erant Acolytho sacros Ministros ad altare cum incenso præeunte. Hic apud Cluniacenses (consuet. Clun. MS. c. 99.) procedebat ad altare candelabrum deferens, ad offertorium ministrabat de incenso, solusque id omne præstabat, quod Dominicis, festisque XII. Lectionum tres exsolvebant.

XXV. Præterea „ (privatis diebus ad majorem Missam semel incensum offertur, scilicet post offerendam, „ & solum modo sacra oblatio, quæ est in altari principali, incensatur,) inquit Udalricus l. 2. c. 30. hinc MS. consuetudines c. 34. ad Evangelium „ (si dies privatus „ est, textus non incensetur, neque analogium, neque „ a Subdiacono portatur pulvillum.)

XXVI. Insuper nec hymnus angelicus, nec symbolum Nicænum privatis diebus decantabantur ; & Diaconus in fine Missæ non *Ite Missa est*, sed *Benedicamus Domino* pronunciabat.

XXVII. Cistercienses, Bursfeldenses, & Casalini Missam cum uno dumtaxat Ministro quantum conjicere possumus decantabant, sive *de Missis in quibus tantum unus Minister fuerit* cap. 54. in lib. Usuum Cist. 46. in Ordinario Bursfeld., & 20. in Cæremoniali Casal.

XXVIII. Hanc autem ad Missam hebdomadatim celebrandam omnes Monasterii Sacerdotes suo quique ordine in tabella notabantur, nec cuiquam fas erat, nisi urgente gravi necessitate, vices suas alteri committere ; qua de re extat Decretum inter Statuta in capitulo ad Sanctum Germanum a Pratis congregato anno 1303. promulgata ; præscribens cap. 10., ut „ (omnes qui scripti erunt ad magnam Missam, celebrent ipsam per totam hebdomadam & completam, nec per alium dictam Missam celebrari faciant, nisi legitima necessitas excuset eos,) &c. Neque ipsi vel occupatissimi rerum Monasterii administratores, quos Officiales vulgo nuncupamus, ab hoc munere eximebantur, unde inter MS. Statuta Abbatum Lyrensium istud habetur, extant in cod. MS. nu. 498. „ (Ille Monachus, qui fuerit Custos operariorum vineæ, „ minimus erit in omnibus officiis in Monasterio, & in „ Refectorio, excepta Missa, quam celebrabit, sicut alii, „ loco suo, & ponetur in tabella sicut alii, &c.) Immo ipsi etiam Monachi in Prioratibus habitantes, ad suam ordine suo hebdomadam persolvendam, ad Monasterium accedere cogebantur, quod videre est in edito anno 1283. a R. de Rommillejo Abbate de Lyre, assentiente ejusdem loci conventu, Statuto his verbis : (ex MS. codice Mon. de Lyra) „ (Anno Domini MCC. octogesimo tertio statutum est in Capitulo per Dominum R. de Rommillejo Abbatem Lyræ, per voluntatem & assensum ejusdem loci Conventus, ob religionis augmentum, & salutem animarum, quod omnes Monachi moram facientes „ in Prioratibus nostris de Capellis, de Deserto, exceptis „ Prioribus, veniant unusquisque in ordine suo ad domum „ nostram de Lyra ad majorem Missam celebrandam. „ Quod si Abbas absens sit, Prior de claustro, vel alius „ qui vice Prioris conventum custodit, poterit eosdem Monachos in septimanis suis ad hoc mandare.) Forte etiam huc inspexerit Carolus Magnus in charta ad Manassem Flaviniacensem Abbatem, in qua Flaviniacensibus concedens Cœnobiolum construere apud Corbiniacum : „ (Et „ præcipimus, *inquit apud Labb. Biblioth. nov. Tom.* 1., „ ut Monachi, quos ibi mitteris, & aliquando mandatorum „ Dei viam obiit, sæpius in Flaviniacum revertantur Cœnobium, ibique officia sua confirment.) Clarius & expressius Egilis Abbatis Flaviniacensis litteræ (extant in Vit. Egil. n. 6. sæc. 4.) „ (Ut semel in anno singuli, qui „ Sacerdotali, seu Levitico funguntur officio, per singulas „ hebdomadas repræsentent se Flaviniaco, ibique sibi commissum celebrent officium, quo expleto nemo eorum „ ad cellam Corbiniacensem regredi audeat, donec ab „ Abbate loci ipsius, & a Fratribus probata ejus vita in „ timore, sancto suique propositi voto impetretur regressus.) Denique notandum est, quod de S. Wilstano Episcopo Wigorniensi scribit Willelmus Malmesburiensis apud Boll. 19. Jan. „ (Quotiescumque Wigorniæ esset, „ Missam majorem impiger cantabat, dicens id se rependere septimanarii officio, quo ipse pro Episcopatu „ absolvi nolebat.) Cathedrali Wigorniensi deserviebant Benedictini.

XXIX. Qui vero Sacerdotis Hebdomadarii, Diaconi, Subdiaconi, aut servitoris officio hanc ad Missam functi erant ; eadem ministeria sequenti hebdomada explebant ad Missam matutinalem, de qua nunc paucis agendum.

CAPUT V.

De Missa Matutinali.

I. PRæter majorem Missam quam Conventualem appellare solemus, multis jam ante sæculis in omnibus passim Ordinis nostri Monasteriis usus obtinuit, ut mane post Primam (a) æstate, vel hyeme post Tertiam alia solemniter celebretur, Matutinalis vulgo appellata, eo quod mane decantetur, ut passim testantur Monasteriorum tum editæ, tum manu descriptæ Consuetudines, Statuta Lanfranci, & Concordia Dunstani, cujus rei luculentum nobis testimonium exhibet charta S. Angilberti pro Monasterio Centulensi, in ejusdem Monasterii chronico l. 2. c. 11. ab Harinlpho relata, (Tom. 4. Spicil. p. 470.) ubi hæc inter alia leguntur : „ (Illud etiam observari præcipua devotione mandamus, ut nulla dies prætereat absque sacrarum Missarum decantatione, videlicet, ut si non „ plus, vel XXX. a Fratribus diversorum chororum per diversa altaria Missæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de conventu, quæ *mane*, & meridie solemnissime „ celebrantur, &c.) & Beda Venerabilis in vit. S. Benedicti Biscopi n. 17. l. 2. (sæc. 2. Bened.) ubi refert Ceolfridum Abbatem, qui anno 716. obiit, „ (primo mane Missam in ecclesia B. Dei Genitricis . . . . . . quinta feria communicantibus, qui aderant, cantasse.

II. Hæc Missa in quamplurimis Monasteriis quotidie cantabatur, in nonnullis certis quibusdam dumtaxat diebus, in aliis vero numquam ; unde nulla Missæ matutinalis mentio in Rituali, sive Ordinario Cassinensium tempore Oderisii Abbatis descripto. Cistercienses (lib. Usuum Cisterc. c. 60.) Dominicis tantum, certisque solemnitatibus duas in conventu Missas celebrabant, quod nonnullis diebus etiam faciebant Bursfeldenses (Ord. Bursfeld. c. 47.). Cluniacenses vero, & alii communiter Nigri Monachi quotidie.

III. Cantabatur in altari Capitaneo, sive Cardinali, (hoc erat primum altare in apside, seu in fronte Basilicæ pone majorem aram locatum, ut docet me Mabillonius noster in Not. ad lib. 2. Mir. S. Bertini sæc. 3. Bened.) unde *Missa Cardinalis* aliquando dicitur, nonnumquam in aliis altaribus, sed præcipue in eorum SS. Festis, quibus dicata sacrataque erant ; rarius in ara majori.

IV. Dicebatur autem vel pro Monasterii benefactoribus, vel pro necessitatibus personisque publicis ; unde S. Angilbertus in sua pro Centulensibus Monachis charta (Spicil. Tom. 4. p. 470.) jubet, ut in duabus de conventu Missis, quæ mane & meridie solemnissime celebrantur „ (quotidie memoria Sanctissimi Papæ Adriani, & Gloriosi Domini mei augusti Caroli, conjugis & prolis ejus teneatur, qualiter juxta verbum Apostoli, pro Regibus, „ & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, Salvatori Deo nostro obsecrationum, vel orationum gratias „ jugiter persolvamus ;) & S. Dunstanus in Concordia Regulari Monachorum, Sanctimonialiumque Angliæ c. 1. præscribit, ut „ (eadem matutinalis Missa pro Rege, „ vel quacumque necessitate imminente celebretur.) Aliquando pro particularibus sæcularium hominum necessitatibus, ut videre est in libro Miraculorum S. Berchari Abbatis n. 13. sæc. 2. Bened. ubi Adso Dervensis Monasterii Abbas pro Heriberto Comite gravi morbo laborante Missam celebrari matutinalem jussisse scribitur.

V. In præcipuis anni Solemnitatibus dicebatur de die festo : concurrentibus duobus simul officiis, aut Sanctorum festis, de minus principali, alias semper votiva de Trinitate, vel de B. Virgine Dei Genitrice Maria, vel de Defunctis, aut hujusmodi. Extant hanc in rem generalia nonnulla Statuta pro Monasterio Sancti Germani a Pratis ad calcem MS. consuetudinum ejusdem Monasterii, quæ hic subjicimus.

„ Pri-

(a) In Bobiensi Monasterio sæc. 10. dicebatur post Matutinos, ex lib. Mir. S. Columbani Abbatis c. 7. sæc. 2. p. 44.

„ Primo notandum est, quod omnibus Dominicis diebus de Adventu Domini, Missa matutinalis debet esse de Dominica, nisi fuerit festum trium lectionum. Per hebdomadam, nisi XII. Lectiones fuerint, vel festum trium lectionum, major Missa fiet de Dominica.

A Pascha usque ad Ascensionem Domini, omnibus diebus Dominicis, exceptis XII. Lectionibus alicujus Sancti, vel tribus, Missa matutinalis erit de Resurrectione: *Resurrexi*; si festum evenerit, fiet de Dominica.

A Nativitate Domini usque ad Purificationem B. M. simili modo: *Puer natus est nobis*. Si aliis Dominicis diebus festum de tribus lectionibus evenerit, tertium nocturnum erit de sancto; si historia aliar cantata fuerit, & Missa matutinalis erit de sancto similiter. Si non; nihil fiet nisi Memoria, & Missa matutinalis erit de Trinitate, vel de Sancto.

Quotiescumque conventus fuerit in albis, Dominicis diebus, Missa matutinalis erit de Dominica cum tribus orationibus tantum, scilicet de Dominica, de Festo, & *Ecclesiæ tuæ*, nisi fuerit Festum aliquod trium Lectionum.

Quotiescumque Festum duplex fuerit, Missa matutinalis erit de Festo, nisi interfuerit aliquod Festum. Et est sciendum, quod quando fuerint XII. Lectiones simplices, Missa matutinalis erit de S. Vincentio, vel de S. Germano, vel pro Defunctis.

Et in libro Usuum Beccensium istæ sequentes de Matutinali Missa, quæ etiam ibidem *parva* appellatur, Rubricæ continentur.

„ Ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, Dominicis diebus dicitur parva Missa de Trinitate, nisi sit Festum, quod aliquam pietatem habeat. Quod si aliqua festivitas XII. Lectionum evenerit, & officium non est reservandum, de Dominica dicitur parva Missa, etiamsi simul aliqua festivitas fuerit, de qua parva Missa soleat dici, nisi de ea tertius Nocturnus dicatur, & Laudes. Similiter ab octava Epiphaniæ usque LXX., & ab octava Paschæ usque Pentecosten.

A LXX. usque feriam quartam in capite jejunii, si sit festivitas 3. Lect. de Dominica; parva Missa de ea, sicut alio tempore.

In Adventu, & ab Adventu usque Pascha, die Dominica dicitur parva Missa. Si aliquod Festum trium Lect. occurrerit, & in Adventu, & in XL. Comm. ad Vesperas, & ad Laudes, & ad Missam matutinalem. A Pascha usque ad Ascensionem de Resurrectione, nisi ejusmodi, idest 3. Lectionum contingat Festum; quod si contigerit, post primam Collectam dicitur de Resurrectione collecta, & post de Trinitate.

In duplicibus Festis, sive solum quartum ℟. a duobus dicatur, dicitur parva Missa, unde magna, nisi alia occurrat Festivitas, vel necessitas, unde Missam oporteat dici. Similiter in quibuslibet Festis XII. Lect. nisi Dominica, quando officium non est reservandum.

Sciendum, quod si in Dominica, vel in Festis XII. Lect. dicitur parva Missa, de aliqua necessitate, & non de Festo, debet dici: *Gloria in excelsis Deo*.

Per totam septimanam Paschæ quælibet alias festivitas eveniet, de Resurrectione: per totam Pentecostes, de Pentecoste parva Missa dicetur, Comm. de Festis.

In XL. feria secunda pro Congregatione, quarta pro pace, sexta pro familiaribus parva Missa dicetur, omnibus aliis diebus privatis per annum parva Missa pro Defunctis dicetur, nisi necessaria res contingat, unde eam dici oporteat .... In præcipuis Festis a Nativitate Domini, Pascha, Pentecoste, Assumptione S. Mariæ, Festo omnium Sanctorum, quælibet caussa eveniat, non aliunde quam de ipsa Festivitate Missa matutinalis dicitur.

Et in MS. consuetudinibus monasterii Corbejensis fol. 28. „ (Prima Dominica Adventus Domini usque ad octavam Epiphaniæ, cantabimus Dominicis diebus Missam matutinalem, & magnam de Dominicis, nisi festa evenerint.)

Ab Oct. Epiphaniæ, usque ad LXX. cantabimus Dominicis diebus Missam matutinalem de Trinitate, nisi festa evenerint.

A Prima Dominica LXX. usque ad octavam Pentecostes, cantabimus Dominicis diebus Missam matutinalem, & magnam de dictis Dominicis, nisi festa evenerint.

A die Trinitatis, usque ad primam Dominicam Adventus Domini, cantabimus Dominicis diebus Missam matutinalem de Trinitate, nisi festa, vel octavæ SS. evenerint.) Denique in MS. cons. Guillelmi primi Abbatis Grandim. circa medium sæc. 14. editis c. III. „ (In omnibus festivitatibus unius Ordinis, de quibus dictum est supra cap. Et potest dici Missa matutinalis de B. Maria, vel de familiaribus, vel pace.

In diebus Dominicis a Purificatione Beatæ Mariæ usque ad Dominicam in Passione Domini, & a quindena Pentecostes usque ad Adventum Domini, Missa matutinalis de sancta Trinitate dicitur cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti*, secunda de B. Maria, tertia de S. Johanne Baptista, quarta de omnibus Sanctis, quinta *Ecclesiæ tuæ*; & hæc vera sunt, nisi proprietas supervenerit festivitatis trium lectionum.

Per tempus Resurrectionis Domini, diebus Dominicis Missa matutinalis dicitur de Resurrectione cum oratione, & præfatione Paschali.

Per Adventum Domini, die Dominica dicatur Missa matutinalis de B. Maria cum oratione: *Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero*, nisi, ut prædictum aliqua proprietas festivitatis impediat. Missa Dominicalis in Adventu, & ab oct. Paschæ usque ad Ascensionem Domini, in sequentibus hebdomadis bis, vel ter in septimana, certis feriis potest major Missa dici, exceptis diebus festivitatum 9. lectionum, in quibus matutinalis dicitur Missa Dominicalis, vel de mortuis; major de festo 9. Lectionum.

Et dicitur Missa matutinalis omni die Lunæ, & omnibus aliis diebus ferialibus per annum, nisi proprietas aliqua, ut dicitur, impediat, de mortuis cum tribus, vel quinque orationibus.)

VI. Quod ritus hanc ad Missam pertinentes spectat, præter ea, quæ modo de majori Missa disseruimus, pauca nobis dicenda supersunt. Nam licet solemniter cantaretur, non tamen ea cum celebritate, qua major Missa.

VII. In ea siquidem unus ministrabat Acolythus, etiam diebus Dominicis; qui, ut ex MS. consuetudinibus Cluniacensibus c. 99. & S. Germani de Pratis, ad Domin. 1. Adv. discimus, sacros ministros, ad altare cereum seu candelabrum deferens præcedebat, eaque omnia solus præstabat, quæ ad majorem Missam tres præstare solebant.

VIII. Rarius incensum in ea offerebatur, nisi forte in præcipuis festis, in quibus etiam major solemnitas observabatur: „ (Ad minorem Missam, *inquit Udalricus l. 2. c. 30.* nisi signa pulsentur, numquam incensum offertur; hoc est neque ad Introitum, neque ad Evangelium, neque ad offerendam.)

IX. De orationibus seu collectis in ea dicendis Udalricus agens de Dominicali Missa matutina: „ (Post primam, *inquit l. 1. c. 9.*, collecta secunda est de Trinitate, postea hæ omnes, quæ in privatis diebus ad majorem Missam dicuntur, novissime: *Sanctorum tuorum*.) Et liber Usuum Beccensium: „ (Festis diebus, si de alia festivitate, quam ipsius diei solemnitate, parva Missa dicitur; post primam collectam dicitur collecta de principali festo, post de sancta Maria, & de omnibus SS. & sic dicuntur collectæ pro familiaribus. Similiter in Dominicis diebus, quibus de Trinitate, vel de Resurrectione parva Missa dicitur, si hoc contingat, post primam collectam dicetur collecta de Trinitate, vel de Resurrectione. In aliis Dominicis, quibus parva Missa dicitur, de Dominica; si aliunde contingat dici, non resumitur collecta de Dominica; de Trinitate tamen semper dicitur collecta .... Similiter privatis diebus si pro alia re, quam pro defunctis, parva Missa dicitur, post primam collectam resumuntur per ordinem collectæ pro defunctis. In omnibus festis ad parvam Missam collectæ pro defunctis dimittuntur. Quod si quartum ℟. a duobus dicitur, etiam *Sanctorum tuorum* dimittitur. Post Primas collectas, de S. Maria, & de omnibus SS. & sic pro familiaribus collectæ dicuntur. Similiter *Sanctorum tuorum* in Ramis palmarum dimittitur.)

X. Reliqua quæ ad Missam matutinalem spectantia dicenda supersunt, partim ab Udalrico, partim ex Benignianis cons. accipere oportet, pauca enim nobis aliunde dicenda occurrunt. Igitur Udalricus hæc subdit in capite a nobis supra citato, „ (cantatur autem absque symbolo Apostolico, nisi aliquando eveniat, ut propter aliquam tribulationem plebs rusticana convocetur ad eandem Missam audiendam; tunc non omittitur. Si est in XL. absque Tractu; si in Paschali tempore, cum uno tantum *Alleluja*. Solus Prior offert unam tantum hostiam. A Diacono accipit pacem alicui foris chorum de popularibus dandam. Diaconus quoque ex more communicat.)

XI. Ubi quod de symbolo omittendo dicitur, ex Benignianis consuetudinibus c. 28. & ex Sangermanensibus confirmatur: quod vero ab uno Priore offerendam esse asserit, repu-

repugnat Dunstani Concordiæ c. 1. præscribentis, ut aliis diebus ad oblationem singuli chori offerant; conciliat tamen Udalrico Benignianæ consuetudines cap. 26., ex quibus tamen in solemni, pro defunctis, aut pro aliqua necessitate Missa omnes offerebant ubi quod solemnes Missas defunctorum spectat, notandum quod habent eædem consuetudines: „ (Postquam altare principale a Diacono incensatum fuerit, thuribulum Converso reddit, „ casulam exuit, & super sinistrum humerum complicatam ponit, sicque eam usque ad Postcommunionem gerit, & tunc sicut in principio eandem induit. Subdiaconus vero mox ut *Kyrie* incipitur casulam suam exuit, „ itemque lecta epistola reinduit usque ad finem Missæ non „ exututus. Ad hujusmodi Missam aliquis puerorum, vel „ juvenum recturus chorum cappa induitur, & a duobus „ pueris albatis ℟. cantatur, ita ut ℣. finito, a capite „ repetatur. Aliquando talis, tamque celebris anniversarius „ agitur, ut pueri ℟. cantaturi sericis tunicis induantur, „ & duo fratres cappis ad Tractum cantandum.) De aliis vero solemnibus item alibi c. 24. „ (Quod si talis „ matutinalis Missa fuerit, ad quam tres obsequantur „ *Conversi*, post Evangelium duo se divestiant, & tertius, postquam portaverit thuribulum post offerendam „ per chorum & extra chorum. Candelabra quæ ibi remanent, Secretarius Hebdomadarius inde asportat. „ Quando vero ad ipsam matutinalem unus obsequitur „ tantum, non se exuit usque post communionem, quia „ dum communio suscipitur; candelabrum tenet, & tunc „ tantum expectat, ut secundum vinum post ablutionem „ digitorum Sacerdos sumat, & mox discedens divestire „ festinat.)

XII. Denique in Gellonensi olim S. Guillelmi monasterio, expleta matutinali Missa, Sacerdos cum ligno salutiferæ crucis populum benedicere solebat, ut discimus ex libello Miraculorum S. Guillelmi monachi Gellonensis n. 2. in app. ad sæc. 4. Bened. part. 1.

XIII. Præter majorem matutinalemque Missam, in omnibus pene nostræ Galliæ monasteriis tertia etiam solemniter cantabatur, immo in aliquibus & quarta; sed hæc recentioris sunt instituti, quæ vix alterum tertiumve sæculum superant, alioquin raro apud veteres tertiam Missam reperies. Audiendæ sunt hanc in rem Divionenses S. Benigni consuetudines c. 26. „ [Sciendum est, quoniam cum quotidie duas Missas in conventu dicamus, „ in festis Quadragesimæ, & in diebus jejunii, in quibus „ festum XII. lect. evenerit, si obitus fratris contingat, „ tertiam addimus. Prima igitur est pro fratre, secunda „ de festivitate, tertia de jejunio. De duabus vero, quas „ reliquis diebus cantamus, altera est de die; altera, si „ dies privatus est, pro defunctis. Quod si etiam in diebus jejunii, præter Quadragesimam, evenerit festum „ trium lectionum, minor Missa erit de festivitate, major de jejunio, nisi pro obitu fratris remaneat; qui si „ contigerit, minor Missa erit pro defuncto, & ad majorem dicatur collecta de festivitate post primam Collectam.)

CAPUT VI.

De Missis Privatis.

I. NEcessaria materiei connexio exigit, ut postquam de majori, matutinalique Missa disseruimus; de Missis etiam privatis aliquid dicamus; maxime cum injunctum olim Abbatibus, ac Presbyteris legamus, ut Dominicis diebus ad monasteria sua sese reciperent, Missamque iis diebus celebrarent, quod videre est in Concilio Clovesboviensi anno 747. celebrato c. 14. apud Spelm. to. 1. Conc. Angl. „ (Ut Dominicus dies legitima veneratione „ a cunctis celebretur, sitque divino tantum cultui dedicatus, omnesque Abbates ac Presbyteri isto sacratissimo „ die in suis monasteriis, atque ecclesiis maneant, Missarumque solemnia agant.)

II. De privatis Missis 5. hic inquirenda sunt. 1. Quam frequenter olim apud monachos celebrarentur. 2. Quibus horis. 3. Quibus in altaribus. 4. Quo ritu. 5. De Missis votivis.

III. Etsi nunc in omnibus Religiosorum hominum familiis singuli quotidie celebrare soleant Sacerdotes, idque olim multa cum laude & religione præstiterint ex monachis non pauci: ut S. Goar. Eremita, cui, teste Wandelberto in ejus vit. n. 7. sæc. 2. p. 283. n. 17. „ (Erat „ solemnis consuetudo, ut omni die Missarum solemnia „ celebrans sacrificium Corporis & Sanguinis Christi pro „ statu ecclesiæ offerret:) S. Geremarus Abbas Flaviacensis, de quo anonymus in ejus vita ibid. p. 480. „ (offerebat illi sacrificium per singulos dies cum lachrymis, & contritione cordis.) Kalenses monachi, quibus Bertilla Parthenonis Kalensis Abbatissa n. 6. sæc. 3. par. 1. p. 24. „ (quotidie quoque pro salvatione animarum „ fidelium, & recto statu sanctæ Ecclesiæ Domino hostias sacras jubebat offerre;) S. Aldelmus Abbas Meldunensis ac deinde Episcopus (ibid. p. 224.), qui Romæ existens Missam *nullo die prætermisit*, ut scribit Harpesfeldius citatus in ejus elogio historico n. 7. Ceolfridus Abbas in Anglia, qui ut testatur Beda, Romam pergens „ (ex die quo monasterio suo profectus abiit, usque ad „ diem quo defunctus est .... quotidie Missa cantare „ salutaris hostiæ Deo munus offerebat;) S. Harmalandus Abbas Antrensis, qui „ (Ordinatus tanta Sacerdotalis officii perfectione vigebat: ut cum devotus Deo „ libationem studiose quotidie offerret, maceratione sui „ corporis ipsa hostia viva fieret;) S. Wando Abbas Fontanellensis, de quo Chronographus ejusdem monasterii: „ (Victimam quoque hostiæ salutaris quandiu capitia habuit lumina, immolabat quotidie. Etsi, inquam, nonnulli olim quotidie celebraverint Presbyteri; idque ipsum solitariis permittere videatur Grimlaicus in regula Solitariorum c. 36. tamen paucorum erat ista virtus, peneque omnes augustissimi mysterii horror a quotidiano celebrandi usu arcere solebat. Nam præter Nursienses monachos, apud quos ut supra diximus, ex octo Presbyteris unus duntaxat sacrosanctum sacrificium offerebat, singularia hæc, quæ produximus, aliquorum monachorum exempla, qui quotidie offerrent, quid aliud docent, quam alios non ita frequenter celebrasse? Nam si generalis Missas dicendi consuetudo extitisset apud omnes Monachos, frustra illi hac de re, tamquam de singulari aliquo facinore, laudarentur, cum aliis omnibus foret commune.

IV. Neque alia nobis desunt argumenta, quibus monachos Sacerdotes olim quotidie non celebrasse probetur. Nam illud quod hujus capitis initio protulimus, Concilii Cloveshoviensis statutum Abbatibus Presbyterisque præscribens Missas Dominicis diebus canere, hoc manifestissime evincit. S. Rodingus Abbas Bellilocensis festivis dumtaxat diebus celebrabat, ut colligitur ex ejus vita, auctore Ricardo Abbate n. 11. in app. ad sæc. 4. part. 2. p. 535. florebat autem post medium sæculum septimum; & sæculo X. S. Ansteus Abbas Metensis sæc. 5. p. 388. „ (omnibus Dominicis, & festivitatibus Sanctorum celebrioribus Missas publice dicit: ad hos unaquaque quarta feria privatim.) Quod de eo tanquam aliquid singulare refert Joannes Abbas Mettensis in vit. S. Joan. Abbatis Gorziensis n. 68. Præterea non videmus Cluniacenses ex Udalrico, Alemannos monachos ex cons. Germaniæ, sed neque Cistercienses Presbyteros quotidie Missis fecisse; immo de Cisterciensibus constat ex libro Usuum, Presbyteros sæpius in ipsis etiam Dominicis non celebrasse; sed privatim tantum communicasse: (Omnibus Dominicis diebus communicet, qui potuerit, Sacerdotes tamen, qui per „ septimanam cantant, si die Dominico non cantant, in eorum sit potestate communicata, vel non. Cæteris vero „ diebus, qui forte Dominica non communicaverit, poterit communicare, si voluerit.) De Cartusianis vero exploratum est, ipsis olim quotidie sacrificium offerre non fuisse licitum; ut patet ex Petro Blesensi in epistola, quam scripsit ad Alexandrum Cartusianum novitium, ut eum in vitæ monasticæ proposito retineret, quod ille volebat abjicere, eo quod Missas quotidie canere sibi fas non esset. Vigebatque istæc apud Cartusianos consuetudo, etiam circa medium sæculum 14. ut patet ex Petro Boherio in Apparatu ad Constitut. Bened. Papæ XII. ubi ad c. 27. ita loquitur: „ (Unde non quotidie, immo raro „ sacrificat Cartusiensis Ordo; sicut enim solet generari ex assiduitate contemtus, sic attenditur ex ipsa raritate „ devotio.) Aliam rationem reddit Guigo in Statutis c. 14. „ (Raro, *inquit*, hic Missa canitur, quoniam præcipue studium & propositum nostrum, est silentio & „ solitudini vacare &c.) Insuper in editis circa annum 1198. Statutis Petri Abbatis Silvæ majoris istud legitur: „ (Monemus omnes nostros subditos in Sacerdotio constitutos, psalterium, & ter in septimana Missarum so- „ lemnia studeant celebrare;) & in promulgatis anno 1303. in Capitulo ad sanctum Germanum a Pratis congregato, Statuto n. 10. (extant in MS. Cod. n. 498.) decernitur „ (quod omnes Sacerdotes intus commorantes bis „ celebrent, vel ad minus semel Missas suas infra mensem,) & Benedictus Papa XII. in sua ad monachos Benedictinos Constitutione c. 27. ita scribit. „ (Monemus insuper „ universos Priores, administratores, & monachos ipsius „ Ordinis seu Religionis in Sacerdotio constitutos, intra ecclesias, monasteria, & alia loca eorum conven-

„ tualia

tualia residentes; ut eorum quilibet bis vel ter: qui vero in Prioratibus, vel aliis locis non Conventualibus, aut in scholis, sive alibi fuerint; & si non frequentius, saltem semel in septimana, salva honestate, & debita devotione Missas studeant celebrare;) quam Constitutionem renovarunt congregati in Compendiensi S. Cornelii monasterio Abbates Provinciarum Remensis & Senonensis in Capitulo Generali an. 1379. cap. 29. ita statuentes: „ (Item monemus, quod monachi Sacerdotes, cujuscumque conditionis existant, Missas suas celebrent ter vel bis ad minus qualibet septimana, secundum prædictas constitutiones; nisi de consensu Abbatis, vel Prioris in ejus absentia, ex caussa rationabili, & expressa duxerint abstinendum;) & congregati apud Northamtoniam in Capitulo Provinciali Abbates Anglicani an. 1343. decernunt (c. 1. n. 5. extat apud Reyner. in app. 3. p. 152.) „ (ut id, quod de Missarum celebrationibus in constitutionibus Benedictinis statutum exstitit, inviolabiliter observetur. Et ne hæc transgredientium culpa pertranseat aliqualiter impunita; statuimus, ut si quis Ordinis nostri Sacerdos harum constitutionum in ea parte transgressor extiterit, vel ultra quatuor dies continuum sine licentia, & caussa rationabili suo manifestata Prælato, a celebratione cessaverit; in capitulo publice proclametur, & quo usque id, quod negligenter omiserit, correxerit, extra refectorium non manducet, nec claustrum permittatur exire; si autem talis in cella extiterit, ei usque ad sufficientem emendam carnes precipimus subtrahi: ipsique de uno genere piscium tantummodo ministreri.) Idem renovatum est in Capitulo anni 1444. c. 2. ibid. pag. 179. Denique in editis an. 1531. constitutionibus Congregationis Casalis Benedict. c. 2. lego: „ (Sacerdotes autem omni tempore, & ultra triduum sine celebratione absque Abbatis licentia non vacent;) & in impressis Romæ anno 1602. constitutionibus Congregationis Montis Oliveti part. 2. c. 62. „ (Singuli Sacerdotes singulis Diebus Dominicis, & solemnibus infra hebdomadam occurrentibus Missam celebrent; ii vero monachi, qui stant ex ea parte chori, in quo stat Hebdomadarius, quotidie per illam hebdomadam altaris sacrificium offerant.) Tandem impressæ Romæ an. 1629. Cœlestinorum constitutiones Tract. 2. c. 2. §. 6. „ [Omnes Presbyteri, quoad fieri poterit, sæpius tamen ex debito pro mortuis persolvendo, quam ex devotione Missas celebrent; officiales quidem singulis diebus festis, & ter saltem in hebdomada; cæteri autem Sacerdotes tertio quoque die, nisi fuerint impediti. Prælati vero pariter sæpius celebrent, & quotidie (si legitime impediti non celebrant) Missam audiant, nisi nostrarum ecclesiarum onera sæpius celebrari requirant.) Ex quibus omnibus patet, non ita frequenter Sacerdotes monachos olim Missas fecisse, nos autem piam fidelium devotio religioque cogit, incruentum sacrificium in dies singulos offerre; an vero majori devotione aut religione? judicent alii. Nunc videamus, quibus potissimum horis privatas Missas canerent.

V. De Missæ privatæ celebrandæ hora audiendus est in primis Udalricus in antiquis Cluniacensis monasterii consuetudinibus l. 2. c. 30. sic loquens: „ (Hæ sunt autem vices, in quibus Sacerdotes possunt hujusmodi Missas absque licentia cantare: quotidie ante Primam, si tamen Prima non conjungitur matutinis Laudibus, ut sæpius in hyeme; & post capitulum usque ad Tertiam; aut si capitulum est post Tertiam, usque ad Sextam, nec minus post Nonam; si tamen fratres non ierint dormitum. Aliquando post Evangelium majoris Missæ aliquis Sacerdotum licentiam accipere potest, quod tamen reprehenditur, si frequentare voluerit, & in usu habere.) Hanc consuetudinem postea antiquavit Petrus Venet. Stat. 6. decernens „ (ut dum major Missa in conventu cantatur, nullus alicubi in toto monasterio Missam cantet, quia occasione illarum Missarum in tantum major & principalis Missa negligebatur, ut vix quarta pars, cum eadem celebraretur, adessent.) MS. vero consuetudines habita temporum ratione ita decernunt: „ (A Pascha usque ad Idus Septembris, & in omnibus XII. Lectionibus, & in omnibus octavis, & a Nativitate Domini usque ad octavas Theophaniæ, Sacerdotes cantant Missas suas quotidie sine licentia ante Primam, & post capitulum ante Tertiam; postea vero non cantabunt absque licentia. Ad Idibus autem Septembris usque ad Calendas Octobris similiter ante Primam; post Capitulum vero ad omnia intervalla; quæ sunt inter regulares horas, donec incipiat pulsari signum ad orationem majoris Missæ; nisi forte in jejuniis 4. temporum evenerit aliqua festivitas XII. Lectionum, in qua quia post Tertiam cantetur festiva Missa, petenda est licentia, sicut in omnibus festis Quadragesimæ ad utramque Missam. A Cal. quoque Novembris usque in Pascha, cantant usque ad Tertiam sine licentia, ita tamen si prius se laverint, vel ad lavatorium fuerint, vel ea intentione ut lavent, de sede sua surrexerint, antequam scilla pulsetur, quæ est signum calceandi fratres; post capitulum ad omnia intervalla quæ sunt inter regulares horas, donec incipiat pulsari signum ad orationem majoris Missæ, postea vero numquam cantabunt sine licentia.)

VI. Et hæc quoad Cluniacenses, quibus concinunt Divionenses S. Benigni ex cons. cap. 12. Quod vero nostra Germaniæ monasteria spectat; in his Quadragesimali tempore minimo signo post Sextam dabatur licentia Presbyteris Missas celebrandi, quo tempore etiam permittebatur infantibus lineolas scribere; pro qua eadem ratione idem acliste signum, capitulum inter & Tertiam, dabatur: Dominicis vero, diebusque solemnibus, dum Missa matutinalis dicebatur, cantabant ex Presbyteris quicumque volebant, ut docent MS. Germaniæ consuetud. n. 5. Farfenses horam assignant: „ (Mox ut exierint ex matutinalibus officiis, si dies fuerit.)

VII. De Cisterciensibus liber Usuum Cisterciensium: „ (Per totum, *inquit c.* 59. annum possunt fratres cantare Missas privatas tempore lectionis, & post offerendam Missæ in conventu, etiam in XL. excepta feria quarta in capite jejunii. In festis autem Quadragesimæ, quibus laboramus, & in festo S. Mauritii, quando die jejunii evenerit, teneatur, sicut in decimo quarto capite continetur. Diebus autem quibus duæ Missæ canuntur, statim post Primam possunt Sacerdotes cantare privatim, ubi Abbati visum fuerit, exceptis Missis juniorum. Porro in XL. si festivitas in qua non laboramus, per septimanam evenerit, non cantent nisi post offerendam: quod si habuerint spatium cantandi ante majorem Missam, non permittatur eis ipsam Missam dimittere. Omnibus vero diebus, in quibus jejunamus, nec laboramus, potest cantare Missam usque ad Nonam, & in XL. usque ad Vesperas, qui voluerit, & cui vacuum fuerit. Qui quoties dubitaverit, ne ab hora præoccupetur, si cantaverit, interroget Sacristam per signum; si annuerit, cantet: si contradixerit, dimittat.)

VIII. In Lyrensi B. Mariæ monasterio, qui vinearum Custos institutus erat, is quotidie hora post mediam noctem quarta operariis Missam cantabat, estque illa hora Missas cantandi antiqua satis consuetudo; ut patet ex vita S. Galli Abbatis c. 25. sæc. 2. p. 245., qui aliquando dum fratres „ (post laborem matutinalis officii lectos suos revisèrent, primo diluculo) Missam cantasse legitur; & ex vit. S. Wunebaldi, in qua Presbyter quidam valde diluculo ecclesiam intrasse ad Missam faciendam dicitur, n. 22. sæc. 3. Ad viaticum vero infirmis præbendum quacumque hora Missam celebrabant, ut colligitur ex S. Odone in vita S. Heraldi Comitis Aurilliacensis l. 3. c. 7. in bibl. Clun. cui ut viaticum exhiberetur, Sacerdos post Completorium celebrasse dicitur.

IX. De altaribus, in quibus veteres monachi celebrarent, duo nobis hic notanda occurrunt. Primum est, quod eodem in altari Sacerdotes duo absque necessitate eodem die sacrum Missæ sacrificium nusquam offerebant. Extat hujus rei luculentum testimonium in citata jam a nobis S. Angilberti charta, Spicil. To. 4. c. 51., in qua præscribit; ut [nulla dies prætereat absque sacrarum Missarum decantatione; videlicet, ut si non plus, vel triginta a fratribus diversorum chororum *per diversa altaria* Missæ quotidie agantur.)

X. Quare in Divionensi S. Benigni monasterio, jejunii Quadragesimalis initio singulis Sacerdotibus suum assignabatur altare, in quo Missam in posterum celebraret; ut docet nos MS. Ceremoniale ejusdem monasterii, quod vidit Mabillonius noster. Idipsum observabant nostri Casalini respectu Episcoporum, ut discimus ex Ceremoniali MS. c. 13. „ (Non præsumat Sacerdos celebrare in aliquo altari ubi ipsa die Episcopus celebraverit.) Carthusienses autem „ (bini & bini in sacella, quibus per Sacristam deputati sunt) celebrant; ut habetur in eorum Ordinario c. 32. n. 2. Secundum est, quod in viam directi altaria iis in locis erigebant, in quibus assistebant, hæcque altaria *viatica* appellabantur, ut discimus ex Petro Boherio in Apparatu ad Benedicti Papæ XII. Constitutionem, ubi ad c. 27. sic loquitur: „ [Ex hoc videtur, & ex c. L. Regulæ nostræ, ac etiam de cons. dist. 1. Concedimus, licere nedum Abbati 1. eodem §. Abbates. Immo etiam monacho, ubi erit altare viaticum eriga-

„ re,

„ re, cum aliquando habeant etiam secundum Regulam „ extra monasterium proficisci; ut patet in Regulæ c. „ LXVII. Sed contrarium credo, nisi habeant speciale „ privilegium. De privileg. c. si. l. vi. de pœn. dist. c. „ sicut. Et hoc est quod dicit salva honestate, &c. Non „ tamen faciliter est eis denegandum.) An vero locus is intelligendus sit de altaribus portatilibus, quale erat illud, quod Fontanellensi monasterio largitus est Sanctus Wlfrannus, cum monachicum spoponderat votum, scilicet „ (altara consecratam in quatuor angulorum locis, & in „ medio reliquias continens Sanctorum in modum clypei, „ quod secum, dum iter ageret, vehere solitus erat,) ut testatur Jonas in vita Sancti Wlfranni c. 5. sæc. 3. part. 1. p. 359. aliis judicandum relinquo. Hujusmodi altari utebantur haud dubium Sandionysiani Monachi, in castra Caroli Magni adversus Saxonas profecti, quibus „ (solemnis ara, tum lignea tabula erat, quæ linteo adoper- „ ta modum altaris efferebat,) ut ait anonymus in l. 1. Mir. S. Dionys. c. 20. sæc. 3. part. 2. p. 350., & Fuldenses monachi sub Rabano Abbate, qui in translatione SS. Reliquiarum, *in prato* Missarum solemnia propter multitudinem celebrasse *sub dio* leguntur, in vit. Rabani authore Rudolpho ejus discipulo n. 26. sæc. 4. part. 2. p. 11. Antiqua altaria portatilia plura vidimus, duo in Leodiensi S. Laurentii monasterio, tertium, in Padernensi S. Petri vulgo Abdingoff dicto, de quibus vide quæ diximus in nostro secundo Itinere litterario.

XI. Hic præterire non possum quod de Basilicæ Anianensis a S. Benedicto constructæ altari refert Ardo ejus discipulus, in ejus vita n. 26. S. Benedictus „ [in altari, „ quod potissimum præ ceteris videtur, tres aras censuit subponi .... altare vero illud forinsecus est solidum, „ ab intus autem cavum ... retrorsum habens ostiolum, „ quo privatis diebus inclosæ tenentur capsæ cum diversis „ reliquiis Patrum.)

XII. Quod spectat ad ritus inter celebrandum observari solitos, observandum primo, quod solus Sacerdos numquam sine comite socio celebrabat (*a*); hinc sanctus Gallus Missam cantaturus sæc. 2. p. 245. „ (vocavit „ Magnoaldum Diaconum suum, dicens illi: Instrue sacræ oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria,) ut scribit Walfridus Strabus in ejus vit. c. 26. Hic ex Concilio Eboracensi an. 1195. celebrato c. 1. apud Spel. t. 2. debebat esse *Litteratus*; & apud Cluniacenses, & Farfenses Conversus monachus erat.

XIII. Cistercienses duos minimum adhibebant testes, quorum munia describit lib. Usuum c. 59. his verbis: „ (Qui autem cantare voluerit, duos testes habeat, u- „ num clericum qui ei ministrare possit; qui si Acoly- „ thus tantum fuerit, non præsumat calicem deferre super „ altare, neque panem, & vinum ministrare, neque Sa- „ cerdoti offerre: cætera vero potest adimplere. Quod si „ Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus fuerit, po- „ test panem & vinum in calice ministrare, atque Sacer- „ doti offerre; aquam tamen non nisi Sacerdos, qui cantat, admisceat. Alter vero frater, si laicus est, nihil „ horum præsumere debet, nisi aquam afferre, & Sacer- „ doti infundere, antequam induatur sacerdotalibus vesti- „ bus, candelam, vel lampadem accendere. Presbyterium „ potest ascendere, tam ipse, quam cæteri laici, non so- „ lum ad Missam; sed quoties necesse fuerit; gradum ta- „ men altaris non ascendunt, nisi propter aliquam neces- „ sitatem eis præcipiatur, vel quando communicant.]

XIV. De hujusmodi ministro hæc statuunt congregati Nortamptoniæ ad Provinciale Capitul. an. 1343. Abbates Anglicani c. 1. apud Reyn. elem. in app. 3. p. 153. „ (Statuimus, ut nostri Ordinis Sacerdotes, sine monacho, „ vel alio Religioso socio, aut saltem honesto clerico non „ celebrent Missas suas; & ut præsto sint hujusmodi „ clerici celebrare volentibus, statuimus ut in singulis „ monasteriis, altaribus singulis per Prælatos honesti „ deputentur ministri, quibus exhibeantur victualia de „ communi eleemosina, vel aliunde, prout Prælati duxerint ordinandum.) Idem renovant in Capitulo anni 1444. c. 2.

XV. Secundo ad Missas etiam privatas signum aliquod pulsabant, ut patet ex Valafrido in vita S. Galli c. 16. „ (Et signo pulsato, oratorium ingressi prostraverunt se „ in orationem, & cœperunt Missas agere.)

XVI. Tertio, etsi B. Benedictus solis itinerantibus femoralia concedere videatur; tamen nullus Sacerdos sacrum, & incruentum sacrificium absque femmali offerre præsumebat, ut colligitur ex vit. S. Constabilis Abbatis Cavensis apud Boll. 17. Feb. n. 11. in quo refertur, quod Rossemandus monasterii Prior „ (quodam tempore cum petenti „ pauperi femoralem lineam tribuisset, sequenti die, ut „ proposuerat, pro veneratione ejusdem patris Missas celebrare non potuit; subito tunc adfuit, qui ei tute femoralia detulit, atque tanti patris obsequio aptum fecit.) Ideo enim ille Missas celebrare non poterat, quia data pauperi femoralibus carebat, quæ cum aliunde accepisset, sacro obsequio aptus factus est.

XVII. Quarto Sacerdos ad altare sacris se vestibus induebat, ut videre est apud Udalricum in antiq. Clun. Monast. cons. l. 2. c. 30. ubi sic loquitur: „ [Sacerdos si Missam privatam cantare voluerit, innuit *Converso* cum „ signo Crucis, quod est signum Missæ cantandæ; qui „ continuo sequens illum ad locum, ubi sunt utensilia „ recondita ad solemnia Missarum; accendit candelam, „ ponit in brachium sinistrum vestimentum sacerdotale, & desuper librum missalem. Sacerdos autem primo manus suas lavat, & tergit, mittit hostiam cum „ cocleari super patenam: Calicem quoque levet, & tergit. Item in ampullas duas mittit vinum, & aquam, „ quas & cum sinistra levet, & cum dextra calicem, „ superpositis patena, & corporali. Ita præcedens Conversum sequentem pergit ad altare, ubi est cantaturus; „ cujus linteum complicatum explicat, ponit calicem, & „ librum missalem. Ad vestimentum non est improvisum, „ nec omissum, ut ad singula altaria una sit tabula, „ in qua ponatur, unumqua lignum patulum, & muro „ infixum, super quod ponuntur ampullæ; pendet quoque in promptu manutergiolum, ad quod Sacerdos postquam se induerit, leviter tergit summitates digitorum, „ quibus necessario tangit res sacratas.) Idem patet ex Antiquioribus Farfensis monasterii cons. in quibus præscribitur, ut Sacerdos „ [mox ut exierint ea matutinalibus „ officiis, si dies fuerit, annuat uni ex Conversis, quali „ velit, & ... ex tunc eat, & accipiat librum, & albam, „ & ponat ad unum ex altaribus: nam nulli est licentia „ aliunde auferre, postquam acceptum habet. Denuo revertatur in sacrarium, & accipiat hostiam, & calicem; „ tunc perfundat eum cum aquæ infusorio, atque tergat „ linteolo, priusquam habuerit missum vinum, & a- „ quam. Conversus, qui adjuturus est eum, accipiat candelam, & accendat, & pergat ad locum, ubi sacra agere „ debet.)

XVIII. Quinto notandum quod ait ibidem Udalricus „ (Sacerdos quando se vestit ad Missam privatam, si „ pulsatur signum ad horam regularem, & necdum stolam misit super collum, exuens se cessat a Missa, & „ pergit ad Horam.) Idem habent Cons. S. Benigni c. 13. Reliquos Missæ privatæ ritus, quia nos aliunde deficiunt antiqua monumenta, ex MS. Cluniacensium consuetudinibus, & Divionensibus S. Benigni c. 13. repetere oportet; ibi enim omnes describuntur, prout sequuntur: „ (Sacerdos Missam cantaturus, primum abluere debet „ manus cum vase in Ecclesia parato ad hoc opus, tum „ parens hostiam ad hoc opus in patenam, ablato calice simpliciter, aut si necesse fuerit, cum digitis, im- „ mittit in ipsum vinum, & aquam, & tergit; qui premens „ corporale cum pollice ac patenam, accipit calicem „ manu dextra, sinistraque binas ampullas, & socius „ ejus vestimentum, limbum ejus subtus ponendo cum „ missali, & candela; & adeunt altaris sacrosancti, ubi „ in loco suo positis ampullis, & tenendo calicem, ipse „ a parte dextra, & socius e sinistra aperiunt altare ve- „ lamentis; sicque ponit calicem in medio altaris, ac „ missalem in parte dextra. Post exuens tunicam facit „ ante altare metanœam. Interim socius ejus vestimentum dirigat, amictum displicatum capiti applicet, albam „ e parte capitii tenendo plicatam, ore expansa cum „ cingulo, & manipulo donat. Hinc ipse Sacerdos intertenendo stolam *Confiteor* dicit, respondet socius: *Misereatur vestri* cum *Confiteor*, sed antequam respondeat: *Misereatur vestri*, ipsam osculando sibi imponit, „ adjungendo: *Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum vestrorum*, cum *Adjutorium nostrum in nomine* „ *Domini*; sicque casulam induit, quam etiam socius studio-

(*a*) Contrarium tamen videtur ex vita S. Wunebaldi, in qua Presbyter quidam ecclesiam valde dilecto intrasse dicitur ad Missam faciendam pro eo, unde suavissimo odore recreatus exivit ad consortem hujus miraculi quærendum, quod certe non fecisset, si socium Missæ ministrum habuisset. Idem colligere est ex vit. S. Meginradi Eremitæ, qui a sicariis Missam celebrans solus inventus est, ac postea occisus est, sæc. 4. part. 2. Vide tamen regulam Crodegangi ad Canonicos cap. 77. Spicil. tom. 1.

" studiose inter brachia plicat, & amictum desuper aptat. Tunc ablutis digitis ac tersis (*a*) orationem bravem facit acclivis, qua terminata arectus se crucis signaculo munit: Post osculato altari dicenda in missali circumspicit, moderare Introitum cum *Gloria*, ad quam se inclinando, & *Kyrie eleison* ipse inchoando, absque tono, ad dexteram dicit. Sed lecturus Epistolam ad sinistram transit, ibique reliqua usque post communionem canit. Dum collectas primas, medias & ultimas dicit, socius ejus acclinis est; sed ad Canonem erectus in diebus festis, & octavis; & super genua prostratus diebus privatis.

" XIX. Quando debet recitare Evangelium, osculatur altare & ipsum; singulas cruces ad *Sequentia Sancti Evangelii* in fronte & in pectore sibi depingit cum pollice, ac tertiam cum digitis duobus ante se ad *Gloria tibi Domine*. Quo lecto, & osculato, præsentat socio ad osculandum; & offertorium, & calicem porrigit ad offerendum, ac recipit facta offerenda honesta plicatum. Inter dicendum offerendam, vel post, corporale in medio altaris displicat, hostiam, & calicem a socio accipiens, in ipso aptat, patenam sub corporale tectam locat; binos utriusque manus digitos lavat, & combinat; orationi se inclinat, quam osculatione altaris terminat. Inde versus ad adstantes, divinæ meditationi insistere nutibus, & voce supplicat. Eo ordine collectas Secretarum, quo primas contra calicem, stando, totiesque *Per Dominum nostrum* replicat; atque in ultima: *Per omnia sæcula sæculorum*, alte pronunciat. Inter dicendum, *Sursum corda*, digitos utriusque manus, quatuor primis combinatis, reverenter usque ad humeros elevat; præfationem recitat, qua dicta ad *Sanctus, Sanctus, Sanctus* se humiliat, & cum dicit: *Benedictus, qui venit*, se inclinis signat. Dum inchoat: *Te igitur clementissime Pater, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum*, se erigit; sed acclinis usque ad altare, quod & osculatur, *Supplices rogamus, & petimus* dicit. Et inter: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*, tres cruces super utramque oblationem facit.

" XX. Hinc usque ad *Quam oblationem*, simpliciter quæque prosequens, ubi dicit: *Benedictam, adscriptam ratam*, tres cruces communes facit super utramque. Dum dicit: *Corpus & sanguis*, duas semotim super hostiam & calicem. Dum dicit: *Accepit panem*, accipit hostiam quatuor primis digitis ad hoc ipsum ablutis, & præparatis, & usque contra pectus levat. Et dicto: *Gratias agens*, ponit. Dum dicit: *Benedixit*, crucem desuper facit. Iterumque dum dicit: *Accipite*, accipit, & tenet, usquequo dicat: *Hoc est corpus meum*. Item dum dicit: *Accipiens hunc præclarum calicem*, accipit ipsam coopertum corporali; dictoque ut supra: *Gratias agens*, ponit; & ad *Benedixit*, benedicit, & ad: *Accipite*, accipit, ac tenet usque: *In mei memoriam facietis*. Item dum dicit: *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam*, facit tres communes cruces super utramque, & unam super corpus, dum dicit: *Panem sanctum vitæ æternæ*; alteram super calicem, ad *Calicem salutis perpetuæ*. Ad: *Supplices te rogamus*, se inclinat. Dum dicit: *Ex hac altaris participatione*, altare osculando se elevat; & inter dicendum: *Sacrosanctum Filii tui Corpus & Sanguinem*, Corpori & Sanguini singulas cruces imprimens, semetipsum tertia cruce signat. Item ad: *Sanctificas, vivificas, benedicis*, tres communes cruces super utramque facit. Ad: *Præstas nobis*, calicem discooperit, corpus Dominicum accipiens. Inter dicendum: *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*, tres cruces dextra, sinistra calicem tenens, de ipso corpore per medium calicis peragit. Cum dicit: *Omnis honor, & gloria*, extra calicem in summitate ipsius duas cruces imprimit. *Per omnia sæcula sæculorum* dicendo, corpus Dominicum intra calicem primis digitis tenens, ipsum calicem de corporali ambabus manibus levet parumper, ac sustentat. Ad: *Præceptis salutaribus*, posito calice, corpus Domini in corporali ponit, digitis quatuor intra calicem fricatis, deque ipso corporali sicut antea erat, calicem operit. *Pater noster*, cum *Libera nos quæsumus Domine*, usque *ab omni perturbatione securi* dicit. Tunc calicem discooperiens, corpus Domini accipit. Inter dicendum: *Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum*, particulam dextram Dominici corporis digito secans, non penitus separat, & dum: *Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti* dicit, sinistram particulam ex toto dividit, mediæque conjungit; ac dum: *Per omnia sæcula sæculorum* dicit, dexteram particulam prendit. Ad: *Pax Domini sit semper vobiscum*, tres veloces cruciculas de ipsa particula per medium calicis faciens, in Sanguinem mittit. *Agnus Dei* per se incipiendo canit. Panem socio, si vivorum est Missa, porrigit. Primum se media particula; post socium tertia, venia usque ad terram, & osculatione manus præmissa, communicat, si nutu significaverit. Deinde sanguinem sumit. Tunc socius sibi prima, & tertia vice in calice super quatuor digitos primos, qui corpus Domini tractaverunt, vinum infundit, quos debet tergere post ablutionem in anteriori parte calicis, unde Sanguinem sumsit. Deinde ad faciem suam; sicque calicem socio, si communicavit, tribuit, & recipit, osculaturque manum socius, dum calicem Sacerdoti reddit. Hoc expleto, corporale plicat, & dicta communione, missalem ad dextram ponendo Missam consummat. Quod si vivorum Missa est, & collect. pro defunctis dixerit, dicto *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*, potest adjungere: *Animæ omnium fidelium defunctorum requiescant in pace*, ita esse, ut respondeat socius: *Amen*. Ita libro clauso, manus sub casula tenendo, socius per summitatem capitii accipit ipsam, Sacerdos manipulum cum stola, atque albam per manicas, & socius . . . . de . . . . cum amict . . . . . ssime aptant, quibus plicatis, & cum conjunctis, Sacerdos metanœam coram altare facit, tunicam induit, manus in piscina abluit, calicem accipit, altare cooperit, atque quæque in suo loco honeste composita restituit.)

XXI. In his omnibus plura observanda sunt 1. Quod ante Missam vinum, & aquam in calicem infunderent: idem præstabant Cartusienses, saltem quoad vinum; nam unam, aut duas aquæ guttas cum cocleari post offertorium immittebant, ex eorum ordin. c. 32. in quo tamen addunt; *nisi prius hoc fecerit* Sacerdos. Vigebat tamen sæculo x. hodiernus, post Evangelium in calicem fundendi vinum usus; ut patet ex Folcuino in libro Miraculorum S. Ursmari Abbatis Laubiensis, n. 12. sæc. 3. part. 1. pag. 261. " (Retulit idem Presbyter nobis, quod dum quodam die in ipsa Ecclesia, cui in recompensationem jam dicti beneficii serviebat, Missas ageret, lecto Evangelio vas, quod consuetudinaliter juxta altare cum vino pendebat, in calicem versat &c.) Hic considerande sunt verba Consuetudinum S. Benigni c. 12. " (Est etiam consuetudo, quatinus dum ponit hostiam super patenam, vel vinum, aut aquam in calicem, & facit hujusmodi apparatum, vel etiam quilibet tractans hostias, quæ sunt sacrandæ, non dicat psalmos, vel aliquas orationes movendo labia, nisi meditetur tantum in corde suo; ne forte de saliva ejus quicquam insiliat super hoc, quod apparatur, aut offertur.)

XXII. Secundo, notandum quod confessionem induendo se cum ministro faceret, quod etiam præscribunt Fessensis monasterii cons. licet non nisi postea id præstaret apud Cisterc. ut patet ex libro Usuum: " (Sacerdos autem indutus, & aspersis digitis aqua, dicat confessionem ante gradum altaris medius inter adjutores suos, ita quod clericus sit ad dextram, laicus ad sinistram.)

XXIII. Tertio, notandum quod Epistolam & reliqua usque ad Postcommunionem in sinistra altaris parte diceret.

XXIV. Quarto, quod dicto Evangelio librum socio osculandum præberet.

XXV. Quinto, quod minister ad offertorium panem, & calicem Sacerdoti offerret, quod tamen prohibent Cistercienses in libro Usuum, cap. 59.

XXVI. Sexto, quod ablutos pro oblationem digitos combinaret: eosque deinceps non disjungeret, quod nos tantum post consecrationem præstamus.

XXVII. Septimo, quod post consecrationem Corpus, & Sanguinem adstantibus videndum non elevaret, quod jam superius observavimus in Cisterciensibus.

XXVIII. Octavo, quod spectat ad cruces in canone faciendas: observandum hac de re consultum fuisse olim a Bonifacio Episcopo Germanorum Apostolo Zachariam Papam, quod scilicet, quibusve in locis faciendæ essent; ut videre est in epist. Zachariæ, quæ extat in ejus vit. sæc. 3. part. 2.

XXIX. Nono, notandum, quod in Missis etiam privatis pax daretur circumstantibus: extat hujus rei exemplum in Actis disceptationis inter Abbatem de Bello in Anglia,

& Epi-

(*a*) Hic Divionensis consuetud. ad marginem addunt " [Debet calicem aspicere, ne aliquid de fragmento Dominici Corporis per negligentiam sit remansurum; postea intus vinum, & aquam mittere & calicem tergere; deinde orationem bravem facit acclivis.)

& Episcopum Cisterciensem apud Spelmannum ad annum 1157. Tom. 2. „ (Percantato itaque Missæ Canone „ usque ad: *Pax Domini*, Episcopus, ut moris est, pa„ ce a Sacerdote accepta, Regi detulit, deinde Abbati, „ multis plurimum mirantibus, porrexit.) Idem superiori sæculo observabant adhuc nostri Casalini, quorum in Ceremoniali MS. c. 13. hæc lego: „ (Minister pacem „ super altare sumens reverenter inclinet, oblataque am„ babus manibus pace; cum Sacerdos ad eum dixerit: „ *Pax tibi frater*, respondeat ipse: *Et cum spiritu tuo*; „ & dum defert pacem aliis osculandam, dicit ad singu„ los, *Pax tecum frater*. Cuilibet enim religioso, vel sæ„ culari cum datur pax osculanda, dici debet: *Pax tecum* „ *frater*; & osculans illam respondeat similiter summissa „ voce: *Et cum spiritu tuo*.) Cistercienses sibi invicem pacem non dabant, nisi præsentibus hospitibus, aut fratribus communicaturis: oblatam sibi tamen extra monasterium recipiebant: ut præscribit liber Usuum c. 59. his verbis: Sacerdos „ (pacem non dabit, nisi forte præsen„ tes fuerint illi Missæ hospites, vel frater communica„ turus . . . . notandum vero quod Abbates, Monachi, „ & Conversi quando Missas audiunt in Ecclesiis, quæ „ non sunt de Ordine nostro, sicut ceteri, pacem acci„ piunt, si eis offertur.)

XXX. Decimo, notandum, quod seipsum, & ministrum eadem hostia Sacerdos communicabat.

XXXI. Undecimo Evangelium Sancti Johannis in fine Missæ omittebant.

XXXII. Duodecimo, quod finita Missa manus lavaret Sacerdos. Hunc rationem affert Udalricus l. 2. c. 30. „ (Finita Missa cum redierit, nec tunc omittit lavare „ summitates digitorum maxime propter calicem & pro„ pter corporale reportandum.) Hujusce ritus fit mentio in l. 2. de Gestis SS. Rotonensium c. t. „ [Accelere hunc „ concham æneam cum aqua, in qua lavant sancti Sa„ cerdotes manus suas post immolationem sacrificii;) & in vit. S. Popponis n. 47. apud Boll. 5. Jan. „ (Hora tunc „ erat, qua vir Dei Missarum solemnia expleverat, cum „ ministri aquam ad abluendas manus, vel os porrexerant;) & in lib. 1. Dial. S. Victoris Papæ III. num. 5. „ (Qui„ cumque febre detentos hausisset ea aqua, quæ de ma„ nibus ejus defluebat, dum post Missarum solemnia a„ blueretur, mox sanitate recepta liberaretur.) An vero huc etiam referendus sit locus ex vita S. Stephani Abbatis Obazinensis l. 2. n. 33. „ (accedens enim ad Missam, „ antequam eam consummasset, aquam de puteo vere „ tune novem ad abluendas manus, & calicem detule„ runt.)

XXXIII. Decimotertio, his omnibus etiam illud addendum, quod subdit paulo post idem Udalricus; (Interim „ dum hora canitur, si Missam finierit, & ipse venire „ potuerit in chorum ante *Gloria* primi psalmi, Conver„ sum dimittit cum vestimento complicato, vel non com„ plicato, & ipse pergit ad Horam. At si venire potest, „ non se movet a loco, nec Conversos, quousque hora „ finiatur.) Extat hanc in rem inter Capitula Sancti Adalardi Abbatis Corbajensis de admonitionibus in congregatione c. 32. sæc. 4. p. 758. „ (Ut Presbyteri Missa „ sua expleta, ad Sextam, vel Nonam, si convenienter „ possunt, occurrant.)

XXXIV. Decimoquarto, denique prætereire non possum, quod de S. Stephano Obazinensi legitur in ejus vit. 2. n. 60. „ (Peracta Missa, mox sanctum altare linteaminibus aptissime componebat; ut nihil ejus intectum „ maneret; nihil foras ex linteamine turpiter promine„ ret, sed cuncta desuper plana, deorsum æqualiter pen„ dentia, undique bene parata, pulvere mundata relin„ queret, nihilque circumcirca eo discedente indecens, „ vel incongruum remaneret. Vestimenta, quibus exue„ batur, quamquam ministri hinc inde parati essent, „ propriis manibus ipse plicabat, ut & minus promtos ho„ sedulitate instrueret, & exemplum aliis daret, ne quis „ quantislibet occupationibus implicatus hoc facere recu„ saret.) Superiori sæculo speciales in Missis etiam privatis ritus observabant nostri Casalini, quos his breviter perstringere necessarium duximus.

XXXV. In primis Sacerdos præmissa sacramentali confessione, & brevi Passionis Christi meditatione, hisce precibus ad celebrandum sacrosanctum Missæ sacrificium se præparabat: *Veni creator Spiritus*, &c. *Veni Sancte Spiritus*, &c. ℣. *Emitte*, Oratio, *Deus qui corda*: Psalmos *Credidi*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: ℣. *Ostende nobis Domine misericordiam*: *Domine exaudi orationem*: Oratio: *Aures tuæ pietatis*, &c.

XXXVI. Deinde exuens cucullam dicebat: *Exue me Domine veterem*; manus lavando: *Largire sensibus nostris* &c. tergendo manus: *Da Domine virtutem*. Tunc genuflexus: *Fac me quæso omnipotens* &c. Ad amictum: *Pone Domine galeam*. Ad albam; *Indue me Domine*. Ad cingulum: *Præcinge Domine*. Ad manipulum: *Merear precor Domine*. Ad stolam: *Redde mihi Domine*. Ad casulam *Indue me Domine ornamenta*: E Sacristia procedendo: *Deduc me Domine in via mandatorum tuorum*, &c. Pslm. *Judica*. Ad altaris gradus accedens simul cum ministro genuflectebat, surgensque calicem aptabat, pergens ad missalem, officium quærebat, reversus in medio altaris dicebat submissa voce: *Aufer a nobis* &c. altare in labio ejusdem signando, quo deosculato ad gradum ipsius retrocedebat, ubi facta inclinatione dicebat: *In nomine Patris*, &c. *Et introibo ad altare Dei*: *Confitemini Domino quoniam bonus*: Ministro ad singula respondente. Subjungebat confessionem, & absolutionem: *Adjutorium nostrum*; *Domine exaudi*: *Dominus vobiscum*; tum profunde inclinatus: *Aufer a nobis*. Progrediendo ad altare; *Conscientias nostras*; tactoque signo crucis in medio altaris, illud deosculabatur: inde accedens ad librum, inclinando dicebat: *Tuam crucem adoramus*. Postea incipiens Introitum, se signabat, manus super margines libri tenens, quod Introitum repetendo iterum præstabat. *Kyrie eleison* eodem in loco incipiebat, procedendo in medio altaris illic perficiebat.

XXXVII. Post Epistolam dicto Alleluja, vel Tractu, Sacerdos apertum librum in cornu sinistrum deferebat dicens: *Domine labia mea aperies*, ante medium altaris paululum inclinando. Quibus peractis, oblatis a ministro vini, & aquæ ampullis, vinum infundebat in calicem primum, tum aquam cum parvo cochleari dicens: *Fiat hæc commixtio vini, & aquæ pariter soluta sacramentum in nomine Patris, & Fi✠lii, & Spiritus sancti*, signando calicem, & responso: *Amen*; subjungebat, *Deus qui humanæ substantiæ*, & continuo patena cum pane super calicem posita, cooperiebatur cum parvo corporali. Deinde priusquam Evangelium inciperet, dicebat: *Jube Domne benedicere*: *Dominus sit in corde meo*.

XXXVIII. Ad Evangelium ministro respondente *Gloria tibi Domine*, Sacerdos conversus ad medium altaris incipiebat; & in fine responso: *Deo gratias*, librum signabat, & osculabatur dicens: *Per Evangelica dicta*. Ad hæc symboli verba: *Et homo factus est*, genuflectebat, erigens se tantum ad: *Resurrexit*. In defunctorum Missis ad hæc offertorii verba: *Hostias & preces tibi*, calicem tenebat Sacerdos.

XXXIX. Lecto offertorio, calicem cum patena, & oblata desuper accipiens, paululum inclinatus hac oratione oblationem faciebat: *Grata sit tibi Domine Deus hæc oblatio, quam tibi offerimus pro nostris delictis, & Ecclesia tua sancta Catholica. Amen*: sub cujus finem crucis signum cum calice faciebat; deinde accepta patena, oblatas super corporale dimittebat; ipsamque patenam media sui parte sub corporali abscondebat; interim dicens: *In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat Angelus benedictionis, & consecrationis super hoc munus oblatum. Amen*; calicem ipium signando; postea divertens ad cornu altaris dextrum dicebat: *Lavabo inter*, &c. manus abluens, & tergens; revertensque ad altaris medium: *Veni sancte Spiritus, reple* &c. ubi perveniens, inclinatus addebat: *In spiritu humilitatis*, cujus in fine altare signabat, & osculabatur, tum extensis super calicem manibus, subjungebat: *Veni invisibilis sanctificator*, calicem desuper signando. Postea conversus ad populum dicebat: *Orate fratres*, cui minister respondebat: deinde dicto: *Domine exaudi orationem meam*, secretas recitabat, & præfationem.

XL. Ad Canonem eosdem fere ritus observabant, quos nunc habemus in usu, excepto quod Sacerdos osculaturus altare, prius illud signabat; peracta consecratione, brachia in modum crucis expansa tenebat; ante orationem Dominicam quinque cum hostia super calicem cruces faciebat, postea corpus Dominicum a latere dextro reverenter ostendens populo. Ad hæc verba: *Et dimitte nobis debita*, pectus tundebat; fractam hostiæ particulam in calicem non mittebat, nisi post ter dictum: *Agnus Dei*, idque dicendo: *Hæc sacrosancta commixtio*. Postea coperto calice, utraque manu corpus Dominicum super patenam sustinens dicebat orationem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti*; qua finita, corpus Dominicum osculabatur subjungens: *Pax tua Christe mihi sit semper. Amen*. Postea corpus Domini in patenam dimittebat, patenam vero super calicis pedem reclinabat, minister autem utrisque manibus pacem osculandam Sacerdoti offerebat: quam ipse osculando dicebat: *Pax tibi frater, & Ecclesiæ sanctæ Dei*; ministro submissa voce respondente: *Et cum spiritu* tuo

tua pater. Deinde duas alias orationes subjungebat, ac tert: *Domine non sum dignus*, manu dextra pectus percutiens, sinistram pectori applicans: tum genuflectens corpus Domini accipiebat dicens: *Panem cœlestem*. Facta communione, primo vinum in calice accipiebat, quo hausto dicebat: *Corpus tuum Domine*. Postea accedens ad cornu altaris digitos vino simul, & aqua in calicem abluebat dicens: *Quod ore sumpsimus*: *O sacrum convivium*: *Nunc dimittis*. Sumptaque secunda has ablutione, minister solam aquam in calicem fundebat, quam Sacerdos circumducens, tandem in pelvim, vel in piscinam effundebat, calicem linteolo tergens. His peractis, Sacerdos in medio altaris constitutus dicebat: *Agimus tibi gratias*, postea Postcommunionem, & reliqua. Dicens vero Evangelium S. Johannis, corporalia plicabat &c. Hæc sunt præcipua, quæ Missæ privatæ ritus spectant; quæ vero de Missis votivis restant dicenda, breviter expedio.

XLI. Missas votivas vocamus eas, quæ nec officio diei in quo dicuntur, nec ipsi tempori conveniunt. Harum usus apud antiquos non plane infrequens extitit; maxime autem, quæ pro defunctis, pro infirmis, pro iter agentibus, pro necessitatibus publicis dicebantur; de quibus Missas proprias videre est in antiqua Liturgia Gallicana, & in lib. Sacramentorum S. Gregorii Papæ. Quæ vero nunc de Spiritu sancto, de Cruce, de Beata Maria, de Sanctis dicuntur, harum usus non ita videtur antiquus, quippe Alcuinus Missarum de Trinitate, de Angelis, de Cruce, de Spiritu sancto, & B. Mariæ in Sabbatho author esse dicitur apud Gavantum Comm. in rub. Miss. part. 1. tit. 4. Et certe ipse, ut scribit in ejus vita Anonymus n. 26. sæc. 4. „ (celebrabat omni die Missarum solemnia multa cum honestatis diligentia, habens singulis hebdomadæ diebus Missas deputatas proprias;) postea etiam Missas de Cruce votivas dictas fuisse reperi sæculo 2., quo Sacerdos quidam ad altare S. Wiboradæ sepulchro appositum, *Missam de sancta Cruce feria sexta* omni hebdomada celebraturum se spopondit; ut testantur Acta ejusdem S. Wiboradæ n. 38. sæculo 2. Cluniacenses de Trinitate votivas Missas dicebant, ut patet ex Udalrico. Cistercienses in institutionibus Capitul. Cisterc. omni Sabbatho aliqua festivitate vacuo, Missam solemniter dici de B. Maria præscribunt; & in libello antiq. definitionum: „ (Omni die, *inquiunt dist.* 5. c. 2. quo Missa quotidiana cantatur pro defunctis, debet dici Missa de B. Maria; præter festa Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes; in quibus tribus diebus nec de ipsa, nec pro defunctis privatim dicitur.) In MS. consuetudinibus Guillelmi primi Abbatis pro Ordine Grandim. sæc. 14. editis, assignantur feria secunda Missa de SS. Angelis, tertia de S. Maria, quarta de Sancto Stephano institutore Ord. Grand. quinta de Spiritu sancto, sexta de sancta Cruce, Sabbato de sancta Maria. Atque ante hoc tempus Missas votivas de privatis aliquibus sanctis non legi, licet Petrus Damiani ad Desiderium Abbatem Cassinensem scribens, opusc. cap. 3. dicat: „ (Nos etiam in eremis sive monasteriis, quorum videlicet ad Christi gloriam ministri sumus, tres per hebdomadas singulas dies sanctis assignatos habemus, ad quorum honorem Missas specialiter celebramus;) Istæ enim Missæ, ut ex consequentibus patet, erant feria secunda de Angelis, pro Defunctis, feria sexta de S. Cruce, & Sabbato de S. Maria.

XLII. Porro hujusmodi Missas omni die, etiam festivitate præcipua solemni cantare solebant; quod cum Lyrensibus nostris grave esset, scilicet Missas de defunctis in die Natalis Domini, Paschæ, &c. dicere „ (concessum est a Domno Abbate Gileberto propter reverentiam & honorem Sanctorum, & propter pacem cordium aliquorum, qui ferebant moleste, ut in præcipuis festis cantarent pro defunctis; quod hi, qui in tabula fuerint ad Missam pro defunctis in his solemnitatibus, scilicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptione B. Virginis, Annunciatione ejusdem, & omnium Sanctorum, in præcedenti feria se adquittent. Similiter si tricenale fuerit in conventu pro Monacho nuper defuncto, ille, qui in die unius dictarum solemnitatum deberet habere Missam pro mortuo, præcedenti die se adquitabit; & nihilominus in die solemnitatis ipsius reddet Missam in capitolo, acsi eam eadem die celebrasset. Qui vero ad Missam de Sancto Spiritu scribuntur, in his festivitatibus, scilicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, cantabunt de die; tamen post primam collectam dicent orationem; *Familiam*, hoc antiquum est.) Ita MS. Statuta Abbatum Lyrensium. Porro Gilebertus, de quo hic, dictus *De Haia*, Lyrense Monasterium regebat an. MCLX. At multo ante hæc tempora nonnullis religio fuerat, Dominicis diebus Missas de defunctis celebrare, ut patet ex antiquioribus Farfensis Monasterii consf. In quibus hæc leguntur: „ (Solent vero interrogare, si liceat quotidie orare, aut sacrificium Deo offerre pro mortuis: quibus respondetur, quia plerique in Dominicis diebus sacrificium pro mortuis non offerunt, propter singularem reverentiam Dominicæ Resurrectionis, videlicet quia ille solus inter mortuos liber fuit, Deo velle condecet, ut ejus singularis Resurrectio venerabiliter ab omnibus, & sine alterius admixtione defuncti celebretur.) Cistercienses etiam nonnullos dies excipiebant a Missis votivis, ut docet nos liber Usuum c. 39. in quo hæc habentur: „ (Missæ quoque pro defunctis non solent cantari Dominicis diebus, & solemnitatibus, quibus sermo fieri debet in capitulo, nisi præsens defunctus fuerit. Missa vero quotidiana, quæ solet dici pro fratribus nostris defunctis, tantum intermittenda est die Parasceve, & sequenti Sabbato, & die Paschæ, Pentecostes, & Natalis Domini. Hebdomadarius Missæ illius quotidianæ cantet de Festo ad altare, ubi Missa eadem cantari solet, & dicat collectam: *Inclina*, in secundo loco: si tricenarium fuerit, subjungat: *Deus cui proprium*. Quod si his tribus diebus præsens defunctus supervenerit, supradictus Hebdomadarius dimittat Missam de festo, & agat Missam pro eo, & dicat primam collectam pro eo, scilicet; *Inclina*; secundam vero: *Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam* pro illis, quibus *Inclina* dicebatur. Et si tricenarium fuerit, dicat tertiam: *Deus cui proprium*. Ad utramque vero Missam in conventu, quamdiu præsens fuerit, dicatur collecta pro eo. Qui cantant privatim, collectam tantum dicant pro eo, tam ante sepulturam, quam postea; poterit tamen cantare pro eo, qui voluerit.)

CAPUT VII.

In quo referuntur nonnullæ Veterum Monachorum consuetudines circa defectus in ipso sacrificio accidentes.

I. HActenus de Missa majori, Matutinali, privataque satis. Reliquum est, ut nonnullas Patrum nostrorum consuetudines circa defectus in earum celebratione contingentes, ex MS. sive editis libris referamus.

Ex Statutis Lanfranci.

Cap. xi. *De negligentia circa Corpus Domini.*

II. „ Cum de Corpore, vel de Sanguine Domini tanta negligentia aliquo casu accidit, ut cadat deorsum, sive in aliquem locum, ubi plene percipi non possit, quo ceciderit, & utrum ad terram inde aliquid venerit, quam citius fieri possit, indicetur res Abbati, vel Priori, qui adjunctis sibi aliquibus Fratribus propere veniat ad locum, ubi hoc contigerit. Et si Corpus ceciderit, vel Sanguis effusus fuerit super lapidem, aut terram, aut lignum, aut mattam, aut tapetem, aut aliquid hujusmodi, pulvis terræ colligatur, pars illa lapidis radatur, pars ligni, mattæ, tapetis, aut si quid aliud est hujusmodi, abscindatur, & in sacrarium projiciatur. Quod si locus, ubi ceciderit, manifeste deprehendi nequiverit, & tamen seorsum cecidisse constiterit, in loco, & circa locum, in quem maxime cecidisse crediderint, similiter colligatur, radatur, abscindatur, & in sacrarium recondatur. Hi vero, quorum negligentia hoc evenerit, in proximo capitulo humiliter culpam suam dicant, judicium suscipiant nudi, & injungatur eis pœnitentia, vel de jejunio, vel judiciis, vel psalmis, vel aliquid hujusmodi. Quibus de judicio ad loca sua reversis, omnes Sacerdotes, qui tunc præsentes erunt, surgant, & ad judicia suscipienda cum omni devotione se offerant; tunc ille, qui capitulum tenet, septem tantum quos voluerit de ipsis, ad suscipienda judicia retineat, & cæteris ire sessum præcipiat. Finito capitulo, omnes simul prostrati dicant septem psalmos in Monasterio, incipientes eos psallere, cum exeunt de capitulo. Quos sequatur *Pater noster* cum his capitulis, & collecta: *Sit super nos misericordia tua Domine*: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Exaudi quæsumus Domine preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis; ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat*. *Per*; aut illam collectam: *Deus cui proprium est misereri semper*; aut aliam pro peccatis. Si vero super corporale, vel super aliquem honestum pannum Sanguis ceciderit, certumque fuerit, quo ceciderit, pars illa panni in aliquo cali-

„ ce ablatur, & prima ablutio a fratribus absumatur, reliquæ duæ in sacrarium projiciantur. In primo autem capitulo dicta culpa, hi soli tantum, quorum negligentia hoc evenit, supradictam disciplinam sustineant; Fratres vero omnes septem psalmos cum capitulis, & collecta, sicut superius dictum est, in Monasterio dicant; si ipsa die brevis pro defuncto in capitulo lectus fuerit, prius canant Verba mea, pergentes in ecclesiam; postea septem psalmos, sicut superius dictum est; si vero alio aliquo modo de hoc Sacramento levior negligentia evenerit; ex judicio Abbatis, vel Prioris leviori vindicta frater, cujus culpa hoc contigerit, puniatur.

Ex MS. Consuetudinibus Monasterii Cluniacensis.

Cap. xciii. *De negligentia Sanguinis & Corporis, si acciderit, quid fiat.*

III. „ Si de Sanguine Domini super corporale ceciderit aliquid, recidendum est ipsum corporale, ac reliquiarum loco reservandum. Si super pallam altaris, incidenda est particula illa, & pro reliquiis reservanda est. Si super tabulam, similiter agendum est. Si in terram, exterendus est locus, atque radendus, sive sit lapis, sive terra, ipseque pulvis in sacrario, vel in piscina recondendus. Is autem, cui accidit hæc negligentia, sub habitu flamineo cingulo tenus se nudare debet, ut petita venia jussu Abbatis judicium accipiat. Post hæc surgentes de aliis Sacerdotibus septem jussu Abbatis, judicia in flamineis accipiant, & post capitulum septem psalmi a toto conventu prostrato canantur cum versu: *Domine non secundum peccata nostra facias nobis*; & collecta, *Exaudi quæsumus Domine supplicum preces*. Si super altaris pallam de Corpore Domini aliquid ceciderit, non est tanta negligentia, sicut de Sanguine: pars itaque illa, in qua cecidit, vino abluitur, sed non ideo inciditur. Ille vero, cui talis evenerit negligentia, veniam in capitulo petens, jussu præsidentis competens super flamineam judicium accipit cum illo, cujus occasione tale quid acciderit. Si vero in terram Dominicum ceciderit corpus, simili per omnia modo agendum est, sicut supradicta docet de Sanguine narratio. Quod si in Domini Sanguine musca, vel aranea, vel tale quid ceciderit, quando talis res sine periculo non potest glutiri; nam necesse est aut vomitum, aut ipsam consequi mortem; ut jam probatum est, idcirco igne cremandum est. Satisfactio autem hujusmodi casus in arbitrio præsidentis est, quod scilicet illi, cui hoc accidit, aut judicium accipere jubeat, vel psalmos canere injungat, aut etiam publica eleemosynas dare, vel in conventu psalmos, prout sibi visum fuerit, jubeat decantari.

Ex MS. Libro Usuum Beccensium, & Consuetudinibus B. Mariæ de Lyre.

Cap. lxxiv. *De negligentia altaris.*

IV. „ Si forte alicui fratri contigerit negligentia de Sanguine, & Corpore Domini, si certus est, debet indicare Abbati. Si mediocris culpa est, ut cum sine lumine cantat, vel cum guttam, vel micam videt post ablutionem (*a*), & nescit, unde sit, sive digiti post consecrationem alicubi tetigerint, vel aliquid hujusmodi evenerit, pro talibus nudus ipse judicium suscipiet. Et si sine vino (*b*), vel sine stola, aut manipulo cantaverit, cum eo suscipiant disciplinam Conversi, & (*c*) qui videbuntur participes culpæ, pro vino (*d*), vel stola, cessabit a Missa (*e*), & majorem pœnitentiam sustinebit secundum visum præsidentis. Similiter Levita, si sine stola legerit Evangelium, disciplinam, & cessationem officii sui sustinebit pro dispositione Abbatis (*f*); si sine manipulo, judicium tantum suscipiet.

„ V. Si vero Corpus Domini, quod ipse avertit, ceciderit, vel Sanguis effusus fuerit, aut vinum, quod post Sanguinem mittitur, sive micæ de patena perierint; abluantur panni, super quos ceciderint prius vino, post aqua, & ipsæ binæ ablutiones bibentur a fratribus, qui affuerint, tertio laventur in sacrario. Frater, cui hoc acciderit, accipiat veniam in capitulo, & suscipiet judicium, a Missa cessabit, disciplinas, jejunia, psalmos, secundum dispositionem Abbatis. Totus conventus, primus Abbas, deinde omnes a Priore usque ad novissimum, judicium accipient vii. L. ictus secundum consuetudinem Monasterii; post absolvat Abbas Fratrem, & omnes alios. Deinde surgentes post *Verba mea*, cantat vii. psalmos prostrati ante majus altare; preces: *Post partum virgo*: *Exultabunt Sancti*: *Domine non secundum*: *Ne memineris*: *Domine exaudi*: *Dominus vobiscum*; collecta: *Concede nos*: *Ineffabilem*; *Deus cui proprium est*. Si super lapidem vel ad terram, aut super lignum, aut fœnum ceciderit, aut colligatur, vel radatur, quicquid poterit, & lotum diligenter in sacrario reponatur, & lavatura bibatur.

Item Cap. lxxi. *Si Presbyter tota nocte vigilaverit.*

VI. „ Si quis per totam noctem vigilaverit, aliquo negotio sua culpa intentus, non debet ipsa die Missam cantare. Si vero cum aliis fratribus ierit dormitum, & caussa infirmitatis dormire nequiverit, cantabit, si voluerit.

Item ex MS. Rituali Beccensis Monasterii, & ex MS. Consuetudinibus Beatæ Mariæ de Lyra.

Incipit de emendatione Sacramenti.

VII. „ Si forte alicui fratri acciderit negligentia de Corpore & Sanguine, &c. *ut supra*, *usque* Ipse nudus pro talibus suscipit judicium. Si quis sine altare benedicto cantaverit, solus judicium habebit, & cessabit a Missa pro dispositione Præsidentis. Si sine vino, vel stola, &c. *ut supra*, *usque* si sine manipulo cantaverit, judicium tantum sustinebit, quisquis ille fuerit.

VIII. „ Cum vinum, vel aqua non mittuntur in calicem pro oblivione (*g*), si ad *Per ipsum* vel *Agnus Dei* hoc averterit, mittat tunc vinum, vel aquam, & dicat *simili modo* usque *in mei memoriam facietis*. Deinde faciat *Per ipsum*, & dicat *Pater noster*, etiamsi jam dixerit, & cætera, quæ sequuntur. Et ne hoc alicui eveniat, habeat in usu levare corporale, & videre (*h*) calicem, antequam dicat *simili modo*. Inde solum (*i*) judicium accipit (*k*), & cessabit a Missa octo diebus, vel quindecim, cum psalmis, & jejunio feria 4. & 6. secundum dispositionem Præsidentis.

IX. „ Si musca, vel palea tangit, vel infidet super Corpus, vel locum, ubi est, solus Sacerdos judicium accipit, & vii. psalmos tantum dicat. Si vomit post Missam pro infirmitate, etiam in sacrario, vel in alio loco, extra calicem, vel extra (*l*), quo non possit observari, omnes judicium accipere (*m*), & illum cessare, commune aliud de infirmitate, & necessitate; aliud de incuria, & negligentia judicandum sit. Et tamen de hac re pro veneratione, & reverentia Sacramenti, ultra modum fieri minime potest.

X. „ Si forte Corpus intinctum ponatur in cruce corporalium, vel alicubi (*n*) extra calicem ceciderit, totus conventus judicium habebit, prima & secunda & tertia lavatura bibetur (*o*): illa cessabit a Missa, ut dictum est. Si vero Corpus non tinctum, quod ipse Dominus avertat, extra corporalia ceciderit, vel Sanguis effusus fuerit, aut vinum, quod post Sanguinem mittitur, sive micæ de patena perierint, similiter conventus judicium habebit, panni super quos ceciderint, abluentur (*p*) prius vino, deinde aqua, & ipsæ binæ ablutiones a Fratribus, qui affuerint, bibentur; tertio lavantur in sacrario. Si super lapidem, aut terram, aut lignum ceciderit, radatur, quantum poterit, & lotum diligenter in sacrario reponatur, lavatura vero (*q*) bibetur. Si vero super mattam, vel fœnum ceciderit, comburatur fœnum, vel illa pars mattæ, super quam ceciderit, & in sacrario cinis mittatur: Frater cui hoc acciderit, accipiat veniam in capitulo, & postea judicium ad disciplinam alio-

(*a*) *Lyr.* acceptionem.
(*b*) *Lyr. addit*: Aqua
(*c*) *Lyr.* Et ministri.
(*d*) *Lyr. addit*:
(*e*) *Lyr. addit*: 8. vel 3. diebus ad minus, & tres disciplinas suscipiet secundum visum præsidentis.
(*f*) *Lyr.* secundum visum præsidentis.
(*g*) *Lyr.* per oblivionem.
(*h*) *Lyr. addit* intus.

(*i*) *Lyr.* solus.
(*k*) *Lyr.* accipiat.
(*l*) *Lyr. addit* vas.
(*m*) *Lyr. addit* vidi.
(*n*) *Lyr.* aliquid.
(*o*) *Lyr.* bibatur.
(*p*) *Lyr.* laventur in sacrario; *reliqua desunt usque* si super.
(*q*) *Lyr.* autem.

„ sliorum; deinde vadit sedere: tunc Abbas, vel Prior, qui tenet Capitulum, surgit (a) solus, & accipit judicium, & post vadit sedere surgentibus omnibus: deinde omnes a primo usque ad novissimum VII. ictus judicium suscipient, secundum consuetudinem monasterii. (b) Novitii, si qui sunt, qui non habent Capitulum, non revocentur in Capitulum ad judicium accipere. Fratres ejusdem monasterii, qui præsentes non fuerint usque ad octo dies, suscipient judicium, cum omnes sederint, surgit ille per cujus manum hoc accidetit (c), & stans ante analogium absolvitur (d) cum omnibus aliis, deinde injungit (e) ei Abbas, vel Prior pœnitentiam secundum modum culpæ, & consuetudinem loci; scilicet disciplinas, jejunia, quinquaginta psalmos cantabit (f), quandiu a Missa cessabit secundum dispositionem Abbatis. Deinde surgentes, post *Verba mea* cantent 7. psalmos prostrati ante majus altare, (g) subjungentes: *Kyrie eleison* tes: *Pater noster. Et ne nos: Post partum: Exultabunt sancti: Domine non secundum: Ne memineris Domine: Domine exaudi orationem: Dominus vobiscum.* Oratio: *Concede nos famulos*: Oratio: *Deus cui proprium.* Oratio: *Ineffabilem misericordiam tuam Domine nobis clementer ostende, & simul nos a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas meremur, eripias. Per Dominum.* (h)

Item. *De eodem post acceptionem.*

XI. „ Quidam frater cantaverat, post acceptionem hostiæ, & vini haustum, tribus, vel quatuor vicibus, fratrem cogente nimia necessitate, excreevit; in ipsa excreatione quartam partem hostiæ salutaris super mattam ejecit. Comperit hoc statim, & cum omni humore, quem exspuerat illam partem hostiæ, quam ejecit, ore suscepit, & mattam, ut potuit, lavevit in sacrario; propter hoc omnes susceperunt judicium, & ille frater XL. diebus cessavit: insuper in pane, & aqua fuit, quandiu placuit Abbati; forte tunc corpus fratris defuncti jacebat in ecclesia, & ideo post secundum *Verba mea*, dixerunt psalmos prostratos.

De offensione extra monasterium facta.

XII. „ Si fratri in villa commoranti, vel alicubi extra monasterium suum infortunie de Corpore vel Sanguine Domini evenerit; hic cum ad monasterium suum redierit, solus sine conventu judicium accipiet, & pœnam pro modo culpæ sustinebit, secundum dispositionem præsidentis.

Ex MS. Ritualí Corbejensis monasterii, MSS. consuetudinibus ejusdem, nec non & S. Cornelii Compendiensis.

De negligentiis, si accidat nobis aliqua ad altare, quod absit; hic continetur, quod agere debemus.

De effusione Sanguinis.

XIII. „ Si de Sanguine Domini super corporale ceciderit aliquid; recidendum est ipsum corporale, & reliquiarum loco reservandum. Si super mappulam benedictam altaris, incidenda est particula illa, & cum reliquiis reservanda. Si super casulam; similiter est agendum. Si vero in terram; extergendus est locus, atque radendus, sive sit lapis, sive sit terra, ipseque pulvis in sacrario, vel in piscina ponendus. Is autem, cui accidit hæc negligentia, & minister, vel ministri ejus sumentes veniam in capitulo, debens recognoscere coram Abbate, vel Priore qui capitulum tenet, & præcepto præsidentis debent judicium accipere, & post judicium dictus Abbas, vel Prior debet Sacerdoti, cui hæc negligentia accidit, injungere, ut in tribus feriis sextis in pane & aqua jejunet, vel tria psalteria dicat, & tres Missas pro defunctis celebret, & septem judicia privata accipiat, & ministro, vel ministris ejus debet injungere, ut unusquisque septem psalmos dicat; & post omnis conventus debet judicium accipere, & post capitulum 7. psalmos prostratus dicere cum ℣. *Domine non secundum peccata nostra*, & collecta: *Exaudi quæsumus Domine supplicum preces*, & Eleemosinarius debet pascere XIII. pauperes de pane, & vino, & carnibus.

De corpore Domini super mappulam benedictam altaris, vel ad terram lapso.

XIV. „ Si aliquis Sacerdos celebret divina, & infra canonem Missæ post *Verbum caro factum*, si eadem caro, scilicet Corpus Dominicum super mappulam altaris ceciderit, dictus Sacerdos Corpus Dominicum capiens, reponet super corporale, & post Missam locum mappulæ, ubi Corpus Dominicum cecidit, abluet de vino super piscinam: & si super dictam mappulam benedictam de Corpore Domini aliquid ceciderit, non est tanta negligentia, sicut de Sanguine: pars autem illa, in qua cecidit, vino abluitur super piscinam, sed non ideo inciditur: is autem cui talis negligentia accidit, & ministes, vel ministri ejus debens recognoscere in capitulo coram Abbate, vel Priore, qui capitulum tenet, & præcepto præsidentis debens judicium accipere, & post judicium dictus Abbas, vel Prior debet Sacerdoti injungere, ut 7. psalmos dicas. Si vero ad terram Corpus Dominicum ceciderit; simili modo per omnia agendum est, sicut supradicta docet de Sanguine narratio.

De Sacerdote qui cantat Missam usque ad: Simili modo, *vel usque ad*: Pater noster, *sine ministratione vini & aquæ, vel totam Missam suam sine prædicta administratione.*

XV. „ Si contingat, quod aliquis Sacerdos celebrans divina prospiciat ad: *simili modo*, vel ad: *Pater noster*, vinum cum aqua non esse ministratum in calice, hostiam, quæ (i) posita erat super corporale sine administratione vini & aquæ, debet tollere de dicto corporali, & ponere super mappulam benedictam, & etiam hostiam super patenam calicis debet apponere, & vinum cum aqua in calicem ministrare, & iterum incipere hanc orationem, scilicet: *Suscipe quæsumus omnipotens Deus*; & si celebret pro defunctis, debet reincipere: *Hostias & preces tibi* (k) *Domine offerimus*, vel: *Domine Jesu Christe*, & submisse dicere, sicut: *Suscipe quæsumus omnipotens Deus*, & post Missam hostia, quam posueras super mappulam benedictam, debet uti, vel tradere ministro suo ad utendum. Et si talis negligentia accidat Sacerdoti, qui cantet matutinalem Missam, vel magnam, sicut superius est expressum, debet facere, sed: *Per omnia secreti*, & *Dominus vobiscum*, & *Sursum corda*, & *Gratias agamus*, & præfationem debet submisse propter scandalum dicere; & Diaconus prope eum stans ad singula (l) respondere. Ille Sacerdos cui hæc negligentia accidit, & minister, vel ministri ejus debens recognoscere in Capitulo coram Abbate, vel Priore, qui capitulum tenet, & præcepto præsidentis debens judicium accipere, & post judicium dictus Abbas, vel Prior injungat Sacerdoti, ut quinquaginta psalmos dicas, & tria judicia privata sumat, & ministro, vel ministris ejus injungat, ut unusquisque VII. psalmos dicat. Et si totam Missam suam dictus Sacerdos celebret sine administratione vini & aquæ; ipse, & minister, vel ministri ejus recognoscentes in capitulo, præcepto illius qui tenet capitulum, debet ei injungere, ut in una feria sexta in pane & aqua jejunet, vel unum psalterium dicas, & quinque privata judicia sumat; & ministro, vel ministris ejus injungat, ut unusquisque VII. psalmos cum letania dicat, & post omnis con-

(a) *Lyr.* surgat solus, & alius, qui secundus est ab illo, vadat sedere in locum suum; Abbas vero accipit judicium, & postea vadit sedere.
(b) *Lyr. deest* novitii *usque* cum omnes sederint.
(c) *Lyr.* accidit.
(d) *Lyr.* absolvatur simul.
(e) *L.* injungat.
(f) *L.* cantare.
(g) *L.* in choro, si forte tunc Corpus fratris defuncti jacuerit in ecclesia; post secundum *Verba mea* in chorum intrabunt, & dicent VII. psalmos, ut dictum, subjungentes, &c.
(h) *L. addit*: Pro offensione Sacramenti, xl. diebus a Missa debet cessare in audientia, sed ea al. diebus potest Prælatus in secreto xx. relaxare pœnitenti, si placet; & pro unaquaque die, quibus a Missa cessabit, L. psalmos dicere debet, & VI. feria in pane, & aqua jejunare. Quando se iam facit frater communionem, & media pars Corporis in calicem ceciderit, de alia media parte debet fieri fractio quoquo modo fiet, tres partes semper fieri debent de Corpore, nisi totum in calicem ceciderit ...... si alicui accidat, ut nasus Sanguinem Domini tetigerit, & ipsum abluerit, ipse solus judicium habebit.
(i) *Comp.* præposita.
(k) *Comp.* Domine Domine.
(l) *al.* singulas.

„ ventus debet judicium accipere in Capitulo, & post Capitulum VII. psalmos prostratus dicere cum ℣. *Domine non secundum p. n.* & collecte: *Exaudi quæsumus Domine supplicum preces.*

De Sacerdote qui cantat Missam, & ministrat in calicem aquam sine vino,

XVI. „ Si aliquis Saaerdos celebrans divina, ministret in calicem aquam sine vino, non est sacramentum; quia substantia deficit; ideo maxima (*a*) est negligentia. Is autem cui hæc negligentia accidit, & minister, vel ministri ejus debent recognoscare in capitulo corem Abbate, vel priore, qui capitulum tenet, & præcepto præsidentis debent judicium accipere, & post judicium dictus Abbas, vel Prior debet injungere Sacerdoti, ut in una feria (*b*) VI. in pane & equa jajunat, vel unum psalterium dicat, & quinque judicia private sumat, & ministro vel ministris ejus præcipias, ut unusquisque in una feria sexte in pana & aque jejunet, vel unum psalterium dicat, & quinque privete judicia sumat; quie (*c*) ministro, val ministris pertinet ut ponentes vinum in hora sue, vel aquam, & statim retro facientes sciant sine dubio, quid (*d*) ministrent Sacerdoti. Postea omnis conventus debet judicium excipere, & post capitulum VII. psalmos prostretus dicere cum ℣. *Domine non secundum peccata nostra*, & collecta: *Exaudi quæsumus Domine.*

De Sacerdote qui ministrat in calicem vinum sine aqua ad Missam suam.

XVII. „ Si aliquis Sacerdos celebrans divina ministret in calicem vinum sine eque nesciantes, Ipse & minister vel ministri ejus cognoscentes in capitolo, præcepto illius, qui capitulum tenet, debent judicium accipere, & post judicium ille, qui tenet capitulum, injungat Sacerdoti, ut tribus vicibus VII. psalmos dicet, & ministro vel ministris ejus injungat, ut unusquisque similiter tribus vicibus VII. spalmos dicat.

De Sacerdote qui cantat Missam super altare non benedictum.

XVIII. „ Si aliquis Sacardos celebret divina (*e*) super eltare non benedictum, ipse, & ministat, vel ministri ejus debent recognoscera in capitulo coram Abbate, vel Priore, qui capitulum tenet, & præcepto præsidentis debent judicium accipere, & post judicium dictus Abbas, vel Prior debet injungere Sacerdoti, ut in una ferie sexta in pana & aqua jajunet, vel unum psalterium dicet, & tria judicie priveta accipiat; & ministro, vel ministris ejus injungat, ut unusquisque VII. psalmos dicat: deinde omnis conventus debet judicium accipere in capitulo, & post capitulum VII. psalmos dicat: deinda omnis conventus debet judicium accipere in capitulo, & post capitulum VII. psalmos prostratus dicere, cum ℣. *Domine non secundum peccata*, & collacta: *Exaudi quæsumus Domine.*

De Sacerdote qui cantat Missam sine stola, & manipulo.

XIX. „ Si aliquis Sacerdos cantet Missam sine stola, & manipulo, ipse & minister, vel ministri ejus recognoscentes in capitulo coram Abbate vel Priore, qui capitulum tenet, debent judicium accipere, & post judicium dictus Abbas, vel Prior præcipiat Sacerdoti, ut tribus vicibus VII. psalmos dicat, & ministro, vel ministris ejus injungat, ut VII. psalmos dicat. (*f*)

De Sacerdote qui cantat Missam (g) sine igne.

XX. „ Si eliquis Sacerdos calebret divina sine igne, ipse (*h*), & minister vel ministri ejus recognoscantes in capitulo coram illo, qui Capitulum tenet, accipiunt (*i*) judicium, & post judicium, illa qui tenet Capitulum, injungat Sacerdoti, ut VII. psalmos dicat, & ministro, vel ministris ejus præcipiat, ut unusquisque VII. spalmos dicat.

De Sacerdote qui tangit Corpus Dominicum de (l) digitis inunctis.

XXI. „ Si aliquis Sacerdos celebrat (*m*) divina, tangat (*n*) Corpus Dominicum de alio digito, vel de aliis digitis, quam de primis quatuor digitis, eundem locum digiti, vel digitorum, de quo vel de quibus Corpus Dominicum tetigerit, de vino in calicem debet ebluere de ablutionem (*o*) primorum quatuor digitorum, & post Missam debet ad confessionem ire, & pro dicta negligentia pœnitentiam accipere, & facere.

De Sacerdote qui per oblivionem sinet (p) cadere Corpus Dominicum ante Pater Noster *in calicem.*

XXII. „ Si aliquis Sacerdos celebrans divina, per oblivionem, vel austeritatem frigoris, sinat cadere ante *Pater noster* Corpus Dominicum in calicem, propter hoc dictus Sacerdos non sinet, ne faciat cruces suas, quæ faciendæ sunt de duobus digitis, scilicet de pollica, & de indice, valuti si teneret Corpus Dominicum inter duos digitos prædictos, & ne lavet calicem ad. *Pater noster*, & cooperiatur (*q*), & discooperiet de corporali, & ne faciat cruces suas ad *Pax Domini*, sicuti si fractionem de Corpore Domini fecisset, & ne dicat post *Agnus Dei*, *Hæc sacrosancta commixtio*. Is autem cui hæc negligentia accidit, & minister, vel ministri ejus recognoscentes in Capitulo coram Abbate val Priore qui Capitulum tenet, præcepto præsidentis accipiant judicium, & post judicium dictus Abbas, vel Prior debet injungare Sacerdoti, ut dicat VII. psalmos cum letania, & tria priveta judicia assumat.

De Sacerdote qui per oblivionem ante Pater noster, *fiat (r) fractionem.*

XXIII. „ Si aliquis (*ſ*) Sacerdos celebrans divina, faciet fractionem ante *Pater noster*, per oblivionam, de tribus partibus fractionis unam super aliam positis cruces, si aliquæ faciendæ sunt, usque ad *Pater noster*, debet facere, & dictas tres partes fractionis ad *Pater noster* inter digitos suos super calicem tenere, & prædictis tribus partibus fractionis super calicem tenens (*t*), & prædictis tribus, quantum debat, tantis prædictas tres partes super patenam, & supar corporale ante se debet ponere usque ad *Per eundem*, de *Libera nos quæsumus Domine*, & crucem (*u*), quam ante faciem suam de patena calicis solet facere, de duobus digitis, scilicet de indice & da medio debet facere ut ad *Per eundem*, de *Libera nos*, dues partes fractionis ex una perte, & eliam ex altara capiens facit cruces ad (*x*) *Pax Domini*, sicut solet facere, & non ponat super patenam corporale, donec locum dictæ patenæ, ubi Corpus Dominicum tetigit, da vino in calicem ebluerit, & illud vinum utatur. Is autam, cui talis negligentia accidit, & minister, val ministri ajus recognoscentes in Capitulo coram Abbate, vel Priore qui Capitulum tanet, præcepto præsidentis accipiant judicium, & post judicium dictus Abbas, vel Prior debet injungere Sacardoti, ut VII. psalmos dicat cum letania,

De Sacerdote, qui per oblivionem sinit (y) cadere in calicem illam partem fractionis, de qua debet facere cruces ad Pax Domini.

XXIV. „ Si aliquis Sacerdos cantat Missam, & faciat post *Agnus Dei* fractionem, & illa pars fractionis, de que debet ad *Pax Domini* cruces facere, cadit in calicem, unam partam de eliis duabus partibus debea sumare, & de illa cruces ad *Pax Domini* facere, & quando cruces sunt factæ, illam partem cum alia parte, quam

(*a*) *Comp.* magna.
(*b*) *Comp.* una feria.
(*c*) *Comp.* Et sciendum est quod.
(*d*) *Comp.* quia.
(*e*) *al.* missam.
(*f*) *Comp.* dicant.
(*g*) *Comp.* Missam suam.
(*h*) *Comp.* & ipse.
(*i*) *Comp.* accipiant.
(*l*) *Comp.* digitis.
(*m*) *Comp.* celebrans.

(*n*) *Comp.* tangit.
(*o*) *Comp.* & ablutionem. *al.* da eblutione.
(*p*) *Comp.* Sinit.
(*q*) *Comp.* cooperiet. *al.* cooperiantur.
(*r*) *Comp.* facit.
(*ſ*) *Comp.* qui.
(*t*) *Comp.* & prædictis tribus partibus fractionis super calicem, quantum debet, tentis, prædictas tres partes.
(*u*) *Comp.* ed crucem.
(*x*) *Comp.* &
(*y*) *al.* Sinat.

„ quam inter digitos suos tenet, pariter debet ponere, & , *Hæc sacrosancta commixtio* post *Agnus Dei* dicens pro illa parte, quæ in calicem (*a*) ante cecidit. Is autem cui hæc negligentia accidit, post Missam debet ad confessionem ire, & pro dicta negligentia pœnitentiam accipere & facere.

XXV. „ Quod si in Sanguine Domini musca, vel aranea vel tale quid ceciderit; quoniam talis res sine periculo non potest glutiri; nam necesse est (*b*) aut vomitum, aut ipsam consequi mortem, ut jam probatum est: idcirco igne cremandum est. Satisfactio autem hujusmodi casus in arbitrio præsidentis est, quod scilicet illi, cui hoc accidit, aut judicium accipere jubeat, vel (*c*) psalmos canere injungat, aut etiam publicæ eleemosinas dare, vel in conventu psalmos, prout sibi placitum fuerit jubeat decantari.

XXVI. „ Si contingat, quod aliqua negligentia prædictarum negligentiarum alicui Sacerdoti in monasterio isto (*d*) manenti, vel prope monasterium istud commoranti accidat, quod absit, non debet divina celebrare, donec de dicta negligentia sit recognitus in Capitulo, & pœnitentia competens ab Abbate, vel Priore, qui Capitulum tenebit, sit ei injuncta.

De prima ablutione post perceptionem Corporis & Sanguinis Domini (*e*).

XXVII. „ Si contingat alicui Sacerdoti divina celebranti, quod aliquid primæ ablutionis post perceptionem de calice super casulam, vel super mappulam benedictam cadat, quod absit, simili modo per omnia agendum est, sicut supradicta docet de Sanguine Domini narratio.

De secunda ablutione post perceptionem.

XXVIII. „ Si aliquis Sacerdos Missam cantet, & aliquid secundæ ablutionis post perceptionem de calice super casulam, vel super mappulam benedictam cadat, quod absit, particula illa casulæ, vel mappulæ, ubi ablutio dicta ceciderit, erit recidenda, nisi dicta casula magni sit pretii, & si magni pretii sit, non rescindetur; sed abluetur post Missam a Sacerdote de vino in calicem, & dictus Sacerdos utendo sumet vinum jam dictum. Is autem cui hæc negligentia accidit, & minister, vel ministri ejus recognoscentes in capitulo coram Abbate, vel Priore, qui Capitulum tenet, præcepto præsidentis debent judicia accipere, & post judicia dictus Abbas, vel Prior injungat Sacerdoti, ut pro dicta negligentia quinquaginta psalmos dicat, & tria judicia privata sumat, & ministro, vel ministris præcipiat, ut quisque VII. psalmos dicat.

XXIX. „ Si aliqua gutta secundæ ablutionis post ablutionem de digitis Sacerdotis divina celebrantis super mappulam benedictam ceciderit, illa particula dictæ mappulæ, ubi ceciderit, non rescindetur (*f*), nec abluetur; sed Sacerdos pro tali negligentia ad confessionem debet ire, & pœnitentiam accipere, & facere.

De tertia ablutione post perceptionem.

XXX. „ Si alicui Sacerdoti divina celebranti contingat, quod aliquid tertiæ ablutionis post perceptionem de calice super casulam, vel super mappulam benedictam cadat, quod absit, particula illa casulæ, vel mappulæ, ubi ablutio dicta ceciderit, post Missam de aqua super piscinam a Sacerdote abluetur, & in capitulo ipse, & minister, vel ministri ejus recognoscentes coram Abbate, vel Priore, qui capitulum tenet, præcepto præsidentis debet judicium accipere, & post judicium dictus Abbas, vel Prior injungat Sacerdoti, ut pro negligentia prædicta VII. psalmos cum letania dicat.

XXXI. „ Si aliquis Sacerdos cantet Missam sine administratione vini & aquæ, vel sine administratione vini tantummodo, non debet dicere post perceptionem: *Quod ore sumsimus*, & post Missam: *Placeat tibi* (*g*).

C A P U T VIII.

De reverentia veterum Monachorum circa sacrificium.

I. HUic de negligentiis in sacrificio contingentibus Capitulo, aliud de priscorum Patrum nostrorum reverentia circa idem sacrificium subjungere visum est; quam quidem reverentiam in duobus duntaxat, scilicet in conficiendæ materiæ confectione, & in vasis sacrisque vestibus, & ornamentis, quibus in sacrificio utebantur, considerabimus.

II. Materia sacrificii duplex est: panis, & vinum; de utraque materia MS. Lyrensis monasterii consuetudines ita decernunt: „ (Sex sunt consideranda in sacrati altaris hostia; ut solida sit, & recte; rotunda & rigida; sine macula, sine rimæ scissura. Similiter in vino quatuor sunt consideranda, color, & sapor; ut purum sit, & non acidum. In aqua duo sunt consideranda, ut munda sit, & recens. De vino tantum debet poni in calicem & amplius, quantum quo tertia pars hostiæ competenter enatare queat; de aqua tantum non plus, quantum possit absorberi aqua a vino.) De vino nihil præterea nobis dicendum occurrit ex antiquis authoribus; de pane plurima, & primo quidem observandum est, oblatis seu pane Eucharistico præparando, ac conficiendo duo potissimum tempora ab antiquis monachis esse attributa; ante Natalem Domini nimirum, & ante Pascha.

III. Hæc duo signanter tempora notat Udalricus in antiquis Cluniacensium Consuetudinibus l. 3. c. 13. „ (Quotiescumque, *inquit*, fieri hostias necesse fuerit, præcipue tamen ante Domini Natalem, vel sanctæ Resurrectionis diem fieri solent.) Cui concinunt Divionenses S. Benigni consuet. c. 8. Et quidem de primo extat luculentum exemplum in lib. Miracul. S. Wandregisili c. 29. sæc. 2. p. 558. „ (Tempestate quadam cum vigiliæ adesset Nativitatis Dominicæ, & sodales suas sanctimoniales fœminas multimoda prece rogitaret) scilicet fœmina e S. Wandregisilo sanata, modo ne ad ignem accederet, „ (ut oblatas, quas oblatura Domino in crastinum erat, formarent, ignique, cui appropinquare non audebat, decoquerent, & minime impetraret; accessit ad ignem, ferroque, quo imprimendæ ac decoquendæ erant oblatæ, arrepto; mox nervi manus ejus dextræ contracti sunt &c.) De altero in vita S. Radegundis Reginæ apud Fortunatum n. 16. sæc 1. Bened. p. 322. „ (Tum more S. Germani jubet sibi molam secretissime deferri, ad quam tota Quadragesima tantum laboravit; quantum quatriduana refectio postulavit; oblationem etiam suis manibus faciens, locis venerabilibus incessabiliter dispensavit.) Et tamen MS. Germaniæ Consuetudines n. 21. præscribunt, ut: „ (Corpus Dominicum per Dominicas renovetur, oblatæ per duodecim dies.)

IV. Secundo. Etsi conficiendis hostiis nobiles quasdam fœminas olim religionis ergo operam dedisse legamus, tamen non nisi sacratis Deo personis id muneris committi solebat, ut minus sanctimonialibus; & quidem in Croylandensi monasterio ad Subsacristam pertinebat hostias & oblationes pinsere, ut patet Ingulfi hist. p. 132. & ex manuscriptis Germaniæ Consuetudinibus n. 21. „ (A Custode Presbytero quidem, & Diacono componi debent;) quod etiam summa cum religione observabant Cluniacenses, & Divionenses nostri, ut discimus ex Udalrico l. 3. c. 13., & cons. S. Benigni c. 8. licet frumentum, ex quo conficiebantur hostiæ, granatim electum, atque a fratribus lotum uni commendarent „ (famulo non lascivo, qui portans illud ad molendinum, molam lavabat utramque, operiebatque sursum & deorsum cortinis, seipsum *induens* alba, & super caput *mittens*, & *alligans* super humerale, idest amictum, ut nihil de facie præter oculos *posset* apparere.) Perseveravitque hic ritus usque ad sæculum XV., ut patet ex Bernardo Tegernsensi Priore in libello MS. de materia Eucharistiæ sacramenti adversus quorumdam circa hoc dubia, & errores, cujus sub finem ita scribit: „ (Agite igitur caute, & securam, immo certam partem eligite. Dubia, immo reprobata parte prætermissa, sectamini in hac re morem, & ritum Patrum præcedentium monachorum, qui pro statu, & lege habuerunt, suisque posteris in scriptis reliquerunt; ut sibimet suis manibus de granis tritici exquisitis, & electis pro sacramenti debita materia mundas conficere oblatas: quod & hodie cum summa diligentia multi Claustralium sollicite observant. Et revera merito ac juste, quia res ipsa tam gravis & ardua idipsum rationabiliter exposcit: suntque non modice culpandi, quin & arctius arguendi, qui oblatas manibus laicorum confectas pro sacrificio acceptant, de quibus tamen dubitatur, an de debita materia existat. Gravissime autem reprehendendi, & puniendi veniunt, qui tales oblatas in sacrificio scienter assumunt, quia juxta magnorum, & potiorum sententiam Doctorum in ejusmodi conficere non possunt. Vellem ego numquam potius missare, quam sic damnabiliter idololatrare, & populo, quantum in me esset, occasionem idolola-

(*a*) *Comp.* calice.
(*b*) *Comp.* nocere est.
(*c*) Vel *deest* in *Comp.*
(*d*) *Comp.* cadenti.
(*e*) *Comp.* Domini nostri J. C.
(*f*) *al.* recinditur.
(*g*) *Comp.* tibi sancta Trinitas.

„ trandi præstare.) Ita homo sæculi xv., cujus verba licet paullo nuperiora, hic tamen referenda duximus.

V. Tertio. Ex frumento quantumlibet naturaliter bono & puro, granatim tamen a fratribus electo conficiebantur, ut discimus, tum ex Udalrico, & Bernardo Tergensensi citatis, tum ex MS. Germaniæ consuetudinibus n. 28. „ (Super tabulam, *inquiunt*, singula eligantur gra„ na, mola ex alio frumento mundetur, multipliciter fa„ rina purificetur, massa sine fermento conficiatur.) Quibus accedunt Divionenses S. Benigni c. 8. „ (Frumen„ tum, de quo faciendæ sunt hostiæ, quantumlibet bonum „ sit naturaliter, & purum; tamen granatim eligitur, „ nec per alias personas, quam per ipsos fratres. Cum ergo „ ita fuerit electum, lavatur studiose, & in panno nitido „ diffusum siccatur ad solem, colligitur deinde in saccum, „ non qualemcumque, sed qui ad hoc solum de bono pan„ no consutus est, & reservatus:) Hæc autem frumenti granatim eligendi cura Novitiis potissimum committebatur, ex eisdem consf. c. 30.

VI. Quarto. Conficiebantur hostiæ a fratribus jejunis: „ (Nam post prandium, *inquit Udalricus l. 3. c. 13.*, „ hujusmodi opus gerere non licet;] & quidem summum interim silentium servantibus, ut discimus ex libro Usuum Cisterc. c. 114. Sacrista „ (alba indutus hostias „ faciat in loco mundis linteis cooperto; etiam extra „ terminum, si necesse fuerit, in *silentio* tamen. Cui duo „ fratres scapularibus induti ita subministrent, ne aliud „ quam ipsas hostias manibus tractare cogantur, quorum „ unus ignem sollicite faciat; alter vero instrumentum „ ferreum ad coquendas hostias teneat, & cum eas fa„ ciunt, *non loquentur*;) Et multo ante S. Pachomius in ejus vit. c. 47. l. 1. de vit. Patr. „ (Præceperat fra„ tribus, qui in pistoria arte laborabant, ut quando fa„ cerent oblationes, nihil loquerentur supervacuum; sed „ apud semetipsos salutaria meditarentur eloquia.) De Cluniacensibus ita scribit Udalricus l. 3. c. 13. „ (Canonicam „ psalmodiam, quæ semensir, *scilicet post Laudes & Pri„ mam*, & si voluerint horam de S. Maria, ad alias omnino „ horas tenent silentium, & summopere cavent, ut non mo„ do salive, sed nec flatus eorum aliquomodo ad hostias „ pertingere possit. Solus Conversus „ (*is ferrum tenebat*,) „ si quid opus fuerit, breviter famulis innotescit, qui fa„ ciunt focum, non nisi de aridis lignis, & ad hoc „ de industria præparatis;) quæ verba leguntur etiam in Benig. consf. c. 8.

VII. Quinto. Conficientes hostiam intus albis erant induti, ut patet libro Usuum Cisterciensium mox citato; immo & amictu vultum præter oculos ex integro operientibus, ut discimus ex MS. Germaniæ consuet. n. 25. „ (Massa „ sine fermento conficiatur, maceretur ab ipsis, si revestiti sint, capitibus coopertis, & constrictis;] clarius ex consuet. S. Benigni & ex Udalrico loco citato, quo etiam teste, erant „ (albæ & amictus quidam huic solo negotio „ deputati.)

VIII. Sexto. Diebus ad hostias faciendas assignatis, qui huic negotio erant deputati (erant autem tres Presbyteri, vel Diaconi cum quarto Converso apud Cluniacen„ ses & Benignianos) finitis nocturnis, sumtis calceis, facie manibusque lotis, capita pexabant; deinde ad altare S. Benedicti Matutinas Laudes, Primam cum vss. psalmis, & litania privatim cantabant; postea tres Presbyteri, vel Diaconi albis & superhumeralibus, eo quo, diximus modo induti, unus eorum farinam conspergebat & compingebat super tabulam nitidissimam, habentem limbum in circuitu; conspergebat aqua frigidissime: quia inde fiunt hostiæ candidiores. Alii duo hostias formabant, Conversus vero in manibus chirotecas habens ferrum tenebat, in quo sex simul hostiæ coquebantur, coctæ cultello abradebantur, cadebantque in disco deorsum in tabula imposito, & linteo jugiter cooperto. Eademque die non cum fratribus, sed cum servitoribus reficiebant, & pro tanti laboris levamine, de Apocrisario pitentiam, & pigmentum habebant ad prandium, Consf. S. Benigni pro pigmento habent absintiatum.

IX. Quod spectat ad vasa & ornamenta ad usum sacrificii destinata; etsi nostros frequenter legamus argenteis, aureis, aliisve pretiosis vasis usos fuisse, ut videre est in vita S. Ansegisi Abbatis, qui Fontanellensibus suis legavit „ [calicem aureum mirifice factum, duas hinc inde ha„ bentem anseias, gemmis pretiosissimis decoratum,) ut in ejus vita n. 17. sæc. 4. Bened. non defuerunt tamen, qui propriæ professionis, paupertatisque Christi Domini memores, monachos magis decere, & Christo magis placere existimaverunt sacrificium in vilis, pauperisque materiæ vasis offerre. Ex quibus eximium habemus exemplum in vita S. Galli Abbatis sæc. 1. p. 241. qui vas argenteum ad altaris officium recusans, fertur respondisse „ (Beatissimus Columbanus in vasis æneis Domino so„ let sacrificium offerre salutis, quia fertur Dominus & „ Salvator noster clavis æneis cruci confixus.) Huic certe non cedis S. Benedictus secundus, Annanensem intelligo, qui teste discipulo ejus Ardone in ejus vita n. 14. sæc. 4. „ (vasa ad Christi conficiendum corpus nolebat „ sibi esse argentea; siquidem primum ei fuerunt lignea; „ deinceps vitrea, sic tandem conscendit ad stannea.) His addere possem etiam S. Winoci monachos, qui sæculo etiam X. vase vitro utebantur ad sacrum Missæ sacrificium offerendum, ut videre est in vit. S. Winoci c. 12. sæc. 2. p. 309. De aliis vero ornamentis, quomodo se gesserit idem Benedictus Anianensis, ita subdit præfatos Ardo: „ (Planeam vero refutabat habere serí„ ceam, & aliquis illi dedisset, mox aliis ad utendum „ præstabat,) Hoc in genere plurimum laudandi sunt nostri Cistercienses, de quibus author Exordii magni Cisterc. l. 1. c. 27. ita scribit: „ (Confirmarunt etiam, „ ne retinerent cruces aureas vel argenteas, sed tantum li„ gneas coloribus depictas, neque candelabra, præter u„ num ferreum; neque thuribula, nisi cuprea, vel ferrea, „ neque casulas, nisi de fustaneo, vel lino, sine panno, „ sed sine auro, vel argento. Pallia vero omnia, & cap„ pas, atque dalmaticas, tunicasque ex toto dimiserunt. „ Calices non aureos, sed argenteos, & si fieri posset, „ deauratos; fistulam argenteam, & si possibile, fit deau„ ratam; stolas quoque ac manipulos de panno tantum, „ sine auro & argento haberi voluerunt. Pallæ quoque „ altarium, ut de ligno fierent, & phoræ sine pictura, ite„ tuerunt: & ut ampullæ ad ministerium altaris sine auro „ & argento essent.) Quæ quidem omnia ex parte confirmant Institutiones Ordinis Cisterciensis distinctione 1. cap. 7. & 9. His adjicio Guigonis Decretum pro Cartusianis c. 40. „ (Ornamenta aurea vel argentea, præter ca„ licem & calamum, quo Sanguis Domini sumitur, in ec„ clesia non habemus; Pallia, tapetiaque reliquimus;) & antiqua Cartusianorum statuta a. p. c. 38. „ (Ornamen„ ta aurea, vel argentea, præter calicem, in ecclesia non „ habemus, nisi forte in stolis aut manipulis, sive in fi„ gnaculis librorum. Casulas de bossatum, & de serico „ albo sustinemus, pallia tapetiaque reliquimus. Aurifri„ gia de casulis removerentur.

X. Vide etiam Udalricum l. 3. cap. 14. de corporalibus abluendis, quem exprimunt Divionenses S. Benigni consuet. c. 9.

CAPUT IX.

De exhortationibus, seu collationibus Monachorum.

I. ETsi nullum legamus e Sancto Benedicto tempus assignatum ad faciendas inter fratres exhortationes, idque ipsum in arbitrio Abbatis reliquisse videatur, ut cum expedire viderit, pro ædificatione aliquid breviter dicat; hic tamen ea de re tractare visum est, tum quia satis probabile est Dominicis diebus a nostris omissos non fuisse exhortatorios sermones, tum quia id expressis verbis Benedictinis Abbatibus præscribit celebratum anno 747. Cloveshoviæ Concilium apud Spelm., in cujus c. 14. ita habetur: „ (Quartodecimo statuitur loco, ut „ Dominicus dies legitima veneratione a cunctis celebre„ tur, sitque divino tantum cultui dedicatus, omnesque „ Abbates, ac Presbyteri isto sacratissimo die in suis mo„ nasteriis, atque ecclesiis maneant, Missarumque solem„ nia agant, omissisque exterioribus negotiis, ac sæculari„ um conventibus, atque itineribus, nisi inexcusabilis „ quælibet caussa urgeat; religiose conversationis, ac be„ ne vivendi normulam de sacræ Scripturæ eloquiis sub„ jectis famulis prædicando insinuent;) & Clemens Papa VIII. in decreto pro reform. Reg. n. 38. „ (Valde „ opportunum erit, si in quolibet conventu singulis heb„ domadis habeatur sermo de religiose disciplina, regula„ rique observantia.) Legimus tamen & apud Hieronymum ep. 22., & apud Augustinum de mor. Eccl. c. 31., quolibet die convenisse veteres Monachos ad audiendum Patrem; ex quorum testimoniis patet, tam antiquas apud Monachos esse exhortationes, quam ipsa monastice institutionis origo; quod etiam probant, quæ nobis supersunt SS. Basilii Magni, Macharii, Cæsarii homiliæ, sancti Ephrem Parænesis, sancti Dorothæi doctrinæ, aliorumque plurimorum sermones.

II. Exhortationis officium ad ipsum pertinebat Abbatem: „ (Conveniunt autem, *inquit Augustinus lib. de mor.* „ *Eccl. c. 31. agens de cœnobitis*, diei tempore extremo de suis

„ de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Patrem.) Aliquando vices suas uni ex suis committebat alteri, ut discimus ex Theodori Studitæ testamento apud Baronium ad an. 826., ubi Præpositum alloquens: „ (Observabis, inquit, prorsus, ut catechesim ter quolibet hebdomada facias vesperi, vel per temetipsum, vel alium quempiam e filiis; quoniam a Patribus traditum est, & salutare.) Ita apud Nostros in Corbejensi monasterio Paschasius nondum Abbas „ (coram Fratribus Evangelium, uti consuetudinis est diebus solemnibus... exhortandi gratia) tractabat, uti ipse testatur in Prologo in Matthæum; & in Moysiacensi cœnobio B. Geraldus „ (fratribus in Capitulo fluenta prædicationis effundebat, & eos spirituali cibo jugiter reficiebat) ut scribit in ejus vita Bernardus discipulus ejus tom. 3. Miscell. Baluz. Aliquando etiam, honoris ac reverentiæ caussa, alterius congregationis Monachos, & maxime Abbates de divinis Scripturis aliisque ædificationis sermonibus loqui & rogabant, & cogebant, quod quam plurimis exemplis demonstrari posset.

III. Unum hic dumtaxat profero ex S. Bernardo, qui de Cluniacensibus loquens: „ (Ipsorum, inquit Apol. ad Guill. Abb., me commendavi orationibus, interfui collationibus, sæpe & de scripturis, & de salute animarum habui sermonem cum multis, & publice in capitulo, & privatim in cameris.)

IV. Exhortationis locus erat Ecclesia, aut capitulum, aut locus aliquis commodus. Et quidem Theodorus Studita, teste Michaele ejus discipulo: (Ecclesiam petiisse legitur, tum sacris operaturus, tum verba facturus ad fratres;) & sanctus Wulfannus ex Episcopo Senonensi Monachus Fontanellensis sæc. 3. part. 1. p. 364. „ (plura S. exhortationis verba inter sacra Missarum solemnia) fratribus loquutus est, ut scribit Jonas in ejus vit. n. 13. t. 1. Bib. p. 679. Epist. 22. Eodem vero sanctus Stephanus ordinis Grandimontensis institutor, mane „ (discipulos in capitulo introibat,) quemadmodum legimus in ejus vita apud Labbeum, quod in more fuit apud Cluniacenses, ut patet ex supra citato S. Bernardi loco.

V. Quanta vero aviditate, quanto studio, quo fructu, loquentem auscultarentur, discendum ex Hieronymo: „ (Post horam, inquit, nonam in commune concurritur: Psalmi resonant, Scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus: cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare, quo loquente tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu est audientium. Tacitæ volvuntur per ora lachrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum vero de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare futura, videas cunctos moderato suspirio, & oculis ad cœlum levatis intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.)

VI. Simile habet sanctus Augustinus de mor. Eccl. c. 31. „ (Et conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimum, hominum millia, nam etiam numerosiores sub uno agunt, audiunt autem incredibili studio, summo silentio; affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, vel modesto & omni clamore vacuo gaudio significantes.) Plurimum hac in re commendandi sunt nostri Fontanellenses, apud quos, teste Aigrado in vita sancti Ansberti n. 19. sæc. 2. Ben. „ (quadam die cum more solito edicta divinæ legis in conventu omnium recitaret Ansbertus, ita affluentia eloquiorum illius nimio caritatis ardore reddita sunt Audientium corda flummivoma, ut plurimi ex illis ad lachrymas compulsi immensas cunctipotenti Deo gratias redderent) &c.

VII. Huc referendæ sunt disputationes, seu collationes, quas certis per hebdomadam diebus faciebant; de quibus sanctus Pachomius in regula art. 2. cod. Reg. art. 156. „ (Disputatio autem a Præpositis domorum per singulas hebdomadas tertio fiet;) Et iterum de Eccl. off. l. 2. „ (Per singulas hebdomadas binæ disputationes, id est catecheses a Præposito complebuntur;) Et S. Isidorus agens de Monachis c. 15. „ Conveniunt diebus singulis interpositis, dum adhuc jejuni sunt, in collatione ad audiendum Patrem;) & in regula c. 8. „ (ad audiendum in collatione Patrem tribus in hebdomada vicibus Fratres, post celebratam tertiam, dato signo ad collectam veniant;) Et sanctus Fructuosus Bracarensis Episcopus in prima Regula c. 29. „ (Ter per omnem hebdomadam collecta facienda est.) In hoc differebant exhortationes, & collationes, quod unus dumtaxat in exhortationibus, in collationibus vero plures loquerentur. Nullus tamen ab Abbate non jussus sermonem proferre audebat, ut discimus ex Regula sancti Isidori c. 8. „ (Sedentes autem omnes in collatione tacebunt, nisi forte quem auctoritas patris præceperit, ut loquatur;) sed loquentem omnes cum summo silentio audiebant, & quidem sedentes ordine quique suo: „ (In ipsa disputatione, inquit S. Pachomius n. 21. sedentes sive stantes fratres suum ordinem non mutabunt, juxta domorum ordinem, & hominum singulorum.) Si quem vero somnus occuparet, hic statim jussus stare cogebatur, unde idem Pachomius n. 2. „ (Si quis dormitaverit sedens, Præposito domus, vel monasterii Principe disputante, statim surgere compelletur, & tamdiu stabit, donec ei jubeatur ut sedeat.)

VIII. Præcipuus autem collationis scopus erat ad corrigenda vitia, & mores instruendos: „ (ipsa quoque collatio, inquit Isidorus, erit, vel pro corrigendis vitiis, instruendisque moribus, vel pro reliquis caussis ad utilitatem cœnobii pertinentibus;) & S. Fructuosus c. 20. „ (Ter per hebdomadam collecta facienda est, & regulæ Patrum legendæ, disserendum, vel a seniore, & castigatio, ac sermo ædificationis proferenda ad fratres, negligentiæ emendandæ, excommunicatis miserendum, & procacibus, sive duricervicibus iterum irroganda censura.) Quod dicit, Patrum regulas in collatione esse legendas, intelligendum est ex his, quæ Sanctus Isidorus citatis verbis, subjungit: „ (Quod si aliæ desunt, pro consuetudine tamen disciplinæ nequaquam erit omittenda collatio, sed in præfinitis diebus, cunctis pariter congregatis, præcepta Patrum regularia recensenda sunt, ut qui needum didicerunt, percipiant, quod sequantur; qui vero didicerunt, frequenti memoria admoniti sollicite custodiant, quod noverunt.)

IX. Præterea, si quis tam in privatis, quam in publicis lectionibus difficultatis aliquid offendisset, difficultatem in collatione proponebat, ejusque solutionem efflagitabat: „ (De his autem quæstionibus, inquit S. Isidorus c. 9., quæ leguntur, nec forte intelliguntur, unusquisque fratrum erit in collatione, ut post vesperam Abbatem interroget, & recitata ad locum lectione ab eo expositionem accipiat, ita ut dum uni exponitur, ceteri audiant.) Ab his autem, qui difficultates in collatione proponebant, unum maxime desiderabat apud Cassianum Abbas Nesterus, quod exprimit his verbis Coll. 14. c. 9. „ (Nihil in collatione seniorum proferre audeas, nisi quod interrogare te, aut ignoratio noxitura, aut ratio necessariæ cognitionis impulerit, ut quidam vanæ gloriæ amore dilecti, pro ostentatione doctrinæ ea, quæ optime norunt, interrogare se simulant.) Quod vero collationi adsistentes attinet: „ (Illud, inquit, omni observantia custodire te convenit, ut etiamsi ea, quæ optime nosti, forte audieris, in collatione proferri, non ex hoc quod tibi jam nota sint, aspernanter fastidioseque suscipias, sed ea cordi tuo aviditate commendes, qua debent desiderabilia salutis verba, vel auribus nostris indesinenter infundi, vel de nostro jugiter ore proferri.)

X. Denique summopere cavebant, ne qui prætextu quovis abesset a Collatione: „ (Quando signum insonuerit, ut conveniant, & audiant præcepta Majorum, nullus remanebit, inquit S. Pachomius art. 23.) & alibi art. 188. „ (Quando Præpositi domorum fratres de conversatione sanctæ vitæ docebunt) absque gravissima necessitate nullus aberit.

XI. Tales erant veterum Monachorum Collationes; nostros vero quod spectat, fois in collationibus quæstiones de Scripturis Sanctis, de Vitis Patrum, & de Sancta Regula potissimum movebant; qua in re notandum plane, quod de S. Cuthberto narrat Venerabilis Beda in ejus vita c. 16. sæc. 2. p. 892. „ (Sæpius in cœtu Fratrum de Regula disputans, cum acerrimis contradicentium fatigaretur injuriis, exsurgebat repente, & placido vultu, atque animo egrediens dimittebat conventum, ac sequente nihilominus die, quasi nihil objectionis pridie sustinuisset, eadem quæ prius monita eisdem dabat auditoribus, donec illos paulatim, ut diximus, ad ea quæ vellet, converteret.) Vid. Bursfeld. Cerem. dist. 3. c. 11. vel Haeftenum l. 9. tr. 5. disq. 7.

CAPUT X.

De consuetudinibus feriæ secundæ, & feriæ quintæ.

I. Consuetudines, seu Ritus feriæ secundæ, & feriæ quintæ sub uno brevi comprehendimus capitulo. Et quidem ad feriam secundam spectant preces singulares, quas pro benefactoribus nonnullis in Cœnobiis hac die faciebant,

bant antiquiores Patres nostri, maxime Fuldenses, in suo ad Carolum Imperatorem libello supplici c.t. postulantes ut sibi liceat facere „ (in secunda quaque feria uniuscu„ jusque septimanæ orationem pro omnibus eleemosynas „ sibi tribuentibus, idest eundem psalmum L., quem to„ ta Congregatio juxta Corpus Beati Martyris simul pro„ strata canebat cum oratione Dominica, & versibus;) & Hirsaugienses, quibus Urbanus Papa Secundus præcepit, ut pro Episcopis sui Monasterii privilegia non perturbantibus „ [agatur omni feria secunda privata Missa defunctorum,] ut videre est in ejusdem privilegio a Trithemio relato in Chron. Hirsaug. an. 1099.

II. Ad quintam vero feriam pertinet solemnis jejuniorum relaxatio, quam excepta Quadragesima pari religione feria quinta, ac Dominica Monachis præscribit in Regula Magister: „ (Omni, *inquit* c. 28., tempore in septi„ mana duobus diebus ad Sextam reficere debent, hoc „ est feria quinta, & Dominica, cæteris aliis in septima„ na diebus ad Nonam horam reficere oportet, &c.) Eandem remissionem suis Eremitis indulget Petrus Damiani eo in Opusculo, quod de institutis suæ Congregationis conscripsit (Opusc. 15. c. 6.), idemque de Eremitis Fontis Avellani narrat Opusc. 14. ubi eorum vivendi rationem describit. Jejunium etiam solvebant nostri Sandionisiani feria quinta in gratiam Sanctorum Martyrum Dionysii & Sociorum, MS. cons. S. Dion., quorum hac die parvum officium trium. Lect. sicut & Compendienses de suis Martyribus, ita peragebant, ut adveniente festo XII. Lectionum, tertium nihilominus nocturnum cum Laudibus obtinerent S. Martyres etiam in Adventu, saltem primis hebdomadibus; quamvis in Adventu jejunarent feria quinta. Jejunium etiam nunc relaxant feria quinta Cassinenses, aliique Congregationis S. Vitoni, & strictioris observantiæ in Belgio Monachi.

III. Instituti sui rationem hanc reddit Magister, quod feria quinta Christus ad cœlos ascenderit: (Ideo, *inquit* „ c. 28., omni tempore quinta feria non licet jejunare, „ quia Ascensa Domini ipso die omni anno occurrit; Do„ minica vero die ideo non licet jejunare, quia Resurre„ ctio Domini imputatur;) ubi respexit haud dubium ad Melchiadis Papæ decretum, qui ut scribit Alcuinus de div. off. c. de Septuag. „ (Constituit, ut nemo præsume„ ret in prima & quinta feria jejunare; in prima propter „ Domini Resurrectionem; in quinta, quia in ea cœnavit „ Dominus cum discipulis suis, & in ea ascendit in cœ„ lum.) Idem scribit Anonymus apud eundem Alcuinum ep. 109. & Walfridus Strabo in lib. de reb. eccles. c. 20. ubi aliam hujus instituti caussam profert, scilicet quod „ (Pa„ gani his diebus quasi jejunia frequentabant:) sed hanc legem postea temperavit Gregorius Papa Secundus, qui teste Notkero in Mart. pridie Idus Febr. „ (ut in Quadra„ gesimali tempore quinta feriæ jejunium, atque Missa„ rum celebratio fieret, quod non agebatur, instituit.)

IV. Quod de officio feria quinta faciendo de Sanctis Monasterii Patronis, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus modo dicebamus; id in aliis etiam passim Ordinis nostri Monasteriis legem obtinuit. Hujus rei exemplum videre est in Croylandensi Ingulfi historia, ubi in gratiam Miraculi meritis S. Guthlaci patrati „ (De„ crevimus omnes, *inquit Ingulfus*, semper in futurum „ divinum officium de Sanctissimo nostro Guthlaco, quan„ documque feria quinta vacare contigerit, in choro so„ lemniter persolvendum.)

V. Alii diem alium hujusmodi officio consecrabant; Ædnenses Sancti Martini feria secunda Sancti Hugonis sui quondam Monasterii Monachi commemorationem agebant, uti observavit noster Mabillonius sæc. 5. in Observ. prævii ad ejus vit. n. 10. Tornodorenses Sancti Michaelis singulis feriis tertiis canonicum de S. Theodorico Aurelianensi Episcopo officium extra Adventum, & Quadragesimam celebrabant, ut testatur Carolus Saussayus lib. 8. Annal. Eccl. Aurel.

CAPUT XI.

De Feria sexta, & maxime de Disciplina.

I. DUo sunt potissimum mortificationum genera, quibus hac die de Passionibus Christi per pœnitentiam participare solent Monachi; jejunium nempe, & disciplina. De jejunio feriæ sextæ, quod olim in solo pane, herbisque hortensibus peragebant ex Cassinensibus nostris plerique, multa passim occurrunt; de disciplina vero hic breviter pro modo nostro differendum.

II. Disciplinam vocamus salutiferam per verbera corporis afflictionem, cujus usus apud veteres Monachos duplex extitit, primo ad emendandas, corrigendas delinquentium culpas, secundo pœnitentiæ majoris, aut mortificationis caussa.

III. Verberibus olim castigata fuisse Monachorum, & maxime Benedictinorum delicta, patet tum ex Regula, tum ex vita S. Benedicti: ex Regula, quæ in incorrigibiles verberum vindictam procedere jubet, c. 58., ex vita, in qua Monachum orationis tempore vagum virga percussisse legitur c. 4. Ita etiam Benedictus alter Anianensis in ejus vit. n. 24. sæc. 4. nimium Præpositum quemdam ab officio depositum, & Monasterio egressum, atque latrocinia exercentem, captum ob ejus insipitudinem virgis levigare jussit, cædendoque ad meliorem frugem revocavit. Idem patet ex Concilio Vener. in cujus Canone VI. hæc lego: (In Monachis quoque par sententiæ forma servatur, „ quos si verborum emendatio non emendaverit, etiam „ verberibus statuimus coerceri:) & Concil. Agath. c. 38. „ (Clericum aut Monachum sine commendatitiis va„ gum, si verborum increpatione non emendetur, etiam „ verberibus statuimus coercere.)

IV. De correptionis modo silet, tam ipsa S. Benedicti, quam prædicta Concilia; non tamen aliæ Sanctorum Monachorum Regulæ, quæ etiam ictuum numerum determinant. Hunc triginta novem percussiones excedere non permittit Regula Pachomii art. 87. præcipiens, ut Fratrem perturbatorem, & in malitia perseverantem, extra Monasterium positum *ante fores triginta novem* verberent. Idem & in deprehensum in furto Monachum decernit art. 121., quem numerum quinquies se accepisse testatur Apostolus Cor. 11.

V. Totidem percussiones præscripserat Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus, teste Cypriano in ejus vit. apud Surium 27. August. deinque hunc numerum, ut legitimum, approbat S. Aurelianus in sua ad Monachos Regula n. 41., præcipiens, ut „ (pro qualibet culpa, si necesse „ fuerit, flagelli accipere disciplinam, numquam legitimus „ excedatur numerus, idest triginta novem.) Et tamen S. Fructuosus c. 15. jubet, ut „ (si solus cum sola fabu„ lare deprehenditur, centum ictibus flagellorum extensus „ publice verberetur.)

VI. Ex postremis his S. Fructuosi verbis habemus, non solum determinatum fuisse percussionum, sive ictuum numerum; sed etiam de more fuisse, ut publice verberarentur; quod amplius patet ex Regula S. Macharii statuentis c. 27., ut „ (Abbas coram omnibus Fratribus „ residens, & eum exhiberi jubeat, & virgis purgetur, „ & oratio fiat;) & ex Regula S. Pachomii art. 87. „ (Verberabunt eum ante fores triginta novem.) In monte Nitriæ erat in ecclesia ad palmam „ (suspensum flagel„ lum ad castigandos Monachos, qui delinquebant,) ut „ testatur Palladius in Laus. cap. 7.

VII. An vero super nudam cutem, aut super staminеam, ibi non explicatur; satis probabile tamen est nudos omnino scapulis verberatos fuisse, maxime cum plerique fint inverecundi, quos non tam confusio, quam pœnas convertere, & ad meliorem frugem reducere possint; saltem id colligi posse videtur ex verbis Sancti Benedicti, dum ait c. 27. „ (Acrior ei accedat correctio,) quæ verba gravem aliquam pœnam corpori infligendam esse potius, quam pudorem, denotant: quaquam in Concilio Aquisgranensi decernatur c. 14. „ (ut nudi pro qualibet culpa „ coram Fratrum obtutibus non flagellentur;) quod etiam in Statutis Lanfranci observare licet: „ (Suscepta„ rus judicium, aut sola grossiori virga super staminеam „ verberetur, & prostratus jaceat, aut pluribus graciliо„ ribus virgis, & nudus sedeat, utrumque ad arbitrium „ ejus, qui præest.) Contrarius tamen usus viguit apud Cluniacenses, ut ex sequenti Petri Venerabilis Statuto 63. discimus: „ (Statutum est, ne staminea, quæ ex more „ antiquo propter graviora qualibet Fratribus artius fla„ gellandis scindi solebant, & usque ad cingulum violen„ ter detrahi, ulterius scinderentur, sed staminea integra „ manente, verberibus subjiciendus Frater, ea toto „ exueretur. Caussa instituti hujus fuit, ut & frequens „ damnum scissarum stamineаrum vitaretur, & plenius „ nudatus Frater expeditius verberaretur.)

VIII. Quæ puniendis olim Fratrum delinquentium culpis ab antiquis Patribus instituta est verberum multa; hanc in se ultronei peccatorum suorum tortores pœnitentiæ caussa adhibuerunt & ex antiquis, & ex reverendioribus Monachis non pauci. Plurima prorsus hujusce nobis suppetunt exempla, ex quibus pauca dumtaxat proferre lubet. S. Kentigernus ex Monacho Episcopus Glascuensis Boll. 13. Jan. „ (in die Parasceves plagis virgarum, & nu„ ditate, & crebris genuflexionibus diem cum nocte con„ tinuavit. Sabbato autem Sancto, & usque ad horam

„ Re-

„ Resurrectionis Dominicæ, tempora divini officii excepto, „ in quodam sepulcro se flagellando latitabat,) ut legitur in ejus vita num. 18. sæc. 2. S. Bavo a servo olim a se vendito corpus suum flagellis cædi postulavit, ex ejus acta nu. 10. sæc. 3. S. Pardulfus Abbas „ (Quadragesimis „ temporibus omni nudato corpore a discipulo suo virgis „ cædi se præcipiebat,) teste Anonymo in ejus vita n. 5. S. Guillelmus ex Duce Monachus Gellonensis in ejus vit, nu. 31. sæc. 4. (recolens agni occisionem, illas injurias, „ illam accusationem, alapas, sputa, flagella, omnemque „ derisionem, e Fratre familiari, & amico singulari „ fecit se in conclavi pro Christo expoliari, pro illo a- „ djudicari, se judice condemnari, sicque cædi virgis, „ & acriter flagellari.) Sanctus Popo Abbas Stabulensis „ (carnem jejuniis, flagellisque atterebat, ut quidquid „ vitiosum sua caro adversus spiritum concupisceret, ipse „ flagellis propria sibi manu illatis extergeret,) ut scribit Everhelmus in ejus vita n. 59. Boll. 25. Jan. sed quod de S. Dominico Loricato refert Petrus Damiani Opusc. 15. c. 14. omnem pene exsuperat sensum: „ (Idem senex, „ Dominicus nomine, nonnunquam uno die continuato „ cum nocte, novem psalteria meditando decurrit, & in- „ terim pene semper utraque manu, scopis armata nudum „ corpus afficit,) in vit. S. Dom. c. 10. & Opusc. 50. c. 14. Alia iterum vice duodecim psalteria continentes absolvit, ac decimum tertium incepit, virgis interim indesinenter se cædens. Vid. Hieron. Monach. Camaldul. in serm. de S. Romualdo num. 23. apud Boll. 7. Feb. Et hic erat apud Monachos disciplinarum usus ad undecimum usque sæculum, in quo, quod hactenus fuerat aut delinquentium Monachorum pœna, aut spontanea ultro pœnitentium satisfactio, commune nonnullis in Cœnobiis evasit omnium Monachorum exercitium, agente in primis Petro Damiani, qui in Cœnobiis a se institutis morem invexit, disciplinas feriis sextis universaliter faciendi, ut ipse testatur ad Desiderium Cassinensium Abbatem ita scribens, Opusc. 33. cap. 3. „ (Sexta quoque feria vivi- „ ficæ cruci non inconvenienter adscribitur, quæ scilicet dies „ pendentis in cruce glorioso Sanguine purpuratur, qua „ die omnes Fratres nostri, quos utique Monasterialis „ ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriæ salutis „ adjiciunt, ut & se mactent in capitulo vicaria collisio- „ ne scoparum, & insuper celebrent in pane & aqua je- „ junium.) Idem in omnibus quibuscumque potuit Monasteriis, qua verbo, qua exemplo observari laboravit, nec destitit, quin in principe, & capite omnium Monasteriorum, Cassinense intelligo, piam hanc salutaremque consuetudinem introduceret. Ideo enim, ut scribit Leo Marsicanus Chron. Cassin. l. 3. c. 21. „ (ad Monasterium veniens, „ cum verbo pariter & exemplo ad Dei servitium quoscum- „ que posset ferventer accenderet, tandem permissionem „ Domni Abbatis ab omni congregatione obtinuit volun- „ taria oblatione, in remissionem peccatorum omnium, „ ut sexta feria per totum annum pane & aqua conten- „ ti, disciplinam singuli facta confessione perciperent.) Leoni suffragatur Joannes Petri discipulus in ejus vita, ubi postquam invectæ ab eo in aliquibus Monasteriis consuetudinis feria sexta jejunium in pane & aqua peragendi, & scoparum disciplinam in capitulo suscipiendi mentionem fecit, subdit cap. 19. „ (Denique omnis illius ad- „ hortatio adeo cooperante Domino fructificasse dignosci- „ tur, ut insigne illud quoque Cassini montis Cœno- „ bium tanto eam fervore sumsisset, quod præfata omnia „ inter regularia mandata conscribenda statuisset.) Cassinensis Monasterii exemplum quamplurima alia Monasteria ad sui imitationem pertraxit, ut discimus ex eodem Petro Damiani Opusc. 43. ad Monachos Cassinenses hunc in modum scribente: „ (Observatio sextæ feriæ, dile- „ ctissimi, cui vestra sancta devotio dedicavit, & jejunii „ salutaris inediam, & apostolicorum verberum discipli- „ nam, quot hominum multitudines ad exemplum salutis „ adtraxerit, & tanquam novella divinæ plantationis oli- „ væ in exuberantium germinum propagine pullulave- „ rit, testes sunt non modo Monasteria vestra, hoc est, „ quæ suorum gaudent imitari vestigia Magistrorum, sed „ & multitudines urbium, atque villarum, quæ se „ communiter ingerentes, atque lætantes idipsum plausi- „ biliter arripiunt institutum.) Adeo feliciter recepta per universa passim Italiæ Monasteria disciplinæ observatio ad alias, etiam exteras nationes, brevi disseminata est, quod probat liber Miraculorum S. Virgilii Episc. Saltzburgensis n. 7. sæc. 3. Ben. part. 2. p. 318., in quo refertur „ (quod „ Monachus quidam de *Rottenbuklach* diutino langore scapulæ „ laborans, dum in comitatu Abbatis sui quodam tem- „ pore iter ageret, prætaxata passione graviter correptus, „ accepta via defecit viribus corporis destitutus. Cæterum „ juxta monachicæ Regulæ rigorem forte diem, in quo „ flagella carnis monachi de more suscipiunt, adesse, con- „ tingit, & cum cæteris, qui tunc aderant, etiam ille „ morbidus coram Domino Abbate prosternitur castigan- „ dus; partem quoque dorsi, videlicet saniorem, plagis „ exponens, cum bene exaratam sensisset, alteram quoque „ cui pepercerat, in honore S. Virgilii flagellari suppli- „ citer postulavit, post cujus petitionis effectum plena- „ riæ salutis adeptus est præsidium.) Atque ita ad nos usque pervenit disciplinarum feria sexta usus, opera S. Petri Damiani potissimum institutus, & promotus; quamvis ipse illius author videri minime voluerit; nam scribens ad Petrum Cerebrosum monachum: „ [Hoc itaque di- „ sciplinæ genus, *inquit*. *l. 6. ep.* 27. nequaquam modernis „ est studiis noviter adinventum... nam, & ante nos „ omnibus fere sanctis monasteriis, hæc disciplinæ regula „ nequaquam fuit incognita, etsi non adeo frequentata, „ unde & singulos annos pœnitentiæ millenis scopis re- „ dimere consueverant.) Porro institutum istud a se tantopere promotum omni nisu conservare studuit; unde cum suadente Stephano S. R. E. Cardinali Cassinenses disciplinam aliquandiu intermisissent, scripto ad eos opusculo 43. *de Laude flagellorum*, multis rationibus ad priorem observantiam revocare conatur; quod & ab ipsis obtinuisse pie credimus. Ipse tamen ad Congregationis suæ eremitas scribens l. 2. epist. 34. hanc eis disciplinæ legem tulit: „ (Adhibito discretionis moderamine con- „ stituimus, ut ad disciplinam sibimet ingerendam nullus „ in eremo compellatur; quem vero sanctus ad hanc „ fervor impellit, per quadraginta psalmos in unoquo- „ que die disciplinam sibi facere liceat: ita dumtaxat, „ ut quadragenarium hunc psalmorum numerum non ex- „ cedat. In duabus autem Quadragesimis, quæ videlicet „ Natalem Domini, vel sacrosanctum Pascha præcedunt, „ usque ad sexaginta psalmos cum disciplina procedere li- „ ceat; neque hanc mensuræ, quam præfigimus, regu- „ lam temerarie, quod absit, quisque præsumtione tran- „ scendat.) Legis hujus caussam discipulis suis ibidem significat his verbis: „ (Propterea scilicet corpora ve- „ stra viribus effœta deficiunt, & aliquando sicut a qui- „ busdam creditur, tot allisionibus labefacta langue- „ scunt: nimirum cum nonnulli vestrum unum conti- „ nuum, vel etiam duo psalteria quotidie cum discipli- „ na decurrant. Huc accedit, quia plerique fratres veni- „ re volentes ad eremum, cum hæc audiunt, perculsi „ formidine deterentur. Et quia disciplina durior cre- „ ditur, quam sentitur; & austerioris est formidinis, „ quam doloris; cum eam apud vos, tam longam fieri „ fratres quique debiles audiunt, medullitus expave- „ scunt, & ab accessu protinus eremi revocantur.) Hæc de disciplina brevi delibasse sufficiat, qui plura desideraverit videat Bened. Heuftenum lib. 8. tract. 4. integro.

CAPUT XII.

De consuetudinibus Sabbati.

I. INter Sabbati consuetudinibus recensendæ sunt, I. Singularis nostrorum erga Deiparam Virginem Mariam devotio. II. Officialium institutio. III. Monasterii munditiæ.

IV. Fratrum mandatum. V. Scrutatio lectorum. VI. Denique operis manualis ab hora nona cessatio. Hæc omnia breviter perstringenda sunt.

II. Addictum ab initio fuisse solido B. Virginis cultui Benedictinum Ordinem nemo est, qui nesciat. Testantur hoc tot tamque docta plurimorum Monachorum ad ejus laudem Scripta, ædificata insigniorum Cœnobiorum ad ejus honorem templa; institutæ de ea speciales festivitates, & alia id genus permulta. Ne quam vero diem (a) aut hebdo-

(a) In multis olim monasteriis una quotidie Missa de B. Maria dicebatur. De Tironensibus habemus exemplum in vita B. Bernardi primi Abbatis Tiron. n. 76. apud Boll. 14. Aprilis, qui „ (ad honorem ipsius B. M. Missam de ea „ pro salute omnium monasterio suo beneficia impendentium, „ & maxime Canonicorum Carnotensium, singulis diebus „ perpetuo celebrare instituit: quæ usque in hodiernum diem „ solemniter celebratur,) inquit Gaufredus. De Cluniacensibus extat Petri Venerabilis Statutum 54. „ (ut ad altare „ matutinalis Missæ; quod est consecratum in honore B. „ Mariæ, de eadem matre Domini Missa quotidie secreto „ cantetur.] Idem de Cisterciensibus colligitur ex vita B. Vvalteri de Birbeko n. 7. apud Bolland. 22. Januar. „ (Hic „ enim Missæ quotidianæ, quæ in Conventu de Domina „ nostra celebratur, semper interesse voluit.)

hebdomadam absque singulari etiam ejusdem cultu transige-
rent, præter parvum Beatæ Virginis officium, quod pri-
mi omnium quotidie recitandum, & susceperunt, & ubi-
que propagare studuerunt; etiam integrum in hebboma-
da diem Sabbati ejus cultui consecrarunt: hoc non obscu-
re significare videtur Petrus Damiani, cum ad Desiderium
Casinensem Abbatem scribens ait op. 33. c. 3. „ (Pul-
„ cher etiam mos in nonnullis Ecclesiis inolevit, ut spe-
„ cialiter ad ejus Sanctæ Mariæ honorem per omnia Sab-
„ batum Missarum celebrent officia, nisi forte festivitas,
„ vel feria quadragesimalis obsistat.] Hæc plane observabat
haud dubium, in suis monasteriis, & eremis, ut ex con-
sequentibus colligitur. Eamdem institutionem, forte etiam
hortante Petro Damiani, in suo Cluniacensi monasterio
invexit S. Hugo Abbas, ut discimus ex antiquo Corbe-
jensi Ordin. tempore S. Hugonis MS. cujus hæc verba:
„ [Sciendum quoque, quod a Domno Hugone totius
„ religionis præcipuo cultore, in communi capitulo,
„ rogatu, & assensu Fratrum sancitum est, ut ab octa-
„ vis Pentecostes usque ad Adventum Domini, etiam
„ per octavas S. Benedicti, & his similes, & ab octavis
„ Epiphaniæ usque ad LXX. cantatur Missa major de
„ intemerata, & perpetua Virgine Maria Dei genitrice,
„ spe nostra singulari, post Filium suum in illis Sabbatis,
„ quæ vacant a festivitatibus vel a ferialibus Epistolis,
„ vel Evangeliis, quæque quolibet modo in aliis feriis
„ per hebdomadam dici potuerint, sive a Dominicali offi-
„ cio duabus vicibus, vel amplius dicto, etiam si non vi-
„ ce ad missam minorem dictum sit, & alia per hebdo-
„ madam ad majorem, & in octavis similiter dicto, scili-
„ cet ad minorem Missam in Dominica, & in alia feria.
„ Quod etiamsi Sabbatum occupatum sit, in una aliarum
„ feriarum, quæ a festivitatibus, vel ferialibus Epistolis,
„ vel Evangeliis, seu Dominicali officio, modo, quo
„ supra dictum est, vacuæ fuerint, in toto jam dicto
„ tempore eadem commemoratio celebretur.) Idem de-
cretum a Benignianis nostris statim receptum fuisse docent
S. Benigni consuet. c. 68. De Dionysianis habemus Suge-
rii Abbatis constitutionem apud Chesnium tom. 4. pag.
546. Primi quoque S. Stephani postea Abbatis Obazinen-
sis discipuli in ejus vit. l. 1. n. 22. „ (Sabbato sole-
„ mnisabant ob honorem B. Mariæ Dominæ nostræ cum 12.
„ lect. & duabus Missis, quibusdam eas festivis decanta-
„ tionibus illustrantes ob honorem, & reverentiam illius
„ almæ Dei Genitricis.) De Cisterciensibus idem con-
stat ex lib. institutionum, in quo hæc lego: „ (In omnibus
„ Sabbatis omnino vacantibus, Missa de B. Maria sole-
„ mniter cum tribus ministris, sine flexione genuum, omis-
„ sis usitatis collectis, in conventu cantabitur cum *Glo-*
„ *ria in excelsis*, & præfatione: *Et te in veneratione* &c.
„ Idipsum, qui Sabbato cantaverint privatim de B. Ma-
„ ria observent.) Denique Rituale Becensis monasterii so-
lum officium ita disponit: „ (Ab octava Pentecostes us-
que ad Adventum, si Sabbata vacant, totum dicunt de
„ S. Maria, præter lectiones a Calendis Novembris us-
„ que ad Adventum, & ab Oct. Epiphaniæ usque ad
„ caput jejunii. Si vero festum 3. lect. in iis Sabbatis
„ evenerint, comm. tantum habeat ad majorem Missam,
„ quæ erit festiva de S. Maria. Si vigilia festiva, vel
„ non festiva, vel Quatuor temporum evenerit, Missa
„ matutinalis erit festiva de S. Maria, & comm. ad eam
„ de festo trium lect. si fuerit, & tunc non fit comm.
„ ad majorem Missam de S. Maria. Quando agitur de
„ S. Maria, & unum de Quatuor temporibus evenerit,
„ & hæc quatuor similiter evenerint, fiat comm. de S.
„ Maria, vigilia, jejunium, & festum 3. lect. Missa
„ matutinalis erit de vigilia, post primam collectam ora-
„ tio: *Inclina Domine*, cum cæteris: major Missa de jeju-
„ nio prima comm. de S. Maria, deinde de festo, om-
„ nes tamen horæ diurnæ usque ad Vesp. de sancta Ma-
„ ria. Sciendum autem, quod infra omnes oct. Sabbato
„ totum fit de S. Maria, comm. tamen fit ad Vesp.
„ & ad Laudes de oct. & ad majorem Missam, exceptun-
„ tur oct. Nat. Domini, & Paschæ, & Pentecostes. Item
„ in Sabbatis Adventus Domini, & a capite jejunii us-
„ que ad Pascha, nihil fit de Sancta Maria, nisi tantum
„ Missa matutinalis non festiva, & tunc non fit comm.
„ de ea ad majorem Missam) &c.

III. Porro istud B. Mariæ in Sabbato officium a mo-
nachis Occidentalibus, idest Benedictinis, acceperunt Cle-
rici, ut tradit Baronius ad annum 1056. quod si credi-
mus Radulfo Tungrensi, l. de can. observ. propos. 22.
factum est in Concilio Claromontensi ann. 1096. in quo
Urbanus Papa secundus, & ipse Benedictinus, statuit
„ (quod horæ B. Mariæ Virginis quotidie dicantur,
„ officiumque ejus diebus Sabbatorum solemniter fiat.) Missæ
vero hæc die dicendæ authorem faciunt Alcuinum mona-
chum Benedictinum, qui illam, aliasque de Trinitate,
de Angelis, de Spiritu sancto, de Cruce, ad precem S.
Bonifacii Moguntini Episcopi, qui & ipse Benedictinus
fuerit, composuit, si Gavanto fides sit.

IV. Officialium institutio, de qua hic, ea præsertim
officia respicit, quæ hebdomadatim apud monachos exerce-
bantur, ut sunt ea, quæ MS. Germaniæ consuetudines
recensent his verbis n. 14. „ (Officium hoc prosequatur
„ ordine. Primum choro præficiatur Hebdomadarius har-
„ moniæ, deinde Missæ legantur & epistolæ, & Responso-
„ rium, alleluja quoque, & Evangelium. Postea lector
„ mensæ fratrum, & alius servitorum, aliquis colla-
„ tionis, seu novitiorum. Tunc servitores Ecclesiæ in-
„ ferantur, omni tempore ex illis, qui laici conversi
„ sunt, vel qui minoris utilitatis sunt in choro: ad ulti-
„ mum coquinæ.) Horum institutio duobus modis fiebat:
vel etiam prius notati in tabella seu brevi, publice pronun-
ciabantur in Capitulo sabbatino, vel notati in tabella,
patenti aliquo in loco omnium obtutibus exponebantur.
Prior antiquis magis placuit, ut patet ex MS. Germaniæ
consuet. n. 10. „ (Breve Cantorum, & lectorum, seu
„ servitorum pridie antequam in *capitulo recitetur* scribi
„ debet, verb. gr. si Sabbato est legendum, feria se-
„ xta ante Nonam sit compositum &c.) ex libro Usuum
Cisterciensium c. 70. in quo præscribitur, ut in Capitulo
finita lectione Regulæ, Lector „ (accipiens tabulam, le-
„ gat breve, si ipso die legendum fuerit;) huncque ri-
„ tum respicere videtur Leo Marsicanus, cum loquens de
Casinensi monasterio tempore Desiderii Abbatis fulmine
icto (chron. Cas. l. 3. c. 21.), inter alios fulminis ef-
fectus „ (in capitulo, *inquit*, officiales excidit tabulas,
„ ipsamque tabulariam quasi mortuam reddidit.) Posteris
tamen magis arrisit modus posterior, unde ceremonialia S.
Justinæ part. 1. c. 4. „ (habeat Sacrista tabulam in
„ choro, vel juxta, prout Prælatus ordinaverit; in qua
„ secundum ordinationem Superioris, tales officiales, qui
„ possunt ipsa officia bene & ædificatorie complere, ha-
„ beat descriptos ordinate; & divisim per choros. Primo
„ Hebdomadarios officii, secundo Cantores, tertio Suc-
„ centores, quarto Antiphonistas. Tabulam hanc sem-
„ per ordinet Sabbato, antequam pulsatur tertium signum
„ Vesperarum.)

V. Formulare vero sive describendi, sive pronunciandi
officiales, discere possumus ex ea, quam ex Bernardo Cas-
sinensi refert Arnoldus Wion his verbis:

Ceremonia sacri Monasterii Cassinensis facta per D. Bernardum Abbatem Cassinensem.

„ Vicarius ordo postulat, ut in hac futura hebdomada
„ canat Nonnus Amicus Missam, Epistolam frater Desi-
„ derius legat, Evangelium, responsorium, & versum fra-
„ ter Vincentius canat, lectionem memoriter frater Tho-
„ mas legat; lucernam frater Andreas procuret: coqui-
„ næ servitium Nonnus Remigius cum fratre Macario fa-
„ ciat; lectionem ad mensam frater Antonius legat; ad
„ Collationem, vel ad Capitulum frater Maurus legat;
„ servitium Ecclesiæ Nonnus Jacobus cum fratre Basilio
„ ministerio succedat.

VI. Apud Cistercienses, cum lector tabulæ majorem
aliquam se pronunciabat, eum *Nonnum* nominabat; si
inferiorem, *frater*; & ita etiam se ipsum pronunciabat.
Hinc liber Us. c. 70. „ (Quod si Subprior Capitulum
„ tenet, & qui legit Prior ipsius fuerit, si eum pronun-
„ ciaverit, fratrem eum nominet, & sic etiam se ipsum
„ nominet.) Addit liber Usuum, „ (& dum breve reci-
„ tatur, qui nomen suum intellexerit, inclinet;) quod
multo ante præscriptum reperitur in antiquis Germaniæ
consuetudinib. n. 24. his verbis: „ (Observandum tamen
„ est, ut cum monachus nomen suum audit recitare,
„ devotissime se inclinet, & corde gratias agat.) Sed
„ quid si in assignato sibi officio exequendo impar sit?
„ (Cui autem hebdomada aliqua ascripta fuerit, si intel-
„ ligat se illam propter quamlibet incommoditatem non
„ posse complere, potest inde misericordiam in præsen-
„ ti capitulo quærere, nam extra non licet quod tamen
„ si pro gravi necessitate fieri contigerit, sequenti capi-
„ tulo veniam petat, & necessitatem intimet,) inquiunt
Cistercienses in libro Usuum.

VII. Quæret aliquis cujusnam esset hujusmodi officia-
les instituere, & in tabella notare. Respondebit Haefte-
nus ex Statutis Lanfranci, fuisse Cantoris, cui etiam
munus illud assignant Cistercienses, Bursfeldenses, & Val-
lisoletani. Apud Cluniacenses autem, Armarii, quod pro-
bat ex vetusto Affligemensi Rituali, patetque ex Udal-
ri-

rico l. 3. c. 10. At forte Cantor ipse etiam Armarius erat. Sed paulo aliter præscribunt MS. consuetudines Germaniæ n. 14. a quibus nimirum diversis hoc munus committitur: „ (Hoc autem prætaxatum breviarium, sicut „ jam diximus, pridie antequam sit legendum, scribi de„ bet suis scilicet auctoribus *per antiquam consuetudinem.* „ Hebdomadarius Cantor solummodo scribat capita anti„ phonarum, & psalmorum, & Responsoriorum quo„ que, & versuum. Cantor nomina inchoantium, & can„ tantium in die, etiam Responsoriorum, quis vel alter „ canat. Armarius lectoris Missæ etiam, Epistolæ, E„ vangelii, mensis Fratrum, Servitorum, Novitiorum „ collationes prosecutores. Tandem a Cellerario coquinæ „ cultores assignentur.) Addunt tamen „ (notandum „ vero, quod non jugiter hoc attendi potest:) ubi certe illud observatu dignum est, quod non solum officiales in tabella notabant, sed etiam cantanda omnia per hebdomadam, ita ut „ (cuicuique antiphonæ, vel Responso„ rio nomen monachi tribuatur, & psalmus, & versus;) quæ de re hæc reperio in antiquo libro Usuum Beccensium n. 10. „ (In omnibus festis XII. lectionum post heb„ domadarium scribuntur in tabula, in primo nocturno „ Abbas, & Prior: si hebdomadaria fuerit in choro Ab„ batis, hoc est in dextro; post hebdomadarium scribitur „ Prior, dein Abbas: si hebdomadaria in choro Prioris, „ hoc est in sinistro; post hebdomadarium Abbas, dein „ Prior; & sic cæteri per ordinem huic inscribuntur. Ad „ quartam Lectionem Armarius idest Cantor; ad VIII. „ ℟. & ad XII. Lect. Abbas; ad VIII. Lect. Prior, & „ ad XII. ℟. si IV. ℟. a duobus dicitur, cum Abbate, „ Cantor, & Capellanus Abbatis; cum Priore duo similiter „ scribantur, quos Cantor voluerit; in præcipuis festis „ plures scribantur.)

VIII. Ne quis vero in eodem sæpius exercendo officio plus æquo gravaretur, præter officialium tabellam, apud Cluniacenses erat & alia *non inutilis*, inquit Udalricus l. 3. c. 10. in qua fratres, qui servierant in coquina, omnes per ordinem scribebantur, ne forte contingeret, ut quisquam frequentius, quam alius, eo munere fungeretur. Et tamen Lanfranci statuta volunt, ut omnes fratres ad omnia „ officia notentur „ (non considerato conversionis ordine, „ aut voluntate eorum; sed secundum quod Cantori vi„ sum fuerit, honestatem, aut ædificationem in hoc vigi„ lanter considerandi.)

IX. Porro mos iste notandi officiales in tabella, a monachis etiam transiit ad Canonicos, ut videre est in Concilio Basileensi sess. 21. cap. 7.

X. De monasterii munditiis, quas Sabbatho fieri S. Benedictus præscribit regulæ c. 35. illud tantum observandum venit, quod scribit Hildemarus Comm. in Reg. S. B. c. 35. morem sui temporis, haud dubium, referens: „ (Nunc quia labor grandis est, eo quod non possent „ servitores in coquina servire, & iterum porticus scopare, „ & cæteras munditias facere; idcirco dividitur isto mo„ do; id est: In die Sabbati scopatur coquina, & lavan„ tur lapidea, & scutellæ, sive etiam scamna; in altera „ vero sequenti hebdomada, scopant totas porticos, id „ est ante coquinam, & ante refectorium. Capitulum „ vero, & dormitorium, ante vestiarium debet Came„ rarius scopare; & ante basilicam Basilicarius. Refecto„ rium vero Cellerarius debet scopare; si labor illi fue„ rit, debet petere adjutorem a Decano.) Nos vero ita Sabbatinis diebus munditias monasterii peragimus, ut nullus ab hoc munere eximatur, in quo exsolvendo, quod cuique sit verrendum, post solitas preces, pro libitu, & voluntate assignat superior. Præter has monasterii munditias, erant & aliæ, pedum scilicet, a servitoribus coquinæ ex regulæ præscripto Sabbato faciendæ, quas vulgari nomine Mandatum appellamus, de quibus diximus in commentario ad c. 35. dictisque nihil superaddendum credimus, nisi quod in nostro Sancti Germani a Pratis monasterio, duplex Sabbato fiebat mandatum post Vesperas. Utramque sic describunt MS. ejusdem monasterii consuetudines: Post Vesperas: „ (ibit conventus „ in dormitorium, & discalciabunt sotulares, & acci„ pient botas, & facient Mandatum in claustro pro ut „ consuetum est; postea sonabitur tympanum, & ibit „ conventus ad potum; Hebdomadarius Missæ dabit „ benedictionem: *Potum servorum suorum filius Dei* „ *benedicat*. Postea prior pulsabit campanam dasil, & „ conventus ibit in capitulum; Hebdomadarii coquinæ „ intrantes, & exeuntes accipient linteamina, & præ„ cingent se illis; & quando parati fuerint, Prior per„ cutiet tabulam sæpius, & tunc intrebit capitulum, „ & sedens discalciabit se, & omnes alii similiter, & „ Prior incipiet: *Mandatum novum*; & tunc lavabunt „ pedes Prioris illi Hebdomadarii, habentes aquam ca„ lidam in tintinnabulis, & sic lavabunt pedes omnibus „ in ordine. Interim cantabunt antiphonas, cantore inci„ piente: antiphona: *Ubi est Charitas*; antiphona: *Ibi nec ira* „ *est*; antiphona: *Christus descendit*; antiphona: *exemplum* „ *præbuit*, & alias, prout tempus exquisierit. Expleto „ Mandato pedum & manuum, Sacrista accipiet licentiam „ ante pulpitum capituli per signum manus pulsandi col„ lationem.)

XI. Forte primum Mandatum, erat Mandatum pauperum; secundum Monachorum; vel primum manuum, secundum pedum; quod aliis expendendum relinquimus. Verum non solum pedes lavabantur; sed ipsa etiam indumenta pedum, saltem id de pueris affirmat Udalricus, & MS. consuet. Cluniac. „ (In omni quarta feria, si est „ privata dies, & in Sabbato lavant calceos suos post ves„ peras) inquiunt, ubi de pueris; quibus consentiunt, ni fallor, Cons. Farfenses.

XII. Cum S. Benedictus fratrum lecta frequenter scrutari præscribat, id saltem in hebdomada semel fieri necesse erat. Huic officio Sabbatum assignat Regula cujusdam ad Virginem, his verbis: „ (Omnibus Sabbatis, post „ horam orationis nonam, tam senior, quam juniores „ præpositæ, lectos omnium sororum visitent, & faciant „ propter earum negligentias inquirendas, aut si aliquid in„ veniatur illicite, & sine commeatu retentum.) Idem bis in hebdomada fieri præscribit S. Fructuosus Reg. c. 17. semel in mense S. Isidorus Reg. cap. 14.

XIII. Restat, ut de cessatione operum manualium ab hora nona Sabbati, quo majori cum devotione, & reverentia Dominica observaretur, aliqua proferamus exempla: Egregium suppeditat nobis Regula Magistri, edita hanc in rem singulari capite *De Cessatione Dominica*, ubi sic loquitur; „) A nona hora Sabbati post refectionem in „ æstate jam legant; in hyeme a nona in Sabbato, sicut „ constitutum est superius, non operentur; sed etiam, „ & sequenti die Dominico ab omni opere laboris cessent, „ & etiam a meditatione quotidianæ consuetudinis „ per tres horas in die, in utrisque temporibus hyemis, „ vel æstatis. Sed post missas Ecclesiæ, pro voluntate „ sua, quis quid voluerit, aut delectatus fuerit, ex suo „ arbitrio legat: vel omnem licentiam repausationis ha„ beant; ut lætentur sibi ad requiem diem Dominicum „ constitutum.) Aliud exemplum profert Anonymus, in vita Sancti Aicadri Abbatis Gemmeticensis n. 25. sæc. 2. „ (Quadam die, quæ nominatur Sabbatum, quo so„ lent Monachi exercere novitia, sanctus Dei famulus „ *Aicadrus* præcepit cuidam Monacho Procuratori suo, „ ut capillos sancti sui capitis, cum forcipe adæquaret; „ qui illico festinanter explens, hoc quod a sancto Patre „ visum fuerat, forcipe aliste, hoc quod illicitum erat „ prætergredi, cum summa reverentia fieri procurabat; „ eratque jam illo in die, tamquam hora diei nona tran„ sacta, & hoc attentissimus animarum sanctarum pro„ curator aliis præventus, & occupatos curit, minime san„ cto suo studio, tunc hoc pro excolenda memoria com„ mendabat;) cui cum diabolus exprobraret: „ (Hora „ nona transacta est, operari non licet;) tunc respondisse fertur: „ (Et hora nona transacta babetur, & hoc, „ quod hic in proprio corpore injuste egi, ipse peccavi; „ attamen opus male a me inceptum omittatur nunc im„ perfectum.

CAPUT XIII.

De Ritibus per mensem contingentibus & maxime de sanguinis minatione.

I. QUæ de priscis monachorum ritibus per mensem contingentibus, apud authores reperire licuit, pauca sub uno capitulo comprehendere necesse fuit. In his primo observandum est, quod præscibit S. Fructuosus in Regula monastica communi c. 10. „ (Per ca„ pita mensium Abbates de uno confinio, uno se copu„ lent loco, & mensales litanias strenue celebrent, & pro „ animabus sibi subditis auxilium Domini implorent.) Huc referendum est, quod in libello supplici ad Carolum Imperatorem postulant Fuldenses monachi n. 1. nempe ut „ (in Calendis omnium mensium unam vigiliam, & „ quinquaginta psalmos pro fratribus defunctis sibi di„ cere liceat.) Et Statutum monachorum Provinciarum Bituricensium, & Burdegalensium in Capitulo Provinciali an. 1367. editum, apud Labbeum Bibliothecæ novæ Tomo 2. pag. 758. ut „ (ex filiali affectio„ ne in qualibet Provinciarum monasterio hujus Ordinis „ singulis mensibus a modo Missa S. Spiritus solemniter celebre-

„ celebretur in qua conveniunt Abbas, & alii administratores, & monachi, pro salute, & incolumitate SS. in Christo Patris Domini Domini Urbani Papae, & sui Sancti Collegii Cardinalium, ut post decursum praesentis vitae perveniant ad vitam sempiternam.)

II. Secundo. Inter mensis consuetudines referre oportet antiquum morem rationis reddendae ab Oeconomis de sua administratione, cujus meminit S. Hieronymus ad Eustochium scribens ep. 22. „ (Opus diei statutum est, *inquit*, quod Decano traditum fertur ad Oeconomum, qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddit rationem.) Idem Praeposito, cui omnem monasterii substantiam committit, S. Fructuosus injungit in Regula monastica communi c. 11. „ (Quod per singulos menses expensum fuerit, per omnium capita mensium rationem suo Abbati faciet, & hoc cum tremore, & simplicitate, & vera cordis humilitate, tanquam Domino redditurus rationem.) Hujus rei praxim apud Nostros videre est in vita S. Johannis Gorziensis, qui prius monasterii sui Cellerarius „ (quaecumque nummis, vel quibuslibet aliis rebus expendit, summam eorum in breve notatam Abbati, post hebdomadam, aut mensem reddidit,) ut refert in ejus vit. Johannes Mettensis Abbas n. 73. saec. 5.

III. Tertio, S. Poppo Abbas Stabulensis „ (trecentos singulis calendis Christi pauperes plene reficiebat,) ut scribit Everhelmus in ejus vit. n. 60. apud Boll. 25. Jan.

IV. Quarto, MS. Germaniae consuetudines praescribunt n. 22., ut „ (Sanguinis minutio generaliter fiat in Calendis (*a*), nisi forte occurrerit praecipua solemnitas, pro qua re, aut anticipanda erit, aut differenda in postmodum;) quae res nos impellit, ut de sanguinis minutione aliquid hic loci dicamus: licet statutum legamus in Concilio Aquisgranensi can. 11. „ (ut certum phlebotomiae tempus non observent: sed unicuique, secundum quod necessitas postulat, concedatur; & specialis in cibo, & in potu tunc consolatio praebeatur;) Neque apud Udalricum, neque in MS. Cluniacensium consuetudinibus ullos videamus dies assignatos ad secandam venam, constetque olim magna cum religione in omnibus passim monasteriis observatos fuisse Aquisgranensis Synodus Canones, quibus tamen hac in re, praeter antique Germaniae monasteria, in quibus praecitatae MS. consuetudines erant in usu, derogarunt Cistercienses, Bursfeldensesque monachi. Et quidem Cistercienses permittentes lib. Usuum cap. 90. ut „ (quater in anno minui possint, & si fieri convenienter potest, his minuantur mensibus Februario, Aprili, Septembri, quarta vero minutio circa festivitatem S. Johannis fiat;) quibus fere consentiunt Bursfeldenses cum statuunt dist. 3. c. 14. ut „ (quater in anno habeatur minutio generalis, scilicet ante Adventum Domini, ante quinquagesimam, post octavam Paschae, & post festum Sancti Bartholomaei congruo observato tempore;) Sed & Guigo in antiquis Cartusiensium monachorum Statutis „ (Minuimur, *inquit* c. 39. in anno quinquies: post octavas Paschae, post solemnitatem Apostolorum Petri, & Pauli, secunda hebdomada Septembris, septimana ante Adventum, & hebdomada ante Quinquagesimam;) Et antiqua Praemonstratensium Statuta dist. 1. cap. 13. „ (Minutio quoque in terminis istis fiat; prima erit feria 2. post octavas Paschae, secunda post festum B. Johannis Bapt. tertia post Nativitatem B. Mariae, quarta post festum B. Martini hyemalis, & quinta in Purificatione, sexta autem in dispositione Abbatis remanebit.

V. Cluniacenses vero nullos, ut diximus, ad minutionem sanguinis dies determinatos habebant; sed cum opus esset „ (omni tempore praeter quadragesimam consuetudinaliter,) ut habent MS. consuetudines, minuebantur, obtenta tamen licentia, quam modo ibidem his verbis descripto petebant: „ (Licentia minuendi a Domno Abbate petenda est, si in tali loco sit, quo is, qui minuendus est, sine licentia ire possit. Eodem modo observandum est, si Domnus Abbas defuerit, a majori Priore. Cum vero ille, a quo petenda est licentia, in Capitulo est; statim finito Capitulo, ibidem signo petenda est; aut si tunc non fuerit commodum, postea; si vero ea die locutio fuerit in claustro, si potest sedere juxta Priorem, verbo petitur; si non potest sedere, signo petitur.)

VI. Porro in hujusmodi generalibus minutionibus n. 22. procurabat Prior, ut „ (unus Presbyter, Diaconus, Cellerarius, idest Hebdomadarius coquinae, vel Refectorarius, mensae Lector, & Secretor, custos Ecclesiae „ idest, remaneant usque in quartum diem, ut nec divino nec humano careant servitio,) quemadmodum loquuntur MS. Germaniae consuetud. sive ut habet lib. Usuum Cisterc. ap. 90. „ (qui extra chorum pro infirmitate est, donec chorum intraverit. Hebdomadarii quoque Missae, aut coquinae, vel lectionis mensae, non se minuunt, nisi pro gravi necessitate misericordiam in capitulo petentibus concessum fuerit. Reversus vero de via eodem die, non se minuat, nisi de consilio Abbatis;) in quibus fere consentiunt Bursfeldenses dist. 3. c. 14.

VII. Praeterea summopere praecavebant, ne duodecim Lectionum festum in secundam tertiamve minutionis diem incideret, aut jejunium aliquod, quod temere violari non posset; ut nimirum possent liberius recreari. Insuper qui certa distinctaque tempora ad minutionem sanguinis habebant, absque urgente gravique necessitate, ab ea in quadragesima abstinebant; quo casu Sabbato id semper praestabant, ut sequenti die Dominico, sine jejunio liberius reffici possent. Qui vero omni tempore, sed tamen cum licentia, minui poterant; abstinebant nihilominus a Dominica Passionis ad Pascha: ita Cluniacenses ex Udalrico, & MS. consuetud. quibus Lanfrancus addit Stat. c. 13. tres dies post Pascha, totidemque post Pentecosten, festumque omnium SS. „ (quia, *inquit*, in eo omnes Sacerdotes pro defunctis Missas celebrare, & reliqui psalmos pro Missis ordinatos dicere debent.) Addunt Floriacenses consuetudines c. 1. „ (Ex quo in adventu, nullus sanguine minuetur, nisi cui in capitulo petita venia conceditur.)

VIII. Adveniente autem minutionum die ita se gerebant: „ (Tempore hyemis, *inquiunt Germaniae consuetudines*, a Calendis scilicet Octobris, usque ad Quadragesimam, quando ad Nonam comedunt fratres, die Calendarum, Horae tempestive pulsentur, atque post mensam tabula Prioris manu percussa congregentur omnes, etiam & ministeriales, antequam reficiantur. Dictoque *Benedicite*, interroget singulatim Prior, quibus sit necessarium venas incidere, cumque didicerit, consignet eis vascula, quae ibi praeparata debent esse ab infirmorum servitore..... Deinde facto signo, communiter in refectorium pergant bibituri potionem; unde exeuntes exuant se diurnalibus calceamentis, & induantur nocturnalibus. Inde conveniant in domo huic ministerio congruenti, in quo inveniatur grandis ignis, & clare ardens, factus a praedicto servitore. Quod si domus non potuerit eos capere, faciant hoc per turmas, & vices suas. Aqua ibi sit, ligamenta brachiorum penes se habeant: calcellos jam habeant depositos ad lectos suos; quando mutaverint indumenta pedum, versum sibi imponant: *Deus in adjutorium* ter: *Gloria*: *Kyrie eleison*: ter: *Pater noster*: *Adjutorium nostrum*: *Benedicite*. Tunc prout sunt, sibi invicem ex charitate serviant, & perficiant ibi hoc, quod sero, & mane regularibus additum est horis, scilicet, & Vesperas de omnibus Sanctis, pro defunctis etiam, cum sequenti vigilia, necnon, & *Deus auribus nostris*. Nullus loquatur ibi, praeter Priorem, & Decanum sine licentia; nullus pro arbitrio suo, quasi tarde faciens, nimium dimittat sanguinem, ne corda palpitet, & in opere Dei sit segnior, nec possit cum aliis consuetudinem servare. Iterum per turmas suas redeuntes refectorium, offeratur eis a Cellerario panis tantummodo, & vinum, vel potius aqua, quae tunc cum suppis, ut fertur a Medicis, salubris est; cum autem signum sonuerit Vesperae, eant in oratorium; & dum complentur quatuor psalmi primi ipsius horae, sedeant ibi: & dum sederint, si expedierit, induant capita pilleis, & cum surrexerint, auferant; numquam in choro standi habeant, nec altaria transeundo, &c..... Post Vesperas autem vadant in refectorium, & dentur unicuique tria ova tenera cum pane, & vino, dicto ante Versu, & Benedictione. Quod si plus eis datum fuerit; gratia est, non debitum. Post Completorium mox eant in dormitorium. Infirmorum minister, sive Decanus, vel Circatores vigilanter praevideant, ne incaute soporati extinguantur.)

IX. Hactenus, & quidem satis fuse MS. Germaniae consuetudines minutionis ordinem, seu ritum antiquum describentes; sequenti nocte minuti vigiliis intererant ex eisdem consuetudinibus, sed sedentes, post quas ex oratorio exibant, lectos repetentes, tum & integro intervallo, usque ad matutinos dormientes. Post Capitulum refectorium adibant, ubi eis a Cellerario serviebatur, consuetumque refectionis ordinem tenebant. Post fratrem vero

[*a*] Sanctus Johannes Gorziensis „ (In sanguinis minutione, quam plus mensa differre vix poterat, curam corporis non respuebat) in ejus vit. n. 93. saec. 5. p. 397.

vero cœnam, ipsi cum servitoribus cœnabant. Sequenti nocte, & die idem præstabant: Tertia vero nocte stando regulares psalmos canebant, nec quicquam cibi, antequam ministeriales panem, & vinum sumerent, accipere præsumebant; qua hora nihil aliud præterea, quam caseum habebant, mox cum aliis accenaturi. Et hic erat apud eos minutionis ordo tempore hyemali. Æstate vero, sive a Pascha ad Idus Octobris, eumdem omnino morem servabant; sed non comedebant quicquam usque post Missam publicam, & tunc solummodo panem, & vinum cum caseo; quia mox post Sextam erant refecturi: feria tamen IV. & VI. hyemalem ordinem observabant. Apud Cistercienses (lib. Usuum cap. 90.), etsi certa essent assignata ad minutionem tempora, non tamen simul omnes minuebantur, sed Prior in Capitulo dicebat: „(Illi qui sedent ad illam, vel ad illam tabulam minuantur.) quod diebus prandii Tertiam inter & Sextam, idque post Evangelium, vel ante, si necesse esset, præstabant; diebus jejunii Sextam inter & Nonam. Minuti pergebant in refectorium, aliquid, si volebant, prægustare; & exinde tempore lectionis, & laboris, aut in lecto jacere, aut sedere in capitulo, vel claustro poterant. Jejunium per tres dies solvebant, lautioribus etiam cibis, quantum tamen Cisterciensium paupertas patiebatur, reficiendi. Completorium, & vigilias nocturnas aut in infirmitorio, aut in capitulo simul dicebant, in quibus vigiliis, inquit liber Usuum „(possunt breviores quam in conventu lectio„nes fieri, & sub una benedictione tres, si tres tantum „dicendæ sunt, vel quatuor in duodecim lectionibus le„gi.) Officium defunctorum omittebant „(Cæteras „vero horas diei, *subdit idem lib. Usuum*, non extra „cantare, sed intus ex integro auscultare debet.)

X. In Statutis Lanfranci cap. 13. hæc assignantur ad minutionem tempora, scilicet „[In hyeme post Evange„lium majoris Missæ; in æstate post Nonam ante Ves„peras; in Quadragesima post Vesperas.) Minuendi antequam vena aperiretur, versum: *Deus in adjutorium meum intende*, ter dicebant, omniaque summo cum silentio persolvebant. Chorum usque in crastinum minutionis diem post orationem Primæ, vel Tertiæ non intrabant, duobusque diebus mixtum sumebant in refectorio. In crastino vero minutionis die clamati in Capitulo surgebant, ad petendam veniam se offerebant; sed jubente Priore stantes loquebantur. Si levis culpa esset, indulgebatur; si talis, quæ disciplina corporali multari deberet, in aliud tempus differebatur.

XI. Apud Cluniacenses vero minuendi post Evangelium Missæ, præmisso ter versu, *Deus in adjutorium*, &c. id summo cum silentio præstabant: minuti refectorium intrabant, panem & vinum sumturi, per tres dies jejunium solvebant, ad nocturnos. His tribus diebus dormientes non suscitabantur, ad intervallum (*a*) in lecto pausabant, proclamati in capitulo veniam non petebant, sed pro venia inclinabant, quæ omnia fusius offendes apud Udalricum l. 2. cap. 22. & in MS. consuetudinibus. Vide Garini Abbatis Sancti Albani Statutum de minutione, apud Matthæum Parisium in vitis viginti trium Abbatum S. Albani pag. 65.

(*a*) Hunc morem respicit Johannes Abbas Mettensis in vita Sancti Johannis Gorziensis, ubi de Angilramno monacho Gorziensi refert, quod „[nisi ob sanguinis minutionem „a somno post nocturnos) abstineret, sæc. 5. Bened. pag. 388.

LIBER TERTIUS, DE RITIBUS

Per annum contingentibus.

CAPUT PRIMUM.

Generales Adventus consuetudines.

ANnum ab Adventu more Ecclesiastico auspicamur, cujus generales primum consuetudines; deinde speciales referre instituimus. Adventus autem nomine intelligimus præparationem ad Domini nostri Jesu Christi diem Natalem, ad quem tribus potissimum rebus præparabant se veteres Monachi; precibus, jejuniis, & secessu ab hominum communi consortio.

II. Et quidem precibus iisdem Dominicam Nativitatem præveniebant, quas ad id adhibere solet universalis Ecclesia, quæ etiam speciales preces, & officia pro Adventu Domini instituit. Sed hujusmodi officia non a Dominica quarta ante Domini Natalem, ut nunc fit, incipiebant; sed prius: nam & in ordine Ambrosiano, ut & in Mozarabo, sex de Adventu Domini Missæ assignantur, pro totidem, haud dubium, Dominicis Nativitatem Domini præcedentibus, existimatque Mabillonius noster Lit.Gall. l. 2. c. 1. non sine fundamento veteres Gallos ab Sancti Martini festivitate Adventum inchoasse. In Ordine vero Gelasiano nonnisi quinque de adventu Domini Missæ adnotantur, ex quo colligimus Adventum Domini olim multis in locis a Dominica quinta ante Nativitatem Domini incæpisse (a) Id certe non obscure innuit Amalarius lib. 3. de eccl. offic. c. 40. vid. l. 4. c. 30. cum de Adventu Domini ita scribit: „ (In antiquis libris Missalium & „ Lectionariorum reperitur scriptum: *Hebdomada quinta* „ *ante Natalem Domini:* totidem enim Lectiones haben-„ tur in Lectionario, & totidem Evangelia a tempore „ memorato per dies Dominicos, usque ad Nativitatem „ Domini.) Vidit hujusmodi Lectionarium, sive Homiliarum in Bibliotheca Augensi Mabillonius noster Analect. tom. 4 p. 632., ubi ipse refertur, jussu Caroli Magni a Paulo Diacono digestum, & ab annis octingentis manu descriptum, cujus initio habetur pro „ (hebdomada quinta an-„ te Natale Domini Homilia in Evangelium secundum „ Johannem: *Cum sublevasset oculos Jesus, & vidisset,* „ *quia multitudo maxima venit ad eum,* &c. pro hebdo-„ mada quarta ante Natale Domini, homil. in Evange-„ lium secundum Matthæum: *Cum appropinquasset Je-* „ *sus Jerosolimis, & venisset Bethphage:* pro hebdomada ter-„ tia ante Natale Domini, homil. in Evangel. secundum „ Matth. *Erant signa in Sole,* &c. pro hebdomada secun-„ dum Johann. *Cum audisset Johannes in vinculis,* &c. pro „ hebdomada prima ante Natalem Domini, homil. in Evan-„ gel. secundum Johann. *Miserunt Judæi ab Jerosolymis.*) Extat etiam in nostra Bibliotheca S. Germani de Pratis codex no. 627. ab annis circiter quadringentis manu exaratus, in quo continentur homiliæ Dominicis diebus in Capitulo vice Regulæ per annum legendæ, ita incipiens: „ (Do-„ minica quinta ante Adventum Domini: *In illo tempo-* „ *re cum sublevasset oculos Dominus Jesus,* &c. Deinde Domi-„ nica prima in Adventu: *In illo tempore cum appropin-* „ *quasset,* &c.] reliqua ut in codice Augensi. Idem videre est in Statutis Lanfranci pro Ordine Sancti Benedicti c. 1. §. 2., in quibus post Octobris, & Novembris consuetudines annus incipitur a Dominica ante Adventum Domini, in qua legebatur Evangelium: *Cum sublevasset.* Hac in Dominica specialis agebatur de SS. Trinitate memoria. Duo primi vigiliarum nocturni de ea dicebantur, Laudes, atque Horæ diurnæ usque ad Vesperas, Tertium nocturnum tantum cum commemoratione ad Laudes obtinebat Dominica. Hac die sermo habebatur in capitulo, matutinalisque Missa de Dominica, major de SS. Trinitate dicebatur. Sed & in Breviario, sive in Ordinat. Cassinensi Institutionis Oratorii, in quo quatuor dumtaxat de Adventu Domini assignantur Dominicæ, ultimo loco, si bene memini, scribitur officium SS. Trinitatis; quod signo est, etiam Dominicam illam, quæ Adventum præcedit, & a qua videtur Lanfrancus annum incipere, etiam apud Cassinenses nostros ab annis circiter sexcentis SS. Trinitati fuisse dicatam. Et tamen in antiquissimo Bedæ Venerabilis Homiliario, cujus meminit noster Mabillonius in ejus vita, quatuor solum Homiliæ habentur ante vigiliam Nativitatis Domini, scilicet in Evangelium *Missus est:* in Evangelium *Exsurgens Maria:* in Evangelium *Fuit Johannes in deserto;* & in Evangelium *Johannes testimonium perhibet;* quod est indicio, multo jam ante tempore usum obtinuisse, ut Adventus a Dominica quarta ante Natalem Domini inciperet.

III. Circa preces in Adventu dicendas, nihil nobis specialiter notatu dignum in præsenti occurrit, nisi quod in Adventu usque ad octavam Epiphaniæ, omittebatur a nostris commem. de Cruce; „ [ea videlicet ratione, in-„ *quiunt MS. Lyrensis Monasterii consuetudines,* quia non „ natum, vel adhuc parvulum inconveniens est prædica-„ re crucifixum. Omittebant etiam Cassinenses nostri Commem. de SS. Trinitate; utrumque Sandionysiani, Compendiensesque Monachi usque ad Purificationem B. Mariæ, ex eorum MS. consuet. Cartusienses Commem. de Cruce usque ad secundam feriam post octavam Paschæ; de B. Maria usque ad primam diem post octavam Epiphaniæ, ex Stat. Guigonis cap. x. n. 1. Eadem ratione processionem post Laudes, & Vesperas toto Adventu ad Crucem, & ad S. Mariam non faciebant. Præterea preces ad nocturnos Matutinos, & Vesperas mutabant, quas sic repræsentat Breviarium Cassin. Institutionis Oratorii. Item Capitula in Adventu Domini usque in vigilia Nativitatis, & a capite Quadragesimæ usque in Cœna Domini in noctur. & Laud. & Vesperis.

Oremus pro omni gradu Ecclesiæ.
Sacerdotes tui induant
Pro Pastore nostro.
Beatus qui intelligit
Pro Regibus & Imperatoribus nostris.
Salvos fac Reges
Pro Episcopis, & Abbatibus.
Deus conserva nos, & nos cum
Pro cuncto populo Catholico.
Salvum fac populum
Pro pace & unitate Ecclesiæ.
Fiat pax in virtute
Pro fratribus & sororibus nostris.
Propter fratres meos, &
Pro iter agentibus.
O Domine salvos eos fac
Pro fidelibus navigantibus.
Exaudi nos Deus salutaris noster
Pro adversantibus & calumniantibus nobis.
Domine ne statuas illis
Pro discordantibus.
Pax Dei quæ exsuperat
Pro pœnitentibus.
Convertere Domine aliquantulum
Pro eleemosynas facientibus.
Dispersit dedit pauperibus
Pro afflictis & captivis.
Libera nos Deus Israel
Pro fidelibus defunctis.
Requiem æternam
Pro peccatis & negligentiis nostris.
Domine ne memineris
Adjuva nos Deus salutaris noster.
Et propter honorem nominis
Pro fratribus nostris absentibus.
Salvos fac servos
Mitte eis Domine auxilium de sancto.
Et de Sion

IV. Easdem omnino preces videre est in Breviario S. Germani a Pratis, & in Collectaneo S. Petri supra Divam, sed in priori adduntur hi duo versiculi: *Domine exaudi orationem meam: Domine Deus virtutum converte nos.* In posteriori: *Domine exaudi orationem meam: Et clamor.*

(a) Vide Menardi notas ad Sacram. S. Gregorii Papæ, p. 115.

mor. Psalmus *Miserere mei Deus. Domine Deus virtutum converte nos: Et ostende: Dominus vobiscum*. Et hæc de precibus: nunc de jejunio.

V. Etsi nullum antiqui Regularum Monasticarum conditores videantur indixisse in Adventu jejunium; non minus tamen certum veteres Monachos, & maxime Benedictinos, singulari jejunio Christi Domini Natalem prævenisse. De Orientalibus egregium habemus Diederici Monachi in præf. ad hist. Illation. S. P. Benedicti testimonium, cujus hæc verba: „ (In diebus Dominicis Adventus Orientales Monachi, velut in Quadragesima, austerius solent vivere, & sub maxima institutionis Monasticæ disciplinæ vigilantius Natale Domini expectare.) De Benedictinis luculentum habemus exemplum apud Bedam Venerabilem lib. 3. hist. c. 27., ubi de Egberto Presbytero & Monacho in Anglia hæc habentur: „ (Addidit votis, quæ diximus, ut semper in Quadragesima non plus quam semel in die reficeretur, & non aliud quam panem, & lac tenuissimum, & hoc cum mensura gustaret ... Cujus modum continentiæ etiam quadraginta diebus ante Natale Domini, totidem quoque post peracta solemnia Pentecostes, hoc est Quinquagesimæ, semper observare curabat.)

VI. Huic certe non cedebant Petri Damiani Discipuli, de quibus ipse de Institutis suæ Congregationis agens: „ (Duabus, *inquit Opuscul.* 15. *c.* 6. illis Quadragesimis, quæ vel Natale Domini, vel Sanctum Pascha præcedunt, nonnulli fratres hic sunt, qui totam hebdomadam jejunando transcurrunt, & quotidie, exceptis Dominicis diebus, in pane & aqua vivunt. Quidam etiam fratres in utriusque Quadragesimæ non solum quibusque festivitatibus, sed & Dominicis diebus coquinalibus abstinent, quod nos in Dominicis diebus primo quidem propter excellentiam Sanctæ Resurrectionis curavimus prohibere, sed rursus coacti sumus fraternæ supplicatione permittere. Vescuntur autem pomis, & herbarum radicibus, et leguminibus infusis, vel etiam elixis;) & infra agens de Eremitis in latere Montis Suavicinii habitantibus: „ (In prædictis duabus Quadragesimis consuetudo tenuit, ut neque Monachis, neque Laicis vini, vel etiam piscis perceptio concedatur, exceptis his quatuor festivitatibus, Sancti scilicet Andreæ, Beati Benedicti, & Dominica Palmarum, & Cœnæ Domini.) Quod de Laicis in prædicta eremo habitantibus, aut hospitantibus intelligendum est. His adde, quæ scribit Nicolaus De Fractura Comm. in Reg. S. Bened. cap. 15. ætatis suæ morem haud dubium referens: „ (Quadragesima Sancti Martini celebratur secundum quosdam ab Adventu Domini usque ad Festum Natalis, secundum alios a proximo sequenti die Sancti Martini usque ad Natale, & hoc in Monasterio Cassinensi. Nonnulli alii, qui ad frugem melioris vitæ suspirant, celebrant Quadragesimam Sanctæ Crucis de mense Septembri, & hoc specialiter servatur in Romanis, ubi consueverunt esse viri longe strictioris vitæ, quam alibi.) Hujusmodi Quadragesimam observabat Johannes Cellerarius, postea Abbas Gorziensis, cujus in vita n. 93. sæc. 5. Bened. hæc legimus: „ (Regulam tolerabiliorem assumsit, ut duas tantum Quadragesimas in anno perageret, unam ante Nativitatem Dominicam, alteram ante Pascha; priorem quidem Idibus Septembris, cum nona hora fratres prandium repetunt, incipiens: sequentem ab octava Epiphaniæ; Dominica tan. & v. communem cæteris tenens refectionem; reliquos quatuor abstinebat dies, pane tantum & aqua lege ipsa contentus, quam diximus;) præterea Concilium Salisburgense anno 1281. celebratum statuit can. 3., ut „ (a Festo Sancti Martini ab omnibus Religiosis usque ad Nativitatem Domini jejunium observetur;) cum multo jam ante tempore Concilium Turonense secundum can. 16. an. 570. indixisset Monachis, ut in Decembri usque ad Natale Domini jejunent. Hinc veteres consuetudines Fontanellenses: „ (Sciendum est *inquiunt*, quod in omnibus Festis Adventus fratres semel in die reficiunt.)

VII. Neque vero hoc ita Monachis extitit singulare, quin etiam Clericis ac Canonicis fuerit commune, ut patet ex Crodegangi Regula pro Canonicis cap. 35. Spicil. tom. 1. „ (Ab ipso transitu Sancti Martini usque ad Natalem Domini, a carne omnes abstineant, & usque ad Nonam jejunent, & omnibus his diebus in refectorio reficiant.) Hinc etiam S. Aldricus Cænomanensis Episcopus ad Canonicorum suorum refectionem in die Ordinationis suæ, quæ 21. Decembris, & in die Dedicationis, quæ 22. contingebat, donat ad „ (pisces emendandos de argento solidos quinque, de caseo autem modium unum,) ut videre est in privilegio ab eo hanc in rem confecto, quod refertur in ejus gestis num. 31. Tom. 3. Misc. Baluz.

VIII. Quid, quod sæcularibus viris eamdem legem per multa sæcula constitutam esse legimus? Concilium Matisconense primum an. 581. celebratum decernit can. 9. ut „ (a feria Sancti Martini usque ad Natale Domini secunda, quarta, & sexta Sabbati jejunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari;) quod ex Institutione Perpetui Episcopi Turonensis esse scribit Gregorius Turonensis item Episcopus in hist. l. 10. c. 31. Author Epistolæ ad Bibianum Santonicæ civitatis Antistitem, sub falso Augustini nomine, quam ex codice S. Petri Carnotensis ante annos octingentos MS. vulgavit Mabillonius Liturg. Gallic. p. 458 „ (Apud nos itaque nos ex ejus (*S. Martini*) solemnitate abstinentia a carnibus, vel conjugali copula filiis Ecclesiæ indicatur, ut ad Nativitatem Domini securius communicent.) Plus aliquid dicit Anastasius Sinaita: ille nimirum in singulari tractatu, quem de tribus Quadragesimis edidit, reprehendit eos, qui Quadragesimas Apostolorum, idest post Pentecostem ante Festum SS. Petri & Pauli, & ante Natalem Domini, quam S. Philippi appellat, inventum esse Monachorum, & non ab Apostolis & Patribus esse institutas assererent, ex quibus, inquit tom. 3. Monum. eccl. græc. „ (Nonnulli diebus octodecim abstinent dumtaxat carne, & caseo, & ovis; quidam vero carne sola, qui reliqua comedunt, excepto uno die; alii autem pari modo abstinent diebus sex. tantum, alii sex, alii quatuor;) & postea: „ (Apostoli xl. dierum jejunium, & preces cunctis fidelibus statuerunt, idque servatum fuit a SS. Patribus, & septem Conciliis Generalibus, atque decretum fuit jejunium non quinque, vel decem dierum, sed quadraginta. Vocatur autem Natalis Domini jejunium, quia in fine quadraginta dierum occurrit salutaris Nativitas Domini nostri Jesu-Christi, dumque bona peraguntur, nam exsequimur traditionem Apostolorum, simulque præpurgamur in occursum, & adorationem Jesu Christi Domini nostri.) Aistulfus Rex Longobardorum in diplomate Monachis Nonantulensibus anno 753. confecto, extat in vit. S. Ans. Abbatis Nonant. sæc. 4. l. 6. c. 187. ab eisdem exigit: „ (Pro benedictione in Quadragesima majore el. Lucios, & in Quadragesima Sancti Martini similiter permissum ipsius Monasterii consignatos in Papiam, aut in Mantuam, sive, si fuerimus, *inquit*, Ravennam.) In Capitularibus etiam Regum a Benedicto Levita collectis istud habetur: „ (Admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, idest quadraginta dies ante Nativitatem Domini, & quadraginta dies ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten quadraginta dies.) Et Rabanus de Instit. Cleric. l. 2. c. 22. „ (Authoritate divinæ Scripturæ Ecclesia morem obtinuit, & universale jejunium incipiens in nono mense in decimum extenditur, idest usque ad diem Natalis Domini pertingit. Congrua itaque dispositione a Magistris Ecclesiæ hoc loco jejunium quadragesimale fieri constitutum est, ut ante diem Natalis Domini jejunio, & abstinentia nosmetipsos castigemus; quatenus venientem Redemptorem digna conversatione suscipere possimus.) Nicolaus Papa I. ad Bulgaros: „ (Hæc jejunia Sancta Romana Ecclesia suscipit antiquitus, & tenet, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha, post Pentecosten, ante Assumptionem S. Mariæ Dei Genitricis, necnon ante Natalis Domini festivitatem.) Sæculo X. Ratherius Veronensis Episcopus in Synodica ad Presbyteros, Spicil. tom. 2. p. 264. „ (In Adventu Domini, nisi festivitas incedat, quatuor hebdomadibus a carne noveritis abstinendum, & coitu.) Sæculo XI. Concilium Salingestadense ann. 1022. celebratum c. 2. „ (ut quatuordecim dies omnes Christiani ante festivitatem S. Johannis Baptistæ, in abstinentia sint carnis, & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente, & ante Nativitatem Domini similiter.) Sæculo XII. in Abrincathensi Concilio an. 1172. celebrato c. 11. apud Spel. tom. 2. „ In Adventu Domini, omnibus, qui poterunt maxime aut clericis & militibus, jejunium & abstinentia carnium indicetur.) Denique insequenti Sæculo XIII. Bracarensi Archiepiscopo Innocentium III. consulenti: „ [Utrum jejunandum sit in Adventu, cum inde sentiant diversi diverse, quibusdam dicentibus, sed paucioribus, jejunandum esse; pluribus vero se ad hoc asserentibus non teneri.) Responsum est: „ [Jejunium etiam apud nos in Adventu Domini agitur.] Hoc tamen nonnullis jam ab hinc Sæculis remissum est, unde Urbanus Papa V. statim ab ipsa Ordinatione sua: „ (Volens curiales Ecclesiasticos sic honeste

„ vivere, quod essent ceteris in exemplum, pœnaliter ordinavit, quod omnes generaliter, & indistincte in Adventu Domini ab esu carnium abstinerent;) Rainald. an. 1370. num. 21. Et hoc non solum apud Clericos aut sæculares viros, sed etiam apud Monachos, ut patet ex Nicephori Constantinopol. Patriarchæ Synodico Canone xx. tom. 3. Monum. eccles. græc. p. 447. „ (In jejunio SS. Apostolorum, & jejunio Sancti Philippi oportet, ut Monachi, qui in Monasterio resident, per quartas & sextas ferias semel ad Vesperam cibum sumant, qui vero opera faciunt, post horam sextam edent, & gustent, ac vespere cœnent.)

IX. Nunc vero eo devenimus, ut a solis Monachis, Religiosisque familiis, qualecumque jejunium in Adventu servetur. Huic addebant nostri ab adipe abstinentiam, exceptis certis solemnitatibus; ita quippe Dunstanus in Concordia c. 2. „ (In Adventu Domini pinguedo interdicitur, scilicet lardi, nisi festivis diebus.) Lanfrancus in Statutis cap. 1. §. 2. „ (Dominicis, & aliis festis, quibus duodecim Lectiones faciunt, adipem comedant in Adventu.) Udalricus in antiquis consuet. Cluniac. l. 1. c. 44. „ (In Adventu Domini, quoties duodecim fiunt Lectiones, abstinemus ab adipe) forte non abstinemus; nam privatis diebus abstinebant, quod amplius patet ex hoc Petri Venerabilis Statuto n. 15. „ (Statutum est, ut omni die Adventus Domini, excepta prima Dominica, ab adipe, qui in xii. Lect. in usu esse solebat, omnes abstineant.) MS. consuetudines S. Dionysii in Francia; „ (Fratres in toto Adventu adipem non comedant.) Compendienses Sancti Cornelii ad Dominicam primam Adventus: „ (Hac die comedant fratres sagimen, ceteris vero diebus usque ad Natale Domini non comedant sagimen.) Denique Gerardus Abbas S. Theoderici prope Remos in literis de victu Monachorum an. 1232. datis: „ (In Quadragesima, & in Advantu, & aliis diebus, quibus sagimine non utitur, oleo, vel caseis competenter conficiantur pulmentaria;) & tamen octo dumtaxat diebus subtrahit adipem Aquisgranensis Synodus c. 77.

X. Superest ut de Monachorum in Adventu secessu in solitudine aliquid dicamus, quod unico conficimus exemplo a Beda Venerabili relato in vita S. Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi c. 42. sec. 2. de Eadberto Lindisfarnensi itera Episcopo, qui in remotiore a monasterio loco „ (semper Quadragesimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante Dominicum Natale dies in magna continentia orationis, & lachrymarum devotione ducere consueverat.)

XI. Præterea ad generales Adventus consuetudines pertinet antiquus ritus imagines velandi, non secus ac in Quadragesima; quod discimus ex antiquo Ordinario Canonicorum, ut credo Regularium, MS. quod habetur in Bibliotheca Colbertina n. 2756. ubi ad Dominicam primam Adventus ita legitur: „ (Ante Primam cooperiantur tabulæ, & capsa, & sic usque ad Nativitatem permaneant.] Insuper quod Diaconus & Subdiaconus non dalmaticis, aut tunicis; sed casulis, sive, ut vocant, Planetis, utebantur ad Missam: „ (In Adventu, *inquit Lanfrancus c.* 1. §. 1. omnibus Dominicis, & festis diebus ad Nativitatem Domini *Gloria in excelsis Deo* minime dicatur, ad majorem Missam Diaconus, & Subdiaconus casulis sint induti;) & Rituale Beccensis monasterii: „ (Ad majorem Missam omni Dominica, & festo die per Adventum, & a Septuagesima usque ad Pascha erunt Diaconus & Subdiaconus in casulis, nisi in vigilia Natalis Domini, & in Cœna Domini, & Sabbato Paschæ.) Hujusmodi casulæ apud Cassinenses nigri erant coloris, ex MS. eorum Ordinario, tempore Oderisii Abbatis exarato: „ (Præterea, *inquit*, nec ministri induunt tunicas seu dalmaticas; sed in nigris planetis ad Missam procedunt, exceptis festivitatibus SS. & Cœna Domini, & Sabbato sancto;) & tamen in MS. S. Germani Pratensis consuetudinibus ad Dominicam primam Adventus Sacerdos *Casulam albam* habere jubetur; ex MS. etiam Rituali Corbejensi: „ [Dominicis diebus Adventus, & in omnibus festis xii. lectionum, exceptis principalibus, ad magnam Missam Diaconus & Subdiaconus induuntur de albis casulis in loco dalmaticæ & tunicæ.] Quisnam porro esset harum casularum usus discimus ex Dunstani conc. c. 3. „ (Subdiaconus, *inquit*, quoties casula induitur, exuat eam, dum legit Epistolam, qua lecta cursus ea induatur. Diaconus vero, antequam ad Evangelium legendum accedat, exuat casulam; & duplicans eam circumponat sibi in sinistra scapula, annectens alteram summitatem ejus cingulo albæ. Peracto communionis sacramento, induat eam antequam collecta finiatur.

XII. Huc etiam referri potest Othobonis in Anglia Legati Constitutio pro monachis Benedictinis ann. 1248. apud Spelm. tom. 2. Conc. Angl. pag. 285. quæ nimirum præscribit, „ (ut Summorum Pontificum spectantes ad monachos Constitutiones in singulis monasteriis, bis in anno, in principio scilicet Adventus Domini, & in capite Quadragesimæ, omnibus fratribus convocatis in capitulo legantur.)

CAPUT II.

Particulares Adventus consuetudines.

I. ADventus officium Sabbato ante Dominicam primam Adventus uti nunc, ita olim incipiebant veteres monachi; & quidem ad Vesperas, in quibus psalmos & antiphonas de psalterio decantabant, lectionem sive capitulum, & aliqua de Adventu. In hymno: *Conditor alme*, ad stropham *Te deprecamur*, omnes se inclinabant, & Sacerdos cappa induebatur ad thuribulum, ex MS. Compendiensis monasterii consuetudinibus. Finitisque Vesperis processionem ad S. Mariam faciebant, ex Udalrico in antiq. Clun. consf., Ordinario Corbejensi, MS. Consuetudinibus S. Germani a Pratis, & S. Dionysii.

II. Ad lectionem collationis ante Completorium legebant toto Adventu, Sandionysiani quidem Smaragdi Diadema monachorum; Corbejenses S. Bernardi homilias super *Missus est*, præterquam in vigilia, & die festo SS. Fusciani & soc. in quibus legebatur SS. Martyrum passio; Parisienses S. Germani, S. Gregorii Papæ Dialogos; atque eam collationem singulis fratribus caritas vini exhibebatur hac die, modo a nobis supra descripto lib. 1. c. xi.

III. Dominica ad nocturnas vigilias invitatorium: *Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nostro*, a duobus dicebatur monachis, & quidem in ecclesiis monachorum Cathedralibus, *in cappis*, ex Lanfranci statutis; alibi vero *in albis* tantum indutis, ex eisdem statutis, Udalrico, l. 1. c. 11. MS. consf. S. Dionysii, & S. Germani Fontanellensis monasterii, & ex Rituali Beccensis monasterii. In Compendiensi tamen monasterio *in froccis*.

IV. Primam Nocturnorum antiphonam in Parisiensi Sancti Germani monasterio imponebat Hebdomadarius cantor, alibi pueri, Prima apud Cassinenses incipiebant: *In medio Ecclesiæ*, a nostris diversa.

V. Lectiones in prima secundaque vigilia octo legebant de Isaia Propheta, quem in Adventu, sive refectorio, sive in choro totum percurrebant; sed integrum intra sex privatas noctes absolvebant Cluniacenses, teste Udalrico l. 1. c. x., cui Epistolam S. Leonis Papæ de Incarnatione Domini, aliosque SS. Patrum, & maxime S. Augustini, sermones subjungebant. Ab his non multum recedebant Corbejenses nostri, qui detractis ex Prophetia Lectionibus pro quatuor Dominicis: reliquum prophetiæ paucis absolvebant; postque Epistolas Leonis Papæ, sermonesque S. Augustini legebant, ita quippe illi in Ordinario suo: „ (Quamvis autem de Isaia ad omnes Dominicas Adventus lectiones excipiantur, tamen ab eo loco, in quo prima Dominica lectiones finiuntur usque in finem, totus in privatis noctibus legitur, & eo finito Epistolæ Leonis Papæ de Incarnatione Domini, & sermones D. Augustini sequuntur.) Isaiæ etiam præmittebant S. Hieronymi prologum in ejusdem prophetiam, quem item ad primam lectionem Dominica prima Adventus legebant Parisienses nostri S. Germani, Sandionysiani, & Compendienses, ut in eorum MS. consuetudinibus videre est, in cujus fine lector dicebat: *Explicit prologus*: tum: *Tu autem*; Legentes vero prophetiam dicebant: *Hæc dicit Dominus*, ex consf. Compen. Lectiones autem singulæ a singulis per ordinem legebantur, quartam tamen cantor, octavam Prior, duodecimam Abbas legebat, id quod in festis xii. lectionum observabant Fontanellenses.

VI. Primum nocturnorum Responsorium quod cum tribus ℣. dicitur, magna cum solemnitate decantabant Nostri B. Mariæ Lyrenses, rem ita definiunt in suis consuetudinibus: „ (Tres ℣. primi Responsorii primæ historiæ Adventus dicuntur ab Hebdomadario, & a duobus senioribus, qui priores sunt ordine; ita ut si Hebdomadarius sit de choro Abbatis, qui prior est in choro Prioris dicet secundum ℣. si autem Hebdomadarius est de choro Prioris, qui prior est in alio choro, dicit secundum versum; & tertium Prior de alio choro: sic etiam fit Dominica secunda. Caveat autem, qui scribit tabulam, ne illos scribat in primo nocturno ad Lectionem vel Responsorium.) In Beccensi tamen monasterio solus Hebdomadarius tres versus dicebat. Porro primum istud Respons. quod incipit *Aspiciens*, infra hebdomadam non repetebant, exceptis Cisterciensibus l. Us. c. 2.,

qui

qui priverit diebus cum solo ultimo versu illud cantabant.

VII. Ad Cantica Sangermanenses hanc præmittebant antiphonam: *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ*. Cantica vero cum Corbejensibus eadem dicebant, quæ etiam nunc apud nos in usu exstant. Aliter vero Sandionysiani, Compendiensesque monachi, in quorum antiquis consf. MS. „ (ad Cantica antiphona: „ *alleluja in illa die*, Cantica: *Confortate*) notantur.

VIII. Canticis subjungebant Lectiones quatuor ex homilia in Evangelium: *Cum appropinquasset*. Ita communiter in omnibus monasteriis, quamvis in Parisiensi S. Germani de Pratis legeretur homilia in Evangelium secundum Marcum: *Principium Evangelii Jesu Christi filii David, sicut scriptum est in Isaia Propheta, ecce ego mitto Angelum*. Ultimum Responsorium post *Gloria* repetendum erat ex MS. consf. S. Dionysii, S. Germani, & Rituali Corbejensi; quod tamen vetant Compendienses consuetudines.

IX. *Te Deum laudamus*, & Evangelium cantabant ritu a nobis lib. 2. descripto

X. Finitis nocturnis vigiliis, qui Evangelium solemniter cantaverat (hic erat communiter Hebdomadarius) inceptis Laudibus, recedebat cum sociis in vestiarium casulam exuturus, deinde, ut habent consuetudines S. Germani, redibat *in chorum indutus alba, & habens manipulum in brachio tantum*. Primam antiphonam: *In illa die* imponebat; reliquas, ut erant in ordine, tam apud Sandionysianos, quam apud Compendienses incipiebant Priores. Lectionem, sive capitulum: *Ecce dies veniunt*, legebant Sangermanenses, cum tamen in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus adnotetur lectio: *Benedictio & claritas*, quam Lectionem, exceptis quinque principalibus festivitatibus, Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ, & S. Dionysii, omnibus per annum Dominicis dicebant. ℟. *Super te Hierusalem*, cantabat Hebdomadarius cantus.

XI. „ (In fine hymni, *inquiunt MS. S. Germani consf.* „ ibit Sacerdos in vestiarium: & si Abbas fuerit in cho„ ro, Sacerdos apportabit incensum ad benedicendum ei; „ & si non fuerit, ipsemet benedicet, & ibit incensare „ Corpus Domini, & duo altaria, & corpore SS. & ibit „ circa sacrarium intus indutus cappa;) licet Lanfrancus duntaxat statuat c. 1. §. 2. „ (ut ad *Benedictus*, Sa„ cerdos in alba incenset altaria.

XII. Finitis Laudibus, psalmisque familiaribus, & in aliquibus locis Matutinis B. Mariæ, Processionem ad S. Mariam faciebant, circa quam istud observabant MS. consuetudines S. Germani: „ (Quotiescumque cantatur ℟. ad „ Processionem, dicitur: *Dominus vobiscum*; & quando canta„ tur antiphona, non dicitur: *Dominus vobiscum*.) Dictaque oratione, Laudes de omnibus cantabant. Postea: *Verba mea*.

XIII. Ad Primam *hymnus cantandus erat sicut Conditor*, ex consf. Dionys. & Comp. Antiphona ex Laudibus, unde etiam ad Tertiam, Sextam, & Nonam desumebantur. Singulis horis singula capitula, singuli versus, singulæ collectæ erant adsignatæ; ita tamen ut capitulum & collectæ Tertiæ eadem essent, quæ ad Vesperas. Hac die Sermo in capitulo habebatur apud Fontanellenses.

XIV. Hac die Missa major majori etiam solito solemnitate celebrabatur: *Magna Missa*, inquiunt Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines, *festive celebretur*; quod quasi explicando subjungunt: „ (Qui chorum tenuerit, „ festivam cappam habeat, ministri altaris festivis infulis „ induentur.) Distinctius consuetudines Sancti Germani: „ (Hebdomadarius incipiet Missam indutus cappa serica, „ sic autem ibit Sacerdos ad altare: primo præcedet „ thuribulum, & post duo cerei, Subdiaconus ferens Tex„ tum, & Diaconus & Subdiaconus suo modo... *Kyrie* „ *eleison* cantabitur in cantu illo, qui cantatur in festis „ quinque cereorum..... ℟. (*idest graduale*) *universi* „ *qui te &c.* ℣. *Vias tuas Domine*; quem duo monachi „ cantabunt in albis; *Alleluja*, quam Presbyteri canta„ bunt in cappis similiter &c.) Juxta consuetudines Fontanellensis, „ (Sacerdos, & Diaconus, & Subdiaconus induti „ casulas procedunt ad altare quando incipietur *Gloria Pa-* „ *tri*. Et hæc consuetudo omnibus diebus Adventus, & „ Septuagesimæ usque ad Pascha) observari debebat. Hac in Missa legebant Evangelium secundum Marcum: *Principium Evangelii*, ut ad Nocturnos; (c) e contra ad matutinalem, quæ etiam erat de Advento, Evangelium secundum Matthæum: *Cum appropinquasset*, sed hoc Sangermanensibus erat peculiare; nam alii matutinalem Missam de Trinitate, majorem de Dominica prima Adventus cantabant; & in ea legebant Evangelium: *Cum appropinquasset*. Post lectum Evangelium apud Fontanellenses Subdiaconus textum Abbati primum, deinde Sacerdoti, utrique apertum osculandum præbebat.

XV. „) Post Missam ibit conventus in dormitorium, „ *Consuetudines Sancti Germani exscribo*, & revertentur in „ claustrum & sedebit ibi, quo ad usque pulsabitur „ ad Meridiem .... Quando pulsabitur ad Sextam, „ conventus ibit in chorum...., & debent accendi tres „ lampades ad gradum ad Sextam, & ad Nonam. In„ terea pulsabitur tympanum, & ibit conventus lava„ re manus suas, & intrabunt in refectorium... Lectio „ debet esse de expositione Evangelii: *Principium Evan-* „ *gelii &c. Adventum Dominicæ prædicationis* &c., & post „ de Isaia Propheta. Post Lectiones Matutinorum, con„ ventus debet habere duplices mappas, & caritatem bo„ ni vini, & pitantiam. Post campanam eleemosinæ debet „ pulsari grossior campana propter Nonam, & debet can„ tari Nona stando usque ad *Kyrie*... Post Nonam ve„ nient in claustrum, vel in cimeterium.)

XVI. Circa Vesperas nihil peculiare notandum occurrit; antiphonæ enim & psalmi sicut per annum; reliqua de Advento; sed ℟. quod apud Parisienses & Dionysianos cantabat Hebdomadarius cantor, Compendii cantabat solus *puer*.

XVII. In feriis adventus Fontanellenses septem pœnitentiales psalmos cum letania recitabant, deinde sedebant in claustro, & Missæ privatæ celebrabantur, tum hora competenti Secretarius petebat licentiam pulsandi ad calceamentum. Infra hebdomadam Officium ita agebatur de Adventu, ut tamen psalmi, & antiphonæ de feria dicerentur; quamvis in MSS. consuetudinibus S. Dionysii, & S. Cornelii Compend. *alleluja* secundi nocturni cum speciali de Adventu antiphona adnotetur. Ad minores diei Horas antiphonæ de Laudibus Dominicæ repetebantur, saltem ex Dionysianis consuetudinibus. Invitatorium ubique notatur; *Regem venturum Dominum*; aliud proinde quam in Dominica. Responsorium ad Laudes, & Vesperas, ex consf. S. Dionysii, a puero dicendum erat. In iisdem consuetudinibus post Primæ psalmos scribitur symbolum *Quicumque*. Feriæ IV. & VI. specialem ad Missam Epistolam & Evangelium habent consuetudines S. Germani a Pratis, & Fontanellenses; & quidem IV. fer. Epistolam: *Patientes estote*: Evangelium: *Venit Johannes Baptista* Fer. VI. Evangelium: *Dicebat Johannes*.

XVIII. Sandionysiani & Compendienses feriam V. Sanctis Martyribus Monasterii sui Patronis, & Sabbatum B. M. ita consecrabant, etiam in Adventu, ut advenientibus diebus festo XII. Lect. tertium nocturnum cum Laudibus de SS. Martyr. aut de B. Mariæ celebrarent.

XIX. Sabbato ad Vesperas oratio præcedentis Dominicæ notatur in Ordinario Cassin. consuet. S. Dionysii, & Sancti Cornelii Comp. secus in consuet. Sancti Germani; quod in sequentibus etiam Sabbatis observabatur.

XX. Dominica 2. Adventus idem omnino Ordo servabatur, qui in Dominica prima, excepta forte solemnitate; nam & ℟. primum cum tribus ℣. dicebatur, ut patet ex consuet. S. Dionysii, & S. Cornelii Compendiensis; & ultimum etiam post *Gloria* repetebatur, quod præter prædictas consuetudines, præscribunt etiam MS. S. Germani. Ad Laudes antiphonæ a Prioribus dicebantur; id quod omnibus Adventus Dominicis faciendum decernunt Compendienses, & Dionysianæ consuetudines, & Rituale Beccensis Monasterii.

XXI. Invitatorium tamen in diversis Monasteriis diversum erat, & quidem in Compendiensi idem quod Dominica prima; in Parisiensi *Surgite vigilemus*; in Dionysiano; *Ecce venit*. Evangelium ubique idem, scilicet: *Erunt signa*. Ad Primam, aliasque Horas diurnas antiphonæ non de Laudibus, ut prima Dominica; sed aliæ, quæ etiam in diversis monasteriis erant diversæ.

XXII. Infra hebdomadam idem ordo, qui in prima hebdomada. Feriæ IV. ad Missam Evangelium: *Amen dico vobis, non surrexit*, notatur in consuet. S. Germani; fer. VI. Evangelium: *Johannes testimonium*. Aliter consf. S. Dionys. in quibus lego „ (Ista Evangelia dicentur per heb„ domadam ad magnam Missam, vel ad matutinalem. Cum „ videritis abominationem desolationis, quæ dicta est; *aliud*: „ Cum videritis abominationem desolationis stantem, ubi „ non debet.) Ubi etiam ex MS. consuetudinibus Corbejensis monasterii observandum est, quod cum propter aliquod festum, Missa feriæ IV. vel VI. cantari non poterat, sequentis hebdomadæ aliquo die resumebatur.

XXIII. Circa Dominicam tertiam pauca nobis observanda sunt: Invitatorium in antiquiori Ordinario Corbejensi notatur: *Prope est jam Dominus*, in consuet. S. Dionisii, & S. Cornelii: *Ecce venit plenitudo temporis*; in MS. S. Germani: *Rex noster adveniet*. Secundum primi no-

(c) Hoc idem Evangelium à Cluniacensi etiam legit voluit Petrus Venerabilis, Statut. 9.

ctum Reſponſorium ſpeciali ſolemnitate cantabatur; ita quippe conſuetudines S. Dionyſii, quibus concinunt Compendienſes S. Cornelii „ (Secundum ℟. *Bethlem civitas*, „ quod cantabit aliquis bene cantans, cui tamen juſſerit „ Cantor; & poſt verſum repetatur.)

XXIV. Evangelium: *Cum audiſſet Johannes in vinculis*. Reliqua ut ſuperiori Dominica. In antiquiori Corbejenſis Monaſterii Ordinario infra hebdomadam tertiam ſingulis feriis adnotantur ſpeciales antiphonæ ad Laudes, & ad Horas, in quarta ſeptimanæ iiſdem feriis repetendæ, & tamen in Lyrenſibus conſuet. & Rituali Beccenſi, cui concinere videntur conſuet. Grandim. c. 4. pro quarta tantum ſeptimana præſcribuntur; licet ita ut ſi cuiqua quartæ hebdomadæ feria aſſignatæ ſibi antiphonæ dici non poſſunt, eadem feria præcedentis hebdomadæ dicantur: ut ſi v. g. feria 2. quartæ hebdomadæ aliquo feſto impediatur, feria ſecunda tertiæ ſeptimanæ dicantur antiphonæ aſſignatæ pro feria ſecunda quartæ hebdomadæ.

XXV. Inter omnes Adventus ferias celebris omnino fuit apud antiquiores Benedictinos feria quarta quatuor Temporum, in qua legitur Evangelium de Annunciatione Dominica: hac ſcilicet die, quæcumque advenientes feſtivitas XII. etiam Lectionum in ſequentem feriam quintam rejiciebatur; hac die omnes Monachi, quos Monaſterii contineret ambitus, ipſi etiam infirmi, qui de lecto conſurgere poterant, nocturnis vigiliis intereſſe tenebantur, ut nimirum audirent Evangelium, idque, ut habent conſuetudines S. Germani e Pratis, *ob reverentiam Incarnationis Jeſu Chriſti*. Evangelium ex integro homiliæ Venerabilis Bedæ Presbyteri præmittebant, & quidem ritu ſolemniſſimo; qua de re juvat hic conſuetudines S. Dionyſii in Francia deſcribere: „ (Dum cantantur pſalmi primi, „ eat Hebdomadarius Miſſæ, & Sacerdotalibus indutus „ veſtibus, & candida infula ob honorem Virginis Ma„ riæ, cum Miniſtris, qui ferant thuribulum, & candela„ bra. Legatur Evangelium ex integro cunctis ſtantibus: „ *Miſſus eſt Angelus*, &c. Antequam legat, dicto ver„ ſu, dicatur ab Abbate, vel a Priore, *Pater noſter* ſub ſi„ lentio, & poſt dicatur, *Et ne nos*, & ℣. *Oſtende nobis* „ vel *Adjutorium noſtrum*; deinde legatur Evangelium, „ quo perlecto non reſpondeatur *Amen*, ſed dicat Diaco„ nus, *Omelia Vener. Bedæ Presb. de eadem Lectione*, & „ legantur tres Lectiones de Omelia: *Exordium noſtræ* „ *redempt.* Omnes infirmi, qui poſſunt ire, eſſe debent „ uſque poſt Evangelium; & poſtea veniant ad capellam „ infirmorum, & ibi Capellanus finiat Matutinas. ℟. *Miſ„ ſus eſt*, quod debet cantare puer. ℟. *Ave Maria*. ℟. „ *Suſcipe verbum*. Non debet Prior legere tertiam Lectio„ nem, nec Cantor tertium ℟. cantare, niſi in vigilia „ Natalis Domini, vigilia Pentecoſtes, & vigilia Aſſum„ tionis B. Mariæ, & vigilia Beati Dionyſii.) Eadem iiſdem pene verbis leguntur in MS. conſuetud. Compendienſis Monaſterii, in quibus tamen Evangelio non ℣. *Oſtende nobis*, ſed *Dominus vobiſcum* a Sacerdote præmittitur.

XXVI. In MS. conſuet. S. Dionyſii Invitatorium aſſignatur *Regem venturum*; in Sangermanenſibus: *Prope eſt jam Dominus*, quod ab hac die uſque ad Nativitatem Domini cantare ſolebant Beccenſes noſtri, ut patet ex eorum Rituali: Minores B. Mariæ Matutinas hac die dimittebant Compendienſes noſtri.

XXVII. Ad Miſſam orationi, quæ dicitur ante Prophetiam, præmittebant Dionyſiani: *Dominus vobiſcum*, non autem orationi, quæ dicitur ante Epiſtolam; e contra Sangermanenſes noſtri, qui ad prandium expoſitionem in Evangelium hac die legebant. Præterea hac die, & ſequentibus feriis ſexta, & Sabbato ad Laudes, & per Horas ſpeciales antiphonæ dicebantur; ut patet ex conſuet. Sancti Dionyſii, S. Germani, Grandimontenſ. & Compendienſ.

XXVIII. Feria v. ejuſdem ſeptimanæ Sermones S. Auguſtini de Incarnatione Domini, videlicet: *Legimus Sanctum Moyſen*, & *Vos inquam convenio, o Judæi*, ad vigilias recitabant Ciſtercienſes, ut diſcimus ex lib. Uſ. c. 5. De ſuit Martyribus Dionyſiani, ac Compendienſes noſtri; ſi tamen nondum incœpta fuiſſet antiphona *O Sapientia*, alioquin commemorationem tantum de iis ad Laudes, & Veſperas faciebant.

XXIX. Feria vi. ad vigilias tres Lectiones ex homilia in Evangelium *Exſurgens Maria*, quod cum ſua expoſitione ad prandium legebant Sangermanenſes, qui idem ſequenti etiam Sabbato præſtabant.

XXX. Circa Sabbatum quatuor Temporum vix aliquid dicendum occurrit, niſi quod hac die Matutinalem Miſſam de B. Maria cantabant noſtri Sandionyſiani, immo & Sangermanenſes, idque ſolemniter; de Majori vero Miſſa conſuetudines S. Germani a Pratis hic exſcribere juvat: „ (Poſt Tertiam fiet Miſſa matutinalis, poſt Miſſam matu„ tinalem fiet capitulum, poſt capitulum ſedebit conven„ tus ad parlamentum, & quando tempus fuerit, pulſabi„ tur ad Sextam; poſt Sextam ibit conventus in dormitori„ um & veniet ad lavatorium lavare manus ſuas, & ibit „ per partem clauſtri, ubi fit raſura, in Monaſterium; & „ pulſabitur una campana, & terminabitur *Pater no„ ſter*; & erunt omnes in ſedibus ſuis, videlicet anti„ quiores a parte navis, & facient ante & retro, & venient „ antiquiores e parte ſacrarii, & non debet dici Letania. „ Tunc Sacerdos reveſtiet ſe, & omnes illi, qui ſcri„ pti fuerint ad officia; & pulſabitur Miſſa cum duabus „ campanis, ſicut ſolet fieri diebus privatis; Hebdomada„ rius cantor debet tenere cantum indutus cappa, & inci„ piet Miſſam. Introitus: *Veni & oſtende*. Pſal. *Qui* „ *Regis*: *Gloria*: *Kyrie eleiſon* Sacerdos dicet *Oremus*, ſine „ *Dominus vobiſcum*, ad omnes orationes uſque ad ulti„ mam orationem. Prima oratio: *Deus qui conſpicis*; „ Lectio prima quam quidam Subdiaconus debet legere in „ modo, quo legitur ad Matutinas, & debet accipere „ manipulum ſuper aquilam, & perlecta lectione depone„ re ſuper aquilam, & finiatur in modo, quo finiuntur „ Lectiones Defunctorum: *In diebus illis clamabunt*: ℟. „ quod quidam puer cantabit, & non reiterabit illud: „ *A ſummo cælo*. ℣. *Cæli enarrant*; poſt hoc ℟. dicetur „ oratio ſecunda: *Concede quæſumus omnipotens*. Lectio ſe„ cunda, quam Subdiaconus leget eo modo prædicto: *Hæc* „ *dicit Dominus*: *Lætabitur deſerta*; ℟. quod alter puer „ cantabit: *In Sole poſuit*, ℣. *A ſummo cælo*. Oratio tertia: „ *Indignos nos*: Lectio tertia quam alter Subdiaconus vel „ Diaconus leget: *Hæc dicit Dominus ſuper montem*; ℟. „ quod puer cantabit: *Domine Deus virtutum*; ℣. *Exci„ ta Domine*. Oratio: *Præſta quæſumus omnipotens Deus*, „ *ut fiat*. Lectio, quam alter Diaconus, vel Subdiaconus „ leget: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo*: ℟. quod puer ſi„ militer cantabit, & non reiterabit illud: *Excita Domi„ ne* ℣. *Qui regis Iſrael*: Oratio: *Preces populi tui*; „ poſt hanc lectionem quidam de antiquioribus leget hanc „ lectionem modo prædicto: *Angelus Domini*, uſque *Ma„ gnificabant in fornace dicentes*. Poſt hanc lectionem tres „ Presbyteri cantabunt benedictiones: *Benedictus es Do„ mine*, & reiteratur ad unumquemque verſum *Et lauda„ bilis*, & alii *Laudabilem*, & alii *Et laudabile*, & alii „ *Et laudabilis*; & poſt *Gloria* reiterabunt: *Benedictus*. „ Tunc Sacerdos dicet: *Dominus vobiſcum*. Oratio: *Deus* „ *qui tribus*. Tunc more ſolito leget Subdiaconus Epiſtolam: „ *Fratres rogamus vos*. Tractus, quam duo Presbyteri can„ tabunt: *Qui regis Iſrael*, &c.) Sed ex MS. conſuet. Lyrenſ. Mon., (Sint Subdiaconi, qui legunt quatuor primas „ lectiones, quintam quilibet Sacerdos.) De Sabbati ejuſdem Miſſa hæc habent conſuetudines Fontanellenſes: „ (Accenſis ante altare tribus cereis, incipiatur Miſſa. Heb„ domadarius cappa indutus, *Veni & oſtende*. Sacerdos & „ Diaconus, & Subdiaconus ferens textum Evangelii ſine „ caſula ingrediantur ad altare, & tres Converſi ferant „ candelabra, & lectiones, & reſponſoria per ordinem „ dicantur. Quatuor fratres ante altare Benedictionem „ canent. Similiter alii duo Reſponſorium. Poſt Evan„ gelium Subdiaconus ferat textum per chorum ad de„ oſculandum,) &c.

XXXI. Dominica IV. vix aliquid ſpeciale habebat: Invitatorium ad eam notatur in conſuet. S. Germani: *Prope eſt jam Dominus*; in Dionyſ. & Compendienſibus: *Ecce venit plenitudo temporis*; Evangelium: *Miſerunt Judæi*. Infra hebdomadam dicenda iſta Evangelia aſſignant conſuetudines S. Dionyſii: *Venit Johannes Baptiſta prædicans*. Aliud: *Initium Evangelii Jeſu Chriſti Filii Dei*. Aliud: *Venit Johannes in omnem regionem Jordanis*.

XXXII. Prætereiram pene majores, ut vocant, ad *Magnificat* antiphonas, e litera O incipientes, quas die Decembris 16. inchoabant noſtri Majores; nos vero 17. earum; prætermittentes octavam quam illi dicebant, antiphonam: „ (O virgo Virginum, quomodo fiet iſtud, quia „ nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Filiæ „ Jeruſalem quid me admiramini? Divinum eſt myſterium „ hoc, quod cernitis;) cujus meminit Amalarius in lib. de Ordine antiph. c. 13.

XXXIII. His in dicendis hunc ordinem inſtituunt Floriacenſis Monaſterii conſuetudines: „ (Antiphonam O pri„ ma die dicit Abbas, ſecundam Prior, tertiam Hortola„ nus, quartam Cellerarius, quintam Theſaurarius, ſextam „ Præpoſitus, ſeptimam Armarius, octavam Magiſter ope„ ris, erat & Capicerius.) Addunt: „ (ea die, qua „ canitur O, pitantia de bono vino in refectorio ad pran„ dium cum phialis propinanda eſt, & in vigilia Nativi„ tatis Domini.) In antiquo etiam S. Germani e Pratis

Pittan-

Pittantiario omnibus diebus, quibus cantatur antiphona O, pittantia injungitur, primamque antiphonam; *O Sapientia*, Abbas imponere jubetur; & tamen his octo ante Nativitatem Christi diebus majori sese jejunio, & abstinentia constringebant veteres Monachi, ut patet ex Regula Magistri de cementis c. 45. „ (Octo illos dies, qui præcedunt „ Natalem Domini, in jejuniis Quadragesimæ, vel absti„ nentia, vel illas orationes, quæ pare solent in Quadra„ gesima fieri, similiter a fratribus celebrentur, ut ad in„ star Quadragesimæ tristitiæ, ut placabiles servi supra „ quotidianum debitum amplius exercentes servitium, Na„ talem Domini nostri in stipendiis, vel donis lætitiæ mox „ advenisse lætemur.)

XXXIV. His porro diebus nemini licebat veniam petere: „ (Ex quo O incipitur, nullus sanguinem minuatur „ nisi cui in capitulo petita venia conceditur,) inquiunt Floriacens. consuetud., quibus consentiunt Sandionysianæ, & Compendienses.

XXXV. „ (Vigilia S. Thomæ Apostoli, *inquit Lanfrancus in Statutis c. 1. §. 2.*, si dies Dominicus non „ fuerit, radantur fratres, & sic balneentur, qui volunt „ balneari, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis „ sint omnes balneati, si necesse sit, in ipso Apostolicæ „ festivitatis die, balneari possunt ;) qua de re plura a nobis dicta sunt in Comm. ad cap. 36., ubi notum observat Hildemarus Comm. in Reg. S. Bened. c. 36. ut scilicet singuli singulis in tinis ita se balneent, ut alter ab altero videri nequeat; sed integrum balneandi ritum, & ordinem ex Lanfranco describere juvat: ita porro ille loco citato „ (Ipsa autem balnea hoc ordine disponantur : præce„ dente die debet Abbas, aut qui tenet ordinem, provi„ dere unum senem religiosum, atque prudentem, cui „ præcipiat curam habere de ipsis : qui commoneant „ fratres, qua hora ire debeant, & videre, quam ordinate „ ibi se contineant, qui senior illuc pergens videat qualiter „ sint præparata, & quales famuli ibi sint deputati, „ scilicet non infantes, nec juvenes, sed ætate provectio„ res. Quod si aliquid incongruum viderit, indicet Ca„ merario, & ille statim emendet; reversusque senior in „ claustrum commoneant fratres, quod opus esse cognoverit. „ Sed hoc caveat, ne adolescentes, & novitii simul eant „ sed cum senioribus. Illi vero fratres, quos commoneue„ rit, postquam rasi fuerint, accipientes vestimenta, quæ „ mutare debent, pergant ad locum in quo balnea præ„ parantur; ibique exuentes vestimenta sua, sic ordina„ te, ut in dormitorio facere consueverunt, intret unus„ quisque, ubi ei fuerit demonstratum; & deposito velo, „ quod ante eos pendet, sedeat cum silentio. Si quid „ vero ei necessarium fuerit, modeste signo aliquo petat; „ famulus vero elevato velo deferat illi celeriter, quod „ petit, & statim revertatur. Postquam satis ablutus fue„ rit, non delectetur ibi diutius demorari. Surgens vero „ calciatus, atque vestitus, sicut in dormitorio con„ suevit, ablutis manibus, revertatur in claustrum. Ado„ lescentes, qui sunt in custodia, cum custodibus suis „ eant, & revertantur. A Prima usque ad Completo„ rium omnibus horis possint ire fratres ad balnea, sed „ nullus præsumat ire, absque licentia fratris, cui com„ missum est.)

XXXVI. Dies vigiliam Nativitatis Domini antecedens præ cæteris celebris habebatur, de qua MS. S. Dionysii consuetudines, quibus consentiunt Compendienses, ita habent: „ (In die præcedente vigiliam Natalis Domini, ad „ Vesperas antiphona de feria, quam Hebdomadarius de„ bet incipere: Cap. *Gaudete*. ℟. *Veni ad liberandum*, „ quod cantetur e duobus pueris. Hymnus: *Conditor*. ℣. „ *Rorate cæli*, ab uno puero. Ad *Magnificat* antiphona: „ *O Virgo Virginum*. Oratio: *Concede quæsumus*, *ut magnæ* „ *festivitatis*. *Benedicamus* a duobus pueris. Sacerdos in„ duatur ad referendum thuribulum alba cappa; ad „ Vesperas sonet classicum, & ad Laudes. Post Vesperas „ nulla fiat commemoratio, nec vigilia mortuorum.)

XXXVII. Addunt consuetudines Compendienses : „ (In die super vigiliæ Natalis Domini Vesperæ & Horæ „ de B. Maria non dicantur; non ibunt prostrati ad Ves„ peras, nec ad Horas cæteras.)

XXXVIII. Tandem pergunt consuet. Dionysianæ : „ (Custodi, ut die primo ante vigiliam Natalis Domini, „ dicas sine oblivione hanc antiphonam in Matutinis, „ Laudibus & ad Primam: *Constantes*, & ad *Benedictus* „ antiphonam: *Oriatur*, & Missa matutinalis sit ipsa die „ pro defunctis.)

„ (Ipso die (ut habent consuetudines Fontanellenses) „ fiat rasura in claustro hoc modo: In fine Capituli fa„ cta defunctorum absolutione, sonetur tertio ictu tabula „ a Priore usque ad *Benedicite*. Et si breve defuncti af„ fuerit, eatur in Monasterium cantando *Verba mea*, & „ sonentur signa. Hoc facto, revertantur omnes, & fe„ stinent ad rasuram, cum gravitate tamen; iterum can„ tando *Verba mea*, & adjungantur psalmi familiares, „ & nemo ibi vel quispiam loqui præsumat, antequam „ dicatur a Priore, *Benedicite*. Sed cum rasi fuerint, „ exeant de rasura, & eant sessum in aliam claustri par„ tem, ibi possunt loqui ordinate.]

CAPUT III.

De vigilia Nativitatis Domini.

I. CIrca vigiliam Nativitatis Domini tria potissimum nobis examinanda sunt; Officium, Missa, & Capitulum.

II. Officium, quod a nocturnis vigiliis incipiebat, longe feriis ceteris solemnius erat. Invitatorium, quod in Ordinario Cassinensium: *Surgite vigilemus*, in lib. Usuum Beccensium, & cons. S. Dionysii, S. Germani, & S. Cornelii Comp. *Hodie scietis*; in collectaneo S. Petri supra Divam: *Præstolemur*; denique in lib. Usuum Cist. c. 3. *Levate capita vestra*, assignatur, a duobus fratribus *in albis* semper cantabatur in monasteriis S. Dionysii, S. Cornelii Compendiensis, B. Mariæ Beccensis, & de Lyra, & S. Petri supra Divam: quod etiam cum Dominica dies in vigilia Nativitatis eveneret, præscribunt Statuta Lanfranci c. 1. §. 2. Cons. S. Benigni Divionensis c. 53. & antiquius Corbejensis monasterii Ordinarium: sin minus quemadmodum privatis per Adventum diebus saltem usque ad Laudes; quod usque ad Vesperas præstabant Cistercienses.

III. Antiphonæ ex lib. Usuum Becc. a pueris dicendæ & psalmi de feria occurrente, versus, lectiones, & ℟. quæ ad ipsam vigiliam pertinentes, pro quibus in Ordinario Cassinensi lectio prima notatur de Tractatu S. Hilarii Episcopi: *Cum esset desponsata*; duæ posteriores de sermone S. Severiani Episcopi: *Audistis fratres*. In antiquis vero Cluniacensis monasterii consuetudinibus apud Udalr. lib. 1. c. 46. homilia Origenis: *Quæ fuit necessitas* quam etiam habent MS. consuetudines S. Germani de Pratis.

IV. Primam Lectionem Diaconus, tertiam Abbas, vel Prior legebat. Primum Responsorium Hebdomadarius, tertium Cantor cantabat, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus. In Lyrensi tamen monasterio primum ℟. cantabat puer; ad tertium vero duo seniores scribebantur.

V. Pro secundo nocturno antiphonam: *Alleluja completi sunt*; a puero dicendam signant consuetudines S. Dionysii, Cap. *Sobrie*, *& juste*. ℣. *Crastina die*, orationem: *Conscientias*; quamvis alias norent consuetudines S. Germani, & collectaneum S. Petri supra Divam.

VI. Cum die Dominica accidisset vigilia Nativitatis, antiphonæ, psalmi, Lectiones, & ℟. primi, & secundi nocturni erant de Dominica; invitatorium, cum integro tertio nocturno, Laudibus, & horis diei de vigilia.

VII. Porro sive Dominica, sive quacumque alia die evenisset vigilia Nativitatis Domini, nulli abesse a nocturnis vigiliis licitum erat; immo nec ipsis infirmis: „ (Omnes monachi, *inquiunt cons. S. Germani*, qui sunt in„ fra muros, debent esse ad Matutinas, nisi fuerint gra„ viter infirmati;) hoc est ita, ut de lecto non possint surgere, ut fer. 4. quatuor temporum.

VIII. Nocturnis vigiliis Cassinenses, Matutinas Laudes immediate subjungebant, ut ex eorum discimus Ordinario: „ (Finito nocturno incipiant Matutinos duobus „ sonantibus signis . . . . . . Sacerdos vero indutus plu„ viali faciat incensum;) Cum tamen aliis in Cœnobiis juxta Regulam separarentur; quod hac die potissimum præstabant etiam ii, qui ex inertia nocturnis Matutinas Laudes aliis diebus conjungebant, ut de suo monasterio fatetur Petrus Boherius in primo super Regulam S. B. commentario c. 8. „ (Cum vero tres, vel unam lectionem habe„ mus, *inquit*, fit intervallum, quo solum cum signo a„ licujus sonitus, quod Abbas, vel Prior facit in choro, „ unum secreto dicimus: *Pater noster*; & pervenit forsan „ hæc contraria observantia ex inertia monachorum, qui „ in ipso intervallo dormitioni, non meditationi inser„ viebant, ... servamus tamen hujusmodi interval„ lum, ne ex toto transgressores hujus capitis videamur, „ in Vigilia Natalis Domini.) Boherio consentiunt MS. consuetudines S. Germani a Pratis, cum de vigilia Nativitatis Domini ita loquuntur: „ [Si autem dies Dominica „ non evenerit, post duos nocturnos, incipiuntur Matu„ tinæ B. Mariæ, & ibit conventus, sicut solet, proces„ sionaliter in capellam; postea ibidem cantabunt: *Exultabunt*, pro defunctis, & *Verba mea*; & ascendent in

dor-

„ dormitorium omnes; tunc pulsabitur una campana, & „ venient in chorum, & erunt prostrati super formas, „ & ab illo tunc non debemus venire super formas, usque dum transierit oct. Epiphaniæ, & terminabitur: „ *Pater noster*, & Sacerdos incipiet Laudes.) Quid vero in illo intervallo agerent, discimus ex antiquiori Ordinario Corbejensi: „ (Quando autem privata die acciderit „ vigilia Nat. ad intervallum, quod est inter officium, & „ Laudes, interim dum conventus est ad S. Mariam, vertuntur formæ minores, cooperiuntur formæ majores „ tapetibus, paratur chorus, & totum presbytarium.)

IX. Laudes solemni ritu cantabantur, ad quas pulsabatur *classicum* ex MS. consuetudinibus S. Dionysii, quod ex Statutis Lanfranci, lib. Usuum Beccensium, Ordinario, & consuet. Corbejensis monasterii, consuetudinibus Lyrensium, interpretor *Omnia signa*. Classico tamen præmittebant veteres parvum unius campanæ signum, ut patet ex Statutis Lanfranci, consuetudinibus Cluniacensium, S. Benigni, & antiquo Corbejensi ordinario, in quo Laudes in vigilia Natalis Domini celebrandi ritus describitur his verbis: „ (Ante Laudes pulsatur signum, quod in „ aliis privatis diebus pulsari solet, congregantur omnes, „ faciunt orationes acclines; quibus factis, pulsantur omnia signa; accenduntur quinque cerei ante altare; & „ tres post ipsum altare; discooperitur altare jam paratum; cantantur matutinæ Laudes solemniter, nec alii „ psalmi, quam festivales dicuntur, idest: *Dominus regnavit*, & ceteri; Hebdomadarius incipit primam antiphonam, „ & Priores reliquas. Capitulum: *Paulus servus Christi*: „ ℟. *Judea, & Jerusalem*. ℣. *Constantes*, cum *Gloria* „ *Patri* cantant tres; & ipsi cantant *Benedicamus Domino*. „ ℣. *Crastina erit vobis salus, dicit Dominus*. Hymnus, „ qui per totum Adventum. Sacerdos ad *Benedictus* „ cum cappa incensat altare; Conversus, qui portat „ thuribulum, est in alba. Antiphona in Evangelio: *Orietur sicut sol*: collecta: *Deus qui nos redemtionis nostræ*.) Hactenus antiquius Corbejense Ordinarium, cui concinunt Benignianæ consf. c. 53. in cujus verbis multa observanda sunt. Primo hic non dicitur, a quo Laudes sint celebrandæ, quod supplendum est ex consuetudinibus Compendiensibus, in quibus scribitur *Abbas cantabit Laudes*, quamquam ex consf. S. Germani *debet Hebdomadarius incipere Laudes*. Secundo, quod prima antiphona dicitur ab Hebdomadario esse imponenda. Idem in Statutis Lanfranci, lib. Usuum Beccensium, consuetudinibus S. Germani, S. Dionysii, S. Cornelii Comp. & B. Mariæ de Lyra, præscribitur. Tertio, quod subjungit reliquas antiphonas ad antiquioribus esse decantandas, habent etiam Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines. Sed ex lib. Usuum Beccensium ab iis, *quibus in choro Cantor dixerit*: Lyrenses vero consuetudines sub distinctione ita loquuntur „ (Ad „ Laudes primam antiphonam inchoabit Hebdomadarius, „ alias seniores; ita quod junior habeat in choro suo „ ultimam, & debent scribi in tabula; & si sit Dominica, seniores incipiant, sicut agitur in Adventu, & in „ LXX. Dominicis diebus.) Quarto, etsi capitulum hic, & ab aliis adsignetur: *Paulus servus Christi*; eamdem tamen Dominica, habetur in Dionysianis, Compendiensibusque consf. Cap. *Benedictio, & claritas*. Quinto, responsorium apud alios omnino diversum: Dionysiani, & Compendienses: *Crastina die*: Sangermanenses: *O Juda*; Beccenses, & Lyrenses: *De illa occulta*; Cluniacenses; *Judea, & Jerusalem*, cantabant, quod apud Sangermanenses *a tribus fratribus*, apud Cluniac. & Dionysianos *a duobus*, apud Compendienses *a duobus pueris*, apud Lyr. & Beccenses *ab Hebdomadario* cantabatur. Sexto, quod Sacerdos ad *Benedictus* cum cappa altaris incensare dicitur, concordat cum Ordinario Cassinensium, & Dionysianis consuetudinibus præscribentibus, ut *Hebdomadarius induatur ad thuribulum deferendum, habeat albam cappam*; ex libro tamen Usuum Beccensium, collectaneo S. Petri supra Divam, consuetudinibus Lyrensium, & alba & *manipulo* tantum induebatur: ex Statutis Lanfranci, sola *alba*. Septimo, orationi, seu collectæ Laudum addebantur suffragia Sanctorum, ex eodem Ordinario, quod etiam præscribunt Statuta Lanfranci, lib. Usuum Beccensium, collectaneum S. Petri supra Divam, consue. S. Germani, & Beatæ Mariæ de Lyra; sed Dionysiani, Compendiensesque nullam faciebant commemorationem. Porro finitis suffragiis, aliisque precibus revertebantur ad strata; sed apud Cluniacenses, Divionenses, Corbejensesque Sanctorum suffragia statim sequebatur Prima, psalmique familiares, quibus finitis omnis conventus cubilia repetebat, atque *interim*, ut prosequitur Corbejense Ordinarium, *Philateria suspenduntur, & quod restat de ornatu ecclesiæ, adimpletur*. Alibi tamen, clarescente dumtaxat aurore, Prima cantabatur, ad quam aliasque diurnas Horas antiphonæ propriæ adsignatæ erant, quas ex lib. Usuum Beccensium, consuetudinibusque Lyrensium imponebant pueri, sicut & hymnum ad Primam, ex consuetudinibus S. Dionysii, & S. Cornelii Compendiensis.

X. In gratiam porro solemnitatis de psalmodia non nihil remittebant aliqui; nam v. g. quindecim dumtaxat psalmos vigiliis nocturnis præmittebant Beccenses, atque Lyrenses, idque si supra septimanam vigilia evenisset; neque post Laudes officium defunctorum decantabant. An præter Sanctorum commemorationes aliquid prætermitterent Dionysiani, Compendiensesque monachi, certo affirmare, aut negare non possumus; constat vero eos, post Primam septem psalmos, & letaniam prætermisisse, sicut & Corbejenses; hi in vigilia Nativitatis Domini officium defunctorum sub una antiphona decantabant, hoc est quinque Vesperarum psalmos sub antiphona: *Placebo*, novem nocturnorum sub antiphona: *Dirige*, tribus primis lectionibus, & tribus ℟. Laudes sub antiphona, *Exultabunt*, & quinque collectis; ita MS. consuetudines ejusdem monasterii. Sed hujusmodi remissiones recentiorum videntur esse temporum, nam antiquiores nihil, aut fere nihil de solita psalmodia relaxabant, ut patet in Cluniacensibus, de quibus Udalricus lib. 1. cap. 46. „ (In „ vigilia Natalis Domini, *inquit*, nocturni fiunt, sicut in „ quolibet privato die, triginta psalmis præcedentibus, „ nec quid remanet de cetera psalmodia, quæ vel in „ choro, vel in Ecclesia S. Mariæ cantari solet ante „ matutinas Laudes . . . . Prima non separatur ab ipsis „ matutinis Laudibus, nec a Prima solito more septem „ psalmi cum letania, psalmus quoque *Miserere* pro defunctis Abbatibus, licet duo alii remaneant, præcedens „ & sequens, sicut etiam postea ad omnes horas;) & in Statutis Lanfranci, in quibus præscribitur, ut „ (triginta „ psalmi dicantur . . . . cetera sicut retro actis diebus, scilicet officium mortuorum, matutinæ de omnibus Sanctis, & post primam *psalmi, & letania*.)

XI. Vesperæ solemni ritu cantabantur, quem ita describunt Dionysianæ Compendiensesque consuetudines: „ (Ad „ Vesperas sint omnes in albis, tres cantores in choro „ adstant cappis festivis induti, & Dominus Abbas festiva „ cappa induatur. Cantor debet incipere primam antiphonam; *Judea, & Jerusalem*, reliquas incipiant Priores. Antiphona *Hodie scietis*. Antiphona: *Completi sunt*, „ antiphona: *Cum esset*. Psalmi sint de feriis. Capitulum: *Paulus servus*. ℟. *O Juda, & Jerusalem*, & „ cantetur a quatuor in cappis, & post *Gloria* reincipiatur. Hymnus: *Veni Redemtor*. ℣. *Hodie scietis*. Ad „ *Magnificat* antiphona: *Dum ortus*, & dicetur ter Oratio: *Deus qui nos redemtionis*.) Ubi observandum. 1. Abbatem ad Vesperas celebrantis officium gessisse, eumque festiva cappa, sive ut habet collectaneum S. Petri supra Divam, *serica* indutum. 2. Omnes monachos albis indutos fuisse. 3. Primam antiphonam, quam Cantor hic imponere jubetur, ex libro Usuum Beccensium, inceptam fuisse ab Hebdomadario, reliquas ab his, quibus Cantor injunxisset: apud Lyrenses vero primam Hebdomadarius, reliquas seniores incipiebant. 4. Alias antiphonas assignant, & collectaneum S. Petri supra Divam, & consuetudines S. Germani a Pratis, & Fontanellenses, scilicet: *antequam convenirent*: *Joseph fili David*: *Completi sunt*: *Ecce completa*. Alias antiquum Corbejense Ordinarium, nempe: *Levate capita*: *Scitote quia*: *Completi sunt*: *Ecce completa sunt*. 5. Quia psalmi dicebantur de feria, cum vigilia Natalis Domini quinta, & sexta feria evenisset, tres tantum dicebantur antiphonæ, tot scilicet, quot psalmi canebantur; nam iis diebus unus in binas glorias psalmus dividitur, quamquam in collectaneo S. Petri supra Divam Psalmi de Dominica assignantur. Consuetudines Fontanellenses præscribunt, Psalm. *Dixit Dominus Domino meo*, *Confitebor tibi*, *Beatus vir*, & *De profundis*. 6. Capitulum in antiquo Corbejensi Ordinario, collectaneo S. Petri supra Divam, consuetud. S. Germani notatur: *Propter hoc sciet populus*; in Lyrensium, & Fontanellensium consuetudinibus: *Populus qui ambulabat in tenebris*. 7. ℟. Quod in Ordinario Corbejensi erat. *Verbum caro factum est*: in consf. S. Germani: *Propter nimiam*, in consuetudinibus Fontanellæ: *O Juda*; ex collectaneo S. Petri supra Divam, a duobus tantum in cappis cantabatur; ex consuetudinibus vero S. Germani, a quatuor etiam in cappis, quorum *Indumenta* erant *rubea*. 8. Aliam ad *Magnificat* antiphonam habent collectan. S. Petri supra Divam, & consuet. S. Germani, nempe: *Ecce jam venit*; Ordinarium Corbejense: *Cum esset desponsata*. 9. Liber Usuum Beccensium, consuetudinesque Lyrensium addunt comm. de S. Anastasia cum antiphona: *Accinxit*, & *Gloria*; & de S.

Maria

Maria cum antiphona: *Nesciens mater*, sine *Gloria*, ℣. *Post partum*, & Vesp. *Omnium Sanctorum*; collectaneum S. Petri supra Divam, comm. B. Mariæ per antiphonam; *Sancta, & Immaculata*, ℣. *Post partum Virgo*: *Dominus vobiscum*, & orationem de S. Anastasia cum antiphona: *Accinxit*, ℣. *Adjuvabit*; de reliquiis cui antiphona: *Corpora Sanctorum*; de omnibus sanctis cum antiphona: *Laudem dicite*.

XII. Ad Hymnum Completorii, ceterarumque horarum, usque ad octavam Epiphaniæ, addebantur hæ duæ pissimæ strophæ: *Memento salutis author*, & *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*, addunt Tullenses S. Apri: ,, (Ad Completorium dicto versiculo: *Custodi nos Domine*, incipitur a Cantore, etiamsi Abbas fuerit præsens, hæc antiphona: *Ecce completa sunt*, & canitur canticum: *Nunc dimittis*, quo dicto cum *Gloria Patri*, & finita prædicta antiphona, sine nota illa, quæ dici solet in fine aliarum antiphonarum, dicitur *Kyrie eleison*, &c.) Hactenus de officio vigiliæ Nativitatis Domini fusius fortasse, quam par sit, nunc de Missa breviter.

XIII. Missa in vigilia Nativitatis Domini duplex: matutinalis, & major. Matutinalis in monasterio Corbejensi, & S. Germani de Pratis de Defunctis; in Beccensi, Lyrensi, ac Compendiensi de Beata Maria, idque ut loquuntur Compendienses consuetudines, *sicut in ass. Lectionibus*; in Dionysiano propria: *si muli* dicebatur. Si Dominica vero evenisset, ubique de Dominica, major vero de Vigilia.

XIV. Majoris Missæ ritus breviter describit Lanfrancus in statutis c. 1. §. 2. his verbis: ,, (Post Sextam facto intervallo, pulsetur signum, conveniant fratres in ecclesiam, orationem communiter faciant, letanie minime dicatur: induantur Missam celebraturi, Sacerdos honorifice, Levita dalmatica, duo Subdiaconi tunicis; unus ad Prophetiam & alter ad Epistolam; duo in albis ad ℟. Cantor Hebdomadarius cappa; ad chorum tres Conversi; unus ad thuribulum, duo ad candelabra; pulsetur classicum; ad Canonem supra formas prosternantur;) & Dionys. consuet. ,, (Ad Missam ejusdem diei sonet classicum, & sint omnes in albis; Ministri alteris festivis induantur infulis, duo procedentes sint cum Diacono. Qui tenet chorum, habeat albam cappam, & incipiat festive officium: *Hodie scietis*: *Kyrie* festive . . . ℟. *Hodie scietis* a duobus: & si Dominica fuerit, dicatur: *alleluja*, *Crastina die delebitur*, a tribus,) His concinunt consuetudines Comp. ,, (Ad Missam sonet classicum, & sint omnes in albis, Abbas Missam cantabit, unus ex Cantoribus festiva cappa induatur; ministri alteris festivis infulis induantur. Officium *Hodie scietis* ter dicatur: ℟. a duobus cantetur.) Consuetudines Lyræ, & liber Usuum Beccensium de Missa hæc pauca dicunt: ,, (Ad majorem Missam . . . . . . tunicis induentur ad Epistolam, & Diaconus Dalmatica;) & *Udalricus*: ,, (major Missa solemniter celebratur, Subdiaconis indutis tunica, Diacono dalmatica, qui tenet chorum, cappa, vel qui gradualem cantant.)

XV. His de officio, Missaque breviter relatis, restat ut de capitulo aliquid paucis subjungamus; quædam enim hac die singulariter observabantur, quæ nec relatu existimamus indigna. 1. Solito diutius a Priore capitulum pulsabatur, ut scilicet omnes qui manent in monasterio, ,, (cunctis occupationibus prætermissis, *ut loquitur Lanfrancus*, & quidem tam sani quam infirmi, qui ire possunt,) ut habent Dionys. cons. venire possent ad pronunciationem Adventus Domini nostri Jesu Christi. 2. Omnibus in capitulo congregatis, sedentibus, lector solito more Martyrologii Lectionem auspicabatur. Cumque ad eum locum, qui Nativitatem Domini annunciat, pervenisset; tam ipse, quam omnes alii mox in terram procumbebant, ,, (gratias agentes, propter ejus ineffabilem pietatem, qua mundum a laqueis diaboli redempturus descendit,) *inquit S. Dunstanus in conc. c. 3.* ac tandiu in oratione prostrati manebant, quoad Abbas, seu quivis alius capituli Præses surgeret; atqui hic ritus in omnibus monachorum monasteriis, & congregationibus, quantum saltem mihi innotuisse potuit, observabatur; licet nonnullis in locis prostrationis, orationisque spatium esset omnino determinatum; nam in antiquis Lyrensium consuetudinibus scriptum reperio: ,, (In capitulo cum audierint pronunciare Nativitatem Domini, prosternant se omnes, etiam lectos; & dicat unusquisque sub silentio Psal. *Miserere mei*; quando ille, qui præsidet, surrexerit, omnes surgant:) & in Corbejensibus: ,, (Pulsabunt capitulum prolixe, ut omnes possint venire in capitulo ad veniam; incepto versu: *Jesus Christus* a lectore, omnes surgant; & prædicto versu finito, omnes prosternent se ad terram, & dicent orationes; quidam dicunt: *Memento salutis author*, & *Maria mater*, & *Gloria tibi Domine*; alii alias orationes. Surgente Abbate, vel illo qui capitulum tenebit, omnes alii surgent;) & consuet. Floriacenses: ,, (In vigilia Nativitatis Domini, quando in capitulo Nativitas Domini a puero pronunciatur, omnes in faciem cadant: & tunc in silentio dicant ter: *Gloria tibi Domine, qui Natus es de Virgine*, & post lectionem fit sermo, Postea lector ab eo loco, unde desierat, lectionem prosequebatur. 3. Finita lectione silentium solvebant *secundum consuetudinem*; ut habet Cassinensis Ordinarium, hoc est per ℣. *pretiosa*, solitasque preces persolvebant; quamquam ex antiquo Corbejensi Ordinario, *ad ipsum versum capituli non dicitur*: *Deus in adjutorium meum*. 4. Regula S. Benedicti hac die non legebatur, sed ejus loco Evangelium: *Cum esset desponsata*. 5. ,, (Postea debet esse sermo, postea debet commendari eleemosina,) inquiunt S. Germani consuetudines. ,, 6. (Hac die non pronuntiatur brevis tabulæ in capitulo;) addunt Divionenses S. Benigni cons. cap. 53. ,, (quoniam pronunciatus est pridie ante vigiliam, quod ob providantiam majoris servitii ipsius solemnitatis quam alterum, fit, ut duobus diebus ante festivitatem scientes fratres, cui officio quisque deputatus sit, prospiciant sibi, ne negligentia eveniat de alicujus officio.] 7. Prætereundum non est, quod ait Udalricus: ,, (Transacto capitulo, non caremus licentia loquendi, & iterum post Sextam, quia per totam futuram septimanam debemus generaliter esse tacentes, nisi quantum loquimur in capitulo, & ad confessionem.) Denique de diei hujus capitulo hæc habent Consuetudines Fontanellenses: ,, (Missa matutinali finita, sonetur campana, ad cujus sonitum festinent omnes, nullus remaneat, nullus excusetur, quia sine mora ad pronunciationem Salvatoris omnes conveniant, & cum hora fuerit, omnes pariter se prosternant ad terram, & ita in devotione cordis & compunctione lacrymarum, jaceant, quousque audient sonitum a priore. Cum vero audierint, statim omnes surgant, atque residant, & si qui forte, quod absit, defuerit, cum primus in capitulum venerit, objurgetur coram omnibus & coram omnibus de negligentia satisfaciat) &c.

CAPUT IV.

De Nativitate Domini.

I. SAcratissimam Nativitatis Domini noctem fere insomnem pertransibant veteres monachi, quod ex dictis superiori libro de Nocturnis Dominicæ diei vigiliis facile colligi potest, patetque ex Regula S. Cæsarii ita statuente in recap. n. 15. ,, (Natale Domini, & Epiphania ab hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est.) Hoc etiam antiquis Ordinis nostri monachis solemne fuit, ut ad auroram usque Nocturnas laudes protraherent, quod maxime suadent omnes fere, quotquot viderim, manuscriptæ consuetudines, decernentes, ut finitis matutinis Laudibus, *si nondum appareat lux*, lectis repetant; alioquin secundam Missam, vel Primam incipiant: quæ certe conditio apponenda non fuisset, si profunda adhuc nocte nocturnas laudes soliti fuissent terminare; sed non ita forte cito suas incipiebant vigilias; nam in antiquis Germaniæ consuetudinibus n. 30., solum præcipitur, ut *media nocte surgant, & sonent omnia signa*, sive ut alii loquuntur, sonet classicum. Hoc classico fratres ad vigilias excitabantur, quemadmodum ex lib. Us. Bec. & ex consuet. Lyrensium discere licet; ,, (In nocte, *inquiunt*, Nativitatis Domini, cum tempus fuerit, sonent omnia signa ad excitandum conventum.) Quis vero esset signorum ad vigilias nocturnas pulsandorum modus, docent veteres Germaniæ consuetudines n. 1., his verbis; ,, (Nocte Natalis Domini, & S. Paschæ cum surgendum fuerit ad nocturnos, percutiuntur primo omnia signa; deinde singillatim, ad ultimum omnia.) Sed antequam fratres excitemus, insignem Floriacensium nostrorum ritum præmittendum censemus. Hunc ita nobis exhibent illius monasterii consuet. ,, (In eadem vigilia post Completorium ponit Capicerius cereos ante unumquodque altare, qui accensi possint sufficere tota nocte, donec diescat. Et ante matutinum Sacrista maturius surgens cæteris, accensis cereis super altare P. Benedicti, revestitus cuncta altaria thurificet, quæ sunt in monasterio.) Observandum etiam illud, quod de Cluniacensibus scribit Udalricus l. 1. c. 46. ,, (In ipsa nocte Nativitatis Domini, priusquam consurgatur ad Nocturnos, quatuor cerei per quatuor angulos claustri accenduntur, jugiter usque

ad

„ ad diem arsuri, quintus in olla marmorea pellucida
„ positus in medium lavatorii.) Idem habetur in Beni-
gnianis consuetudinibus, in antiquo Corbejensi Ordinario;
& in Dionysianis consuetudinibus: „ (In quatuor angu-
„ lis claustri ponantur quatuor lucernæ cum cereis arden-
„ tibus per totam noctem.) Addit præterea Udalricus:
„ (Quamvis autem Missarum solemnia ter sint celebran-
„ da, tamen cantica quindecim graduum non prætermitti-
„ mus ante nocturnos.) Quod item legitur in Ordi-
nario Corbejensi, & in consuetudinibus S. Benigni c. 54
sed in Dionysianis, & Compendiensibus cons. absoluta ha-
betur: „ (Ad matutinas non dicatur : *Ad Dominum*
„ *cum tribularer*.)

II. Nocturnas vigilias solemnissimo omnium ritu per-
solvebant, quem describunt singulæ monasteriorum consue-
tudines. Has de verbo ad verbum hic repræsentare, nec
vacat, nec expedit; Dionysianas, in quibus major nobis
visa est solemnitas, adhibemus, quid in aliis notatu di-
gnum, existimamus postea relaturi: sic ergo loquuntur:
„ (Invitatorium: *Christus natus est*, quod cantatur a qua-
„ tuor in cappis inter duo altaria, & remanebunt quatuor
„ Cantores in choro, & dicant singulas antiphonas prio-
„ ribus ad incipiendum ... Tres lectiones de Isaia; ad
„ unamquamque dicitur: *Hæc dicit Dominus*; quarta le-
„ ctio sermo, qui dicitur: *Audite filii*; ad istam dicatur:
„ *Tu autem*. Primum ℟. *Hodie nobis*, & cantabitur a
„ quatuor qui chorum tenent; in quo ℟. dum dicitur: *Na-*
„ *sci dignatus est*, petant omnes veniam super genua, ℣
„ *Gloria in excelsis*, & *Gloria Patri*; & post recipiatur.
„ Secundum ℟. *Hodie nobis*. Tertium ℟. *Quem vidistis*
„ In omnibus Nocturnis deferantur duo thuribula a duobus
„ Sacerdotibus, qui cappis induantur, & thurificent al-
„ taria, & conventum ex integro. Quartum ℟. *O ma-*
„ *gnum mysterium*, quod cantetur a quatuor in cappis,
„ qui non remanebunt in choro. In secundo nocturno ....
„ Lectio de Evangelio: *Exiit edictum*, & dicatur a
„ Diacono, qui fuit scriptus ad Evangelium in tertia
„ hebdomada præterita, ℟. *Beata Dei Genitrix*. Sexta Le-
„ ctio de Evangelio: *Pastores loquebantur*, quam legat Dia-
„ conus de secunda hebdomada præterita, ℟. *Beata viscera*
„ a duobus. Septima, & octava lectio de sermoni-
„ bus Nativitatis, Septimum ℟. *Beata & venerabilis* a
„ tribus in froccis. Octavum ℟. *Sancta & immaculata*,
„ quod cantet Domnus Abbas cum quatuor aliis in cap-
„ pis, qui non remanebunt in choro .... Nonam le-
„ ctionem legat Diaconus præsentis hebdomadæ: *In prin-*
„ *cipio*, ℟. *O Regem cœli* a duobus: *In principio* a duo-
„ bus. Tres extremæ lectiones de eodem Evangelio. ℟.
„ *Verbum caro*, a tribus in froccis. ℟. *Descendit de cæ-*
„ *lis* a septem in cappis, qui remanebunt in choro us-
„ que post Evangelium. Post *Te Deum laudamus*, legat
„ Domnus Abbas Evangelium: *Liber generationis*, &
„ sit indutus candida infula ob honorem Virginis Mariæ.
„ Oratio: *Deus qui hanc sacratissimam noctem*: post exu-
„ tam infulam induat albam cappam, & fiat processio in
„ cappitio, & cantatur ℟. *Sancta & immaculata*; & di-
„ catur Oratio: *Deus qui salutis æternæ*. Postquam thuri-
„ ficaverit ejusdem oratorii altare, & post cantatus ibi
„ matutinæ omnium Sanctorum, & dictus : *Verba mea*,
„ nisi sit tricenarius pro aliquo defuncto, alioquin dimit-
„ tatur; post eat conventus in dormitorium ad necessaria,
„ & cum redierit, eant ad ignem, qui in calefactorio de-
„ bet præparari, & abluant ibi manus; militem debent
„ dare aquam omni conventui, post eant ad Missam
„ de media nocte.) Hactenus Dionysianæ consuetudines,
quibus, ut sæpe alias, conveniunt in multis Compendien-
ses sancti Cornelii: quid vero aliæ? Certe quod invitato-
rium hic a quatuor in cappis dicitur esse cantandum, in
omnibus pene Ordinis nostri monasteriis observabatur. Hi ex
cons. S. Germani debebant esse Presbyteri; sed solammodo
aliquid peragebant Cassinenses nostri, apud quos *sex Cleri-*
ci pluvialibus induti cantabant Invitatorium; Fontanellen-
ses, in quorum consuetudinibus præscribitur, ut „ (cantor
„ vel ejus vicarius cum quinque aliis fratribus revestiatur
„ ad invitatorium.) Et Tullenses S. Apri, ex quorum Or-
dinario septem in albis & cappis invitatorium canebant.
Lectiones 1. nocturni apud Cassinenses, omnes de Isaia
Propheta; apud Cluniacenses, Corbejenses, & Compendi-
enses, ut hic tres primæ de Isaia Propheta; quarta vero
de libro Sapientiæ: *Ego sapientia*; quæ tamen apud Com-
pendienses eadem erat, quæ apud Dionysianos. Quod de ge-
nibus hic ad primum Responsorium flectendis scribitur, ha-
betur etiam in consuetudinibus S. Germani, S. Cornelii, Cor-
bejensis monasterii, ejusque Ordinario. Primum etiam ℟.
duo dumtaxat cantabant apud Corbejenses: apud San-
germanenses vero solus hebdomadarius; apud Compendien-
ses quatuor, uti apud Dionysianos. Sed apud Tullenses
ab omni simul conventu: „ (Mox autem ut primum ℟.
„ scilicet: *Hodie nobis*, fuerit inceptum, *inquiunt in Or-*
„ *dinario*, surgant omnes fratres de sedilibus suis, & can-
„ tor aliquantulum altius ipsum ℟. incipiat, & chorus
„ ipsum prosequatur; & cantetur ab omni conventu stan-
„ te, finitaque repetitione post ℣. cum ad secundam Lectio-
„ nem benedictio data fuerit, resideant omnes fratres,
„ ut prius, in sedilibus suis.) Quod de thurificandis ad
Tertiam lectionem altaribus hic notatur, præscribunt etiam
Statuta Lanfranci, consuetudines Cluniacenses apud Udal-
ricum l. 1. c. 11. Compendienses, & S. Germani Pra-
tensis, idque communiter in omnibus Ordinis nostri mona-
steriis observabatur. Quod quartum primi nocturni ℟. spe-
ctat, ita de eo Concordia Dunstani: „ (In quarto ℟. ut
„ honorificentius agatur, duo simul cantant illud,) quod in
multis haud dubium monasteriis observari solebat. Quod in
fine trium lectionum Dionysiani *Hæc dicit Dominus*, in
fine vero quartæ lectionis *Tu autem* dicebant; idem etiam
præscribunt consuetudines Fontanellenses, quæ etiam ad-
dunt: „ (Caveat unusquisque, ne de choro exeat, donec
„ prima antiphona secundi nocturni, videlicet *Hodie vita*,
„ dicatur, ad quam cum dicitur, *Omnes ipsum adoremus*,
„ omnes genuflectentes adorent adventum Salvatoris.)

III. Lectiones, quæ secundo nocturno hic adscribuntur,
eædem, eodemque ritu in Compendiensi S. Cornelii mo-
nasterio legebantur; sed in Cassinensi pro quinta lectione
sermo S. Ambrosii Episcopi: *De ortu Salvatoris*: pro
sexta sermo S. Aug. *Natus est nobis hodie*; pro septima alius
ejusdem sermo: *Commendat nobis*; pro octava alius item
ejusdem S. Doctoris; *Vos, inquam, convenio*, legeban-
tur. De Corbejensi vero antiquum ejus Ordin. ita ha-
bet: lectio „ (quinta & sexta de sermone B. Aug. *Ho-*
„ *die veritas*, septima & octava de sermone S. Fulgen-
„ tii: *Cupientes aliquid*.) Octavum etiam ℟ uti & duo-
decimum quinque cantabant apud Compendienses. Quod
spectat ad Responsoria, Fontanellenses præscribunt, ut ea
bini, & bini cantent, „ (quartum vero quatuor fratres can-
„ tent, octavum vero quatuor cum Abbate, duodeci-
„ mum cantor cum quinque senioribus.)

IV. Ad tertium nocturnum easdem Lectiones habebant
nostri Compendienses, quas & Dionysiani; sed Cassinen-
ses legebant tractatum S. Hilarii Episcopi: *A transmigra-*
tione, homil. B. Greg. Papæ: *Quia largiente Domino*,
homil. Venerabilis Bedæ: *Nato in Bethlehem*, tractatum
S. Augustini Episcopi: *Intuentes*. Cluniacenses, uti &
Corbejenses ad Nonam, duasque sequentes lectiones as-
sumebant homiliam V. Bed. in Evangelium: *In princi-*
pio, duodecimam ex homilia S. Gregorii Papæ in Evan-
gelium: *Exiit edictum*; ex Statutis vero Lanfranci pro-
nunciabantur Evangelia hæc: *Liber Generationis*: *Exiit*
edictum: *Pastores*: *In principio*. Circa ultimum ℟. hæc
præscribit Tullense S. Apri Ordinarium „ (XII. ℟.
„ scilicet: *Verbum caro*, debet reiterari hoc modo: Fi-
„ nita repetitione post *Gloria Patri*, cantatur a Cantori-
„ bus in medio choro hæc prosa: *Quem æthera*, & post
„ finem cujuslibet versiculi prosæ respondet chorus neu-
„ ma super illum versiculum, quibus finitis, reincipiatur
„ a Cantoribus idem ℟. *Verbum caro*, & chorus prosequitur.)

V. Quod, finito, *Te Deum laudamus*, cantatur Evan-
gelium; solemni ritu legebant Cassinenses nostri: Ita quip-
pe antiquum eorum Ordinarium: „ (Finito duodecimo
„ ℟. incipiat Abbas hymnum: *Te Deum laudamus*, deinde
„ pergat in secretarium, & induat se planeta, & veniat
„ ad altare, quem præcedant duo Diaconi, & duo Subdia-
„ coni pluvialibus induti cum thuribulis, & duo Acoly-
„ thi induti in albis, portantes candelabra cum lumina-
„ ribus, & dum pervenerit ad altare, osculetur illud,
„ tollatque Evangelium desuper altare, & legat super
„ analogium verso vultu ad altare: *Liber generationis*; &
„ cum legitur, Diaconi stent juxta Sacerdotem; dein-
„ de Subdiaconi cum thuribulis, & incenso. Quo finito,
„ & dicto: *Amen*, incipiat: *Te decet laus*, & dicat o-
„ rationem, deinde revertatur in secretarium, & præpa-
„ ret se cum ministris ad celebrandam Missam.) Missam
ergo nocturnis vigiliis immediate subjungebant Cassinenses,
uti & Compendienses, quorum antiquæ consuetudines hæc
scribunt: „ (Dum legitur Evangelium, ministri præpa-
„ rare debent altare; duo cerei ponantur in choro. Heb-
„ domadarius, qui in tertia præterita hebdomada fuit
„ ad officium, induatur festiva cappa, & incipiat Mis-
„ sam: *Dominus dixit*;) sed & Dunstani Concordia:
„ (Evangelium, *inquit*, post *Te Deum Laudamus* ab Abbate
„ more solito legatur, dicta oratione sub silentio, agre-
„ diantur ministri, ut calcient se, lavent, & induant sub
„ festinatione, omnibusque signis motis agatur Missa.)

Alii

Alii vero finita oratione: *Deus qui hanc sacratissimam noctem*, processionem agebant ad B. Mariæ Capellam, vel ad Crucifixum, vel ad altare quodlibet; pro qua processione Abbas exutus planeta, sive casula, cappam induebat; Cantor autem imponebat, apud Cluniacenses quidem, & Corbejenses ℟. *Confirmatum est*; apud Beccenses, Lyrenses, & eos qui statuta Lanfranci tenebant, antiphonam: *O Beata Infantia*; in monasterio S. Germani a Pratis, Fontanellensi, Tullensi S. Apri, & S. Petri supra Divam: *O mundi Domina*; qua finita, subjunctis ℣. & oratione, cantabant Laudes de omnibus Sanctis, & si tricenarium aderat: *Verba mea*; sed pro laudibus de omnibus SS. quas solis Laudibus Nativitatis subjungit Concordia Dunstani, Collectaneum S. Petri supra Divam habet solum Commemorationem de reliquiis.

VI. His completis omnibus, vel in dormitorium ascendebant, naturæ necessaria provisuri, vel urgente frigore accedebant ad ignem, quem ex Udalrico l. 1. c. 46. Ordinario Corbejensi, & consuetudin. Floriac. & Benign. circa nonam nocturnorum lectionem accendere debebant monasterii famuli, vel Cellerarius ipse; sed in libro Usuum Cisterc. hoc munus committitur duobus Conversis, qui jubente Cellerario „ (ignem in calefactorio monachis ad intervallum „ calefaciendis,) præparabant; „ (finita namque post „ Evangelium collecta, *inquit* c. 4., exibit conventus de „ Ecclesia, & lampadibus in claustro, & in lavatorio ac„ censis ab illo fratre, qui in capitulo per intervalla post „ nocturnos lumen solet deferre, sedebunt fratres in clau„ stro, & qui voluerit, calefaciat se.)

VII. Postmodum lotis aqua calida manibus, pexo capite, calciatis pedibus, signis omnibus sonantibus, ad chorum revertebantur Missam primam cantaturi; quam tamen omnium SS. Laudibus immediate subjungebant nostri Tullenses.

VIII. In insignioribus Ordinis nostri monasteriis omnes hanc ad Missam albis induebantur, ut in Einsidlensi, ejusque Germaniæ cœnobiis, in Dionysiano prope Parisios, & in monasterio S. Petri supra Divam dicto. In nonnullis tamen solus Sacerdos cum ministris; hoc est Diacono uno, Subdiaconis duobus; uno ad Prophetiam; altero ad Epistolam, tribus Conversis sive Acolythis, tribus Cantoribus ad chorum regendum, duobus ad ℟. seu Graduale, ad *alleluja* item duobus revestiebantur; atque ita præscribunt Lanfranci statuta, consuetudines Cluniacens. apud Udalricum, & S. Germani a Pratis, quibus in ordinario Corbejensi & cons. S. Benigni c. 54. additur: *Infantes etiam albis revestiuntur*. Cantores duos ante se cereos super candelabra positos, vel e latere habebant, ℟. autem vel *alleluja* cantaturi super gradus Presbyterii stabant, responsorioque, & *alleluja* cantato, tribus se Cantoribus adjungebant, una cum ipsis chorum recturi. Sed in Beccensi, atque Lyrensi monasteriis unus Subcantor cappa indutus chorum regebat, in Dionysiano Hebdomadarius cantus.

IX. Sacerdotis & ministrorum indumenta in Dionysiano quidem monasterio erant *albi coloris*, sed in Corbejensi & Parisiensi S. Germani *rubei*.

X. Hanc Missam communiter non celebrabat Abbas, sed alius ex dignioribus, in libro Usuum Bec. & consuet. Lyrensium Priori, aut ejus vice Subpriori hoc munus committitur. In antiq. Cartusiensium statutis primo in ordine, seu, ut Ordinarium, Vicario.

XI. Imposito a Cantore, seu Cantoribus introitu, quem tertio dicebant Beccenses, atque Lyrenses, Sacerdor una cum ministris ad altare accedebat; ubi certe illud notandum est, quod habent Consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Eant ad Missam de media nocte, & sint omnes „ in albis. Sacerdos induetur alba infula, Diaconus alba „ dalmatica, Subdiaconus alba tunica. Cum Diacono præce„ dant duo Diaconi, & cum Subdiacono duo Subdiaconi cum „ textibus. Hebdomadarius habeat albam cappam & inci„ piat officium: *Dominus dixit*.)

XII. Hymnum Angelicum sine Cantoris annunciatione Sacerdos inchoabat, ut discimus ex lib. Us. Bec. & cons. Lyr. quo imposito, omnia pulsabantur signa usque in finem; choroque respondente: *Et in terra pax hominibus*; *omnes flectant genua*, inquiunt cons. Lyr. quibus concinunt Sangermanenses.

XIII. In hac porro Missa *una offertur hostia*, inquit Udalricus l. 1. c. 46., *& pax ab uno recipitur*. Quisnam vero ille sit, discimus ex Ordinario Corbejensi, in quo hæc lego: „ (Hæc Missa non prævenitur generali oratione, nec „ ad majus altare canitur; neque pro sequentia canitur; „ una tantum ad illam hostia offertur ab Abbate; vel a „ Priore, & ab eodem solo pax a Diacono suscipitur.) Idem habent Divionenses S. Benigni cons. c. 54. in quibus tamen assignatur sequentia: *nata canant*.

XIV. De cetero Missam solito more prosequebantur: unum hic addo ex consuetudinibus Lyrensium: „ (Omnes, „ qui ad hanc Missam revestiti fuerint, possunt exire post „ communionem, & deponere vestimenta sua, exceptis Diaco„ no, & illo qui cappam facit;) sed liber Usuum Beccensium hæc tantum habet: „ (Post *Sanctus* exeant le„ qui ad ℟. & *alleluja* induti fuerunt.) Præterea ex Ordinario Tullensi Diaconus, & Subdiaconus communicabant: Ex antiquis etiam Cartusiensium statutis, Diaconus.

XV. Finita Missa pulsabantur omnia signa pro Laudibus, quas ipse Sacerdor ad altare incipiebat dicens: *Deus in adjutorium meum*. „ (Deinde, *inquit Ordinarium Cassinensium*, „ revertatur in secretarium, & exutus planeta induat se „ pluviale, & veniens ante altare cum Diaconibus, & Sub„ diaconis indutis pluvialibus, facta reverentia, stent in capite „ chori, ita ut unus Diaconus cum uno Subdiacono stent „ juxta Sacerdotem ex uno choro; alter vero Diaconus „ cum Subdiacono, alio in capite alterius chori.) Sed hic ritus peculiaris fuisse videtur Cassinensibus, alibi enim solus Sacerdos cappa indutus revertebatur in chorum, immo consuetudines Lyrensium hæc tantum continent: „ (Dicto: *Ite missa est*, sonat classicum, dum chorus respon„ det: *Deo gratias*. Interim Sacerdos dicat orationem: „ *Placeat*, & remanente classico, finitaque oratione, di„ cat ipse Sacerdos, qui Missam cantavit: *Deus in ad„ jutorium*, & agantur matutinæ Laudes, & sic exeat Sa„ cerdos, & deponant casulam, & stolam; & cum alba „ & manipulo intret in chorum ad gloriam de *Deus mi„ sereatur nostri*.) Hunc psalmum hic loci omissum post psalmum *Deus Deus meus*, dicebant nostri Tullenses. Finitis Laudibus, consuete suffragia cum duobus psalmis familiaribus addebant, ut patet ex Udalrico l. 1. c. 46. Ordinario Corbejensi, lib. Usuum Becc. consuet. Lyr. & S. Benigni c. 54. quamquam in collectaneo S. Petri supra Divam bæ dumtaxat assignentur commemorationes: de S. Maria, de S. Anastasia, & de omnibus SS., & Statuta Lanfranci, unam de Sancta Anastasia cum psalmis familiaribus habeant commemorationem; immo Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines nullam S. Anastasiæ mentionem faciant, quin & a psalmis familiaribus dicendis abstinendum esse præcipiant.

XVI. Matutinis Laudibus Dunstanus Laudes de omnibus SS. subjungit, quas alii post nocturnos, & processionem cantabant. Postea, si nondum appareret lux, strata repetabant.

XVII. Luce apparente fratres majori ecclesiæ signo excitabantur, qui statim a cubilibus prosilientes, in ecclesiam lotis prius manibus convolabant; ubi præmissis con„ suetis orationibus, Missam secundam cantabant; & quidem „ in omnibus communiter monasteriis eodem plane ritu, „ quo & primam, licet in nonnullis non ita solemni. Nam v. g. in Dionysiano monasterio omnes hanc ad Missam sicut ad priorem, albis non induebantur.

XVIII. Hæc Missa, quia matutinalis vicem tenebat, ab iis ministris cantabatur, qui ad majorem, præcedenti hebdomade notati fuerant. Unde etiam nec in altari majori, sed in minori, sive ut habet liber Us. Bec. *Matutinali* celebrabatur; qua in re aut forte ab aliis discrepabant Corbejenses nostri, qui primam Missam in alio, secundam in majore altari cantabant; qui etiam rubeum colorem, quo ad priorem Missam usi fuerant, ad hanc mutabant in album. De introitu hujus Missæ hæc habent Lyrensium consuetudines: „ (Officium: *Lux fulgebit*, quod dicatur per totum, & „ deinde reiteratur usque: *Et vocabitur*, ubi dicatur: *Glo„ ria*, & sic dicatur totum.)

XIX. Collectas habebat duas: unam de festo, alteram de S. Anastasia; quibus tertiam de B. Maria addebant Tullenses, Beccenses, atque Lyrenses, in quorum etiam usibus, consuetudinibus, & Ord. mentio fit prophetiæ ante Epistolam dicendæ, ut ad primam Missam; & quidem sine intervallo medio Evangelium super analogium ante majus altare dicebatur, ex libro Usuum Beccensium, & consuet. Lyrensium; ad offertorium tres offerebantur hostiæ, ut discimus ex Udalrico, cons. S. Benigni c. 54. & Ordinario Corbejensi, ut nimirum communicandi sufficere possent. Præfatio eadem, quæ ad primam Missam, scilicet: *Quia per incarnati verbi mysterium*; quamquam alia hanc ad Missam assignetur, tam in libro Usuum Becc., quam in cons. S. Dionysii, & Tullensi Ord. nempe: *Quia nostri Salvatoris*. Ad pacem omnes accedebant, apud Cluniacenses quidem, & Benignianos; sed apud Corbejenses unus duntaxat chorus. Postea fiebat communio, non tamen omnium, nisi forte apud Cluniacenses, Benignianos & Corbejenses, qui volentibus hanc ad Missam communicandi licentiam indulgebant; sed puerorum tantum ex consuetudinibus S. Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii, quibus

in re-

in recentioribus Corbejensium consuetudinibus adduntur infirmi. Apud Cistercienses vero, lib. Us. Cist. c. 4. soli *Infirmi, & diversis officiis deputati* communicabant. Apud Tullenses Diaconus, Subdiaconus & Ministri altaris; apud Cartusienses Diaconus cum Laicis, & Redditis, ex antiq. stat. 1. Part. c. 5. „ (Post Missam de Luce celebretur „ Missa S. Mariæ solemniter ad sanctum Kylianum, cujus „ officium usque ad octavum diem: *Puer natus est*,) inquit Ordinarium S. Petri supra Divam, sed hoc illi monasterio peculiare extitit. Nam in aliis Missam de Luce pro matutinali celebrabant, idque in altari matutinali, cujus etiam vestigium aliquod etiam nunc exstat in Dionysiano, & Sangermanensi cœnobiis, in quorum primo Missa secunda in altari S. Dionysii, in altero autem in sacello majori Beatæ Mariæ solemniter decantatur.

XX. Quæret forsasse non nemo, quonam tempore sacerdotes privatas Missas facerent? Respondebunt sancti Germani de Pratis consuetudines: „ (Post Evangelium, „ qui erit paratus, poterit ire celebratum, & hoc licentia „ habita:) Liber Usuum Cisterciensium c. 4. „ (Ad hanc „ Missam non cantantur Missæ privatæ, donec offerenda „ compleatur, exceptis Missis pro communicandis Conversis;) Usus Beccenses: „ (Interim dum Canon dicitur, „ possunt privatas Missas cantare, qui volunt: & hoc sine licentia.) Consuetudines Lyrensium; „ (Interim dum „ Canon dicitur, possunt privatas Missas cantare Celerarii „ cum licentia;) in alio codice non exprimitur vox *Celerarii*; Tullense S. Apri Ordinarium: (Hac Missa finita possunt Sacerdotes usque ad Tertiam privatas Missas „ celebrare, ut Tertiæ possint cum cæteris interesse; omnes enim monachi, & pueri, Conversi, & Conversæ „ in hac die Eucharistiam accipere debent;) Petrus Venerabilis stat. 72. „ (Statutum est, ut in Nativitate „ Domini nullus ex fratribus ante finem Missæ illius, „ quæ de luce dicitur, & quæ de more in conventu cantatur, Missam alicubi vel dicat, vel audiat. Excepti „ sunt ab hac constitutione infirmi, qui in infirmaria „ comedunt, de quibus antiquus mos constituit, ut sicut „ sancto die illo tres Missæ in conventu cantantur, ita „ eis eodem tempore tres similiter Missæ in capelle sanctæ Mariæ, quæ eorum officiis deputata est, celebrentur.) Cujus statuti rationem hanc reddit: „ (Quia, *inquit*, solebant Sacerdotes non quidem ex consuetudine, sed ex quadam inconsiderata festinatione, statim post „ Evangelium illius Missæ, cum quibusdam aliis, qui vel eos „ juvabant, vel communicare ad eorum Missas volebant, „ e conventu recedere, et sibi unusquisque Missam de die, „ cujus introitus est: *Puer natus est nobis*, celebrare. „ Ita fiebat, ut non solum chorus pene vacuus remaneret; sed non, quod de ipsa Missa post Evangelium restat, audirent.) Istud statutum observasse videntur Dionysiani, ac Compendienses nostri, quorum consuetudines „ hæc habent: „ (Si aliquis Missam cantare voluerit, & „ sonante Prima vestire se nondum inceperit, propter hoc „ non dimittatur etiam hac solemnitate, nec in quatuor „ reliquis festis principalibus.)

XXI. Missæ prædictæ Cassinenses immediate subjungebant Primam, sed alii communiter ascendebant dormitorium, calciamenta diurna sumebant, manus & faciem lavabant, caputque pexabant: tum revertentes in chorum, præmissis tribus orationibus consuetis, Primam cantabant, quam sequebatur capitulum solito brevius, quod etiam nonnulli consummabant in choro. Hoc in capitulo generalis fiebat peccatorum confessio, & absolutio, ut discimus ex Dunstani Concordia c. 3. „ (Finita Prima, venientes ad „ capitulum, post cætera spiritualis ædificationis colloquia, „ petunt humili devotione omnes fratres ab Abbate, qui „ vices Christi agit, postulantes multiplicium indulgentias „ excessuum, dicentes: *Confiteor*; & Abbas respondeat: „ *Misereatur*. Demum ipse Abbas solo tenus se prosternens „ eadem a fratribus petat.) Idem modus confessionis prima Paschalis solemnitatis die ita agatur. De hoc capitulo hæc habent antiquæ consuetudines Fontanellenses: „ (In „ capitulo fiat sermo, ad quem omnes conveniunt, & illa „ die cessent clamores, usque ad crastinum, & oratur pro „ Ecclesia Sancta Dei, pro omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & fratribus nostris. Finito capitulo absolvantur defuncti, & eant in monasterium cantando: *Verba mea*.)

XXII. Parvo post capitulum intervallo, præmissis solitis orationibus, Tertiam cantabant, ad quam se prius omnes induebant. Tertiæ, si Natalis Domini festivitas Dominica evenisset, aquæ lustralis benedictionem, deinde processionem, ut in Dominicis, præmittebant. Hymnum ad tertiam eodem cantu, quo & *Veni Creator*, decantabant; saltem id præscribunt consuetudines S. Dionysii in Francia. Ad antiphonam pronuntiantes hæc verba: *Omnes ipsum adoremus*, omnes in genua procumbebant, idque generaliter ubique ab omnibus observabatur.

XXIII. Post Tertiam processionem etiam in Dominicis faciebant, & quidem in cappis, ex statutis Lanfranci; post processionem Missam solemni ritu decantabant. Utriusque ordinem describunt fuse Cassinenses in Ordinario, & Dionysiani in consuetudinibus MS. hancque his propriis eorum verbis apponere non judicamus otiosum.

XXIV. „ (Ad missam majorem, *inquiunt Cassinenses*, „ omnes simul in capitulo fratres induantur pluvialibus, „ & ingressi ecclesiam cantent Tertiam; finita Tertia, „ sic ordinatim incedant ad processionem: unus frater „ pluviali indutus ferens crucem omnes præcedat, quem „ cuncti fratres bini, & bini subsequantur. Deinde alius indutus imperatorie veste ferat auream crucem, post „ quam septem Acolythi albis induti bini & bini subsequantur, ferentes totidem candelabra cum luminaribus; post „ quos tres Acolythi induti tunicis cum singulis thuribulis; deinde sex Subdiaconi induti tunicis libros Evangeliorum portantes, totidemque Diaconi induti dalmaticis bini & bini sic procedant: duo Subdiaconi præcedant, & duo Diaconi subsequantur; septimus autem „ Subdiaconus, qui lecturus est epistolam, ferens librum „ in quo die legendum est Evangelium, post eos incedat, quem Diaconus, qui Evangelium lecturus est, „ subsequatur; post quos Domnus Abbas, vel Sacerdos, „ qui Missam celebraturus est, pluviali indutus incedat, „ & eum Acolythus manu T (*a*) ferens sequatur. „ Cumque a choro exire perceperint, incipiat Abbas „ antiphonam: *Hodie Christus*, deinde *Virgo hodie*, & „ reliquas antiphonas per ordinem, & ℟. *Dies sanctificatus*, & ℣. ac Abbas post omnes stans imponat antiphonam: *Gloria in excelsis*; Clericis autem in choro abeuntibus, tres ante altare cantent Trophos, Abbas vero cum præfatis ministris pergat in secretarium, & induat se vestimento, cum quo Missam celebraturus est. „ In choro vero Clericis incipientibus *Gloria Patri*, procedant ad altare cum omnibus secum indutis ordine præscripto. Finito introitu, Clerici imponant *Kyrie*, & continuo „ Acolythi ponant candelabra in pavimento, tria in dextra parte, & tria in sinistra, & unum in medio; Deinde Sacerdos dicat *Gloria in excelsis*. Deinde orationem. „ Post finitam orationem tollantur candelabra de loco priori, & ponantur in una linea per mediam ecclesiam. „ Subdiaconus autem, qui lecturus est Epistolam, finita „ oratione, ascendat in gradum, & versus contra altare Epistolam legat; & dum legit, Diaconi, Subdiaconi, & „ Acolythi cum Sacerdote vadant ad sedendum ordinate.

XXV. „ Epistola lecta, duo Clerici vadant, & in „ ipso gradu cantent graduale. Illis vero recedentibus, „ alii tres ascendant, & cantent *Alleluja*. Post hoc in „ choro cantent sequentiam. Post Diaconus, accepta benedictione, veniat ad altare ad deferendum Evangelium, levans illud in manu, & ferens in sinistro humero; „ præcedentes eum duo Subdiaconi cum thuribulis, & duo „ Acolythi portantes candelabra; & dum transiecit Diaconus „ per medium chorum, inclinet se in utraque parte dicens *Orate pro me*, & unus chorus dicat secrete: *Dominus sit tecum*, & alter: *Spiritus Domini super te*. „ Venientibus ante (*) ambonem dividantur ipsi Acolythi, „ & transeant Diaconus, & Subdiaconi per medium eorum; Subdiaconus autem, qui legit Epistolam, ascendat „ ante Diaconum, & faciat incensum super analogium. „ Interim vero alius Subdiaconus vertens se ad Diaconum, „ porrigit ei brachium suum sinistrum, quo ponat Evangelium, ut ibi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit, & Diaconus intus posito digito suo „ in loco lectionis, ascendat ad legendum, & sic Subdiaconi reddentes thuribula Acolythis, qui debent stare contra „ Evangelium, ipsi stant in locis suis post Diaconum. „ Diaconus vero vertat se ad septentrionalem partem, & „ legat Evangelium, quo incipiente Acolythi ponant candelabra in pavimento, usque dum perlegatur, & eo finito Acolythi extinguunt luminaria, quæ ante eum ducebant.

XXVI. „ Descendente autem Diacono, Acolythi porrigant ei incensum, Subdiaconus vero qui legit Epistolam, recipiat Evangelium, & revertentibus ad altare „ omnibus, ordine quo venerant, ipse ante pectus ferens „ Evangelium, præbeat illud osculandum Sacerdoti apertum;

(*a*) Ita in MS. hæc littera T thuribulum, aut quid simile significat.

(*) *f.* ambonem.

„ tum; deinde cleusum cæteris in choro juxta consuetudinem. Finito Evangelio, mox cæteri quinque Acolythi sumentes reliqua candelabra sua extinguant, & ponant illa post altare per ordinem cum aliis duobus. Interim pergant in secretarium septem Subdiaconi cum Acolythis quatuor, qui deferant septem calices cum oblationibus hoc modo: primo antecedant duo Acolythi cum accensis candelabris; dehinc duo alii cum thuribulis, post quos ipsi Subdiaconi duo & duo incedant, ferentes aureos calices singulos, postremo autem Subdiaconus, qui legit Epistulam, bajulans calicem aureum majorem; & ita ordinate per medium chori pergant ad altare, omnibus se hinc inde illis, cum transierint, reverentissime inclinantibus. Finito autem symbolo, & dicto *Dominus vobiscum*, Diacones lotis manibus, pergant ad parandum altare. Post hæc de manu uniuscujusque Subdiaconi oblationes recipiens, offerat Sacerdoti, & Sacerdos ponit de more super altare, & sic peragatur Missa ordine suo.) Hactenus Cassinensium ritus, in quibus mihi multa forent notanda, quorum nonnulla patent ex dictis superiori libro de Missa majori; unum hic observo, ritum septem calices ad altare deferendi, quem tamen improbasse videtur Gregorius Papa secundus, cum respondens ad Bonifacium Episcopum dicit, congruum non esse, *duos vel tres calices in altario ponere, cum Missarum solemnia celebrantur*. Hos calices, quantum mihi conjicere licet, ad altare deferebant, vel ad recipiendas omnium monachorum oblationes, vel ad communionem fratrum, quia omnes, exceptis infantibus, & infirmis, tunc ad Missam communicabant. Quandiu perseveraverit apud monachos hic ritus, omnino me latet, ejus vestigium aliquod restat in nostro Sancti Dionysii monasterio, in quo singulis Dominicis, & festis præcipuis, in quibus fit communio sub utraque specie, etiam nunc duo ad altare deferuntur calices, in quorum uno consecret, in altero se purificat. Hæc obiter dicta sint, nunc Dionysianas consuetudines audiamus.

XXVII. „ (Ad Tertiam revestiant se fratres, cantent hymnum: *Nunc sancte*: ut: *Veni creator*. Antiphona: *hodie intacta*, quam incipiat Cantor; cum dicetur: *Ipsum adoremus*, omnes petant veniam super genua. Capitulum *Multifarie*. ℣. *Tamquam*. Oratio: *Concede quæsumus*. Post Tertiam fiat processio in Capicio, in qua præcedant tres cruces, & aqua benedicta, & thuribulum; & septem Diaconi sint induti dalmaticis, cum totidem Subdiaconibus, qui deferant septem textus, & Sacerdos, qui deferat brachium S. Simeonis. Et incipiet Cantor antiphonam: *O beata infantia*, & : *Stirps*; quo dicto, dicant duo pueri ℣. *Post partum virgo*, & Sacerdos Orationem: *Deus qui salutis*: deinde incipiat Cantor ℟. *Verbum caro*: & si opus fuerit *In principio*. In navi ℟. *Descendit de Cœlis* ℣. a tribus: Deinde Domnus Abbas dicat ℣. *Viderunt omnes*, & orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui hanc*. Ad Introitum chori antiphona: *Verbum caro*, & ℟. *Sancta & Immaculata*, si opus fuerit. Post processionem assistant tres Cantores in choro, regias virgas in manibus tenentes, & sint monachi parati prævisi a Cantore ante altare Sanctorum Martyrum, qui tropos decantent: *Hodie cantandus est*. Similiter & in Pascha. Finitis tropis, incipiant Cantores officium: *Puer natus est*, & cum incipitur: *Gloria Patri*, ingrediatur Domnus Abbas ad altare cum septem Diaconibus, & totidem Subdiaconibus, & aliis senioribus, cui obviam procedant monachi a Capicio cum candelabris cristallinis, & cruce Domini Caroli Imperatoris, quæ ponetur retro altare S. Trinitatis, & desuper cristallina candelabra ponantur in ordine, & in medio altare parvum pretiosum: deinde incipiat Cantor: *Kyrie* festive, & post dicatur: *Gloria in excelsis*, quo dicto, sequatur oratio: *Concede quæsumus omnipotens Deus*. Subdiaconus vero sceptrum ad Missam in manu teneat, & silixion, & legat Epistolam in parvo textu: *Multifarie*. ℟. *Viderunt omnes*, a tribus *Alleluja*: *Deus sanctificatus* a quatuor; qui autem ℟. vel *Alleluja* cantaverint, in speciosis eburneis cantent. Sequentia: *Christi hodierna*. Post sequentiam incipiat quidam bene cantans a Cantore rogatus, ante sanctos Martyres antiphonam ante Evangelium: *Verbum caro*, tenens parvam crucem in manu; & tunc procedat ipse, qui crucem tenet, & Conversi cum candelabris, & thuribulo usque in lectorium; Diaconus vero extremus veniat portans honorifice textum in manibus usque ad lectorium, ibique legat Evangelium: *In principio erat*. Post Evangelium faciet ante aquilam Diaconus ante & retro, & postea redeat ad altare, & præparet altare, & calicem, & de hostiis, tantum quantum necesse fuerit illis, qui communicabunt. Dum vero cantatur *Credo*, afferantur aurea vasa per chorum inter duo altaria, & ibi stent in ordine, usque dum incipiatur offertorium: *Tui sunt Cœli*, & sic faciant offerendam Domno Abbati, vel Sacerdoti, qui Missam cantaverit: Cantor vero extremus offerat pretiosam ampullam cum aqua, nummi vero, qui offeruntur, pauperibus erogentur. Ipsa die debent omnes fratres communicare, etiam illi, quibus aliquid tale contigerit, exceptis his, qui in gravi culpa sunt: Præfatio dicatur: *Quia per incarnati*. Communio: *Viderunt omnes*. Postcommunio: *Præsta quæsumus*: Diaconus dicat: *Ite Missa est* festive, & sonent omnes campanæ.) Hactenus Dionysianæ consuetudines, quibus in nonnullis Compendienses conveniunt, in nonnullis discrepant. Conveniunt maxime in eo, quod ante Evangelium etiam antiphonam decantari volunt: „ [Post sequentiam, *inquiunt*, incipiat aliquis bene cantans antiphonam: *Verbum caro*, & teneat crucem, dum incipiet antiphonam, postquam autem inceperit antiphonam, tradat eam Converso, qui eam deferat ante Diaconum.) Differunt autem in eo, quod communionem etiam iis, quibus tale quid contigerat, substrahunt. Singulare vero illud addunt: „ (Post Missam sonet classicum, Abbas, vel ille, qui Missam cantaverit, post accipiat crucem Caroli, & faciat Benedictionem, & sic in cæteris festivitatibus principalibus.)

XXVIII. In aliis aliorum monasteriorum consuetudinibus, vix aliquid singulare occurrit, quas proinde consulto prætermittimus: unum dumtaxat ex Ordinario Corbejæ, & Benignianis cons. hic addo, quod mihi non videtur esse prætermittendum: „ (primo pulsato signo ad Tertiam, & oratione facta, albis induuntur omnes, accipiunt quoque manipulos.)

XXIX. Ad Vesperas omnes albis induebantur ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, atque hymno prosam: *Beata es virgo*, præmittebant, ex iisdem consuetudinibus.

XXX. Porro quia vices Christi Abbas agere creditur, ut ait S. Benedictus, ad exhibendum humilitatis exemplum, cujus formam in salutifera sua Nativitate Dominus ac Redemptor noster hac die induit, antiquæ apud Nostros consuetudinis fuit, ut Abbas sacro Nativitatis Domini die coquinæ officium exerceret, quod patet, tum ex Udalrico ita scribente l. 1. c. 46. „ (Aliquando quidam forte libellus venit in manus nostras simulans, quod olim scriptus esset ante plures annos, in quo inter cætera habebatur nostram esse consuetudinem, ut in Natali Domini ministerium coquinæ Domnus Abbas, & Cellerarius cum Decanis simul faciant; quod ideo tacere nolui, ut animadvertas, a quanta sanctitate locus noster incœpit; quamquam modo non sit, nec absque maxima importunitate esse possit idipsum humilitatis, & Religionis exemplum &c.) tum ex MS. consuet. Lyrensis monasterii, in quibus in die Nativitatis Domini „ (ad coquinam scribitur Domnus Abbas, Cellerarius, & duo Hebdomadarii, similiter in die Paschæ, & Pentecostes, & in festivitate sanctæ Trinitatis, & in Assumtione S. Mariæ, & in festo omnium SS.) In altero codice pro: *Cellerarius*, habetur, *& Buticularius*, & pro: *Et in festo omnium Sanctorum*, legitur; *Et in omnibus festis, in quibus Venite cantatur a quatuor monachis*; tum denique ex Benignianis consuetudinibus cap. 53. ex quibus hebdomadarii coquinæ notandi erant „ (Domnus Abbas, & cum eo omnes, qui adsunt.) Atque hic fuit communis monasteriorum usus, de quo Fontanellenses consuetudines: „ (Sciendum, quod ista hebdomade Paschæ, & Pentecostes, Abbas debet esse hebdomadarius coquinæ, cum quatuor bajulis suis, scilicet Cellerario, Camerario, Secretario, Thesaurario, cum duobus Hebdomadariis: & unus obedientialium forensium debet legere ad mensam.) Vide vitam Eigilis Abbatis Fuldensis Sæculo IV. Benedictino part. 1. pag. 240. cum Mabillonii nota.

XXVI. Pro conclusione laudabilem S. Alberti Abbatis Gembronensis adjicio consuetudinem, quam refert Anonymus in ejus vitæ his verbis n. 53. in supp. ad sæc. 3. „ (Hujusmodi consuetudinis tenorem observabat, quatenus scilicet annuatim bis centum solidos in eleemosina erogaret; in die videlicet Cœnæ Dominicæ .... & in die Nativitatis ejusdem Domini nostri Jesu Christi.]

CAPUT V.

De Ritibus infra octavam Nativitatis contingentibus.

I. ANtequam ritus ad divinum officium infra octavam Dominicæ Nativitatis pertinentes investigemus, duas celebriores priscorum monachorum consuetudines referre operæ pretium existimavi; una generalem jejuniorum relaxationem complectitur, altera continuum his octo diebus silentium.

II. Prima patet 1. ex Concilio Turonensi 2. in quo monachorum ordinantur jejunia: „ (Et quia, *inquit c.* „ 18. inter Natalem Domini, & Epiphaniam omni die „ festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum, quod ad calcandum gentilium consuetudinem „ Patres nostri statuerunt privatas in Calendis Januarii „ fieri litanias;) ex *Regulis* sancti Aureliani ad monachos, & S. Donati ad Virgines c. *79.* quæ vacuum jejuniis relinquunt tempus, quod Natalem inter, & Epiphaniam Domini intercipitur; ex Regula S. Isidori, quæ inter ferias, in quibus monachorum jejunia conquiescunt „ (placuit etiam, *inquit* c. 11. Patribus a die Natalis „ Domini, usque ad diem Circumcisionis, solemne tempus efficere, licentiamque vescendi habere,) ex Regula Magistri c. 45. „ (In Natale vero Domini usque Epiphaniam, omnes antiphonæ, & ℟. die noctuque cum „ *alleluja* psallantur, & genua ipsis diebus non flectantur, neque jejunetur, neque abstineatur,) ex Petro Damiani opusc. 15. c. *6.* ubi agens de Institutis suæ Congregationis: „ (In festivitatibus XII. lect. *inquit*, „ quæcumque venerint ab Idibus Septembris, usque ad „ Resurrectionem Domini, semel tantum reficiant fratres excepta videlicet his solemnitatibus omnium Sanctorum, Sancti Martini, & S. Andreæ, hebdomada „ Natalis Domini, & uno die Epiphaniæ, & Hypopanti.) ex consuetudinibus Cluniac. apud Udalricum lib. 1. cap. 43. „ (Per octavas S. Martini, & per octavas „ Dominicæ Nativitatis, & Epiphaniæ duabus vicibus „ manducamus,) quibus concinit Petrus Venerabilis in Statutis c. 14., saltem quoad oct. Nativitatis; sicut & Compendienses consuet. Idem de Primis Cartusianis narrat prædictus Petrus Venerabilis lib. 2. Mir. cap. 28. „ (Semel in die semper comedunt, exceptis octo diebus Natalis Domini &c.) quod patet ex Guigonis statutis c. 8. His etiam octo diebus nostri Casinenses volatilibus vescebantur, ut discimus ex epistola Theodemari ad Carolum Magnum Imperatorem: „ (Volatilia namquem, nisi in die Natalis Domini, si est unde, usque ad dies octo comedimus.) Hic locus occasionem præbuit isti Concilii Aquisgranensis constitutioni c. 78. „ (Ut volatilia in Natali Domini, & in Pascha tantum quatuor diebus, si est unde, comedant; si vero non fuerit unde, „ non requiratur per debitum.] Hinc etiam Angesius Abbas Fontanellensis in ejus vit. sæc. 4. p. *639.* monachis suis in testamento suo assignat in Natali Domini „ (Aucipastas, pullipastes, pullos, & ova;) & Carolus Calvus in quodam præcepto pro monachis Sancti Germani Parisiensis, „ (refectiones . . . de volatilibus cum pulpastis in Natale Domini tribus diebus, & in Pascha similiter tribus infragabiliter eis ab Abbate ministri sufficienter) decernit, sæc. 3. part. 2. p. 520.

III. Alteram de continuo silentio consuetudinem refert Udalricus in antiquis Cluniacensium consuetudinibus, cum de vigilia Nativitatis Domini loquens „ (transacto, *inquit* „ *l.* 1. *c.* 46. capitulo, non caremus licentia loquendi, & „ iterum post Sextam, quia per totam futuram septimanam debemus generaliter esse tacentes, nisi quantum „ loquimur in capitulo, & ad confessionem;) & certe inter quinque capitula, quæ receptis Conc. Aquisgr. capitulis permiscuerunt Canturiatores Capit. Baluz. p. 1092. quartum ita habetur: „ (Ut in hebdomada Paschæ in „ claustro non loquantur, sed lectio divina ab omnibus „ teneatur; similiter in hebdomada Pentecostes, & in „ omnibus diebus Dominicis, seu in Natali Domini, & „ in omnibus Sanctorum festis præcipuis.) Istud institutum exacta servabat S. Guillelmus Abbas Divionensis etiam in extremis positus „ (expletis solemnibus totis octo dierum „ Nativitatis Domini *nihil omnino loquens*, oculos tantum ad Deum erigens,) ut scribit de eo Glaber Rodulphus in ejus vit. c. 16. His præmissis, ad ea quæ cultum divinum spectant, veniamus.

IV. Prima dies infra octavam Nativitatis Domini, S. Stephani Protomartyris festivitati consecratur, cujus solemnitati duo potissimum conferunt; ejus scilicet in octava Natalis Domini occurrentia, & singularis illa prærogativa, qua primitias Martyrum præ cunctis Christi discipulis referre meruit: hinc Lanfrancus in Statutis „ (tres, *inquit*, „ sequentes festivitates, idest B. Stephani, Johannis Apo- „ stoli, SS. Innocentium uno eodemque modo celebren- „ tur. Ecclesia his tribus diebus, sicut in die Dominicæ „ Nativitatis, ornata permaneat.] Hinc apud Nostros Sandionysianos quatuor in cappis, perinde atque in Natali Domini, Invitatorium ad Nocturnos cantabant, ex quibus duo in choro remanere debebant: omnia responsoria a duobus; exceptis quarto, quod a tribus; octavo, quod a quatuor; & duodecimo, quod a quinque cantabatur. In Nostro etiam Sangermanensi, ut & Corbejensi monasterio, Invitatorium in cappis a quatuor cantabatur; sed in Cassinensi, Beccensi, & S. Petri supra Divam a tribus; & quidem junioribus Diaconibus, ex collectaneo ejusdem monasterii; in Tullensi S. Apri a duobus item in cappis, ut & in Compendiensi S. Cornelii: hic etiam quartum, octavum, & duodecimum ℟. cantabatur a tribus. His adde, quod habet antiquum Corbejense Ordinarium: „ (Ad octa- „ vum ℟. viginti quatuor cerei de ciborio accenduntur.) Hac die apud Cassinenses, ut & duobus sequentibus diebus, lect. 12. cum suo ℟. erat de Nativitate Domini.

V. Laudes cum proprio de sancto Stephano officio celebrabantur, in quibus, ut ad Nocturnos, & Vesperas hymnos ab S. Ambrosio, vel Prudentio composito, ex statuto Petri Venerabilis num. *68.* cantabant nostri Cluniacenses. Ad hymnum, albam, & cappam induere solebat, qui altari incensum erat delaturus; quod in nostro Parisiensi S. Germani monasterio, in Compendiensi, & Dionysiano duo præstabant, Hebdomadarius, & cum eo alius; qui cappas rubeas induti, venientes per chorum, benedicto ab Abbate, incenso, sacrarium, & chorum thurificabant; quos comitabantur duo juvenes in albis convenienter postea incensaturi; sed in aliis communiter monasteriis solus Sacerdos alba, & cappa indutus cum thuribulario in alba, incensum deferebat, ut patet ex Tullensi S. Apri Ordinario, & collectaneo S. Petri supra Divam.

VI. Finitis Laudibus fiebat commemoratio de Nativitate, cui certis in locis addebantur comm. de Beata Maria, ut in Beccensi, Lyrensi, Tullensi, & S. Petri supra Divam; sed Cassinenses nostri matutinis Laudibus de S. Stephano integras de Nativitate Laudes subjungebant; quod & aliis de S. Johanne, de SS. Innoc. & de S. Silvestro festis diebus similiter præstabant. Missa matutinalis de Nativitate, major de festo dicebatur; Matutinalis introitus: *Puer natus est* cum Epistola, & Evangelio primæ Missæ, quæ dicta erat media nocte: *Exiit edictum*. Major solemniter in cappis, vel minimum in albis. Primam præscribunt Cassinense Ordinarium, Dionysianæ consuetudines, Usus Beccenses, qui & illud habent speciale: „ (Ad Mis- „ sam omnes cappas habebunt, & pueri tunicas:] Posterius observabant Tullenses S. Apri, Parisienses S. Germani, & in monasterio S. Petri supra Divam. Missæ solemnem processionem præmittebant Sandionysiani, quam ita describunt eorum MS. consuetudines; „ (Ad magnam „ Missam sint omnes in cappis, & ante Missam fiat pro- „ cessio cum parva cruce, & aqua benedicta, & incenso, „ & candelabris; & dicatur antiphona: *O beata infantia*; „ eant in Capitio, fiatque statio ad S. Cucuphatem; post „ antiphonam dicatur ℣. *Post partum* a duobus pueris: „ deinde cantatur responsorium: *Ecce jam coram*. ℣. a „ duobus: *Karitatis*; & post dicatur ℣. a duobus: *Ste-* „ *phanus vidit*, & Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus*: „ Quatuor procedentes sint cum Diacono, & totidem Sub- „ diaconi cum Subdiacono. Descendendo de Capitio inci- „ piat Cantor ℟. *Sancte Dei pretiose*, & non eant in „ navi; sed cum venerint ad passum, eant per rubeas por- „ tas in choro;) Deinde de Missa subjungitur: „ (Ad „ Missam tres Cantores in rubeis cappis in choro assistant „ & incipiant officium: *Etenim sederunt*: *Kyrie clemens* a „ quatuor bene cantantibus. Oratio; *Da nobis*: Epistola: „ *Stephanus plenus*. ℟. *Sederunt principes* a tribus. *Alleluja* „ *Video cælos* a quatuor, sequentia &c.) apud Fontanellenses levitæ chorum tenebant cum baculis pastoralibus. In aliis tamen monasteriis, ut in Sangermanensi, & Compendiensi, unus dumtaxat Cantor indutus cappa rubea Missam inchoabat: ℟. seu Graduale, atque alleluja pro consuetudine monasteriorum: nam in Beccensi v. g. quatuor ℟. quinque alleluja; in Lyrensi tres ℟. quatuor alleluja; in Parisiensi S. Germani tres in cappis ℟. totidemque etiam in cappis *Alleluja*, in Compendiensi S. Cornelii duo tantum ℟. tres alleluja cantabant. *Kyrie*, *Gloria in excelsis*, *Sanctus*, *Agnus* cum adjectis piis devotisque nonnullis vocibus passim dicebatur. Denique Missa finita, in Corbejensi S. Petri monasterio omnia signa pulsabantur.

VII. Post Sextam conventus in refectorium ad comestio-

pem

nem procedebant, ubi duplices mappas, & pitantiam habere debebat, ex consuet. S. Germani.

VIII. Vesperæ cum antiphonis, & psalmis ad Sancti festivitatem pertinentibus cantabantur; quod duobus etiam sequentibus diebus observabatur; unde quod in Tullensi S. Apri Ordinario, Dionysianis, Compendiensibus, atque Lyrensium consuetudinibus assignantur ad Vesperas, usque ad Epiphaniam antiphonæ: *Tecum principium*, & aliæ cum psalmis de Nativitate, recentioris videtur esse instituti, cui refragantur antiquum Corbejense Ordinarium, in quo singulæ ad psalmos antiphonæ de S. Stephano notantur, Benignianæ consuetudines c. 54. Udalricus l. 1. c. 47. Lanfranci Statuta c. 1. §. 2. cujus de tribus sequentibus diebus hæc verba: „ (Ad Vesperas super psalmos imponant antiphonas de ipsis festivitatibus, quibus, & quas „ Cantor præceperit;) & Concordia Dunstani, qui veteres Nationis suæ consuetudines retinuisse se testatur, num. c. 3. „ (ad Vesperas ipsius diei, *inquit*, scilicet Natalis Do„ mini, dicantur antiphonæ: *Tecum principium*, & reli„ quæ, reliquis vero tribus diebus dicantur antiphonæ de „ ipsis sanctis, cum psalmis ipsi solemnitati competenti„ bus.)

IX. ℞. Pro consuetudine locorum cantabant; nam in Pratensi Sancti Germani monasterio a quatuor monachis in froccis; in Compendiensi, & S. Petri supra Divam, a duobus in cappis dicebatur.

X. Hymno præmittebant prosam Sandionysiani nostri, erat quippe consuetudinis nonnullis in locis ad Vesperas majorum solemnitatum prosas de Sancto, vel SS. qui colebantur, decantare; quod etiam nunc, si bene memini, observant Suessionenses nostri Sancti Crispini ad primas Vesperas Sanctorum Martyrum, quas cum Cathedralis Ecclesiæ Canonicis decantant.

XI. Incensum eodem, quo ad Laudes, modo offerebatur. Post Vesperas fiebant commemorationes; sed non uno eodemque modo; nam quibusdam in locis prima commemoratio erat de S. Johanne, altera de Nativitate, ut in Parisiensi S. Germani a Pratis monasterio; in aliis addebatur memoria de S. Maria, ut in Lyrensi; in aliis hisce tribus commemorationibus addebatur memoria de SS. loci, ut videre est in rituali Beccensi, & in Tullensi S. Apri Ordinario, in quo commemoratio de S. Johanne facienda præscribitur cum antiphona, *Gloria Patri*, versu, & collecta. Sed in Dionysiano, & Compendiensi monasteriis prima commemoratio fiebat de Nativitate, secunda de Sancto Johanne, quam faciebant procedendo ad altare ejusdem S. Apostoli, cantantes antiphonam: *Ecce ego*, canticum *Magnificat*, ℣. *valde honorandus est*, & collectam: *Ecclesiam*. Hujusmodi commemorationes cum antiphona, cantico: *Magnificat*; & oratione frequenter occurrunt in Ordinario Cassinensi, & hac ipsa die commemorationem de Nativitate hoc modo faciebant. Denique in monasterio S. Petri supra Divam primum fiebat comm. de Nativitate, deinde de S. Maria, postea processio in capella in albis cum ℞. *Apparuit caro*, & collecta: *Ecclesiam*, ac tandem ibidem memoria de Reliquiis, denique de omnibus Sanctis. In his nihilominus monasteriis, in quibus prima erat commem. de S. Johanne, fiebat etiam processio post Vesperas, & Laudes, & quidem *cum incenso*, ex Ordinario Tullensi.

XII. Festum S. Johannis Evangelistæ consimili prorsus modo celebrabatur ubique, immo forte solemniori, saltem quibusdam in locis; nam v. g. apud Fontanellenses revestiebantur seu Sacerdotes ad Invitatorium, in Compendiensi Monasterio a quatuor in cappis, in Monasterio S. Petri supra Divam, a tribus senioribus item in cappis, dicebatur. Lectiones primi Nocturni ex Ordinario Corbejensi, & Dionys. consuet. initium libri Apocalypseos. Secundum ℞. Compendii „ (Duo Sacerdotes ex senioribus „ cantabant.) Lectiones secundi Nocturni in Ordinario Corbejensi. Sermo de Ecclesiastica Historia: *Audi fabulam*; in Dionys. consuetudinibus de vita ipsius: *Secundam post Neronem*. Laudes eodem prorsus modo, quo de præcedenti, cum Comm. de Nat., de S. Stephano, & cæteris, atque processione.

XIII. Missa matutinalis de Nativitate cum Commem. S. Johannis, & S. Stephani, Epistola, & Evangelio secundæ Missæ Nativitatis. Ad Tertiam in Dionysianis consuetudinibus assignatur hymnus: *Veni Creator*; in Compendiens. *Nunc sancte nobis*, sub cantu *Veni Creator*.

XIV. Post Tertiam Missa de S. Johanne cum Commem. Nativ. & S. Stephani, eodem ritu, quo die præcedenti; hoc uno excepto, quod in Dionysiano Monasterio ante Evangelium ab uno cantabatur ad altare SS. Martyrum antiphona: *Ecce ego Johannes*. Hæc Missa ut minimum erat in albis, quibusdam in locis in cappis: Missæ

præmittebant nostri Dionysiani processionem, ut in die Natalis Domini.

XV. Vesperæ eodem modo, quo præcedenti die cum Comm. de Nativ., de S. Stephano, de SS. Innocentibus, eo ritu quo pridie de S. Johanne, & de aliis; in quibus hoc unum speciale habebant Compendienses, quod ℞. apud eos a quatuor in cappis cantabatur; & Dionysiani, quod prosam in iis non cantabant. In Fontanellensi Monasterio factis commemorationibus „ (ingrediebantur duo, vel qua„ tuor Infantes tunicis induti incipientes hoc responsori„ um: *O quam gloriosum*.)

XVI. Festum SS. Innocentium eandem per omnia solemnitatem obtinebat, quam duobus præcedentibus diebus descripsimus, maxime S. Stephani. Hoc unum duntaxat notandum, quod in Ordinario Cassinensi continetur his verbis: „ (Ad Missam Diaconus & Subdiaconus in nigris „ planetis procedant, & nec *Gloria in excelsis Deo*, nec „ *Alleluja*, nec *Credo in unum Deum* dicatur, excepto si „ Dominica evenerit;) ex his nonnulla quibusdam in locis observabantur; in aliis nihil omnino „ (in Natali In„ nocentium, *inquit Udalricus lib.* 1. c. 47., quod aliæ „ ecclesiæ non cantant *Gloria in excelsis*, nec *Alleluja*, hoc „ minime curatur a nobis.) Missa matutinalis de Nativitate, scilicet tertia.

XVII. Tres sequentes infra octavam dies uno eodemque ritu colebantur: de his generatim S. Dunstanus in Concordia hæc habet: „ (His autem diebus inter Innocentium festivitatem, & octavas Domini, quia *Gloria in* „ *excelsis Deo* ob tantæ festivitatis honorificantiam ad Mis„ sam celebratur, ad Nocturnum, & ad Vesperam, uti „ ad Missam, sicut in usum hujus Patriæ indigenæ tenent, „ omnia signa pulsentur; nam honestos hujus Patriæ mores „ ad Dominum pertinentes, quos veterum usu didicimus, „ nullo modo abjicere; sed undique, uti diximus, cor„ roborare decrevimus. Ad Matutinas ob rem prædictam „ licet *Te Deum laudamus* non canatur, & Evangelium „ minime festivo more legatur; cereus tamen accendatur, „ & signa pulsentur omnia, & thuribulum thurificando „ deportetur: hinc usque Epiphaniam Domini psalmi ad „ Vesperas ad feriam pertinentes cum antiphona dicantur;] & hæc quidem ubique observata esse videntur, maxime quoad altaris thurificationem. Invitatorium a duobus in cappis cantabatur, ex Tullensi S. Apri Ordinario. Tres Lectiones ad Nocturnos legebantur ex homilia in Evangelium: *Exiit edictum*, prima quidem die; secunda vero ex homilia in Evangelium *Pastores*; tertia in Evangelium: *In principio*. Psalmi familiares Nocturnos inter & Laudes usque in crastinum octavæ Epiphaniæ, & Vigiliæ mortuorum usque in crastinum octav. S. Johann. non dicebantur, ex prædicto Tullensi Ordinario.

XVIII. Ad Laudes psalmi sub una tantum cantabantur antiphona quotidie mutanda, ut patet ex antiquo Corbejensi Ordinario, cons. S. Dionysii, S. Cornelii Compend. & Rituali Beccensi, sed in consuet. Sancti Benigni c. 54., in Tullensi S. Apri Ordinario, tres ad Laudes notantur antiphonæ, una ad tres primos psalmos, altera ad canticum: *Benedicite*, tertia ad *Laudate*; in quo Ordinario, & illud lego; „ [Matutinæ B. Mariæ non dicantur, Laudes „ omnium SS. dicantur; & *Verba mea*, & *Domine exaudi*. „ Ad Primam hymnus solummodo cantetur, ut in die Na„ talis Domini, antiphona: *Christus Dominus*, & infra an„ tiphonam cum dicitur, *Adoremus omnes*, flectant omnes „ genua, & capita denudent... septem psalmi non dicantur, „ nec litania, quicumque sit dies. Psalmi familiares post quas„ libet horas diei dicantur, ut in festis duodecim Lectionum „ dici solent. Post Primam facto intervallo, quo fratres le„ ctioni vacant, capitulum teneatur, festive non legatur, „ loco Regulæ lectio de Evangelio legatur: *Exiit edi*„ *ctum*, cum homilia: *Nascitur in carne*: *Verba mea* post „ capitulum dicatur, post capitulum Missa matutinalis can„ tetur.)

XIX. Hæc matutinalis Missa, uti & major, dicebatur de Nativitate Domini cum una ex tribus ejus diei Missis; quamvis nonnullis in locis majorem ad Missam quotidie tertia adnumeretur, ut apud Sanctum Dionysium; in aliis minor Missa, sive matutinalis, erat de Sancto Stephano, ut in Beccensi Monasterio.

XX. Ad Vesperas antiphonæ de Nativitate: *Tecum principium*, cum psalmis suis: & incensum ad *Magnificat* ab uno minimum Sacerdote alba & manipulo induto. Antiquæ consuetudines Fontanellenses præscribunt, ut in festo S. Thomæ Martyris Magna Missa in cappis cantetur.

XXI. Dominica infra octavam Nativitatis notantur in Ordinario Cassinensi, ad primam, secundamque vigiliam sermones S. Leonis, & S. Augustini, ad tertiam de homilia Dominicæ. In aliis vero communiter Monasteriis, si Domi-

nica in unam ex his tribus diebus incidisset, duo primi Nocturni de Dominica dicebantur, tertius cum Laudibus de Nativitate; quamvis in his certæ essent Monasteriorum rubricæ.

XXII. De festo Sancti Sylvestri hæc habet Cassinense Ordinarium: „ (Ad Primam canatur Missa de Nativitate. Si evenerit die Dominico in prima vigilia, & secunda omnia de Sancto; in tertia vero de Dominica, Evangelium de Dominica, Matutini de Sancto; postea vero de Nativitate. Ad Primam canatur Missa de Sancto cum introitu, & oratione de Nativitate, vel oratione aliorum Sanctorum. Ad Tertiam de Dominica. Ad Vesperas de Sancto. Lectio, R. breve, & Hymnus de Nativitate, antiphona ad *Magnificat: Magnum hereditatis mysterium*; Postea dicatur antiphona S. Sylvestri, *Magnificat*, & oratio; deinde S. Stephani S. Johannis, & SS. Innocentium.) In aliis vero Monasteriis tanta erat in hujus sancti cultu, & officio diversitas, quot erant Monasteria: nam verbi gratia in aliquibus integrum habebat officium cum commem. de octavis, ut in Tullensi S. Apri; in aliis duo primi de Sancto Nocturni dicebantur, tertius cum Laudibus, & Missa matutinali de Nativitate, ut in Beccensi B. Mariæ; in aliis duo item primi Nocturni de eo, tertius vero cum Laudibus, & Missa matutinali de S. Columba, cum commem. de Sancto, de Nativitate, aliisque octavis, ut in Parisiensi S. Germani; in aliis sola de eo fiebat ad Laudes, Vesperas, & Missam commem., ut apud Cartusianos. Denique in aliis transferebatur post octavam Nativitatis, ut apud Sanctum Dionysium.

C A P U T VI.

De octava Natalis Domini, & aliis consuetudinibus ad mensem Januarium pertinentibus.

I. QUantum Ecclesiæ octava Natalis Domini attulit gaudii, tantum procul dubio lætitiæ detraxerunt profanæ gentilium superstitiones. Hi enim Calendas Januarii Jano Deo suo sacrantes, eximium ipsi obsequium sese præstare existimaverunt, si in omne se sporticiarum genus immergerent. Hinc „ (quidem, *ut scribit Alcuinus de divin. offic.*, mutabant se in species monstruosas, in ferarumque habitus transformabant: alii in fœmineo gestu mutati virilem vultum effœminabant: aliqui phanaticis auguriis profanabantur, perstrepebant saliendo pedibus, tripudiando plausibus; nonnulli ita auguria observabant, ut focum de domo sua, vel aliud quodcumque beneficium cuiquam petenti minime tribuerent. Diabolicas etiam strenas, & ab aliis excipiebant, & ipsi aliis tradebant; nec non etiam mensulas plenas ad manducandum tota nocte paratas habebant, credentes, quod Calendæ Januarii per totum annum præstare possent;) aliaque id genus permulta peragebant, de quibus vid. Menard. in not. ad Conc. Reg. c. 50. §. 4. Horum ineptæ lætitiæ, quam etiam laxato sinu amplexi sunt permulti veri Dei Christi cultores, jejunii universalis tristitiam, publicasque litaniarum supplicationes opposuit Ecclesia, ut multa nos docent veterum Scriptorum testimonia, ex quibus unum dumtaxat, quod Monachos nominatim spectat, ex Concilio Turonensi secundo referre libuit: ita enim describens Monachorum jejunia: „ (Et quia, *inquit*, inter Natalem Domini, & Epiphaniam omni die festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum, quod ad calcandam gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Calendis Januarii fieri litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in Calendis ipsius Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur,) ut nimirum ad Nonam jejunium solvere possent. Sed his missis, Ecclesiasticos nostrorum ritus hanc ad diem pertinentes perscrutari tentemus.

II. Duas hac die solemnitates celebrabant majores nostri; octavam scilicet Nativitatis Domini, & ejus Circumcisionem; unde in quibusdam eorum Ordinariis inscribitur octava Natalis Domini, in aliis Circumcisio Domini. De Circumcisione Domini generatim Lanfrancus in Statutis: „ [Circumcisio, *inquit*, Domini celebretur, sicut una de tribus superioribus festivitatibus [scilicet S. Stephani, S. Johannis, & SS. Innocentium, excepto quod sola Monasterii non ornatur, quæ quinta Dominicæ Nativitatis die disparari debet;] tantam tamen solemnitatem apud alios communiter nobis advertere non licuit; nam primo ad Vesperas antiphonas de Nativitate: *Tecum principium*, &c. vel de S. Sylvestro: *Juravit*, incipiebant pueri in Lyrensi, Beccensi ac Tullensi S. Apri Monasteriis, Capitulum legebat Abbas, ex Ordinario S. Petri supra Divam. R. *Sancta & immaculata*, in Dionysiano, Compendiensique Monasteriis duo cantabant in cappis, cujus loco R. *Verbum caro*, a duobus item hebdomadariis cantandum substituebant Tullenses S. Apri; Beccenses vero, atque Lyrenses R. *Benedictus, qui venit*. Incensum autem ad *Magnificat*, ut supra. Collecta pro diversitate Monasteriorum diversa: in antiquo Corbejensi notatur Oratio: *Deus, qui salutis*; in Tollensi, Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus: *Deus, qui nobis nati Salvatoris*; in Rituali Beccensium, cui concinunt consuetudines Lyrensium: *Respice nos*, qua finita, dicto *Benedicamus Domino*, fiebant commemorationes solitæ de S. Sylvestro, de S. Stephano, aliisque octavis, de B. Maria, & SS. loci: deinde processio, & quidem cum incenso, ex Ordinario S. Apri, cui succedebant Vesperæ omnium Sanctorum; atque quæcumque dies eveniret, ut habet idem Ordinarium. In Dionysianis tamen, & Compend. consuet. nullæ præscribunt commemorationes.

III. Ad Nocturnos Invitatorium *in cappis* quidem, sed a duobus tantum cum eodem cantu, quo die Natalis Domini dicebatur, in Tullensi, Beccensi, & Dionysiano Monasteriis; in quorum postremo quartum R. duodecimum, octavum tres, duodecimum quatuor cantabant, cum plures id aliis tribus diebus præstarent. Paulo secus aliquid agebant apud S. Petrum supra Divam, cujus Ordinarium nocturnorum officium ita describit: „ (Ad Matutinum Invitatorium tres Monachi in cappis ... in I. Nocturno, ad Cantica, & ad Laud. Incipiat Hebdomadarius antiphonam; cæteras vero utrimque seniores: deinde cæteri, sicut in ordine. Responsoria autem singula primi, secundi, & tertii Nocturni canant duo; octavum vero Abbas, Cantor, & Subcantor; si autem Abbas defuerit, duo tantum. Prior & duo alii seniores, quibus in tabula impositum fuerit, canant duodecimum responsorium.] Hic nulla fit mentio lectionum, pro quibus in MS. S. Dionysii consuetudinibus assignantur octo de sermone: *Venitos in carne*, & quatuor de Evangelio: *Postquam consummati sunt dies octo*; sed Cassinenses septem primas de Sermone S. Augustini, octavam cum suo R. de S. Basilio, quatuor postremas de homilia faciebant. Ad Laudes, & per Horas antiphonæ: *O admirabile commercium*, pro quibus in Ordinario S. Petri supra Divam notantur: *Ante Luciferum*, &c. deinde commemorationes solitæ de octavis, &c. sed Cassinenses primam commemorationem faciebant de Sancto Basilio, cum antiphona *Benedictus*, & collecta.

IV. Missa matutinalis pro diversitate Monasteriorum diversa; nam Cassinenses de Sancto Basilio; Lyrenses, & Bersenses de Sancto Stephano, aut aliqua ex octavis; Tullenses, Dionysiani, ac Compendienses de octava Natalis Domini: *Puer natus*, ut in die; Cluniacenses, Divionenses, & Corbejenses: *Vultum tuum*, cum Epistola & Evangelio de die octava cantabant; in Monasterio vero S. Petri supra Divam, de B. Maria: *Salve S. Parens*, cum Epistola: *Quanto tempore*: R. *Benedicta*, Evangelio: *Erat Joseph*, *Credo*, Præfat. *Et te in veneratione* dicebatur. Major Missa de die octava: *Puer natus*, cum Evangelio, *Pastores loquebantur*, cui & illud subjungebant antiqui: *Et postquam consummati sunt dies octo*, &c. ut videre est apud Udalricum l. 1. c. 47. in consuet. Sancti Benigni c. 54., in antiquo Corbejensi Ordinario, & in M. consuetudinibus Canonic. Regularium Sancti Rufi. Hac de Missa hæc habent consuet. S. Dionysii in Francia: „ (Post Tertiam cantetur Missa, & sint omnes in cappis, & sint Diaconi duo cum Diacono, & duo Subdiaconi cum Subdiacono cum textibus, unus Cantor teneat chorum. Officium: *Puer natus*. Kyrie festive. Oratio: *Deus qui nobis*. Epistola, *Apparuit gratia*. R. *Viderunt* a duobus. *Alleluja, Multifarie* a tribus, vel *Dies sanctificatus*. Sequentia *Lætabundus*. Evangelium: *Postquam consummati*. *Credo* dicatur. Offert. *Tui sunt cœli*. Præfatio: *Quia per incarnati*. Communio: *Viderunt omnes*;] quibus addendum ex aliis Ordinariis, & Consuet. *Communicantes* sicut in die Natalis Domini. In Calendario S. Petri supra Divam, ut & in Lyrensi, Circumcisio Domini notatur *in cappis*; sed ex Tullensi S. Apri Ordinario Missa tantum *in albis* decantari debebat. Graduale, & Alleluja quod spectat, utrumque a tribus in Cœnobio S. Petri supra Divam cantabatur; in Lyrensi R. a tribus, alleluja a quatuor; in Beccensi vero R. a quinque, alleluja a septem. Ad Vesperas antiphonæ ex Udalrico, *O admirabile* cum reliquis de Laudibus, pro quibus in antiquo Corbejensi Ordinario, & aliis legimus antiphonas: *Tecum principium*. Reliqua, ut in hujusmodi festis.

V. In-

V. Insequentes tres dies octavis SS. Stephani, Johannis, & Innocentium sacrates, quos cum duodecim Lectionibus notant recentiores Corbejensis Monasterii, & S. Germani a Pratis consuet. uti & Tullense S. Apri Ordinarium, saltem quoad duos priores dies, celebrabant antiqui cum psalmis ferialibus, & tribus dumtaxat lectionibus, quas ex Epistolis Apostoli nonnulli, ex sermonibus de Sanctis alii desumebant. Atque ita Casinenses ex eorum Ordinario, Cluniacenses ex Udalrico l. 1. c. 47. Corbejenses ex antiquo eorum Ordinario, Beccenses ex lib. Usuum, & Rituali Beccensium, Lyrenses ex MS. eorum consuetudinibus, uti etiam in Monasterio S. Petri super Divam.

VI. Quod vero horum dierum dispositionem spectat, ita breviter Udalricus l. 1. c. 47. „ (Ad nocturnos hy„mnos, & super psalmos antiphonæ de Natali Domini; „ ceteræ de præfatis Sanctis, usque dum major Missa sit „ consummata. Super Vespertinales psalmos una tantum „ antiphona, & hæc de Natali Domini.) Paulo fusius liber Usuum Beccensium: „ [Octavæ vero S. Stephani, „ S. Johannis, SS. Innocentium, si super septimanam „ evenerit, fient, sicut fit qualibet trium Lectionum fe„stivitas supra septimanam eveniens; idest Invitatorium, „ Versus, Responsoria, Antiphonæ ad Laudes, Hymnus, „ Responsoria. Item antiphonæ ad Primam, & ad Ter„tiam, & Missa de ipsa festivitate. Lectiones ex Epistolis, „ hymnus ante Nocturnos, & antiphonæ super Nocturnos, „ item ad Sextam, & ad Nonam antiphonæ, & Versus, „ & ad Vesperas primæ antiphona de Nativitate. Si au„tem in Dominica, & ipsa Dominica ab officio vacat, „ omnes Nocturni, & Laudes, & major Missa fiet de „ octavis; super Nocturnos, & ad Laudes una tantum „ antiphona: ad Vesperas antiphona, & psalmi, qui in „ ipsa die festivitatis. Si autem in Dominica officium „ fuerit dicendum, hoc est: *Dum medium*; totum fiet „ de Nativitate usque ad tertium Nocturnum, tertius „ Nocturnus, & Laudes fient de octavis, minor Mis„se de octavis; major, & diurnæ Horæ de Dominica, „ idest de Nativitate. Antiphona: *Dum medium*, quia ad „ Laudes non potest, ad Vesperas dicetur.) Ab octava porro Domini ad Septuagesimam, Dominicis privatisque diebus ad Nocturnos legebantur ex integro S. Pauli Apostoli Epistolæ, quibus sermones de Nativitate, vel Epiphaniæ Domini subjiciebantur, si non sufficerent ipsæ.

VII. Epiphania Domini una ex præcipuis Christi Domini festivitatibus semper extitit in Ecclesia, eaque cum vigilia celebrata: sed hæc vigilia aliquibus in locis cum jejunio agebatur, ut patet ex antiquo Corbejensis Monasterii Calendario, in quo *Nonis Januarii Jejunium, & Missa hora nona* notantur, ex Concilio Moguntino anno 1020. celebrato, ubi inter cetera per annum jejunia ecclesiastica recensetur vigilia Epiphaniæ; ex MS. consuetudinibus Canonicorum Regularium S. Rufi, in quibus ubi de vigilia Epiphaniæ, legitur c. 18. „ [& quia jejunium est, post „ Sextam Missa cantabitur.) In aliquibus vero sine jejunio, ut patet ex Concilio Turonensi secundo, in quo Monachis conceduntur prandia usque ad Epiphaniam, excepto triduo in Calendis Januarii, quod ad calcandam gentilium superstitionem jejunio consecrabant; ex Regulis S. Aureliani, & S. Donati ad Virgines, in quibus a jejunio excipitur illud omne spatium, quod inter Natalem Domini, & ejus Epiphaniam intercedit; ex Concordia Dunstani, in cujus capite tertio hæc lego: „ (In vigiliis Epiphaniæ Do„mini jejunium minime exsequatur;) ex Statutis Lanfranci c. 1. §. 2. „ [In vigilia Epiphaniæ non jejunetur;) ex Udalrico, cum loquens de vigilia Epiphaniæ: „ (eo die, „ *inquit*, non jejunamus;) ex Ordinario S. Petri supra Divam l. 1. c. 47. „ (In vigilia Epiphaniæ ad Missam *Gloria* „ *in excelsis*, *alleluja* canatur, non enim solemne jejuni„um agimus.]

VIII. Scio equidem virum clarissimum Johannem de Leonibus Silvanectensis Ecclesiæ Cathedralis Decanum, in singulari, hac de re tractatu, edito, existimare, primo contendere olim ubique jejunium, omni remota exceptione, observatum fuisse; sed præterquam quod decreta SS. Aureliani, Donati, atque Dunstani, aut tacuit, aut ignoravit; ea, quæ respondet ad Concilii Turonensis canonem 18., ad Statuta Lanfranci, & ad authoritatem Udalrici, plane non evincunt. Nam primo, quod ait Concilium Turonense, prandia ad Sextam Monachis concessisse dumtaxat, non duplicem refectionem; omnino contra se facit. Quis enim rerum antiquitatis, vel novitios ignoret, apud antiquos idem fuisse, & refectionem licet unicam in die accelerasse, & jejunium violasse? Concesso igitur Monachis in vigilia Epiphaniæ prandio, jejunii relaxationem indultam fuisse concedere necessum est. Deinde, quod ait, hæc Concilii verba: *Inter Natalem Domini, & Epiphaniam*, intelligenda esse de vigilia Epiphaniæ, quasi diceretur inter Natalem, & vigiliam Epiphaniæ, eo sensu, quo dicimus a Pascha usque ad Pentecosten non esse jejunandum, licet vigilia Pentecostes cum jejunio celebretur; aliquatenus valeret, si nulla facta fuisset exceptio, sed cum exceptio firmet Regulam in contrarium, & Concilium permittat Monachis prandia a Natali usque ad Epiphaniam, excepto triduo in Calendis Januarii, signum est, concessisse etiam in vigilia Epiphaniæ, alioqui dixisset excepto triduo, & vigilia Epiphaniæ; & certe, si vigilia Epiphaniæ celebranda fuisset cum jejunio, non triduo, sed quinque omnino diebus jejunium a Concilio indictum fuisset, ut multi alii fecerunt; ut quid enim vagum unum diem a Calendis Januarii ad Epiphaniam eximeret a jejunio?

IX. Ad Lanfranci Statuta, & Udalrici authoritatem primo respondet, eorum verba intelligenda esse de jejunio Ecclesiastico, non de jejunio Regulæ; ita ut Monachi more ex regula præscripto jejunarent, licet jejunium more ecclesiastico non observarent; quod confirmat authoritate Petri Damiani Monachi Benedictini Opusc. 55. cap. 2. permittente iis „ (quibus aliter suaderi non potest, in vi„gilia Epiphaniæ, cum liquaminibus & vina percipere.) At jejunia Regularia olim apud Monachos a jejuniis ecclesiasticis non differebant, nam in Quadragesima ad Vesperam tantum ex regula reficiebant, aliis temporibus ad Nonam, cui jejunandi modo nihil superaddebant jejunia ecclesiastica. Deinde, quis sibi persuadeat, Monachos ex professione sua pœnitentiæ addictos, magna cum observantia vitam alioquin agentes, sæcularibus viris remissius jejunasse, ita ut dum reliqui Christi fideles jejunium ecclesiasticum observarent, Monachi strictioris observantiæ regulare tantum custodirent? Petri Damiani authoritas ipsi nullatenus favet; nam præterquam quod ad solos congregationis suæ Eremitas loquitur, non ad alios Monachos Benedictinos; sequentia ejus verba contrarium evincunt; nam postquam dixit: „ (Epiphaniorum quoque vigilias ... „ dignum est jejunare;) paulo post subdit: „ [Hic, „ ut arbitror, stomachabitur vitæ mollioris assertor, hic „ rugas contrahit fumantis eduli disputator criminans me „ peregrina jejunia nostris introducere, quæ nulla Patrum „ valeam authoritate firmare;) quæ verba ostendunt, non solum ubique, aut saltem fere ubique, jejunium observatum non fuisse; sed jam diu obsoletum & antiquatum fuisse; alioquin non timeret accusari novitatis, tamquam peregrina inducens jejunia, quæ nulla valeant Patrum authoritate firmari.

X. Secundo respondet, hæc verba addita fuisse ad Lanfranci textum; sed hoc ad asserendum uti deberet antiqui alicujus MS. authoritate, in quo hæc verba desiderarentur; deinde esto, addita atque inserta fuerint, certe hoc fieri omnino non potuit, nisi ab aliquo antiquo Monacho, idque juxta usum Monasterii sui; ac proinde jam olim a jejunio abstinebant Monachi, etiam observantiores, in vigilia Epiphaniæ, nihil enim istis in statutis, quæcumque tandem illis additamenta facta sint, existit, quod ab optima Monasteriorum observantia abhorreat. Nam quod capite nono præscribitur, ut Cellerarius ea die, qua ejus sententia Regulæ in capitulo legitur, *honestum, & festivum servitium* in refectorio fratribus exhibeat, intelligendum est, remota omni superfluitate, ut fieri solebat certis anni solemnitatibus, quod communi Monasteriorum disciplinæ illis temporibus non repugnabat, cum plura hujusmodi exempla reperire sit apud Udalricum.

XI. Ad Udalrici textum ait, ea verba: *Eo die*, &c. referenda esse ad diem Epiphaniæ, non ad ipsam vigiliam. Hæc responsio aliquatenus valeret, si dixisset, *In die*; hac enim loquendi ratione intelligebant sequentem diem tantum; at cum dicat, *eo die*, intelligit haud dubium diem, cujus hactenus officium ordinaverat, scilicet vigiliam Epiphaniæ. Quod confirmat communis Monasteriorum praxis, quam ostendunt Concordia Dunstani, Statuta Lanfranci, & Petri Damiani verba a nobis supra relata, quibus præscribens Eremitis suis jejunium in vigilia Epiphaniæ, timet, ne audiat novitatis amator, & peregrina introducens jejunia, quod certe non faceret, si jejunium in vigilia Epiphaniæ ubique observatum fuisset.

XII. Ceterum hæc non diximus, quasi ventris, atque gulæ vellemus esse patroni; aut superstitiosas sæcularium epotationes vindicare quas non solum improbamus; sed & omnino damnamus; fatemurque, has jejuniorum relaxationes esse meras indulgentias, ac dispensationes præter Regulam S. Benedicti, quæ nullum ab Idibus Septembris ad Pascha diem a jejunio excipit; quibus non diu post Udalricum usi fuerunt Cluniacenses; nam Petrus Venerabilis in statutis enumerans dies, quibus a jejunio abstinendum erat, unam recensat diem Epiphaniæ, non vigiliam, ne-

que octavam, in qua prius jejunium omnino relaxabant: hortamurque vos, si qui forte adhuc exsistant, qui vigilia Epiphaniæ non jejunent, ut majores Regulæ, pristinumque Monachorum rigorem æmulati, non solum jejunent solito severius, sed in aliis etiam pœnitentiæ operibus sese exerceant, quo iratum de profanis sæcularium hominum conviviis divinum numen aliquatenus placare possint; sed his missis, ad ea, quæ divinum spectant officium, veniamus.

XIII. Ad Nocturnas vigilias, Laudes, & Horas diei omnia fere de Nativitate Domini cantabant. Invitatorium: *Christus natus est*, in cantu feriali, & quidem ab uno duntaxat puero cantabatur, ex Ordinario S. Apri, licet in Monasterio S. Petri supra Divam a duobus in albis diceretur. Hymnus, & antiphonæ super psalmos feriales, cum tribus R. de Nativitate, tres Lectiones de Epistolis Apostoli notant Usus, atque Rituale Beccensium, consuetudinesque Lyrensium; de sermone S. Leonis Papæ: *Exultemus in Domino*, consuet. Grandimontensium; in Ordinario vero S. Apri „ (de Evangelio sine titulo. Et prima, *inquit*, legatur „ ab uno puero.)

XIV. Ad Laudes super psalmos dicebatur antiphona: *O admirabile*, ex Udalrico, antiquo Corbejensi Ordin., consuet. Lyrens., & Canonicorum Regularium S. Rufi, & Tullensi S. Apri Ordinario, in quo & illud habetur: „ (De S. „ Maria fiat commemoratio, ordine quo supra, sed Matutinæ ejus non dicentur, nec post Laudes fiet processio; „ Laudes autem omnium Sanctorum, & cetera more solito „ dicentur.) Ad Primam antiphona: *O admirabile*: aliæque sequentes ad ceteras Horas.

XV. Eveniente autem vigilia Epiphaniæ in Dominica, octo primæ Lectiones de Epistolis S. Pauli, reliquæ de homilia in Evangelium, *Defuncto Herode*, cetera omnia de Nativitate.

XVI. Missa, *Dominus dixit ad me*, vel *Lux fulgebit*, cum Evangelio, *Defuncto Herode*. Prima apud Udalricum, & in Ord. Corbejensi assignatur; secunda in Tullensi, & Dionysianis consuetudinibus; aliquibus in locis cum *Gloria in excelsis*, in aliquibus sine.

XVII. Missa matutinalis in lib. Us. Becc. consf. Lyrensium, & Ordinario S. Petri supra Divam, de B. Maria; in Rituali Beccensi de S. Thoma; in Dionysianis consf. de S. Simeone Monacho; licet in codice Colbertino earumdem consuetudinum ita legamus: „ (In quacumque die „ vigilia Epiphaniæ evenerit, Missa matutinalis fit de E- „ piphania, cum candelabris, & thuribulo, & ornamentis „ albis, & festivis, & pulsetur ad eamdem Missam, „ ut in XII. Lect. Offic. *Lux fulgebit*. *Kyrie*, ut & in „ XII. Lect. *Gloria in excelsis* dicatur. Oratio: *Corda nostra*. „ Epistola: *Apparuit benignitas*: R. *Benedictus qui*, a duo- „ bus pueris. *Alleluja*. *Dominus regnavit*, a duobus juve- „ nibus. Evang. *Defuncto Herode*. Offertorium: *Domi- „ nus enim*. Comm. *Tolle puerum*.)

XVIII. Vesperas solemniter de Epiphania cum una tantum antiphona: *Stella ista*, cantabant antiquiores, saltem id notant Statuta Lanfranci consuet. S. Benigni c. 54., antiquum Corbejense Ordinarium, liber Usuum Beccensium, consuet. Lyrens.; unde quod in Tullensi S. Apri, & S. Petri supra Divam Ordinariis, Dionysianis, Compendiensibus consuet. assignantur antiphonæ: *Tecum principium*, & reliquæ de Nativitate a Prioribus dicendæ, recentioris forte videbitur instituti. R. *In Columbæ*, quod a quatuor in cappis, ex Dionys., Compendiens. Sangermanensibusque consuetudinibus cantabatur, vel a Cantore, & alio item in cappis, ut in Tullensi S. Apri Monasterio; pro quo in Ordinario S. Petri supra Divam ponitur R. *Verbi lumen*, a duobus Hebdomadariis etiam in cappis cantandum. Hymnus *Veni Redemptor*, vel, ut habent consuetudines S. Dionysii, *a patre unigenitus*, vel, ut Tullense S. Apri Ordinarium, *Enixa est*, & *Hostis Herodes*; ubi etiam notandum, quod ibidem scribitur: „ (Per omnes Horas hujus Festi, dicitur *Glo- „ ria tibi Domine, qui apparuisti hodie*, & per octavam dica- „ tur: *Qui apparuisti sidere*, in die octava dicitur; *Qui „ apparuisti hodie*.)

XIX. Antiphona ad *Magnificat*: *Magi videntes stellam*, ex Ordinario S. Petri supra Divam, & consuet. S. Dionysii, tribus vicibus repetenda. Cetera, ut in aliis festis solemnioribus. Unum hic addo ex Ordinario S. Petri supra Divam, de processione ad Completorium, quæ huic Monasterio, quantum scire potui, exstitit singularis: „ (Ad „ Completorium incipiente Cantore Sacerdos Hebdomadarius „ Missæ, & quatuor alii de juvenibus, revestiant se post „ orationes Completorii; Sacerdos scilicet in alba & cap- „ pa deferens thuribulum, ceteri in albis deferentes, primus „ aquam benedictam, secundus crucem, tertius & quar- „ tus duo candelabra; deinde Sacerdos & ..... cum sum- „ mo silentio agant processionem, primo in dormitorio, „ deinde in capella infirmorum, egredientesque capellam „ dicant antiphonam: *Ecce Sacerdos*, V. *Justum deduxit*, „ collectam: *Misericordiam tuam*. Thurificatoque altari „ procedant in cimiterium dicendo Psalmum: *De profundis* „ *Pater noster*: V. *A porta inferi*: Orationes ...... „ *Fidelium*, quibus dictis, revertantur per unum infirmo- „ rium, deinde per Monasterium ad singula lecta Sacrista- „ rum.)

XX. Nocturnæ Epiphaniorum vigiliæ apud veteres monachos percelebres omnino exstiterunt, eamdem habentes solemnitatem, quam in Natali Domini advertere licebat; hinc Cæsarius Arelatensis Episcopus in sua ad Sanctimoniales Regula, in recap. n. 15. „ (Natale Domini, „ & Epiphania ab hora tertia noctis, usque ad lucem vi- „ gilandum est;) & S. Aurelianus in utraque ad monachos, & Virgines Regula: „ (In Natali Domini, & in „ Epiphania tertia hora noctis surgite, dicite unum noctur- „ num, & facite sex missas de Isaia Propheta; iterum „ dicite secundum nocturnum, & sequuntur aliæ sex de „ Evangelio. In Epiphania ita: In primis unum no- „ cturnum; Deinde de Daniele Propheta facite illas sex „ missas, & nocturnos, & iterum de Evangelio sex. Ma- „ tutinos eo ordine, sicut in Pascha scripsimus, aut Do- „ minicis;) Quæ quidem desumsit ex Regula S. Cæsarii, pro ut exstat apud Bollandum, in qua hæc sequuntur: „ (Natale Domini, & Epiphania ab hora tertia noctis, „ usque ad lucem vigilandum est, ita ut ante nocturnos „ Missæ sex de Propheta Isaia, & post nocturnos missæ „ sex de Evangelio dicantur. In Epiphania ante noctur- „ nos missæ sex de Daniele fiant, post nocturnos de „ Evangelio missæ sex;) ubi idem utrobique ritus præscribitur, cum hoc solum discrimine, quod S. Aurelianus missas, seu Lectiones singulis nocturnis subjungit, econtra Sanctus Cæsarius Lectiones sex præmittit, deinde duos eodem tenore nocturnos, postea sex Lectiones subjungit.

XXI. Solemnes etiam apud Nostros Epiphania vigilias semper habuit, hinc quatuor in cappis Invitatorium cantare solebant, sicuti præscribunt MS. consuetudines S. Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii Compendiensis. Hi in monasterio S. Petri supra Divam erant *Bollerius*, *Coquinarius*, *Granetarius*, & *Celerarius*, ex Ordinario ejusdem monasterii; sed in Tullensi S. Apri monasterio id præstabant Cantor, & duo cum eo Hebdomadarii tantum in albis, & cappis, nec plures assignant Lanfranci Statuta. Porro circa hujus diei Invitatorium, notandum, quod in Cassinensium Ordinario continetur his verbis: „ (Ad no- „ cturnos post Psalmum, *Domine quid multiplicati*, can- „ tetur in choro antiphona: *Venite adoremus*, & alter „ chorus eamdem repetat; dehinc alter chorus incipit Psal- „ mum: *Venite exultemus Domino*, & per unumquemque „ versum ipsius psalmi repetatur prædicta antiphona.)

XXII. Ad nocturnorum Lectiones in eodem Ordinario assignantur, quatuor primæ de Isaia Propheta, quinta & sexta sermo S. Augustini, septima sermo S. Maximi, octava S. Fulgentii, tres sequentes homil. S. Gregorii Papæ, Lectio 12a. sermo S. Leonis Papæ. In Corbejensi Lectiones primi nocturni etiam de Isaia, secundi de sermone S. Fulgentii: *Nostis fratres carissimi*, qui integer legebatur; sed Dionysianæ consuetudines aliquid habent singulare: „ (Primæ tres Lectiones, *inquiunt*, de Isaia: *Hæc est hæ- „ reditas servorum Domini*, & in fine cujuslibet dicatur: „ *Hæc dicit Dominus*, ... Quarta Lectio de sermone: „ *Nuper celebravimus diem*, & in fine hujus, & alterius „ sequentium dicatur: *Tu autem*. In secundo vero nocturno „ no assignant Lectiones *de sermonibus Epiphaniæ*; in tertio „ de Evangelio: *Cum natus esset*.)

XXIII. Omnia responsoria ibidem notantur a duobus cantanda, primum quidem a duobus chorum tenentibus, reliqua ab aliis, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque. In Ordinario etiam S. Petri supra Divam reperio: „ (Singula R. canant duo monachi, quar- „ tum vero, & octavum tres, duodecimum autem qua- „ tuor, sicut in tabella viderint ordinari.)

XXIV. Post *Te Deum laudamus*, Evangelium, *Cum natus esset Jesus*, habent quidem Corbejense Ordinarium, & alii; sed Castalienses monachi hoc quidem Evangelium ad Missam cantant, ad nocturnos autem Evangelium secundum Lucam de Christi Baptismate: *Factum est, cum baptizaretur omnis populus* &c. usque ad initium sequentis Cap.: *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Jordane*; sed & Grandimontenses, licet ordinem Romanum sequentes, post 9. R. idem Evangelium solemni ritu cantabant; sic quippe Guilelmi Pelliceri primi Abbatis consf. MS. c. 10. „ (Post cantatum IX. R. dicitur Evangelium: *Fa- „ ctum est*, sicut in die Natalis Domini, cum incenso, &

cereis

„ cereis accensis. Quo finito, dicitur mox: *Te Deum* „ *laudamus*, „ & Oratio, & *Benedicamus* &c. In Lau- „ dibus more solito peraguntur. Hac die Ecclesia dicit „ duo Evangelia, unum cantatur in Matutinis post 12. ℟. „ de Baptismo Christi. . . . secundum Evangelium, quod „ legitur in Missa, est de Magis.) E contra apud Nostrates antiquos Gallos ad nocturnas vigilias legebatur Evangelium secundum Matthæum de Adoratione Magorum, ad Missam vero Evangelium secundum Matthæum, & secundum Lucam, de Christi Baptismo, tum secundum Johannem de Nuptiis in Cana Galilææ, quæ tria Evangelia uno contextu, eodemque tenore legebantur.

XXV. Laudes solemniter cum propriis antiphonis, in quibus hymnus; *Hostis Herodes impie*, in Dionysianis Compendiensibusque consuetudinibus; sed in antiquo Corbejensi Ordinario „ (Hymnus incipit ad hunc versum: *Eni-* „ *xa est puerpera*, & post hos tres versus, sequitur totus hymnus: *Hostis Herodes impie*.) Idem videre est in Benignianis cap. 54., in Ordinario S. Petri supra Divam & S. Apri Tullensis. In quorum posteriori loco precum versus: *Tria sunt munera*, vel alius adsignatur; idemque præscribitur post Tertiam.

XXVI. Missa de Epiphania Domini: *Ecce advenit*, utraque, matutinalis, & major; sed major longe solemnior eodem nimirum ritu, quo in Nativitate Domini; saltem apud Cassinenses, & Dionysianos, immo & apud alios, si pauce fortassis exceperis: post cujus introitum duos versus subjungebant antiqui scilicet: *Deus judicium tuum Regi da* &c., *Reges Tarsis, & insulæ* &c., uti & post collectam duas Epistolas, unam de Isaia: *Surge illuminare* alteram de Apostolo: *Apparuit benignitas*. Ita in antiquo Corbejensi Ordinario. In Dionysiano, Compendiensique monasterio ante Evangelium, cantabatur antiphona: *Hodie cœlesti*; sicuti in Natali Domini: *Verbum caro*. Denique in Tullensi S. Apri monasterio, incœpto symbolo fratres deponebant cappas, exceptis chori rectoribus, quod alibi non legimus.

XXVII. Missæ solemnem præmittebant processionem in cappis eodem ordine, quo in Nativitate Domini, in qua apud Floriacenses portabantur *duæ cruces aureæ, & dextera aurea*; apud Dionysianos autem ab uno Sacerdote *brachium Sancti Simeonis*. Si vero Epiphania in Dominicam incidisset, alteram etiam ante Tertiam faciebant, quemadmodum vidimus in Nativitate Domini. Utriusque ordinem ita præscribit Ordinarium S. Petri supra Divam: „ (Si in Dominica evenerit, nihil agatur de ipsa Domi- „ nica infra octavam, processio tantum sic ordinetur: ante „ Tertiam sanctificet Sacerdos aquam; deinde faciat cum „ cruce, & aqua benedicta processionem, dicendo ora- „ tiones constitutas, ad revestiarium, dormitorium, ca- „ pitulum, Refectorium, collect. ante portas Ecclesiæ: „ quibus dictis, dicat etiam antiphonam: *Descendi in* „ *hortum*, vel aliam de S. Maria, & sic intret chorum „ Sacerdos in primo gradu dicens ℣. & orationem, qua- „ liter in Dominicis fieri consuevit. Hora igitur cantata „ induant omnes cappas a Cantore sibi ministratas, stan- „ tibus interim ministris Missæ ante majus altare, cum „ aqua benedicta, cruce, candelabris, thuribulo uno, Dia- „ cono cum texto, Subdiacono cum quasalla eburnea; thu- „ rificet Abbas altare, deinde textum, crucem, & ge- „ standas reliquias: Inceptoque ℟. *Tria sunt munera* a „ Cantore, procedant ordinata more solito per claustrum, „ & galil., finitoque ℟. incipiat Abbas antiphonam: *Ho-* „ *die cælesti sponso*, ad introitum chori, & sic incipiat „ Cantor officium: *Ecce advenit*. Tertio canteros omni- „ no &c.) Sed ex Statutis Lanfranci nulla fiebat in Epi- „ phania Domini processio, nisi forte Dominica venisset „ (tunc enim, *inquit*, fit in albis ante Tertiam per clau- „ strum, Sacerdote eunte per officinas, sicut mos est in „ Dominicis diebus.)

XXVIII. Ad psalmos ipsius Vesperæ antiphonæ de eadem solemnitate præscribuntur in Dunstani Concordia; secus apud alios, qui omnes una voce, unanimique consensu antiphonas de Nativitate Domini: *Tecum principium*, ad Vesperas assignant.

XXIX. Quod ad officium infra octavam Epiphaniæ spectat; cum nulla Sanctorum occurreret festivitas, totum officium fiebat de Epiphania, cum psalmis ferialibus, tribusque de Epistola Apostoli Lectionibus, hoc nimirum ordine: Invitatorium, & hymnus de Epiphania, deinde una super sex feriales psalmos antiphona de Epiphania; versus ante Lectiones Apostoli, & ℟ de Epiphania, uti & sequens antiphona super psalmos feriales secundi nocturni. Capitulum, ℣. & collecta ad Epiphaniam pertinebant. Ad Laudes una super omnes psalmos antiphona ex Laudibus diei, quarum antiphonæ infra octavam vicissim dicebantur, v. g. hodie: *Ante luciferum*, cras: *Venit lumen*, & sic deinceps. Quod pertinet ad Missas, ex Cassinensi Ordinario „ (matutinalis de Defunctis, major de „ Epiphania solemniter;) Grandimontenses matutinalem Missam de B. Maria, alii alias etiam forte cantabant.

XXX. Dixi superius, si nulla occurret SS. festivitas, neque enim eo gaudebat olim octava Epiphaniæ privilegio, ut nullum Sanctorum festum proprium infra ipsam officium haberet, sicut nunc fit; hinc antiquum Cassinensium Ordinarium „ (In festo S. Severini, *inquit*, duo- „ decima Lectio, & Missa ad Primam de Epiphania ca- „ nantur, reliqua de Sancto;) & in festo „ (S. Pauli „ Eremitæ fiant duæ lectiones cum responsoriis de conf. „ & matutinum; ad Missam de Epiphania adjungatur „ Introitus, & oratio de sancto;) & in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus fer. v. infr. oct. Epiphaniæ officium de SS. Martyribus monasteriorum suorum Patronis, & Sabbato de S. Maria præscribitur, sicut & officium S. Luciani, quod cum duodecim Lectionibus celebrabant Dionysiani, cum sola commemoratione in Laudibus de Epiphania: Compendienses vero licet non ita solemniter, tamen cum duobus de S. Luciano, & ejus sociis nocturnis, tertium cum Laudibus Epiphaniæ sacrantes.

XXXI. Dominica infra octavam Epiphaniæ totum fiebat officium de Epiphania, cum una tantum antiphona ad singulos nocturnos super psalmos Dominicales, & ad Laudes. Octo primæ Lectiones de Epistolis Apostoli, quatuor ultimæ de homilia in Evangelium Dominicæ. Octavam Epiphaniæ cum eodem Invitatorio, eodem hymno, iisdem antiphonis, & psalmis, quam in ipso die, celebrabant olim Cassinenses nostri; sed ad primi nocturni Lectiones sermonem S. Augustini accipiebant, in secundo vitam S. Hilarii Episcopi legebant, cum quatuor ℟. de Confess., in tertio homiliam de Evangelio cum ℟. de Epiphania. In Laudibus comm. S. Hilarii cum Missa matutinali de eo ad Primam. In vesperis etiam commem. ejusdem S. Hilarii, & S. Felicis. Quid vero si Dominica evenisset? „ (Si Dominico die, *inquiunt in Ordina-* „ *rio*, venerit ipsa octava, Invitat., antiphonæ ad noctur- „ nos, & ℟. de octava canantur, Lectiones quatuor fiant „ de homilia de Dominica, quatuor vero de S. Hilario „ cum ℟. suis, reliqua omnia de octava fiant. Ad Pri- „ mam canatur Missa de Dominica, & adjungatur ora- „ tio S. Hilarii.)

XXXII. In aliis etiam Ordinis nostri monasteriis octava Epiphaniæ Domini solemniter cum Lectionibus XII. celebrabatur, sed diversimode: alii enim ut Lyrenses, atque Beccenses, duos primos nocturnos cum Missa matutinali, & commemoratione ad utrasque Vesperas de S. Hilario cantabant; tertium vero nocturnum cum omnibus horis diei, & majori Missa de octava. Alii integrum de octava officium faciebant cum Invitatorio, hymnis, antiphonis, & psalmis, ℣. & ℟. de die festo; ad matutinas tamen Laudes minoresque diurnas horas antiphonas de Christi baptismate assumebant, atque ita in Tullensi S. Apri, in Compendiensi Sancti Cornelii, in Dionysiano, & S. Petri supra Divam monasteriis, cum sola commemoratione in Tullensi ad utrasque Vesperas, primo S. Remigii, deinde S. Hilarii, cujus officium 12. Lectionum sequentem in diem rejiciebant nostri Compendienses, & S. Petri supra Divam. Sed Dionysianis illud fuit singulare, quod S. Hilarii festum propria die solemniter celebrantes, octavæ Epiphaniæ officium in ejus vigilia facerent, hoc est die Januarii duodecima: ad cujus solemnitatem statuunt, ut Invitatorium a duobus in cappis dicatur, quartum, octavum, duodecimum ℟. sit duplex, antiphonæ Laudum a prioribus incipiantur, & ad majorem Missam omnes sint in cappis.

XXXIII. Illud etiam in hoc octavæ Epiphaniæ officio erat peculiare, quod non idem ad cantica, idem post *Te Deum laudamus*, pronunciabatur Evangelium: nam in antiquo Corbejensi Ordinario, libro Usuum Beccensium, consuetudinibus Lyrensium ad cantica, sive ante homiliam notatur Evangelium: *Vidit Johannes venientem ad se*; post *Te Deum laudamus*: *Factum est cum baptizaretur omnis populus*. In Benignianis vero, Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, ad Cantica Evangelium: *Venit Jesus a Galilæa*; post *Te Deum*, Evangelium: *Factum est, cum baptizaretur*. Sed illud familiare satis extitit antiquis, ut plura circa idem mysterium Evangelia eodem die pronunciarent, cujus rei plurima nobis suppetunt exempla in Gallicana Liturgia.

XXXIV. In Vesperis antiphonæ: *Tecum principium* &c.

&c. a capitulo de S. Hilario, aut de S. Remigio, aut de utroque simul. Ab octavis Epiphaniæ ad Septuagesimam utque vix aliquid dicendum occurrit, unum hic duntaxat ex Tullensi S. Apri Ordinario observare licet; præter Dominicales Epistolas, & Evangelia ad Missas feriat. IV. & VI. proprias etiam Epistolas, & Evangelia fuisse pronunciata: „ (Nimirum Dominica I. post oct. Epiphaniæ „ Epist. *Habentes donationes*. Evang. *Nuptiæ factæ*; fe„ ria 4 Epist. *Audistis dispensationem*. Evangelium: *Re„ gressus est Jesus*; fer. 6. Evangelium: *Descendit Jesus „ in*. Dominica 2. Epist. *Nolite esse prudentes*. Evangel. „ *Cum descendisset*; fer. 4. Epist. *Fidelis sermo*. Evangel. „ *Circuibat Jesus totam*; fer. 6. Evangel. *Exeuntes Pha„ risæi*. Dominica 3. Epist. *Nemini quicquam*. Evange„ lium: *Ascendente Jesu*; fer. 4. Epist. *Sicut per unius*. „ Evang. *Venit Jesus in patriam*; fer. 6. Evangel. *Factum „ est cum iret*. Dominica 4. Epist. *Induite vos*. Evange„ lium: *Confiteor tibi*; fer. 4. Epist. *Scimus, quoniam „ judicium*. Evang. *Offerebant Jesu*; fer. 6. Evangelium: „ *Homo quidam habebat*.) Cum vero propter brevitatem temporis, quod inter Epiphaniam, & Septuagesimam nonnunquam intercipitur, omnia Dominicarum officia, & Evangelia pronunciari non possent, id præstabant diebus ferialibus intra ultimam ante LXX. hebdomadam. Illud etiam non omittendum, quod ab octava Natalis Domini ad Purificationem Beatæ Mariæ, quotidie Nativitatis Domini commemorationem faciebant; saltem ita præscribunt MS. S. Dionysii consuetudines, & Compendienses: Adde, quod habent consuetud. Compendienses: „ (Missa „ matutinalis usque ad Purificationem: *Puer natus*; si„ militer & omni feria 6. vacante dicatur totum offi„ cium: *Puer natus*, ut in die Natalis, secunda oratio „ sit de Dominica.)

CAPUT VII.

De Purificatione Beatæ Mariæ.

I. QUem profanis, superstitiosisque lustrationibus, quasi Diis Manibus justa redditura, antiqua gentilium religio dicavit diem hunc vera, sinceraque religione Christi Domini in templo Præsentationi, ejusque Genitricis Purificationi consecravit Ecclesia; de cujus festivitatis nominibus, & antiquitate pluribus agit Menardus noster in notis ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ p. 40. & seq. quem si lubet, consule, & interim antiquos nostrorum hoc in festo ritus accipe.

II. Quinque potissimum in hac solemnitate investiganda sunt; ejus vigilia, nocturnum, diurnumque officium, cereorum benedictio, processio, & Missa.

III. Vigiliæ purificationis meminere maxime Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines; Dionysianæ quidem in hæc verba: „ In vigilia Purificationis B. M. ma„ gna Missa festiva celebretur, ut in XII. Lectionibus: „ Officium: *Puer natus est*: *Kyrie*, ut in XII. Lect. *Glo„ ria in excelsis* dicatur, si tamen in LXX. evenerit, non „ dicatur: Oratio: *Concede quæsumus omnipotens Deus*, „ *ut nos unigeniti*, secunda oratio de Martyribus, tertia „ de omnibus SS. Epistola, ℟. *alleluja*, Evangelium, „ Offert. Communio, ut in die Natalis Domini, & sciendum, quod ante Missam sonat Classicum, & letania non „ dicitur: Compendienses vero sic: „ (Tertio Nonas „ Februarii, Purificatio B. M. In vigilia ad Missam of„ ficium. *Puer natus*, totum officium, & oratio, & E„ pist. & Evangelium, ut in die Natalis; Præfatio non „ dicitur, Missa B. M. in mane non cantetur; omnia „ fiant, ut privatis diebus.)

IV. Ad vigiliam referri etiam possunt primæ Vesperæ, & Completorium: Vesperæ autem solemniter cantabantur cum antiphonis de Circumcisione Domini: *O admirabile commercium*, & psalmis de festo, ex Lanfranci statutis, Compendiensibusque consuetudinibus; pro quibus Dionysianæ assignant Psalm. *Dixit Dominus*: *Confitebor*: *Beatus vir*. *De profundis*; Beccenses vero psalmos de confess., scilicet: *Dixit Dominus*: *Beatus vir*: *Laudate pueri*: *Credidi*: quia eo die de S. Severo Episcopo, & Confessore officium fecerant. Alii antiphonas de Nativitate: *Tecum principium*, &c. cum suis psalmis dicebant. Atque ita Tullenses S. Apri, Parisienses S. Germani, & in monasterio S. Petri supra Divam.

V. Capitulum: *Ecce ego mitto Angelum* ℟. *Obtulerunt*, vel aliud, quod in Dionysiano, Compendiensique monasteriis a quatuor cantabatur in cappis. In Tullensi a Cantore, & alio fratre item in cappis.

VI. Hymnus non ubique idem: in Dionysiano, Compendiensi, & S. Petri supra Divam monasteriis cantabatur: *Quod chorus vatum*; in Parisiensi S. Germani: *Ave maris stella*; in Tullensi S. Apri: *Lux maris*. Iste hymnus unumquemque versum, inquit *ordinarium ejusdem Monasterii*: „ (Cum dicitur *Ave ave*, flectant omnes genua, capita denudantes.)

VII. Antiphona ad *Magnificat*: *Cum inducerent*, ex MS. S. Dionysii consuetudinibus ter dicenda erat; qua finita, inquit *ordinarium S. Apri* „ (more solito dica„ tur *Pater noster*, preces non dicantur; sed ℣. *Gen„ de Maria*, vel alius. Collecta; *Exaudi quæsumus*: *Be„ nedicamus* fiunt otio, dicatur; unus Cantor dicat lite„ ram & alius neuma super litteram.) Nulla hic assignatur commemoratio; sed neque in Dionysianis, Compendiensibus, Parisiensibus consuetudinibus, nisi forte de Septuagesima, si ea die evenisset; sed in ordinario S. Petri supra Divam, de reliquiis, ac de omnibus SS. notatur commemoratio.

VIII. Post Vesperas fiebat processio ad S. Mariam, cum incenso, ex Ordinario Tullensi, cantando ℟. *Gaude Maria* cum sua Prosa: *inviolata*: qua in processione orerunt thurificabatur altare, ex Dionysianis consuetudinibus.

IX. Ad Completorium quod spectat, notanda sunt hæc verba Tullensis S. Apri Ordinarii: „) Hac nocte ad „ Completorium dicto versiculo: *Custodi nos Domine*, „ incipitur a Cantore hæc antiphona: *Lumen ad revelatio„ nem*, & canitur Canticum: *Nunc dimittis*, quo dicto „ cum *Gloria Patri*, & prædicta antiphona finita sine jo„ bilo in fine, dicitur *Kyrie* &c. quæ solent in Completo„ rio dici.) His adde quod ibidem, & in Ordinario S. Petri supra Divam præscribitur: „ (Ad hymnum Comple„ torii, & horarum diei cantentur finaliter ℣. *Me„ mento salutis author*, *Gloria tibi Domine*, *qui na„ tus es*.)

X. Nocturnæ vigiliæ solemni ritu cantabantur, quarum solemnitati illud maxime conferebat, quod apud Dionysianos Invitatorium a quatuor in cappis cantabatur, singulo ℟. a duobus, quartum ℟. a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque, cujus in fine subjungebant prosam: *Inviolata*. Quod de Invitatorio hic a quatuor in cappis decantando diximus, in multis haud dubium monasteriis servabatur; præter Dionysianum, res constat de Compendiensi; sed in Beccensi Beatæ Mariæ, & in Tullensi S. Apri id. præstabant duo Hebdomadarii item in cappis cum tertio Cantore, vel alio, cui ipse injunxisset. Porro invitatorium idem erat cum nostro, nempe: *Ecce venit ad templum* &c. de quo Tullense S. Apri Ordinarium: „ (In„ vitatorium: *Ecce venit*, & cum tres Cantores dixerint: „ *Dominator Dominus*, chorus reincipiat modice altius ipsum „ invitatorium.)

XI. De hymno hæc subjungit: „ (In primo nocturno duo hymni, scilicet: *Quem terræ*, & *O gloriosa*, si„ mul dicantur;) sed Parisienses S. Germani unico e nostri, primum ad Vigilias, secundum ad Laudes decantabant; in aliis etiam monasteriis alii adhibebantur hymni; in Dionysiano: *A solis ortu*; in Compendiensi: *Quod chorus vatum*, dicebatur.

XII. Lectiones in antiquo Corbejensi Ordinario notantur „ [de serm. B. Augustini. *Hodiernus dies magnum „ nobis contulit gaudium*. Alias: *Sic namque fratres per „ prophetam*.] In Dionysianis vero consuetud. octo Lectiones de sermone: *Si subtiliter a fidelibus*.

XIII. Cantica ex officio Nativitatis Domini desumebantur, scilicet: *Populus gentium*, sive ut alii habent: *Populus qui ambulabat*: *Urbs fortitudinis*: *Lætare Jerusalem*, idque in omnibus monasteriis; saltem hæc assignant Statuta Lanfranci, consuet. S. Benigni, antiquum Corbejense Ordinarium, liber Usuum Cisterciensium, & Beccensium, Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines, uti & Tullense S. Apri Ordinarium, neque ullæ alii codices refragantur.

XIV. Quatuor ultimæ Lectiones ex homil. in evang. *Postquam impleti sunt*. Ultimum ℟. *Gaude Maria*, quod post versum repetebatur, eique subjungebatur Prosa: *Inviolata*, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuet., Ordinario Tullensi, ac Rituali Corbejensi, & quidem a duobus bene cantantibus, apud Dionysianos, & Compend. Laudes solemniter etiam cantabantur, in quibus hymnus: *Quem terra*, in Dionysianis Compendiensibusque consuetudinibus assignatur, *O gloriosa Domina*, in Parisiensibus S. Germani; *Lux maris*. in Tullensi S. Apri Ordinario; in quo etiam hæc habentur: „ (Matutinæ B. Mariæ non „ dicantur, Laudes omnium Sanctorum, & *Verba mea*, & psal-

„ & psalmi familiares post horas debent dici.) Circa reliquas horas diei nihil singulare dicendum occurrit. Vesperæ cum antiphonis de Nativitate: *Tecum principium* &c. dicebantur ubique, idque cum hymno: *Inviolata integra*, ex Dionysianis consuetudinibus, cum tamen Parisienses S. Germani, & Tullense Ordinarium eum, qui ad primas Vesperas dictus esset, adsignent.

XV. Cereorum benedictio, sive, ut alii loquuntur, consecratio simul cum processione conjungenda est, quia revera simul conjungebantur olim, ipsaque cereorum consecratio in processione fiebat, aut saltem hæc illam immediate sequebatur.

XVI. In antiquioribus Ord. nostri monasteriis in alio oratorio extra propriam ecclesiam, aut saltem in aliquo sacello, quo processionaliter pergebatur, cerei consecrabantur. Cassinenses in oratorio S. Martini, Einsidlenses, aliique Germanorum monachi, Cluniacenses, Corbejenses, Divionenses, uti & Tullenses S. Apri, in oratorio B. Mariæ; Dionysiani in capitulo, hoc est in superiori parte ecclesiæ id præstabant. S. Dunstanus nullum locum specialiter assignat huic rei; sed generatim statuit, ut „ (in Purificatione „ S. Mariæ sint cerei ordinati in Ecclesia, ad quam „ fratres ire debent, ut inde petant luminaria.) Illuc autem, sive post Tertiam omnes in cappis, aut minimum in albis procedebant. Ita S. Dunstani Concordia: „ (Eunites autem, *inquit*, silenter incedant psalmodiæ dediti, & omnes albis induti, si fieri potest, vel aeris permiserit temperies.) Et consuetudines Germaniæ c. 3. n. 30. „ (In Purificatione S. Mariæ post matutinalem „ Missam, pergant in oratorium sanctæ ejusdem Dei Genitricis, omnes in albis, & ibi canteut Tertiam, qua „ finita cappis se induant, deinde benedictis ab Abbate cereis &c.) Corbejenses, Cluniacensesque cappas deferebant, quas ex præscripto S. Hugonis Abbatis ad Missam deponebant. Sed integrum hic processionis ordinem ex vetusto Cassinensium Ordinario describere juvat: „ (Finita Tertia, accedente cruce, bini & bini incedant ad „ processionem cantantes ℞. *Videte miraculum*, antiphonam: *Hoc erat*, antiphonam: *Cum inducerent*. Post „ quos duo Acolythi, cum incensis candelabris, & alii „ duo cum thuribulis, dehinc duo Sacerdotes purpureis „ induti planetis, gestantes præ manibus iconas habentes „ imaginem B. Mariæ; tertius vero Sacerdos post eos solus similiter indutus ferat habentem Præsentationem „ Christi in templo: post hunc duo Subdiaconi in dalmaticis, quorum unus ferat benedictionem cereorum in „ manibus, quos omnes sequatur Abbas, sive Sacerdos „ pluviali indutus, & sic ordinate ingredientes ecclesiam „ S. Martini, vadat Abbas, aut Sacerdos, qui Missam „ celebraturus est, ad altare, & oret; dehinc osculetur altare, & Diaconus similiter, & sic juxta morem incipiat „ benedicere cereos.) Brevius MS. consuet. S. Dionysii: „ (Post Tertiam fiat processio in capitulo, ut in Assumptione B. Mariæ, & si est Dominica, primo per claustrum, & cantetur antiphona: *O beata infantia*, ℣. *Post partum Virgo*, Oratio: *Deus qui salutis*; sex procedentes cum Diacono, totidem cum Subdiacono, & „ Sacerdos quidam ferat brachium S. Simeonis, post orationem benedicet Dominus Abbas cereos.) Nonnulli tamen extra monasterium, seu propriam ecclesiam non procedebant; sed ad principale basilicæ altare cereos consecrabant: Ita Beccenses, Lyrenses, Compendienses, Cartusienses, & Casalini; ita etiam decernit Lanfrancus in Statutis: „ (Ad Tertiam sint omnino albis induti; dicta „ Tertia ponatur ante altare tapetum; ubi supra ponantur candelæ, quas benedicat Sacerdos.) Sed Parisienses S. Germani, uti & Bursfeldenses, cereos consecrabant ad gradus Presbyterii, quemadmodum discimus ex illorum consuetudinibus MS. „ (Post Missam matutinalem Sacristæ ponent tapetum unum ad *gradum* & ponent cereos congregatim super tapetum: Abbas vero post Tertiam benedicet eos: Indutus vero erit indumentis Pontificalibus; duo cerei cum candelabris ponuntur ante „ cereos alios, facta benedictione cereorum &c.) & ex istorum Ordinario clarius c. 30. „ (Abbas cum ministris præparatus, mox procedat ad benedicendum ex „ more candelas, benedictionem peragens juxta formam „ in collectario descriptam, & fiat super analogio in gradibus Presbyterii collocato, candelis illic antea a Sacrista dispositis.)

XVII. Benedictionis formam tradit Udalricus l. 1. c. 48., his verbis: „ (Candelæ, quæ consecrandæ sunt, ibi „ consecrantur cum hac benedictione: *Adesto supplicationibus nostris*. Alia: *Domine Deus creator*.) Idem habent consf. S. Benigni c. 44., antiquum Corbejensis monasterii Ordinarium, in quo & illud additur: „ (In fine dicitur: „ *Per omnia sæcula sæculorum, amen: Dominus vobiscum*, „ *Et cum Spiritu tuo, Sursum corda, Habemus ad Dominum, Gratias agamus Domino Deo nostro, Dignum & justum, Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere Domine sancte* „ *Pater omnipotens æterne Deus, fons & origo totius luminis*. Sicut in collectaneo continetur;) quam benedictionis formam habet etiam antiquum S. Germani a Pratis breviarium, seu potius collectaneum. Aliam videre est in Tullensi S. Apri Ordinario, scilicet: „ (Sacerdos dicat „ *Dominus vobiscum*, Oremus: *Cælesti lumine*. Alia: *Omnipotens clementissime*. Item: *Domine sancte Pater*. Item: „ *Immensæ majestatis*. Item: *Omnipotens sempiterne Deus*.) Aliam item exhibet S. Petri supra Divam Ordinarium his verbis: „ (Finita vero Hora, & stante Abbate juxta altare, incipiat Cantor antiphonam: *Hodie Maria Virgo* qua cantata, dicat Abbas versum: *Notum fecit*. *Dominus vobiscum*, unam orationem scilicet; *Exaudi* „ *quæsumus Domine*, statimque subsequatur ℞. *Gaude Maria* cum ℣. *Gabrielem*, quem canent quatuor „ senes, sicut sunt in albis parati, ℣. *Post partum*, solemniter dicatur: *Dominus vobiscum*, & oratio: *Deus qui salutis*, deinde antiphona: *Venit lumen*: ℣ *Benedictus qui venit*, consequenter duæ orationes, nimirum: *Cælesti lumine*, & *Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus*.) Cartusienses, & Casalini unica oratione consecrabant, præmisso ab utrisque: *Dominus vobiscum*, scilicet Cartusienses Orat. *Deus ineffabilis potentiæ*; Casalini vero Orat. *Domine Jesu Christe lux vera*. Illud autem notatu dignum est, quod apud Dionysianos Abbas cereos benedicens, *Sancti Simeonis brachium* dextra ferebat: apud Cartusienses vero Diaconus benedicendos tenebat.

XVIII. Facta Benedictione, sola cereos aqua lustrali aspergebant Dionysiani, Compendienses, Tullenses, Cistercienses & Cartusiani; eaque apud Cartusianos a Procuratore cum aspersorio ad Sacerdotem allata: sed Cassinenses, Cluniacenses, Beccenses, Lyrenses, Bursfeldenses, & Casalini ad aquæ benedictæ aspersionem, thuris etiam in cereos incensationem adhibebant: Parisienses vero sancti Germani, Divionenses S. Benigni, & Corbejenses, cereos non incensabant, nisi thurificato prius altari; ita quippe isti in antiquiori Ordinario: „ (Post consecrationem „ aqua benedicta asperguntur, & prius incensato altari „ incensantur;) & illi in MS. consuetudinibus: „ (Ex „ dabitur incensum Abbati ad benedicendum; Abbas autem incensabit majus altare tantum, postea cereos. Incensatis vero ceteris, asperget eos aqua benedicta.) Idem videre est in Ordinario S. Petri supra Divam: „ (Deinde Abbas aspergat cereos aqua benedicta, offerens „ incensum super altare, & super cereos, canentibus interim omnibus antiphonam: *Hodie B. Virgo Maria*, „ dictoque ℣. *viderunt oculi mei*, subsequantur duæ orationes scilicet: *Immensæ majestatis*, &, *Omnipotens sempiterne Deus*.)

XIX. Præter hanc cereorum benedictionem, benedicebatur etiam & ignis, unde essent illuminandi, saltem id præscribunt MS. consf. Canonicorum Regularium S. Rufi hæc in verba: „ (Igitur post Tertiam indoti Sacerdos „ in cappa, ministri in albis, & Ceroferarii duo, & ad „ crucem tertius, paratisque cereis, & igne de silice vel „ cristallo, noviter excusso prius a Sacrario, cum *Miserere mei Deus*, procedant ad altare S. Augustini, ibique Sacerdos benedicat ignem, & post dicit ibi Sacerdos „ orationem, *Domine sancte Pater O. Æ. D. benedicere dignare ignem istum, quem nos*. Alia: *Domine Deus* „ *Pater omnipotens, lumen indeficiens, conditor omnium luminum*, cum psal. *Lætatus sum*. Deinde veniant ad altare majus, ubi benedicens cereos, aspergat eos aqua „ benedicta.) Idem præstabant etiam Cartusienses monachi, ut patet ex his Ordinarii eorum verbis. „ (Completa benedictione altaris, cerei, & lampades, quæ „ ante ipsam benedictionem extinctæ fuerant, & benedicta lucerna accendi debent;) sed hanc ignis benedictionem absque precibus, & collectis, cum sola aquæ benedictæ aspersione faciebant: nimirum „ (Diaconus candelam in laterna accensam super altare ponebat) completaque benedictione, tam lucerna, quam ipsi cerei aqua lustrali eos pergebantur.

XX. Benedicti ergo cerei, igne etiam benedicto, sive non benedicto accendebantur, distribuebanturque; sed hæc cereorum distributio duobus modis fiebat, vel ab Abbate, seu Sacerdote, qui eos benedixerat, ad quem singuli bini & bini de choro accedebant; vel a custode, hoc est Sacrista singulos in choro remanentes conveniente. Primum

mum in usu fuisse apud Cassinenses docet nos vetus eorum Ordinarium, cujus hæc verba: „ (Tunc illuminentur, & manu Sacerdotis, seu Abbatis pro ministris altaris, deinde fratribus per ordinem expendantur, ipso incipiente: *Lumen ad*; deinde canatur canticum: *Nunc dimittis*, & post omnes versus ejus ipsa antiphona repetatur. Sequitur antiphona: *Hodie beata*.] Idem videre est in supra citatis consuetudinibus Canonic. Regularium: „ (Finita oratione, egrediuntur fratres bini & bini, sicut sunt ordinati in choro, & accedentes ad Sacerdotem accipiunt ab eo singuli cereos, osculantes manum ejus, quibus acceptis redeunt ordinati in chorum.] Idem etiam observabant Cartusienses, & Casalini, ut patet ex rubricis utrorumque Missalis: Cartusiensis verba hic non sunt omittenda: „ (Primoque Episcopus, & Abbas, si affuerint: Deinde Prior ad gradum altaris genua flectens, de Sacerdotis manu candelam accipit, & osculatur manum Sacerdotis; & postea Religiosi hospites si adsint, postmodum primus in ordine, & sic per ordinem; postea Laici fratres & Redditi. Diaconus ultimus duas simul candelas porrigit Sacerdoti, quarum unam de ipsius manu accipit, alteram retinet Sacerdos sibi.

XXI. Posterior vero modus in omnibus pene Ordinis nostri monasteriis receptus fuit, ut patet ex antiquis Germaniæ consuet. n. 30. „ [Benedictis ab Abbate cereis, inchoet Cantor antiphonam: *Ave gratia plena*. Tunc a Custode distribuantur cerei, sequaturque alia antiphona *Adorna*, qua finiente redeant ad majorem ecclesiam, & dum introierint, incipiat Abbas antiphonam: *Cum inducerent*, deinde pulsentur omnia signa, & sic incipiant Introitum.) Ex Concordia Dunstani c. 3. „ (Abbas stola & cappa indutus benedicat candelas, & conspergat aqua benedicta, & thurificet; & sic accepto cereo ab Æditvo, psallentibus cunctis, accipiant singuli singulos, acceptosque accendant.) Ex Statutis Lanfranci c. 1. §. 2., „ (Postea dividat eas, singulis singulas tribuens; cum autem cœperint accendi, Cantor incipiat antiphonam: *Lumen ad revelationem*, &c.) Ex vetusto Corbejensi Ordinario: „ (Armarius unum de fortioribus cereis ad opus Diaconi eligit, & similiter in ramis palmarum unam de palmis. Inter accendendum autem dicitur antiphona: *Lumen ad revelationem*, quam Abbas, vel Armarius, accenso Abbatis cereo, incipit ac post versum ejusdem, qui est: *Nunc dimittis Domine*, repetit, post divisionem cereorum dicitur collecta: *Domine Deus Pater omnipotens, lumen indeficiens*.) Clarius ex libro Usuum Cisterc. c. 46. „ (Cantor itaque cum Abbati candelam accensam obtulerit, imponat antiphonam: *Lumen ad revelationem*, cui etiam subjungat ℣. *Nunc dimittis*, ut in libris invenitur; interim Secretarius suo adjutus solatio, & quibus a Priore jussum fuerit, reliquas candelas monachis, & noviciis, ac conversis, laicis, familiæ etiam, atque hospitibus, si affuerint, distribuat.) Ex lib. Usuum Beccensium: [„ Dicta Tertia ponatur ante altare tapetum, ubi superponantur candelæ, quas benedicat, & incenset, & aspergat aqua benedicta Sacerdos alba, & stola indutus, quibus benedictis, custos dividat eas, singulis singulas tribuens: cum autem cœperit accendi, Cantor incipiat antiphonam: *Lumen*,) sive ut habet alius codex: „ (Dicta Tertia Abbas cappa indutus, stola, manipulo; vel Sacerdos stola tantum, & manipulo indutus cum alba benedicat candelas ante altare, & incenset, & aspergat aqua benedicta; quibus benedictis accendant cereum Abbatis, & Cantorum, & eorum qui in conventu sunt: Tunc Cantor incipiat: *Lumen ad revelationem gentium*, ℣. *Nunc dimittis*... Cum hæc cantantur, Secretarii dividunt candelas singulis, & Cantor præparat processionem.) Ex Tullensi S. Apri Ordinario: (Iis finitis, aqua benedicta cereos aspergat, & a Cantoribus incipiatur: *Venit lumen tuum*, qua finita, incipiatur a Cantoribus: *Lumen ad revelationem*, & cantetur ab omnibus cum psalmo: *Nunc dimittis*, & per unumquemque versum repetatur antiphona: *Lumen*... Interim Sacrista incipit in dextero choro a superioribus, & socius suus in sinistro cereos fratribus, & conversis, sororibus quoque, & extraneis, si affuerint, distribuendo.) Ex Ordin. S. Petri supra Divam; „ (Quibus finitis, accenso cereo Abbatis, ubi accenderit alios, imponat antiphonam: *Suscipiens Jesum*; deinde suscipientibus a Secretario omnibus, & accedentibus, ordinetur processio;) ex consuet. Lyr. „ (Quibus dictis, accendant cereum Abbatis & aliorum, Cantore incipiente antiphonam: *Lumen ad revelationem*... Dum hæc aguntur, Secretarii dividunt candelas singulis, incipientes a senioribus;) Denique ex Ordinario Bursfeldensium c. 30. „ (Diaconus ipsi Abbati candelam tradat.... Interim Sacrista suo adjutus solatio candelas monachis, novitiis, conversis, & aliis fratribus laicis, seu etiam hospitibus distribuat.)

XXII. Facta cereorum distributione, processionem inchoabant, aut inceptam jam prosequebantur, pro qua vetus Cassinense Ordinarium: „ (Expensis, inquit, cereis, imponit chorus antiphonam; *Exurge Domine*, psalm. *Deus auribus*, & *Gloria*; deinde ad repetitionem: *Opus quod*. Tunc dicat Sacerdos: *Oremus*, & Diaconus *Flectamus genua*, & alter, *Levate*, nisi forte Dominicus dies fuerit, & dicat orationem: *Erudi quæsumus*; quo facto, revertantur ad ecclesiam S. Benedicti, sicut venerant, cantando antiphonas has: *Ave gratia*, & *Adorna*, ante ecclesiam: *O Dei genitrix*: & sic intrantes ecclesiam, incipiant Missam;) & consuetudines S. Germani a Pratis: „ (Post ordinabitur processio: Diaconus portabit jocale argenteum, conventus ibit per chorum ad processionem in capellam, Cantor incipiet antiphonam: *O beata infantia*; Abbas incensabit altare capellæ, & asperget aqua benedicta, incensato altari ad stallum suum redibit: Cappellanus tenebit librum coram eo; ℣. *Post partum*, post ℣. *Dominus vobiscum*. Oratio: *Perfice in nobis Domine gratiam tuam*. Finita oratione, ferentes aquam, crucem, & cereos, exibunt primo, postea conventus totus ordinate, Abbas extremus exibit, & ibunt omnes per claustrum, non fiet statio in navi monasterii, immo ibunt directe in chorum, antiqui stabunt in stallis circa majus altare, & juniores stabunt in stallis suis, sicut est consuetum diebus Dominicis, Abbas ibit in revestiarium, & induet se revestimentis solemnibus.) Illud autem observandum in Dionysianis consuetudinibus, quod in antiphona: *Responsum accepit*, quæ ad stationem in navi ecclesiæ cantabatur, ad verba: *Accepit eum*, unusquisque textum suum, & cruces accipiebat, stando, donec illic finiretur.

XXIII. Missa solemniter, ut in hujusmodi solemnitatibus fieri solebat, cantabatur, sed apud Cluniacenses, Divionenses, & Corbejenses sine cappis, idque ex S. Hugonis Abbatis præscripto, „ (non ad diminutionem sanctæ solemnitatis; sed ut expeditius ipsi cereos portentur, & ne ipsæ cappæ ex defluente cera detrimentum patiantur,) inquit vetus Ordinarium Corbejense; quæ caussa etiam extitit, cur apud Parisienses S. Germani tres cantantes *alleluja*, non induebant cappas, scilicet *propter cereos*, quos ex antiquo Ordinis nostri usu tenebant ubique accensos usque ad offertorium; hoc enim tempore unusquisque celebranti Sacerdoti suum cereum offerebat: „ (teneant luminaria in manibus, *inquit S. Dunstanus c. 3.*, donec post oblationem ea Sacerdoti offerant,) quod distinctius explicat Udalricus l. 1. c. 48. „ (ad offerendam oblatis primo hostia, & vino, offeruntur quoque, Diacono inchoante, candelæ.) Similiter antiquum Corbejensis monasterii Ordinarium, & Divionenses S. Benigni consuetudines c. 54. „ (ad offerendam primo oblatis hostiis, & vino; offeruntur quoque ab omnibus, ab illis etiam, qui aliis diebus non vadunt ad offertorium, & etiam ab Infirmis, cerei, inchoante Diacono;) Lib. Usuum Cisterciensium c. 47. „ (Postquam Diaconus Evangelium legerit, & Abbati munus Deo sacrandum obtulerit, ipsique Diaconus idem munus more solito super altare ordinaverit, Abbas candelam suam reddat Sacristæ, & Diaconus Abbati suam offerat, & postea Subdiaconus: deinde veniat Abbas ad gradum Presbyterii, & cæteri offerant candelas suas, a Prioribus incipientes, manum Abbatis, vel Sacerdotis si Abbas defuerit, osculando. Quas candelas Sacrista, & solatium ejus a manu Abbatis suscipientes extinguant;) Cons. S. Germani a Pratis: „ (Post offertorium omnes post Priorem offerent cereos suos ad manum Abbatis.) Idem continetur in Ordinario S. Petri supra Divam, & in Tullensi S. Apri. Denique Bursfeldenses c. 30. „ (Postquam, *inquiunt*, jam Deo sacrandum munus incensaverit Abbas, Diaconus candelam suam Abbati offerat, deinde Subdiaconus, & consequenter cæteri ordine suo, secundum tempus conversionis venientes per retro altare, candelas suas offerant, deosculantes singuli dexteram Abbatis in cornu altaris dextro. Sacrista vero easdem candelas suscipiens extinguat, intingens eas aqua, quæ ibidem ejus procuratione habebitur in promptu;) Cartusienses in ord. c. 46. (Finito offertorio, sed dilata thurificatione, offerimus Sacerdoti ad gradum altaris cereos; primo Diaconus suum, atque celebrantis: deinceps alii eodem ordine, quo suscepti fuerunt cum genuflectione simul & osculo manus, sicuti prius.) Una ab aliis discrepabant Cassinenses

nenses nostri, quorum in Ordinario hæc lego: „ [Intrantes „ ecclesiam incipiant Missam, & usque ad finem cereos „ ipsos teneant.] Singulare est etiam quod apud Beccenses, atque Lyrenses, Abbatis, seu Sacerdotis celebrantis cereus accensus remanebat, non solum tempore Missæ, sed usque post Completorium: „ (Qui cantat Missam, „ *inquit Liber Usuum Beccensium*, teneat assidue cereum „ suum in manu usque ad offertorium; tunc ponantur in „ dextra parte altaris super unum candelabrum, & iterum „ sumat eum ad ultimam orationem; cereus ille non ex- „ tinguitur post Missam: sed post Completorium; sed „ tota die ardeat ante majus altare super unum candela- „ brum;) & consuetudines Lyræ: „ (Unusquisque au- „ tem assidue teneat cereum suum in manibus usque ad „ offertorium, finito offertorio offerat Cantor sive Abbas, „ vel Prior, si sunt in choro, & non cantant Missam, „ hostiam & vinum, ut mos est; & deinde cereum suum, „ ceteris subsequentibus, qui tenent chorum, & aliis per „ ordinem . . . Qui cantat Missam, teneat assidue cereum „ suum in manu usque ad offertorium; post offertorium „ ablutis manibus, rursum accipiat cereum in manu sini- „ stra inter digitos; ad *Qui pridie*, accipiet eum Levita, „ & teneat eum usque ad *Unde memores*, & iterum tra- „ dat eum Sacerdoti usque ad *Per ipsum*: deinde teneat „ eum Levita, vel Subdiaconus usque ad postcommunio- „ nem: dicto *Ite missa est*, vel *Benedicamus*, accipiat „ Secretarius cereum, & ponat super candelabrum ante „ altare, & non extinguatur post Missam; sed post Com- „ pletorium, ut ardeat tota die.]

XXIV. Hæc sunt præcipue, quæ cereos spectant. Ceterum hac in Missa, si festum Purificationis in Septuagesima accidisset, tractus a quatuor monachis, aut sex, aut octo, secundum locorum consuetudinem, cantabatur. Post sequentiam ab uno cantore cantante dicebatur apud Dionysianos antiphona: *Homo erat*, apud Compendienses: *Senex*. Præfatio, *Quia per incarnati*. Denique in Ordinario Corbejensi hæc lego: „ [Ad majorem Missam duæ „ collectæ ad complendum leguntur.) Et hæc de festo Purificationis, quibus & illud addo, quod in Ordinario Cassinensi continetur: „ (ab hac die usque in palmis, „ quotiens bis in die comedunt, surgentes a mensa expe- „ ctent servientes, ut simul cantent Nonam.] Idem habetur in MS. Germaniæ consuet. n. 30., in Cluniac. apud Udalric. l. 1. c. 48., in Statutis Lanfranci c. 1. §. in l. Us. Beccensium, consuet. Lyr., ut scilicet post Nonam omnes simul in refectorio ad potum pergerent, quod tamen cavent Divionenses S. Benigni cons. c. 54.

CAPUT VIII.

De Septuagesima &c. usque ad feriam in capite jejunii.

I. HAc die tristitiæ tempus incipit in Ecclesia; hinc solemnis *alleluje* depositio, de casu Adami ad nocturnos Lectio, ornamentorum ad divina mysteria mutatio, & alia id genus nonnulla, quæ pro instituti nostri ratione paucis perstringenda sunt.

II. Etsi Regula S. Benedicti usque ad XL. *alleluja* cantari permittat, multis tamen jam ante sæculis usus apud nostros invaluit, ut secundum communem Ecclesiæ consuetudinem, ex tunc dimitteretur in LXX. Extat hac de re Decretum Concilii Aquisgranensis c. 30., statuentis, ut *alleluje in Septuagesima dimittatur*, quod in omnibus communiter Ordinis Benedictini monasteriis postea receptum fuit, qua de re consule dicta in Comm. ad c. 15.

III. Sed in deponendo *alleluja* non una extitit monasteriorum, monachorumve consuetudo. Alii enim a Vesperis Sabbati, alii post Vesperas a Completorio, alii sola Dominica LXX. ad nocturnos illud omittere incipiebant. Primum observabant in monasterio Sancti Petri supra Divam, ut discimus ex Ordinario ejusdem monasterii: „ (Dominica prima Septuagesimæ: Sabbato ad IX. pul- „ satur unum de minoribus signis, ad Vesperas præter- „ mittitur *alleluje*, & deinceps;) & recte, ut mihi videtur, omnino, nam Dominicæ officium a Sabbato incipit. In aliis tamen vel ad etiam ad Vesperas retinebatur, in quibus etiam omnino solemniter cantabatur, hoc est ad omnes antiphonas, tam super psalmos, quam ad Canticum *Magnificat*, ut videre est in antiquo Corbejensi Ordinario, Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, Tullensi S. Apri Ordinario, & consuetudinibus MS. Canonicorum Regularium S. Rufi: immo etiam in R. quod post Lectionem sive capitulum dicitur, quemadmodum præscribitur in antiquis Corbejensi, Tullensique Ordinariis, & in Breviario S. Germani a Pratis, in quo etiam pro antiphona ad *Magnificat* notantur undecim *alleluja*. *Benedicamus* etiam cum duplici dicebatur *alleluja*, excepto Corbejensi monasterio, in cujus Ordinario antiquo hæc legimus: „ [*Benedicamus Domino* sine *alleluja*, quia num- „ quam *alleluje* ad *Benedicamus Domino* apponitur, nisi „ quando a duobus, vel a pluribus ante altare canitur. „ Post Vesperos nec ad suffragia SS., nec ad Vesperos de „ omnibus SS., sed nec aliud aliquid usque in vigilia Pa- „ schæ, *alleluja* dicitur:) Sed in Beccensi, atque Lyrensi monasteriis *alleluja* etiam ad Completorium retinebatur, ut discimus ex istorum cons., & illorum libro Usuum, in quo hæc habentur; „ (Sabbato ante Septuagesimam ad „ Vesperos, & Completorium dicitur: *Alleluje*; ad Ma- „ tutinum; *Laus tibi Domine*.

IV. Ad nocturnos Invitatorium a duobus in albis cantabatur, saltem in insignioribus monasteriis: in Compendiensi tamen in frocis. Ad Lectiones primi secundique nocturni, præmisso S. Hieronymi prologo, Eptateucum incipiebant, quem ex integro ante Quadragesimam, sive in choro, sive in refectorio decurrebant, quemadmodum videre est in Cassinensi, antiquoque Corbejensi Ordinario, & apud Udalricum. Et quidem Cassinense Ordinarium: „ (Lectiones, *inquit*, in prima & secunda vigilia fiant „ de Eptatico, qui hac nocte ponendus est ad legendum, „ & totus legetur usque in quarta feria caput jejunii; in „ tertia vigilia homilia legatur.) Apud Cluniacenses, & Corbejenses integer Geneseos liber infra primam hebdomadam in solo choro legebatur, detractis tamen inde nonnullis Lectionibus ad alias Dominicas: testatur Udalricus L. 1. c. 1. cum de Lectionibus per annum legendis ita loquitur: „ (Ut incipiam de librorum omnium antiquis- „ simo idest octoteucho, hic liber, ut mos est generalis, „ & in aliis ecclesiis, & Septuagesima, ponitur ad le- „ gendum. In ipsa Dominica fiunt Lectiones satis bre- „ ves, præter ad primam lectionem, prologus ille: *Desiderii mei*, appenditus totus. Per sequentes noctes ita „ protenduntur, ut in illa una septimana Genesis per- „ legatur, & in ecclesia tantum. In Sexagesima Exodus „ inchoatur, & simul cum aliis voluminibus, quæ legun- „ tur. Legitur utrumque, & in ecclesia, & in refecto- „ rio, ita ut ubi Lectionis terminus fuerit lectæ, ibi „ semper initium fiet legendæ die sequenti; & si non „ ante, tamen intrante Quadragesima ex toto perlegitur „ Octotheuchus, ex quo tamen ad Dominicas sunt lectiones „ exceptæ.) Et antiquum Corbejense Ordinarium: „ (O- „ cto Lectiones de Genesi: ad primam lectionem prologus „ totus legitur, ad reliqua septem legitur usque: *Fluvius* „ *autem quartus ipse est Eufrates*, & in ipsa hebdomada „ totum, quod restat, in ecclesia, legitur, quamvis ad „ quinque Dominicas, vel inde excipiantur.) In MS. etiam Sancti Dionysii in Francia consuetudinibus hæc lego: „ (Et „ debet provideri, ut a Septuagesima usque ad Quadra- „ gesimam legatur Genesis ex integro ad matutinas, re- „ liqui vero libri qui sequuntur, legantur in refectorio „ ad prandium.) Cistercienses vero l. Us. c. 11. hac de re sic decernunt: „ (A Septuagesima usque ad Dominicam „ qua libri dividuntur, pars Genesis ad vigilias legatur „ ex quæ vigiliarum Lectionibus per totum hoc tempus „ ad arbitrium Cantoris convenienter sufficere possit, re- „ liqua vero pars, si quid ab his vigiliis residuum est, „ aliique libri, qui sequuntur, usque ad libros Regum in „ refectorio legantur; ubi hoc sollicite provideatur, ut „ ante Dominicam, qua canitur officium: *Judica me* „ *Deus*, perfecti sint.) Paulo aliter Lanfrancus in Statutis c. 1. §. 3. „ (Quinque libri Moysi, *inquit*, & Jo- „ sue, & Judicum, & Ruth, ad legendum ponantur in „ Dominicis diebus, & ceteris XII. Lectionibus usque ad „ Pascha.)

V. Ad Laudes, prima antiphona ab Hebdomadario, reliquæ a Prioribus incipiebantur, ex MS. consuetud. S. Dionysii, Tullensi Ordinario, & S. Petri supra Divam.

VI. Missa Matutinalis si ante Purificationem LXX. contigisset, de Nativitate; si postea, de Trinitate; saltem ita præscribunt S. Dionysii consuet. Major festive quidem sed sine *Gloria in excelsis*, sine *Ite missa est*, sine *alleluja*, & sequentia, cujus loco tractus cantabatur a duobus in medio chori ex Ordinario S. Petri supra Divam, & Tullensi S. Apri, ubi tractuum cantandorum ritus describitur his verbis: „ (Tractus *De profundis*: hunc tractum duo „ fratres in tabula nominati cantant in albis, & circa finem „ cujusque versus chorus residuum sumens, finit ipsum ver- „ sum: finito autem sic ultimo versu, duo qui cantant, re- „ incipiunt primum versum, & chorus prosequitur, quod „ de aliis tractibus similiter faciendum est diebus Domini- „ cis, & festis XII. lectionum, in quibus festive legitur „ ab hac die usque ad cœnam Domini. In omni autem

tra-

„ tractu tam in Dominicis, quam in festo sedet chorus, „ præterquam in Annunciatione Dominica. Tractus Dominicalis per hebdomadam non dicitur.) Apud Cistercienses vero „ (Omnes tractus ab utroque choro alter„ natim cantentur,) inquit liber Usuum c. 52.

VII. Hanc etiam ad Missam, nec Diaconus dalmatica, nec Subdiaconus tunica, sed planetis nigris utebantur apud Cassinenses, ut supra vidimus in Adventu; Cassinensibus subscribit Lanfrancus in Statutis his verbis c. 1. §. 5. „ (Dalmatica & tunica ad Missam, usque ad cœnam „ Domini minime induantur, loco earum casulis ministri „ vestiantur;) & consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Et sciendum est, quod ab hac die usque in Pascha „ non induitur Diaconus dalmatica, nec Subdiaconus tu„ nica; sed induantur infulis, nisi Missa sit de aliquo „ sancto, & nisi sit feria v. vel Sabbatum, & Missa sit „ de Beato Dionysio, vel de Beata Maria.) Idem videre est in Tullensi S. Apri Ordinario, & in MS. S. Cornelii Comp. consuetudinibus. Ceterum quia tristitiæ tempus in Septuagesima incipere diximus, ab hac die adipem ex toto dimittebant, quæ de re in Comm. ad cap. 39., sed ex hac tristitiæ omnibus excusarant nostri Dionysiani, quorum MS. consuetudines hæc habent: „ (Et scien„ dum est, quod in v. feria, & Sabbato, & XII. Lectioni„ bus reficient fratres bis usque feria IV. in capite jejunii.)

VIII. Infra hebdomadam propriæ singulis diebus dicabantur ad *Magnificat*, & ad *Benedictus* antiphonæ, cum quibus etiam in festis duodecim, triumve Lectionum commemorationem faciebant, ut patet ex Dionysianis consuetudinibus; licet in festis nullam nostri Tullenses de tempore memoriam ad Vesperas, Laudesve facerent.

IX. Ad Missam privatis diebus tractum non cantabant. Feria IV. & VI. eam cum propria Epistola & Evangelio celebrabant. Epistolas & Evangelia hæc nobis repræsentat Tullense S. Apri Ordinarium. Infra hebdomadam LXX. „ (Feria IV. Epistola: *Festinemus ingredi*; E„ vangelium: *Egressus Jesus ibat*; feria VI. epistola de „ Dominica: Evangelium: *Factum est, dum compleren„ tur*; & infra hebdomadam LX. Feria IV. Epist. *Reco„ gitate*. Evangelium: *Qui non est mecum*; feria VI. E„ pistola de Dominica: Evangelium: *Interrogatus Jesus*.) In Dionysianis consuetudinibus nulla infra Septuagesimam notantur Evangelia; infra LX. vero „ (Evangelia infra „ hebdomadam dicenda ad magnam Missam, vel matuti„ nalem: *Congregatæ sunt*. Aliud *Congregata est ad Je„ sum*; & infra L. *Egrediente Jesu*. Aliud *Proficiscens*.)

X. De festo trium Lectionum infra hebdomadam quomodo fiant, ita describunt Dionysianæ consuetudines: „ (Si tres Lectiones de aliquo sancto evenerint, ita fi„ ant. Invitatorium de Sancto, Hymnus, antiphonæ, „ psalmi ad ambos nocturnos de feria, versus de sancto, „ Lectiones de Genesi, ℟. de Sancto. In secundo no„ cturno capitulum, versus, & oratio, & cetera omnia „ ad Laudes, & ad horas in die de sancto sint. Idem „ ordo teneatur in omnibus aliis feriis, qui & in secun„ da feria usque in capite jejunii.) In festis vero XII. lect. totum officium de Sancto cum Comm. feriæ habet; in LX. & L. idem omnino ordo Divini Officii servabatur; sed in Tullensi Ordinario Lectiones ad primum, secundumve nocturnum in LX. sic incipiunt: *Nemo qui nesciat*; in L. vero *Fides est religionis*, quæ erant haud dubium ex sermone alicujus sancti.

XI. Unum hic de L. observandum restat ex Concordia Dunstani: „ (A Quinquagesima, *inquit* c. 3., qua„ dragesimalem teneant abstinentiam more solito.) Dunstanum explicant Germaniæ consuetudines decernentes, ut in quinquagesima ova, & caseum dimittant; hinc de Cluniacensibus Udalricus lib. 1. c. 49. „ (In quin„ quagesima, *inquit*, quia de cetero nec caseum, nec ova „ comedimus, post Vesperas ad cœnam de ipsis ovis co„ ctis in pipere habemus generale, quod toto anno am„ plius non contingit, ut aliud quid ea vice habeamus, „ præter solum panem, &, si forte sunt in promptu, „ cruda poma, vel ea quæ in ferramento characterato de „ conspersione farinæ tenuissimæ fiunt, & ab hominibus „ Romanæ linguæ nebulæ, a nostratibus appellantur obla„ tæ.) Simile aliquid extat in antiquo Corbejensi Ordinario, & in libro consuetud. S. Benigni Divionensis, ex quibus octo ova duobus monachis apponi debebant, & pittantia de pane cotia ministrari.

CAPUT IX.

De Capite jejunii.

I. CAput jejunii appellarunt majores nostri quatuor illos dies, qui Dominicam primam XL. præcedunt, & a quarta feria, a cineribus fidelium pœnitentium capitibus imponendis cinerum dicta, incipiunt: in quibus consuetum psallendi ordinem per annum, saltem multis in locis, retinuerunt nostri, una excepta ad *Benedictus*, & ad Vesperas antiphona, quæ erat propria, sicut & oratio. Hinc Compendienses S. Cornelii consuetudines: „ (Fe„ ria quarta, *inquiunt*, omnia fiant de feria, ad *Benedi„ ctus*, antiphona *cum jejunatis*, oratio *Concede nobis Do„ mine*. Ad horas dicentur antiphonæ, & orationes de „ feria;) & infra. (In iis quatuor diebus omnia fiant „ de feriis, præter antiphonam ad Ben. & ad Magn. & „ orationem.) Suffragantur consuetudines S. Dionysii in Franciæ, a quibus suas acceperunt nostræ Compendienses, in quibus etiam ad nocturnos Lectiones de Genesi assignantur. Cluniacenses vero propria etiam capitula ad nocturnos habebant, atque ad horas diurnas, testante Udalrico l. 1. c. 50. his verbis: „ (In capite jejunii inchoatur, „ ut nec ad nocturnos, nec ad alias horas capitulum, „ quam quod de jejunio sit, dicatur.) Udalrico subscribunt, & vetus Corbejensis monasterii Ordinarium, & Divionenses S. Benigni consuetudines.

II. De collectis autem addit Udalricus: „ (Ad tertiam, „ & ad alias horas sequentes collectæ pro peccatis, qua„ rum prima est: *Exaudi quæsumus Domine*,) (quæ nimirum per totam XL. dicebantur, ut habet vetus Corbejense Ordinarium.) „ (Ad Matutinas Laudes, & Ves„ peros de ipsa die. Ad nocturnos autem, quæ per to„ tum annum in privatis noctibus dicebantur;) idque per totam Quadragesimam, ex Ordinario Corbejensi, quibus pene conveniunt Divionenses S. Benigni consuetudines sic scribentes c. 53. „ (Ad Tertiam, & duas sequentes Horas „ collectæ pro peccatis, sicut & per totam XL. in diebus pri„ vatis. Ad Matutinos, vel Vesperos de die. Ad nocturnos „ sicut capitula, sic etiam collectæ de instanti tempore di„ cuntur, secundum quod in collectaneo continetur.) Singulare est illud, quod in Tullensi S. Apri Ordinario legimus, nimirum ad nocturnos IV. feriæ Lectiones de Evangelio: *Cum jejunatis*. Capitulum: *Convertimini ad me*, & collectam: *Concede nobis Domine præsidium*. Ad Laudes Capitulum: *Convertimini ad Dominum*. ℟. *Adjutor meus*; Antiphonam ad Benedictus: *Cum jejunatis*, & collectam: *Præsta Domine fidelibus*. Ad Primam antiphonam: *Me etenim*. Ad Tertiam antiphonam: *Quare jejunavimus*; capitulum de jejunio, collectam ut in Laudibus. Ad Sextam antiphonam: *Quis scit, si convertatur*. Capitulum & collectæ de jejunio. Ad Vesperas capitulum de jejunio, ℟. *spes mea*, ad Magnificat antiphonam: *Thesaurizate vobis*, & collectam: *Inclinantes*, reliqua omnia de feria. His consentit in nonnullis S. Petri supra Divam Ordinarium. Breviter vero hac de re Carthusienses in suo c. 47. n. 5. „ (In Capite jejunii capitula nocturna, & diurna, „ orationes quoque ad Laudes, Tertiam, & Vesperas mu„ tamus; sed non versiculos; ad Sextam tamen, & Nonam „ infra hebdomadam, orationes consuetæ per annum usque „ ad Cœnam Domini non mutantur.) Hæc de officio feriæ IV. in capite jejunii pauca dicta sufficiant, nunc de cinerum benedictione, quæ huic diei peculiaris est, brevi differendum est.

Cinerum benedictio tam apud monachos, quam apud clericos solemni ritu semper celebrata fuit. Huic in monasterio Sancti Petri supra Divam solemnis peccatorum absolutio præmittebatur, cujus ritus in ejusdem Ordinario, & collectaneo describitur his verbis „ (Post Sex„ tam revertantur fratres ad colloquium, interim unum „ pulsetur de majoribus signis ad absolutionem, cum„ que tempus fuerit, sonetur præparatio Missæ, & tunc „ procedant in dormitorium, venientesque in capitulo „ discalciant se, lavent, præparent, veniant in orato„ rium. Revestitus interim Abbas albe parata, manipu„ lo, stola, & cappa serica, vadens ad altare incipiat „ septem psalmos, quos idem, & omnes prostrati di„ cant; quibus finitis, dicta oratione Dominica: *Pater no„ ster*, erigat se solus Abbas dicens: *Et ne nos*. Preces: „ *Salvos fac servos tuos Deus*: *Esto eis Domine turris for„ titudinis, a facie inimici*: *Nihil proficiet inimicus in „ eis, & filius iniquitatis*: *Mitte eis Domine auxilium de „ Sancto, & de Sion*: *Domine exaudi orationem*: *Exurge Do„ mine, adjuva nos, & libera nos propter*: *Dominus vobis„ cum*. Oremus: *Adesto Domine supplicationibus* &c., a„ lia oratio: *Exaudi Domine preces nostras* &c. alia oratio:

„ *Præ-*

„ *Præveniat hos famulos* &c. *Adesto Domine* &c. alia oratio : *Præsta quæsumus Domine his famulis* &c. alia oratio : *Domine Deus noster, qui offensione* &c. hic non dicens Oremus, *Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis* &c. neque hic : *Absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. Amen.* Postea pariter surgant, & sic Abbas stans ad altare, benedicat cineres.)

IV. Caussam hujus institutionis discimus ex MS. consuetudinibus Guillelmi Pellicerii primi Ordinis Grandimontensis Abbatis, in quibus postquam præscripsit, ut feria quarta cinerum, post Primam dicantur septem psalmi cum litaniis, & quibusdam precibus, rationem reddens, „ [Quia, *inquit c.* 14. antiquitus in capite jejunii omnes pœnitentes, qui publicam suscipiebant pœnitentiam, ante portas Ecclesiæ se repræsentabant Episcopo civitatis, nudis pedibus, & sacco induti, vultibus in terram demissis, reos se esse cognoscentes ; ubi erant Presbyteri parochiales correctiones eorum cognoscentes, & injuncta eis pœnitentia pœnitentes in Ecclesia introducebant ; & Episcopus cum Clericis prostratis, pro absolutione eorum septem psalmos pœnitentiales decantabant, cinerem in capite eorum mittebat, & aquam benedictam super eos spargebat, & postmodum eis denunciabat, quod sicut Adam projectus est de Paradiso, ita & ipsi pro peccatis ab Ecclesia abjiciuntur.) Quæ omnia fusius in Ordine Romano videre est. Hujus ritus fit mentio in vita S. Elphegi Episcopi n. 5. sæc. 5. „ (Dies erat cinerum, & Pontifex pro more pœnitentes Ecclesiæ liminibus excludebat.) Ex his, uno excepto S. Petri supra Divam monasterio, apud Nostros sola remansit cinerum super capita monachorum impositio cum aquæ lustralis aspersione ; sed priusquam in capita mitterentur cineres, solemniter in Ecclesia benedici solebant. Ritum describit antiquum Cassinensium Ordinarium his verbis : „ [Ipsa die ad collectam primitus veniat Sacerdos cum ministris ante altare, induti nigris casulis, & benedicat cinerem ; post hæc incipiat chorus antiphonam : *Exaudi nos Deus.* Psal. *Salvum me fac Deus*, & *Gloria* ; & ponatur super capita omnium cinis cum aqua sanctificata, ita dicendo : *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris* : interim cantetur antiphona : *Immutemur* : quo finito, dicatur antiphona : *Exurge Domine ad*, ut moris est, & dicta oratione : *Deus qui humiliatione.* Item ad processionem antiphona : *Juxta vestibulum.* ℟. *Emendemus.* ℣. *Peccavimus* : antiphona : *Parce Domine* ; & vadant omnes excalceatis pedibus in circuitu claustri, & ingressi ad Ecclesiam incipiant letaniam, & sic cantent Missam ; deinde Vesperam. Antiphona ad *Magnificat : Thesaurizate vobis.*) Hactenus Cassinense Ordinarium, cujus in verbis plurima sunt observanda. Primo, quod solemnis cinerum benedictio fieret post Nonam, idipsum decernit etiam Dunstanus in Concordia ; „ (Quarta feria capitis jejunii, *inquit c.* 3. Nona decantata, Abbas stola ornatus benedicat cineres ;) & tamen in omnibus aliis, quæ mihi videre licuit tam Statutis quam Ordinariis, seu consuetudinariis, ad Sextam tantum facienda præscribitur.

V. Secundo, solemnis cinerum benedictio fiebat apud Cassinenses non ab Abbate, sed a Sacerdote Hebdomadario : quod etiam in Statutis Lanfranci, Tullensi S. Apri Ordinario, & libro Usuum Becc. præscribitur, idque privatim, ut videtur ex eodem libro Usuum Becc. „ [Post Sextam cum exierit conventus ab oratorio, Hebdomadarius benedicat cineres ;) communiter tamen aliis in monasteriis id ipse Abbas præstabat, aut eo absente Prior, vel Sacerdos, ut videre est in Concordia Dunstani, Ordinario Corbejensi, consuetudinibus S. Benigni, Sancti Dionysii, S. Cornelii, Beatæ Mariæ de Lyra, & aliis.

VI. Tertio, Abbas, sive Sacerdos benedicturus cineres, apud Cassinenses quidem procedebat ad altare cum ministris indutis *casulis nigris*. In monasterio Sancti Petri supra Divam Abbas stolam, manipulum, & cappam, quam ad absolutionem acceperat, ad cinerum benedictionem retinebat ; sed alibi passim cineres cum sola stola benedicebat, quibusdam quidem in locis ad altare, in aliis in Presbyterio ; atque ita ex Dunstani Concordia, Lanfranci Statutis, Udalrico, Corbejensi Ordinario, consuetudinibus S. Benigni, Tullensi Ordinario, cons. Lyræ, & Ordinario Bursfeldensium. Verum apud Cistercienses lib. Usuum c. 13. „ (Abbas, accepta a secretario stola, & pastorali virga in Presbyterio, verso vultu ad Aquilonem benedicit cineres.)

VII. Quarto, in Ordinario Cassinensium non exprimitur, quibus precibus fieret cinerum solemnis benedictio. Unica tantum collecta rem conficiebant antiqui ; hæc apud Cluniacenses, Cartusienses, & Casalinos erat : *Deus qui non mortem* ; apud Corbejenses : *Omnipotens sempiterne Deus, qui primo homini* ; apud Parisienses S. Germani : *Omnipotens sempiterne Deus, qui misereris* ; quem una cum collecta : *Deus qui non mortem*, & tertia : *Omnipotens sempiterne Deus parce metuentibus* &c. continet Sancti Petri supra Divam collectaneum ; sed hujusmodi Benedictioni multas alias preces præmittebant, quas nobis exhibet Tullense S. Apri Ordinarium his verbis : „ (Dum Sexta cantatur, præparet se Hebdomadarius Missæ cum suis ministris ad celebrandam Missam, post Sextam vero eat idem Hebdomadarius alba indutus cum stola, & fanulo, ad stallum suum in choro cum suis ministris. Puer autem alba indutus ad gradum crucem teneat, aquam benedictam, & vasculum cum cineribus a Sacrista ibidem præparatis, & incipiatur a Cantore antiphona : *Exurge Domine*, quam dum incipit, omnes, qui sunt in choro, flectant genua, & statim resurgant dictam antiphonam cantantes, finito ℣. sine *Gloria Patri*, reincipitur ab omnibus dicta antiphona, ordine quo prius ; qua finita, Hebdomadarius Missæ dicat : *Domine non secundum peccata* ; sequitur *Pater noster*, & fratres prosternunt se super formas. Tunc Hebdomadarius Missæ dicat : *Et ne nos.* Preces : *Domine ne memineris : Dominus vobiscum.* Collecta : *Exaudi quæsumus Domine sup.* & Responso ab omnibus : *Amen*, erigant se fratres, & incipiatur a Cantore antiphona : *Exaudi nos Deus*, & chorus prosequitur psalmum : *Salvum me fac Deus.* Finito versu sine *Gloria*, reincipitur ab omnibus ipsa antiphona ; qua finita, Hebdomadarius Missæ dicat : *Ne reminiscaris Deus.* Sequitur : *Pater noster* ; tunc fratres prosternant se super formas, ut prius ; tunc Hebdomadarius Missæ dicat : *Et ne nos.* Preces : *Ostende nobis Domine : Dominus vobiscum.* Collect. *Deus qui justis* ; his finitis erigant se omnes ; tunc Hebdomadarius Missæ eat ad gradum, & faciat benedictionem super cineres dicendo : *Dominus vobiscum.* Collect. *Omnipotens sempiterne Deus, qui misereris.* Priore de scolis coram ipso Hebdomadario cineres tenente. Item collect. *Deus qui non mortem.* Item collect. *Deus qui humiliatate.* Iis finitis, & aquam benedicta super cineres aspersa &c.) Alii alias preces præmittebant : Lanfrancus in Statutis c. e. §. 3. decernit, ut omnes „ (faciant orationem unam communiter : qua facta pulsentur duo signa inchoante infante : *Exurge Domine* : psalm. *Deus auribus nostris.* His expletis, dicat Sacerdos : *Ostende nobis Domine.* Sequatur : *Kyrie eleison : Pater noster : Et ne nos.* Psalm. *Deus misereatur nostri.* Capitulum : *Et veniat super nos.* Collecta pro peccatis : *Exaudi quæsumus supplicum preces.*) Easdem continent Lyrensis monasterii consuetudines ; easdem etiam sive ante, sive post benedictionem dicendas habet & liber Usuum Beccensium ; easdem etiam liber Usuum Cisterciensium, una excepta ultima collecta, cujus loco assignatur : *Concede nobis Domine præsidia.* In veteri Corbejensi Ordinario, & Benignianis consuetudinibus ista continentur : „ (Facta oratione, quæ fieri solet ante processionem, finitaque antiphona : *Exurge Domine* cum versu, & *Gloria Patri*, & dicto a Sacerdote versu : *Ostende nobis, Domine*, dicitur ab omnibus : *Kyrie*, & Sacerdos Hebdomadarius, dicto : *Et ne nos inducas*, incipit psalmum : *Deus misereatur*, quo finito cum *Gloria Patri*, addit hunc versum : *Et veniat super nos*, & coll. *Concede nobis Domine quæsumus præsidia militiæ* ; quibus dictis stans D. Abbas, vel Sacerdos, si ipse non adest, cum stola tantum benedicit cineres.) Bursfeldenses, & Casalini unica præmissa antiphona : *Exaudi nos Domine, quia benigna*, cum versu *Salvum me fac* & *Gloria*, repetitaque antiphona cineres benedicebant ; sed hæc forte fusius, quam par sit : ad cetera veniamus.

VIII. Quinto facta cinerum benedictione „ (ponatur super capita omnium, *inquiunt Cassinenses*, cinis cum aqua sanctificata, ita dicendo, Memento &c.) ubi quod ajunt cinerem cum aqua sanctificata capitibus omnium esse imponendum, exponendum est ex Lyrensis monasterii consuetudinibus MS. in quibus ritus iste cinerum imponendorum præscribitur hoc modo : post benedictionem „ (Abbas redeat ad gradum ante analogium, & stet ibi cum stola, & baculo, & Subdiaconus ad dextram ejus, qui teneat cineres, & Diaconus ad sinistram, qui aspergat accedentes ad cineres aqua benedicta : tunc Cantor incipit antiphonam : *Immutemur*, & aliam : *Inter vestibulum.* Interim accedant fratres ad sumendos cineres, & Abbas mittat eos super capita eorum ita dicens : *Memento homo q. p. es, & in p. r.* ; & Diaconus asper-

aspergat eos aqua benedicta. Postquam omnes acceperint cineres, assumat Prior stolam, vel Subprior, si Prior deest, & det cineres Abbati;) & ex libro *Usuum* Beccensium: „ (Post orationem respondentibus omnibus: *Amen*, accipiant Sacerdotes Hebdomadarii stolas, & cineres, & Diaconi Hebdomadarii aquam in pelvim, tunc Cantor incipiat antiphonam: *Immutemur: Juxta vestibulum. Emendemus*; tunc mittant Sacerdotes cineres super capita fratrum dicentes: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; & Diaconi aspergant aquam desuper, Sacerdos Hebdomadarius majoris Missæ dabit primum Abbati; deinde ceteris ex parte ejus, Sacerdos Missæ matutinalis primum Priori, & ceteris ex parte ejus. Postea Sacerdos Hebdomadarius dabit Diacono suo, similiter & alius Sacerdos, alio Diacono. Postea vero Sacerdos Hebdomadarius socio suo, ablata prius ab illo stola sua; Abbas deinde assumta stola dabit cineres Sacerdoti Hebdomadario; si Abbas defuerit, socius socio, si minor conventus fuerit, unus Sacerdos sufficiat.) Ubi obiter observabis, eum, qui cineres fratribus imponeret, ultimum omnium a digniori chori accepisse, quod confirment vetus Corbejense Ordinarium, & Divionenses S. Benigni consuetudines cap. 53. „ (Postquam autem omnibus cineres dati sunt, etiam infantibus, & ad extremum infirmis, Domno Abbati, vel Sacerdoti Prior dare debet, vel unus de Prioribus, si ipse non est Sacerdos;) & Tullense S. Apri Ordinarium: „ (Interim imponat Hebdomadarius Missæ cineres super capita adstantium, incipiens a ministris altaris, & postea superioribus fratribus dicendo: *Memento homo* &c. quibus peractis, ille qui in choro primus est, imponat cineres super caput Hebdomadarii Missæ;) & tamen apud Cistercienses, Bursfeldenses, & Casalinos, primus omnium, deposita stola ab Hebdomadario, cineres recipiebat: „ (Abbas stola deposita, *inquit lib. Usuum Cisterc. c.* 13. veniens ante gradum, & sub illo flexis genibus, ab Hebdomadario Missæ prius sacros accipiat cineres, quibus acceptis, erigens se resumta stola, stet supra gradum, & versus ad chorum super singulorum capita mittat cineres benedictos, incipiens a ministris altaris, omnibus flectentibus genua in terra, & dum mittuntur, sedeat, qui voluerit.) Idem fere legitur in Ordinario Bursfeld. c. 31. Cartusienses vero in distribuendis cineribus hunc servant ordinem in rub. Miss. „ (Cinere benedicto, & aqua sancta asperso, Diaconus incipit antiphonam: *Exaudi*, & flectens genua ad gradum altaris, primus aspergitur a Sacerdote, dicente ipso per singulos: *Recognosce homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: deinde Episcopus, vel Abbas, si affuerint: deinde Prior aspergitur cinere a Sacerdote, & Sacerdos a Priore, vel eo absente, vel celebrante, a Vicario: & ab ipso Sacerdote hospites Religiosi, si adsint, postea monachi per ordinem; deinde Conversi, & postea laici sæculares, si adsint;) Sed apud Cistercienses lib. Usuum cap. 13. „ (extra chorum familiæ, & hospitibus, si affuerint, Prior adjuncto sibi aliquo fratre imponit cineres.)

IX. Sexto, interim dum imponebantur cineres, imposita a Cantore antiphona: *Immutemur*, & *Exurge*, chorus prosequebatur. Unicam apud Divionenses, & Corbejenses decantabat, qua finita, remanebat sub silentio, ut discimus ex antiquo Corbejensi Ordinario, & libro consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 55. „ (quos cum assuerit singulis imponere, armarius incipit antiphonam: *Immutemur* ... finita vero prædicta antiphona, silatur ab omnibus, donec cineres dati sunt.) Alii plures cantabant antiphonas, & preces.

X. Septimo, quid de superstite cinere faciendum esset, tacet Cassinensium Ordinarium, quod proinde repetendum est ex libro consuet. S. Benigni Divionensis, in quo hæc leguntur: „ (Cineres vero, qui, ut prædictum est, hac die fratrum capitibus imponantur, ex industria fiunt de cremis sarmentorum, qui etiam studiose mundantur, & cribrantur, & benedicti conservantur ab infirmario, ut morientibus fratribus cum cilicio substernantur.) His consentiunt Floriacenses consuetud.

XI. Octavo, absoluta cinerum aspersione, dictisque precibus, & collecta, sequebatur processio, quam ubique nudis pedibus faciebant; unde post Sextam exeuntes de choro ad loquendum, calceos, antequam cineres benedicerentur, deponebant, eosdem post Missam tantum, antequam Nona diceretur, resumturi: „ (Post Sextam, *inquit Lanfrancus in Statutis c.* 1. §. 3. revertantur in claustrum locuturi, cum tempus fuerit, post tertium de medietatibus signis, quo pulsato, statim silentium fiat in claustro; discalcient se, & pergant abluere manus, & sic vadant in Ecclesiam ... Post hæc benedicat Sacerdos cineres ... hoc facto exeant ad processionem &c.) Poterat tamen nonnullis in Cœnobiis hac de re misericordiam fratribus Abbas indulgere: hinc Dionysianæ consuetudines ad feriam IV. in capite jejunii: „ (Et sint, *inquiunt*, nudis pedibus, nisi per misericordiam remittatur, usque ad finem Missæ; sed tamen ministri altaris sint calceati ad Missam.) Non tamen apud Cluniacenses lib. 1. c. 41. licet „ [D. Odilo vir plane misericordiæ, perpendens, quam difficile nonnulli fratrum pati possent, ut in tanta hyemis aliquando asperitate nudis quoque pedibus procederent, hujusmodi processionem in IV. & VI. feria a Calendis Novembris usque ad caput jejunii, pro pietate sua indulserit,) teste Udalrico. Hanc processionem Cassinenses, Tullenses, & Compendienses, in circuitu claustri faciebant; Corbejenses earum cimiterium; Parisienses S. Germani ad oratorium B. Mariæ; Dionysiani ad *oratorium B. Mariæ de sancto Clemente*, hoc erat infirmorum oratorium, ad cujus *introitum*, inquiunt consuetud. S. Dionysii „ (Incipiat Cantor antiphonam: *Ave Regina*, vel *Alma*, vel aliam quamlibet de B. Mariæ, deinde dicat Sacerdos versum. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix*, vel alium quemlibet; orationem: *Famulorum tuorum*, vel aliam quamlibet de B. Maria; post orationem prosternant fratres, & dicatur oratio Dominica: Post orationem incipiat Sacerdos pro defunctis psal. *Lauda anima mea*, vel *De profundis*, versum: *A porta inferi*, orationem: *Deus cujus miseratione*; post orationem dicat: *Per Dominum*: *Requiescant in pace*.) In reditu processionis incipiebatur letania a duobus pueris, qui pervenientes in chorum, stabant in medio choro, donec dictam letaniam finissent, quemadmodum perscribit Tullense Ordinarium; idque in omnibus monasteriis observatur. Bersfeldenses processioni septem pœnitentiæ psalmos præmittebant: Cistercienses vero, & Cartusienses nullam processionem facientes, absoluta cinerum aspersione, statim Missam inchoabant, ad quam, saltem Cistercienses, nudis remanebant pedibus, exceptis tamen celebrante, & ministris altaris, qui depositos ad benedictionem cinerum calceos resumebant ad Missam.

XII. Hac in Missa vix aliquid singulare occurrit. Ante collectam Diaconus præmittebat; *Flectamus genua*, ipseque ex Ordinario Sancti Apri dicebat, *Levate*, & ad orationem super populum in fine: *Humiliate capita vestra Deo*, ad quam chorus usque in finem remanebat inclinis, idque in omnibus servabatur monasteriis per totam quadragesimam, usque in cœna Domini. Tractus: *Domine non secundum* &c. quem omni feria 2. 4. & 6. in XL. cantabant. De hoc tractu sic scribit Tullense S. Apri Ordinarium: „ (Et sciendum est, quod iste tractus ab hac die usque ad Pascha II. IV. & VI. feria ad Missam de jejunio, cantatur a toto choro in hunc modum: fratres chori, in quo est hebdomada, cantans primum versum, fratres alterius chori secundum, & fratres, qui cantaverint primum, canteot, & tertium versum, quem dum incipiunt, fratres utriusque chori flectunt genua, dictoque *Salutaris noster*, erigant se, & infra dictum versum fratres utriusque chori dicant simul, *Et propitius*, & sic finiatur tractus ab omnibus.) Præfatio: *Qui corporali jejunio*, privatis diebus per totam XL. dicenda.

XIII. Nono, apud Cassinenses Missam sequebantur Vesperæ, ac proinde refectio non nisi post Vesperas, ut in XL. fiebat; sed in aliis communiter Monasteriis absoluta Missa, conventus calceos resumebant, Nonam mox cantaturus: „ (Post Missam, *inquit lib. Usuum Beccensium*, sonet Nona, ut solet, & facta oratione eant omnes se recalciare, & sic canant Nonam;) & consuet. Lyræ:) Processio fit nudis pedibus, etiamsi festum XII. Lectionum sit, post Missam sonet Nona, & terminata oratione eant omnes se recalceare, & statim revertantur in chorum; non tamen per ablutorium, & sic cantetur Nona.)

XIV. De festis autem hac die contingentibus ita Lanfrancus in Statutis c. 1. §. 3. „ (Si in capite jejunii festivitas XII. Lectionum evenerit, non celebratur ipsa die, sed differtur in crastinum.) Corbejenses, & Divionenses, aut in sequentem feriam V. rejiciebant hujusmodi festa, aut præcedenti feria III. illa celebrabant: „ (Illud autem, *inquiunt consuet. S. Benigni Divionens. c.* 55. non est ignorandum, quia si evenerit festivitas XII. Lectionum in capite jejunii, vel in crastino, vel in præcedenti III. feria mutetur, quia numquam ipsa die apud nos festivitas agitur.) Nonnulli Missa de festo XII. Lectionum post Tertiam decantata, Missam de jejunio post Sextam celebrabant, atque ita Beccenses, Lyranseique nostri: „ (Si in hac IV. feria, *inquit liber Usuum Beccensium*, festi-

„ festivitas xii. Lectionum occurrit; dicta Tertia, & Missa de festo, sedeant in claustro; & iterum post vi. sedeant in claustro; & sonante signo ibi se discalcient.) Idem habent consuet. Lyræ, in quibus additur: „ (Et fiat, sicut supra dictum est, hoc est, benedictio cinerum, processio, & Missa de jejunio.)

XV. De festo vero trium Lectionum nihil hisce diebus, neque in XL., quamvis de SS. Martyribus Dionysio, & sociis ejus in Dionysiano; de SS. Cornelio, & Cypriano in Compendiensi Monasterio, feria v., & Sabbato de B. Maria ad Laudes, & Vesperas fieret per totam XL. commemoratio, cum Missa matutinali. Tullenses etiam de festo trium Lectionum in XL. commem. ad primas Vesp. & Laudes faciebant.

XVI. Quid vero de festo xii. Lectionum tribus sequentibus diebus? Docent consuetudines S. Benigni c. 55. supra citatis verbis hæc adjungentes: „ (Si autem in qualibet trium sequentium dierum, eodem modo celebrant; quemadmodum in alio tempore extra XL., si dies jejunii esset, celebraretur.) Idem habet Corbejense vetus Ordinarium.

XVII. „ (Feria v. & vi., *inquiunt Cassinenses in Ordinario*, finita Nona faciant letaniam in choro;) recte *in choro*, quia hac sexta feria sequenti processio haud fiebat. De Sabbato autem tacuit, quia ea die non dicebatur *letania ante Missam*, ut discimus ex consuet. S. Dionysii. Denique his tribus diebus Lectiones ad Nocturnos ex homilia in Evangelium agebant nostri Tullenses, de Genesi Sandionysiani, quam Sabbato ad Nocturnos absolvebant.

XVIII. Duo mihi, quæ ad caput jejunii spectant, breviter observanda restant: Prim. in veteri Corbejensi Ordinario, & in consuetudinibus S. Benigni continetur his verbis: „ (Ipse die & vi. feria, quæ sequitur, & in omni feria ii. iv. & vi. totius XL., præter primam feriam secundam, nisi festum xii. Lectionum in eis eveniat, generale in refectorio non datur; sed herbæ crudæ pro generali, quemvis omni die, præter vi. feriam Parasceve, duo coacta pulmentaria secundum præceptum B. Benedicti consuetudinaliter tribuantur.) Secundum ita exprimunt Statuta generalia pro Monasterio Sancti Germani a Pratis: „ (A die cinerum usque ad festum omnium Sanctorum, debet fieri mandatum de tribus pauperibus in eleemosyna;) & consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (In ipsa die fit mandatum, & scribantur quotidie in tabula usque in vigilia omnium Sanctorum.) Huic mandato omnes tenebantur interesse, ut discimus ex consuetudinibus Floriacensis Monasterii, in quibus præscribitur, ut „ (quicumque mandatum trium pauperum qui crastina die [cinerum nempe] incipietur, perdiderit; veniam in capitulo, sicut pro regulari hora petere debet.) Istud mandatum observant etiamnum nostri Sandionysiani a feria iv. in capite jejunii ad festum omnium Sanctorum, sed nec quotidie, nec etiam ab omnibus, sed ter tantum in hebdomada, idque solum a Celebrante Hebdomadario, qui cum socio Acolytho tribus pauperibus peregrinis manus abluit, singulis panem cum denario impertitur, spiritualique eos instructione reficit. In Monasterio S. Theodorici prope Remos solis diebus Dominicis, a capite jejunii ad festum omnium Sanctorum, pauperum mandatum fiebat, ut discimus ex litteris Johannis de Fago Abbatis anno 1289. datis in historia MS. ejusdem Monasterii.

XIX. His adde laudabilem Trenorciensium nostrorum consuetudinem, qui pauperibus ad se confluentibus singulis annis in principio quadragesimæ sal dare consueverant, ut patet ex quodam additamento ad translationem S. Filiberti nu. 3. sæc. 4. part. 1. Sed neque prætermittere possum, quod Statuta S. Adelardi Abbatis Corbejensis l. 1. c. 2. „ (Primo die jejuniorum Quadragesimæ, adeo ut spatium habeant confessiones renovare) Monasterii servis *ab opere Dominico parcendum* esse decernunt, hoc est ab obsequio dominis debito.

CAPUT X.

Generales Quadragesimæ consuetudines.

I. GEnerales Quadragesimæ consuetudines duplicis erant generis, aliæ ad officium, cultumque Divinum, aliæ ad disciplinam observantiamque regularem pertinebant. Inter primas merito recensendus est mos antiquus extendendi veli ad Sanctuarium, quo altare, Sacerdos in eo sacrificans, Ministrique ipsi servientes, toto quadragesimali tempore absconderentur. Illud Dominica prima Quadragesimæ post Completorium appendebatur, ut discimus ex Statutis Lanfranci decernentis c. 1. §. 3. ut „ [Dominica prima Quadragesimæ post Completorium suspendatur cortina inter chorum, & altare;) & ex libro consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 56. „ (Post Completorium appenditur velum inter altare, & chorum, quod nullus præter Sanctuarii Custodes, atque Ministros, absque rationabili caussa audet transire.) His suffragatur liber Usuum Beccensium: „ (Dominica post completam debet Secretarius tendere cortinam inter chorum, & altare, & Crucifixum cooperire;) & liber Usuum Cisterc. c. 15. de Dominica prima XL. sic scribens: „ [Hac die post Completorium cruces cooperiantur, & cortina ante Presbyterium tendatur, quæ ita omnibus diebus privatis per XL. usque ad quartam feriam ante Pascha post Completorium remanebit.) Illud tamen post sa. præstabant Tullenses nostri, quorum Ordinarium ad Dominicam primam XL. „ (Hac die, *inquit*, post sx. ante Sanctuarium cortina a Sacrista tendatur, & cruces in ecclesia cooperiantur.) Bursfeldenses feria iv. in capite jejunii, seu potius die præcedenti: ita enim in Ordin. c. 31. „ [Vesperæ autem diei præcedentis diem cinerum, cruces, & imagines cooperiuntur, & cortina ante Presbyterium tenditur, quæ omnibus diebus privatis usque ad quartam feriam hebdomadæ palmarum dum canitur: *Et velum Templi scissum est*, remanebit.) Quod ait, *privatis diebus*, indicat Dominicis, festisque diebus velum abstractum fuisse, idque etiam privatis diebus in Missa ad elevationem SS. Corporis, & Sanguinis Christi fiebat, ut docet in primis Tullense S. Apri Ordinarium, his verbis: „ (In festis vero SS. xii. Lectionum & Dominicis, die præcedente ad Vesperos a conspectu Sanctuarii cortina abstrahenda est, & in die festi post Completorium retrahenda: similiter singulis diebus ante elevationem Dominici Corporis abstrahatur, & ea facta retrahatur.) Idem & ad Missam pro præsente defuncto, & ad novitii benedictionem præstabant Cistercienses, quorum liber Usuum c. 15. hæc habet: „ (In Sabbatis vero, & in vigiliis SS. duodecim Lectionum ante Vesperas a conspectu Presbyterii est cortina retrahenda, & in crastino post Completorium est remittenda. Similiter retrahatur ad Missam pro præsenti defuncto, & ad exequias: *Non intres in judicium*, donec septem psalmi finiantur post sepulturam, & ad benedictionem novitii.) Idem habet Ordinarium Bursfeldensium, subjungitque c. 31. „ (Et omnibus etiam privatis diebus ad elevationem Dominici Corporis, & Sanguinis Missæ conventualis, quæ cantatur in summo altari.) Addit vero liber Usuum Cisterciensium: „ (Ad Missam vero privatis diebus, ut Sacerdos libere ab Abbate, si affuerit, ad Evangelium legendum benedictionem petat, Subdiaconus cornu cortinæ in parte Abbatis modice retrahat, & data benedictione, ut prius erat, remittat. Diaconus vero accedat ad cortinam, ubi sublevata est, quærens benedictionem.)

II. Secundo non modo Sanctuarium, sed Cruces, Imagines, aliaque Ecclesiæ ornamenta velabantur, quod feria secunda ante Tertiam præstabant: „ (Feria secunda, *inquit Lanfrancus in Statutis c. 1. §. 3.*, ante Tertiam debent esse coopertæ, crux, coronæ, capsæ, textus, qui imagines de foris habent;) & liber consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 56. „ (In crastinum post letaniam cuncta auferuntur ornamenta; quæ vero auferri nequeunt, velantur, idest coronæ, capsæ, cruces, columnæ, linteamina altarium, offertoria quoque, manutergia, albæ etiam quotidianæ mutantur: diebus Dominicis & privatis ad majorem Missam Sacerdos casula utatur fusca;) & liber Usuum Beccensium: „ (Ante Tertiam Secretarius altare cooperiat, & crucem, & coronas, & capsas, quæ sunt super altaria.) Id tamen in alio exemplo faciendum *post Completorium, etiam Dominica*, præscribitur, uti & in consuetudinibus Guillelmi Pellicerii pro Ordine Grandimontensi c. 14. in quibus legitur: „ (Dominica prima Quadragesimæ post Completorium cooperiuntur cruces, & imagines usque ad Parasceven, quia velata fuit facies Christi in cruce, cum fuit captus a Judæis.) Floriacenses præcedenti Sabbato id observabant, si tamen non sit mendum in editis eorum consuetudinibus, quarum sunt hæc verba: „ (Sabbato in capite jejunii post Vesperas appenditur velum inter chorum, & altare, & cuncta auferuntur ornamenta; quæ vero auferri nequeunt velantur. Item aquila, tabernaculum Patris nostri Benedicti, capsa S. Mauri, & Crucifixus, altaria capitii palliis operiuntur.) Carthusienses feria iv. cinerum; sic quippe in Ordinario c. 47. loquuntur: „ (Eodem cinerum die ante Sextam, cruces, & imagines velamus, in Parasceve detegendas, & similiter instrumenta, quibus pax datur;) quod retinent ex Guigonis Statutis c. 4.

c. 4. Bursfeldenses c. 31. etiam pridie. „ (Vespere ante diem præcedentis diem cinerum, *inquiunt*, cruces & „ imagines cooperiantur.) Et tamen in vetusto Callinensis Monasterii codice, circa Bertharii Abbatis tempora scripto, hæc leguntur: „ (Dominica die, quæ est ante „ palmas, non canunt ℟. minorem cum *Gloria*; & secunda „ feria in ipsa hebdomada iconas velant, & coronas, & „ thesauros ecclesiæ tollunt; & ad altare induunt vestimenta „ nigra.) Observandum vero, quod habet liber Usuum Cisterciensium c. 15. „ (Si acciderit per hos dies Quadragesimæ, ut crux, quæ est retro altare cooperta, tollatur „ inde pro quolibet defuncto, vel infirmo communicando, „ sive inungendo, discooperiatur, quoadusque proprio loco, „ scilicet, super altare restituetur.) Idem habet Bursfeldense Ordinarium c. 31.

III. Tertio, etsi Dominicis diebus ad nocturnas vigilias Lectiones ex Sacris Scripturis dicerentur; non tamen privatis diebus; in his enim omnibus in Monasteriis passim Sermones S. Augustini super Psalmos XV. Graduales legebant. De Cluniacensibus res patet ex Udalrico l. 1. c. 1., cujus hæc verba: „ (In aliis noctibus Quadragesimæ „ legitur Expositio S. Augustini super psalterium, & maxime super xv. cantica graduum.) Udalrico consentit liber consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 56. „ (In „ privatis noctibus de Expositione Beati Augustini super xv. „ cantica graduum usque in Passione Domini per XL. „ legitur;) & liber Usuum Cisterciensium c. 11. „ (A prima autem Dominica Quadragesimæ, qua scilicet libros „ dividimus, ad vigilias in ecclesia privatis diebus utimur „ tractatibus S. Augustini super psalmos, usque ad Dominicam, qua Hieremias inchoatur.) Idem videre est in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, & alibi: qui discrepabant ab aliis nostri Tullenses S. Apri in Ordin., qui „ (a feria secunda post primam Dominicam „ XL. usque ad Dominicam in Passione Domini diebus ferialibus ... Lectiones de Evangelio ipsius temporis, ℟. „ de ipsis Dominicis assumebant;] licet idem etiam videre sit in Dionysianis consuetudinibus codicis Colbertini.

IV. Quarto per totam XL. alii ad Horas diurnas, præter Primam & Completorium, Hymni privatis diebus dicebantur, quam consueti per annum; „ (In feria secunda, *inquit Udalricus l.* 1. c. 52. Quadragesimæ inchoantur Hymni de jejunio ad matutinas Laudes, ad Tertiam, & sequentes Horas. Soli nocturni nescio quid „ hic commiserint, qui cum in Adventu Domini, & oriens in solemnitatibus specialem hymnum habeant; in „ Quadragesima hoc amiserunt, in qua etiam tam parva „ Hora, sicut est Tertia, non caret hymno alio, quam „ consueto, idest: *Ternis ter horis numerus*;) & vetus Corbejensis Monasterii Ordinarium: „ (secunda feria hymni tam ad Laudes, quam ad omnes Horas, præter Primam, & Completorium, ad quas omni tempore idem „ sunt, mutantur; ad Nocturnos tamen hymni feriales, „ qui in privatis diebus alio tempore dicuntur: idest: „ *Somno refectis artubus*, cum reliquis non mutantur usque in Passione Domini;) concinit liber consuetudinum Sancti Benigni Divionensis c. 56. Quinam vero essent illi Hymni, discimus tum ex Tullensi S. Apri, & S. Petri supra Divam Ordinario, tum ex Dionysianis consuetudinibus, in quibus etiam ad Nocturnas vigilias proprius hymnus adsignatur, scilicet: *Audi benigne*. Ad Laudes: *Jam Christus sol*. Ad Vesperas: *Ecce tempus idoneum*, usque ad Passionem Domini. Ad Tertiam vero: *Dei fide*. Ad Sextam: *Qua Christus hora*. Ad Nonam: *Ternis ter horis*, usque in Cœna Domini. Ita in Ordinario S. Petri supra Divam; iidem in Tullensi continentur, excepto Vesperarum hymno, cujus loco habetur: *Summe largitor*; & in Dionysianis consuetudinibus, in quibus ad Nocturnos: *Summe largitor*; ad Vesperas, *Audi benigne*, leguntur. In Dominicis tamen hymnos de jejunio haud cantabant, teste Udalrico l. 1. c. 51. his verbis: „ (Per omnes Dominicas „ usque ad Passionem Domini, nullus hymnus de jejunio „ cantatur; sed iidem, qui extra Quadragesimam in Dominicis diebus,) quod de solo Vesperarum hymno intelligendum esse, docent consuet. S. Benigni Divionensis, decernentes cap. 56. ut „ (nullus hymnus in diebus Dominicis totius XL. ad diurnas horas mutetur, præter ad „ Vesperas.) Hanc nihilominus legem haud observabant Tullenses nostri, qui Dominica ad Nocturnos cantabant: *Ex more docti*; Ad Laudes: *Dicamus omnes*; Ad Vesperas: *Summe largitor*, sed neque Dionysiani, aut Compendienses, qui ad Nocturnos: *Summe largitor*, ad Laudes: *Jam Christe*, ad Vesperas: *Audi benigne*, dicebant.

V. Quinto „ (Sunt autem adhuc & alia, *inquit Udalricus l.* 1. c. 52., quæ in præfata feria (secunda scilicet) „ solent inchoari: duo psalmi, qui per singulas horas dicuntur a prostratis, & majores preces ad Matutinas „ Laudes, & ad Vesperas, scilicet: *Oremus pro omni gradu* „ *ecclesiæ*. } Has preces majores, quæ etiam in Adventu dicebantur, retulimus in hujusce libri c. 1. Psalmi vero illi duo, qui psalmi prostrati, eo quod a prostratis dicerentur, appellati sunt; & ad solitos familiares psalmos superadditi sunt, hac potissimum ratione recitabant, ut præcepto S. Benedicti de augendo solito servitutis penso satisfacerent, ut patet ex Dunstani Concordia c. 31. ubi sic loquitur: „ (Et quia Regulæ tenemus documentum, in „ his sanctis diebus XL. aliquid nobis augendi divinæ servitutis ad solitum pensum nostræ servitutis, censuimus, „ ut a capite XL. usque ad Cœnam Domini, festivis exceptis diebus, quotidie post expletionem uniuscujusque „ horæ, duos psalmos prostrati solo oratorii peroremus devoti; eo scilicet ordine, ut Matutinis finitis mox dicantur duo psalmi: *Domine ne in furore* 1. & *Ad Dominum*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*, & preces pro peccatis, & oratio. Ad Primam: *Beati quorum*, & *Lavavi*, & reliqua ut supra. Ad Tertiam: *Domine ne in furore* 2. & *Lætatus sum*. Ad Sextam: *Miserere mei Deus*, & *Ad te levavi*. Ad Nonam: *Domine exaudi*, & *Nisi quia Dominus*. Ad Vesperam: *De profundis*, & *Qui confidunt*. Ad Completorium: *Domine exaudi* 2. & *In convertendo*, ut videlicet per singulas horas unus dicatur psalmus pœnitentiæ, & alter graduum.] De hujusmodi prostratis psalmis hæc habet liber consuetudinum Sancti Benigni Divionensis: „ (Sunt autem & alia, quæ „ in prædicta feria inchoantur, idest duo psalmi, qui post „ singulas horas a prostratis dicuntur, & sicut nihil est medium inter quatuor psalmos, qui post horas dicuntur, „ & istos duos, præter ad Vesperas, & Matutinum; sic „ etiam versus, & collectæ amborum conjunguntur, & „ in fine singularum collectarum dicitur, & ad beneficia „ recolenda q. t. d. s. n. g. *Per Dominum*. Ad singulas „ horas unus de septem psalmis, & unus de canticis graduum, sicut sunt in ordine, dicuntur; ad Vesperas vero „ duo de canticis, qui & Priores dicuntur, & duo de „ septem psalmis, sicut sunt in libro psalmorum. Et sciendum est, quoniam quicumque psalmos prostratos perdiderit, veniam in capitulo, sicut pro regulari hora, petere debet;) ubi contra, quod statuit Dunstanus, nulli ad Completorium psalmi prostrati assignantur; sed vice versa quatuor ad Vesperas notantur, quod etiam in aliis, tum Ordinariis, tum Consuetudinariis offendes. In Tullensi S. Apri Ordinario quinque ad Vesperas psalmi prostrati signantur, nempe: *Qui confidunt*: *In convertendo*: *De profundis*: *Domine clamavi*: *Domine exaudi* 2.; preces vero, & collectas ad psalmos prostratos reperies in consuetudinibus S. Dionysii in Francia: in quibus etiam & illud peculiare habetur, quod singulis XL. feriis, novæ, & singulares antiphonæ assignantur ad minores Horas diei. Præterea ad vii. Pœnitentiæ psalmos, qui post Primam dicuntur, psalmus: *Inclina Domine*; post, *Miserere mei*, addebatur in Monasterio S. Petri supra Divam. Quasnam preces ad solitum pensum addiderint Cassinenses nostri, haud satis exploratum habemus. In antiquo eorum Ordinario ad feriam secundam post Dominicam primam Quadragesimæ, hæc præscribuntur: „ (Finito Matutino pro defun„ ctis, cantantur hi psalmi: *Domine ne in ira tua* 1.: *Exaudi* „ *Deus*: *Exaudiat te*, & *Gloria*. *Deus auribus*: *Deus venerunt*: *Deus ultionum*, & *Gloria*. *Ad Dominum dum*, „ usque *Laudate nomen Domini*. Deinde cantantur Matutini omnium Sanctorum, & fiat intervallum ... Exeuntes a Prima, vacent Lectionibus usque ad plenam „ Tertiam, sicut Regula præcipit, tunc cantent .... & „ postea cantetur Missa pro defunctis. Deinde omnes convenientes in capitulo solvant silentium; & infra post Sextam *cantetur Vesperæ pro defunctis*.) An vero quotidie isthæc persolverent, non constat. Præter communes hujusmodi preces fiebant & aliæ particulares, & privatæ, de quibus consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Et sciendum est, quod unusquisque debet dicere: *De profundis*: „ unaquaque die XL., vel per singulas hebdomadas septem „ psalmos pœnitentiales;) & Compendienses: „ (Unusquisque debet dicere unaquaque die Quadragesimæ totius „ unum psalmum, quem tamen jusserit Prior, aut septem „ psalmos in hebdomada.)

VI. Sexto. Quod spectat ad Missas, major quotidie de die dicebatur cum præfatione: *Qui corporali jejunio*, quam tamen diebus Dominicis non cantabant: matutinalis vero Dominicis quidem de Trinitate, vel de Dominica ipsa; privatis vero diebus pro defunctis, aut aliæ votivæ, de quibus hæc lego in libro Usuum Beccensium: „ (In Quadragesima hæ Missæ dicendæ sunt ad Missam matutinalem:

fer

„ fer. 2. pro Episcopo, & Abbate, & Congregatione „ Monasterii. Officium: *Memento nostri Domine*. Epistola: *Si iniquitates*. Resp. *Propitius*. *Alleluja: Domine refugium*. Evang. *Petite & dabitur vobis*: Offertorium: *Sperent* Comm. *Inclina aurem*. Feria quarta „ pro pace. Officium: *Da pacem Domine*. Epist. *Orationem faciebant Sacerdotes*. ℟. *Lætatus sum*. *Alleluja*: „ *Qui posuit*. Evangelium: *Amen dico vobis*. Offertorium: *Deus tu convertens*. Communio: *Amen dico vobis*. Feria VI. pro Comite, seu pro cunctis familiaribus. Officium: *Salus populi*, Epistola: *Orationem faciebant Sacerdotes*: ℟. *Protector noster aspice*: *Alleluja*. *Domine refugium*. Evangelium: *Amen dico vobis*. „ Offertorium: *Sperent in te*. Communio: *Amen dico* „ *vobis*;) ubi certe mirari subit, quod in Missa Quadragesimæ assignetur *Alleluja*.

VII. Septimo. Certis per hebdomadam diebus processiones nudis pedibus faciebant. „ (Tribus diebus in hebdomada, *inquit Cassinense Ordinar.*, II. IV. VI. feria finita „ IX. faciant processionem in circuitu claustri discalceatis „ pedibus. Antiphona ad processionem: *Exurge Domine*, „ *adjuva*; Psal. *Exurge quare*: *Gloria*: *Kyrie*: *Christe*: „ *Kyrie*: *Oremus*: *Flectamus genua*: *Levate*, & dicatur „ oratio, in fine Diaconus: *Procedamus in pace*: Resp. „ *In nomine Christi*. Deinde procedant cantando antiphonam: *Ego sum Deus*, & reliquas de letaniis majoribus. „ Venientes autem ante ecclesiam incipiant letanias (*a*), „ quibus finitis, incipiant Introitum ad Missam.) In aliis Monasteriis IV. tantum & VI. feria hujusmodi processiones nudis pedibus faciebant ordine, qui supra in feria IV. cinerum descriptus est. Illud tantum erat discriminis, quod feria VI. psalmus: *Deus in adjutorium*, pro psalmo *Deus misereatur nostri*, qui feria IV. dicebatur. De hac processione Statuta Lanfranci: „ (Ad hanc processionem „ nullus vadat calceatus, nisi Sacerdos, & Levita; si quis „ pro infirmitate nudis pedibus ire nequiverit, de processione remaneat; redeuntes de processione, nullus præsumat se calceare sine licentia;) hoc autem præstabant post Missam ante Vesperas.

VIII. Octavo. „ (Ea hac die, *inquit Ordinarium S. Petri supra Divam*, usque ad clausum Pascha non agimus principaliter Lectiones de Sancta Maria in Sabbatis, propter solemne jejunium. Dignum esse videtur „ ut in ipsis Sabbatis post Matutinas diei, ipsius quoque „ gloriosæ Virginis Matutinæ aliquantulum prolixius, atque decentius, quam diebus cæteris, decantentur, & „ post tertiam lectionem ℟. *Ad nutum Domini*, vel „ *Christi Virgo*, cantetur; Missæ quoque matutinalis de „ ipsa festaliter celebretur, vel, si necesse fuerit, V. feria, sive III. præcedenti.)

IX. Nono. Quod spectat ad festivitates infra Quadragesimam evenientes, ita de illis Lanfranci Statuta c. I. §. 3. „ (Si festivitatem celebrari in XL. contigerit, præcedenti die dum canitur *Agnus Dei* ad majorem Missam colligatur cortina, & auferantur de choro formæ, „ quæ auferri solent in XII. Lectionibus; Missæ finita, agatur oratio vespertina, sicut Sabbato. Post collecta „ de festivitate, dicatur antiphona de feria cum *Gloria* „ *Patri*: psalmi prostrati minime dicantur: post Vesperas „ de omnibus SS. canantur Vesperæ mortuorum, vigilia „ mortuorum minime agatur; in die festivitatis post Matutina de omnibus SS. dicantur Matutina mortuorum; „ postea revertantur ad lectos. Post Primam, dictis consuetis psalmis familiaribus cum capitulis & collectis „ suis, dicuntur septem psalmi cum letania. Per singulas „ horas usque ad Vesperas, a Prima incipientes dicant „ psalmum: *Inclina Domine*, pro his quos prostrati dicturi erant. Post capitulum sedeant in claustro cum silentio, usque dum pulsetur signum ad Tertiam. Infantes quoque „ post capitulum suum descendentes de dormitorio, hoc „ intervallo in scola sua sedeant, & legant. Totam diem „ solemniter agant. Utræque Missæ ad majus altare celebrentur: ad Missam jejunii nec letania præmittatur, „ nec ad canonem supra formas curventur. Ad Vesperas, nisi in crastino sit festivitas XII. lectionum, inter signa dicant: *Deus auribus nostris*, post collectam „ festivitatis collectam de feria cum *Gloria Patri*, post „ Vesperas de omnibus SS. Vesperas pro defunctis, vigiliæ „ mortuorum ipsa die minime agatur; post Completorium „ cortina extendatur, & formæ in chorum referantur.) Lanfranco consentit in multis liber consuetudinum S. Benigni Divionensis, quibus etiam aliqua superaddit, edito hac in rem singulari capite *de festivitatibus Quadragesimæ*, in quo c. 57. hæc leguntur: „ (In SS. Vigiliis, vel omnibus Sabbatis post Sextam, majus altare ornetur pallio, & ad majorem Missam dicente Sacerdote; *Pax Domini sit semper vobiscum*, cortina in semetipsam replicata amoveatur, & formæ in directum vertantur. Post „ Vesperas antiphona de jejunio cum collecta, & post „ Matutinum similiter. Ante nocturnos, XV. tantum cantica graduum dicuntur; verumtamen post Matutinos de „ omnibus SS. non remanent Matutini pro defunctis, „ sicut nec Vesperæ, quæ sunt pro familiaribus, nec „ psalmus L. post Primam pro defunctis, nec septem „ psalmi cum letania: Officium vero pro defunctis nec in „ vigilia, nec in die agitur, nisi brevis deforis afferatur, „ vel frater in monasterio finiat, sed pro eo ad omnes „ psalmos familiares post Horas, *Ad Dominum cum tribularer* dicitur. Post capitulum, finito *Verba mea*, cantantur a toto conventu in majori Ecclesia XXX. psalmi „ a capite psalterii incepti, & semper tribus finitis adjungitur *Gloria Patri*. Hæc autem sunt capitula, & „ collectæ, quæ post hos XXX. psalmos dicuntur *Kyrie*: „ *Et ne nos*: *Ostende nobis Domine*: *Fiat misericordia*. „ *Salvos fac servos, & ancillas*: *Mitte eis Domine*: „ *Fiat pax*: *Oremus pro fidelibus defunctis*: *Dominus vobiscum*; Oremus: *Deus cui proprium est*: *Prætende* „ *Domine*: *Absolve Domine*: *Omnipotens sempiterne Deus* „ *qui vivorum*. Post psalmos XXX. in Ecclesia decantatos, „ sedemus ad lectionem in claustro, & qui volunt, vadant ad confessionem, donec Tertia pulsetur: facta vero „ oratione induant se omnes Hebdomadarii in alia septimana ad Missam, quæ Missa ad majus altare, post „ Tertiam, festivo more canitur, cujus officium omne „ e præfatis Hebdomadariis præteritæ septimanæ completur; tres hostiæ offeruntur, in calice majoris Missæ „ sanctum immolatur sacrificium, pacem omnes accipiunt. Missam vero jejunii in calice matutinalis Missæ „ canitur, ad quam una tantum hostia offertur, solusque Prior pacem a Diacono percipit, quæ consuetudo „ in Sabbatis jejunii quatuor temporum per omnia servatur. Expleta Missa de festivitate, sedent in claustro. Post Nonam vero non dicitur letania ante Missam; sed mox, ut Sacerdos finierit collectam post psalmos familiares, incipit Cantor officium de jejunio. Ad „ eamdem Missam dicuntur ipsæ collectæ, quæ solent „ dici quotidianis diebus. Utræque Missæ ad majus altare „ canantur. Hymni ad diurnas Horas iidem, qui in Dominicis. Quod si in die Dominica evenerit aliqua festivitas, differtur in II. feriam celebranda; si vero in „ aliis diebus evenerit, pleniter fit usque ad IV. feriam, quæ „ sequitur Ramos palmarum; nam si in ipsa feria, vel „ postea in hebdomada aliqua festivitas evenerit, usque „ ad V. feriam sequentis septimanæ est differenda; & „ tunc ita celebretur, sicut consuetudo, & altitudo ejus „ exigit; tantum tamen, si privata fuerit, propter Paschalem solemnitatem magis fit, quod Invitatorium fit in „ albis. Sciendum autem, quoniam festum III. Lect. quandocumque in XL. contingat, nihil aliud inde fit, quam „ commemoratio ad Vesperas, & Laudes, & ad Missam.) Tullense S. Apri Ordinarium pauca hæc habet: „ (In „ festis vero SS. XII. Lectionum, post Tertiam dicatur „ Missa de festo, quam cantabit Hebdomadarius Missæ, „ & post Missam dicatur Sexta, qua dicta fit intervallum competens usque ad IX.; post IX. vero Missa de jejunio celebrabitur ab Hebdomadario præcedentis septimanæ, post Missam dicentur Vesperæ;) Brevius Cassinenses. „ (Si venerit aliqua festivitas SS. infra XL., „ quarta Lect. & Resp. fiet de feria, Missa de SS. canetur ad Tertiam, & de feria ad Nonam.) Hæcque fuit generalis Monasteriorum consuetudo, ut XII. Lect. festivitas proprium obtineret officium cum commemor. feriæ in Laud., & Vesp., & Missam ad Tertiam: festa vero trium Lect. communiter solam commem. ad Vesp. & Laud., & quibusdam etiam in locis ad Missam: in aliis vero nihil omnino. Cistercienses vero primo Missam de jejunio, postea Missam de festo celebrabant, ex lib. 2. Usuum c. 14.

X. Hactenus generales Quadragesimæ consuetudines, quæ cultum Divinum singulari respiciunt ratione, retulimus; nunc eas, quæ ad disciplinam observantiamque regularem pertinent, brevi expediamus. In primis, quia quadragesimale tempus pœnitentiæ potissimum est consecratum, hanc aliis diebus non solum actu, sed habitu etiam ipso foris demonstrare nitebantur; hinc rasuram, quam quindenis quibusque diebus exercebant, in XL. penitus obmittebant, Aquisgranensi Concilio statuente c. 6. „ (ut in XL. nisi in Sabbato sancto, non radantur,) cui concinunt Germaniæ veteres consuetudines n. 31. „ (A „ prima quoque hebdomada Quadragesimæ non se radent „ usque in ultimam;) Et Petrus Damiani opusc. 15. c. 18.

(*a*) Letaniarum tempore quadragesimali dicendarum meminit Aimoin l. 1. de Mir. S. Bened. n. 19. sæc. 4. p. 2. p. 363.

„ (Radant autem caput per menses singulos, exceptis quadragesimis duabus, quæ nimirum sine lavacro capitum transigendæ sunt;) Et Petrus alter, Venerabilis nimirum Abbas Cluniacensis, statuens stat. 3. ut fratres radantur „ (Sabbato præcedente eamdem primam Dominicam Quadragesimæ, nec deinceps nisi feria tertia hebdomadæ Palmarum.) Unus hic ab aliis discrepat Dunstanus c. 2. decernens, ut „ (per tres priores hebdomadas sint tonsi, mediante vero quadragesimali tempore rasoræ officio pilorum evellant superfluitatem.)

XI. Eadem ratione a pedilavio, seu, ut vocamus, *mandato*, quod singulis per annum Sabbatis exercebant, in Quadragesima abstinebant. Extat hac de re præceptum in Regula Magistri sancientis, ut „ (in ipsis quadraginta diebus in monasterio fratribus ab hebdomadariis pedes non laventur, solummodo discalceentur; supervenientibus quibusvis nattaneis laventur, propter illius mulieris testimonium, quæ lavit, & de alabastro unxit pedes Salvatori cœnanti.)

XII. Secundo, quia non solum contritione corporis peccata redimuntur, sed etiam eleemosina; hinc laudabilis in nostro Parisiensi S. Germani monasterio mos duodecim per Quadragesimam pascendi pauperes, quibus ipse Abbas in cœna Domini pedes lavabat. Huc referendum est, quod in vita S. Anscharii legimus: „ (In Quadragesimæ vero tempore, quatuor pauperes in Breme ad escam suscipi jubebat, duos scilicet viros, & duas fœminas; & viris quidem ipse cum fratribus pedes lavabat; fœminas vero in prædicto hospitali pauperum ancilla illius quædam Deo sacrata, quam ipse in Dei voluntate, & religionis amore probatam habebat) n. 61. sec. 4. part. 2. p. 108. Vid. vit. S. Adelhaidis n. 13. apud Boll. 5. Febr.

XIII. Tertio, in MS. S. Cornelii Compendiensi consuetudinibus ad Dominicam I. XL. hæc lego: „ (Hac die habebant fratres pulmentum; & omnibus diebus usque ad Pascha, ad collationem eant fratres ad caritatem,) hoc est pergant in refectorium haustum vini, sine pane percepturi, quæ sola illis temporibus erat serotina collatio; nec aliud mihi significare videntur cons. S. Benigni Divionensis c. 56. cum scribunt post Vesp. dicendas esse „ (Vesp. de omnibus Sanctis, & pro defunctis. Postea in refectorio. Post servitores agatur officium mortuorum, sicque postea bibent,) quod nostris indultum est, maxime in Concilio Aquisgran.

XIV. Quarto, quod jam observavimus in Comm. ad c. 49. tribus per hebdomadam diebus II. IV. VI. scilicet feria continuum a nostris servabatur silentium, idque in omnibus omnino monasteriis lege inviolabili custodiebatur: ut patet ex Cassinensi Ordinario, libro Usuum Beccensium, Ordinario S. Petri supra Divam, consuetudinibus S. Benigni Divion., S. Dionysii in Francia, Fontanellæ, & aliis. Quibus etiam diebus in Dionysianis consuetudinibus præscribitur, aut saltem permittitur monachis accessus ad confessionem: „ (Feria II. *inquiunt*, & IV. & VI. non loquantur fratres in claustro, & in his tribus diebus, post capitulum usque ad Sextam eant, qui voluerint, ad confessionem.)

XV. Quinto, inter generales XL. consuetudines recenseri etiam potest Othoboni Legati constitutio pro monachis Benedictinis in Anglia an. 1248. facta, apud Spelm. T. 2. Conc. Angl., ut scilicet Summorum Pontificum constitutiones ad monachos spectantes „ (in singulis monasteriis bis in anno, in principio scilicet Adventus Domini, & in capite Quadragesimæ omnibus fratribus convocatis in capitulo legantur.)

XVI. Sexto, quam privatis diebus ad Vesperam accipiebant refectionem, hanc festivis diebus, post Missam statim etiam in XL. percipiebant, ut patet ex vita S. Gertrudis Abbatissæ Nivialensis ab Anonymo coævo descripta c. 11. sec. 2. in cujus festivitate „ (quæ V. hebdomada in XL. in sexta feria, contigerat, omnes, qui ad hanc solemnitatem illuc convenerant, sive viri, sive fœminæ, monachi, ac virgines Christi, cum honore, & reverentia celebrarunt diem illum, & post expleta solemnitate Missarum, tunc sumserunt cibum cum gratiarum actione gaudentes ex omnibus escis, quibus licitum fuit XL. tempore comedere: sola autem matrona ex die non comedit,) scilicet Adola Matrona religiosa, quæ quasi dubitans de Miraculis S. Gertrudis dixerat: „ (Absit hoc a me, ut pro hac solemnitate aliquid extra solitum pensum nostræ servitutis augere velim in refectionem;) quibus in verbis tria observat Mabillonius noster. I. Delectum ciborum in XL. illo tempore servatum fuisse. II. In SS. festis per XL. occurrentibus nonnihil de jejunii severitate remissum fuisse. III. Sextæ feriæ jejunium tunc temporis absque ullo cibi usu celebratum fuisse. De jejunii remissione luculentum habemus testimonium apud Petrum Damiani, cum agens de Ordine Eremitarum fontis Avellani, hæc habet opusc. 14. „ (Ecce enim de duabus illis Quadragesimis, quæ vel Natalem Domini, vel sanctum Pascha præcedunt, licet ego taceam, vos tamen scitis, quia nonnulli hic sunt, qui absque diebus Dominicis, duplex illud quadragesimale spatium totum jejunando transcurrere soleant, exceptis his tribus solemnitatibus, S. videlicet Andreæ, vel S. Benedicti, & Annunciationis Dominicæ &c.) Quod certe dicit, non quasi duplicem illis diebus refectionem acciperent; sed quia *Sacratissimis illis diebus*, vini, & piscium esum illis concesserat, & jejunare illos existimabat „ (qui panem cum sale, & aqua percipiunt: ubi autem panibus hæc aliud aliquid additur, *inquit*, perfectum jejunium non vocatur.)

XVII. Si quæ supersunt monachorum veterum consuetudines in XL., has in Comm. ad c. 49. attigimus, quibus proinde supersedendum est; hic tantum aliqua superaddam exempla ad ea, quæ de secessu monachorum per XL. in solitudinem diximus. Primum habemus in magno Euthymio Abbate, & Theoctisto, de quibus Cyrillus Scytopolitanus in vit. S. Euthymii n. 51. to. 2. mon. Eccl. græc. p. 220. „ (Cum ergo esset tam fraternus inter eos consensus, in Cutilæ solitudinem quotannis proficiscebantur octavo die, post festum Luminum, separati quidem ab omni humano contubernio, cum Deo autem solo versantes per precationem, & totum tempus, quod intercedebat, transigentes in solitudine, donec advenisset dies festus Palmarum.) Idem præstabat & Gabrielius ex eodem Cyrillo ibidem n. 103. Aliud ejusmodi secessus exemplum profert idem Cyrillus, in vita S. Sabæ Abbatis n. 22. to. 3. mon. Eccl. græc. p. 249. ubi sic loquitur: „ (Quia ergo solebat Euthymius 14. Januarii mensis in vastam solitudinem recedere, illicque peragere Quadragesimam; Sabas more paulisper immutato, post S. Antonii memoriam proficiscebatur, atque magni Euthymii commemorationem celebrabat, quæ 20. Januarii mensis die peragitur, sicque postea in vastam secedebat solitudinem, ab omni humana conversatione sejungens, se usque ad festum Palmarum, atque ita faciebat fere quotannis.) Hoc etiam adduci posset Pauli Abbatis exemplum de quo Ruffinus narrat l. 3. de vit. Patr. n. 72. quod „ (in una Quadragesima cum sextario lenticulæ, & parvo aquæ vasculo perduravit, & unam mattam faciens, eamdem texebat, & retexebat, ne tantummodo foris exiret.) Et de nostris insigne est illud, quod de Edberto Lindisfarnensi Episcopo refert Beda Venerabilis, quod scilicet in remotiora a monasterio loco „ (semper Quadragesimæ tempus agere .... in magna continentiæ, orationis, & lachrymarum devotione consueverat;) c. 30. sec. 2. Et de Sancta Segolena Abbatissa Trecclarensi Anonymus in ejus vit. c. 13. in app. ad sec. 3. quod „ (in Quadragesima se retrusit in cellula, donec fuisset transacta.) Et de S. Petro Abbate Cavensi Venusinus Abbas in ejus vit. n. 2. apud Boll. 4. Mart. „ (Remotioris vitæ studium gerens, ejusdem sacræ Quadragesimæ dies in monte S. Eliæ, qui Cavensi monasterio altius præeminet, observare consueverat.) Vide S. Gennadii Episcopi Asturicensis elogium historicum. n. 6. sec. 5. p. 37. E contra vero sec. IX. moris fuit monachis Cassinatibus, & S. Vincentii ad Wulturnum „ (caritatis gratia diebus sanctæ Quadragesimæ se invicem visitare,) ut observat noster Mabillonius ad vitam S. Bertharii Abbatis Cassinensis, n. 6. sec. 4. p. 2. non quidem, ut fabulis vacarent; sed ut „ (de suo invicem ordine loquerentur.)

CAPUT XI.

Peculiares Quadragesimæ consuetudines.

I. PArticulares Quadragesimæ consuetudines sunt eæ, quæ non omnibus, sed certis quibusdam hujus temporis diebus conveniunt; quas hoc capitulo brevi referre necesse est. Quadragesimam a Dominica prima auspicamur cujus ad primas Vesp. Psalmi, & antiphonæ de feria per annum dicebantur, Lectio, sive Capitul. ex Apostolo: *Hortamur vos*, quod ex Udalrico, veteri Corbejensis monasterii Ordinario, libro consuetudinum S. Benign. Divion. in omnibus Dominicis ad utrasque Vesperas, Laudes, & Tertiam dicebatur: ex Dionysianis vero consuetudinibus quotidie ad Vesperas, & insuper Dominicis ad utrasque Vesperas, & Tertiam.

II. Ad nocturnos Invitatorium a duobus in albis cantabatur, ex Statutis Lanfranci, Udalrico lib. 1. c. 11., libro Usuum Beccensium, consuet. S. Dionysii, & Ordin.

S. Pe-

S. Petri supra Divam. Lectiones ad primum, secundamque nocturnorum de sermone S. Leonis Papæ: *Licet nobis dilectissimi*, assumebant Corbejenses, Divionenses, Sendionysiani, & Compendienses; eumdem etiam, sed sub nomine Sancti Maximi, legebant Cluniacenses, teste Udalrico l. 1. c. 51. De Cassinensibus hæc lego in veteri eorum Ordinario: „ (Dominica I. Quadragesimæ lect. in prima vigilia fiant de sermone S. Leonis Papæ: *Prædicaturus vobis*; in II. de sermone S. Augustini. Lectio tertia: „ *Semper quidem dilectissimi*, VIII. *Moises quadraginta* „ *diebus*. In tertia vigilia legatur homilia;) scilicet in Evangelium hujus diei, quam etiam alii ad tertium nocturnum legebant.

III. In Laudibus Lectio, sive capitulum: *Hortamur vos*, sicut diximus, proqua Lectionem ex Apocalypsi: *Benedictio*, juxta Regulam adhibebant nostri Dionysiani; Tullenses vero ex Apostolo: *Fratres eratis aliquando*.

IV. Missam matutinalem nonnulli de Dominica; omnes tamen communiter de Trinitate. „ (In qua, *ait Tullense* „ *Ordinar.*, cantetur tractus de Dominica: *Qui habitat*, „ usque ad illum versum: *In manibus portabunt*. Si vero „ ad dictam Missam non potest cantari dictus tractus, ad „ magnam Missam integer cantabitur;) quod plane Tullensibus singulare fuisse crediderim.

V. De majori, ita consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Missa festive celebretur, sicut in Dominica prima Adventus, excepto, quod non cantetur sequentia. Hebdomadarius habeat festivam cappam, ministri altaris festivis induantur infulis.) Hanc Missam *in albis* cantabant Floriacenses, & Parisienses Sancti Germani, ut discimus ex utrorumque consuetudinibus: „ (In ista prima Dominica XL. est conventus in albis;) inquiunt Floriacenses, & Sangermanenses: „ (Dominica in Brandonibus „ festum in albis in quinque capis.) In ea tractus: *Qui habitat*, a toto conventu, *utrisque alternantibus choris*, ut loquuntur consuetudines S. Benigni, cantabatur; in Dionysiano tamen monasterio a II. dumtaxat *in albis*; in Compendiensi a *sex*, *vel ab octo*; in Corbejensi *a sex cantoribus super pulpitum*, ut habet vetus Ordinarium; in consuetudinibus tamen ejusdem monasterii hæc lego; „ (Sex fratres cantabunt tractum retro chorum.) Tullenses, qui primam hujus tractus partem in Missa matutinali cantaverant, in majori, primo versu cantato, statim incipiebant: *In manibus portabunt*, unde desierant. De cetero, nihil singulare occurrit in hac die notandum, plura nobis suggerit sequens feria secunda.

VI. Primo enim „ (hac die, *inquit Lanfrancus c.* c. „ §. 3. incipient portare absconsam ad secundam tantum „ lectionem.)

VII. Secundo, solemnis fiebat librorum distributio, ad quam præmissa Lectione, ex Regula de observatione Quadragesimæ, cui & partem præcedentis capitis, quæ agit de Quadragesima, addebant nostri Compendienses, habebatur inter fratres sermo exhortatorius, quem Abbas, sive quilibet alius capituli præses, aut ab eo nominatus, de præsenti lectione faciebat: apud Beccenses, & Lyrenses erat *De Institutione psalmorum prostratorum*, & *abstinentia ciborum*, & *de lecta Regula*. Si festum duodecim Lectionum hac die contigisset, duplex fiebat Lectio; una Evangelii præsentis festi, altera Regulæ. Utramque simul conjungit Lanfrancus in Statutis decernens, ut „ (si „ hac die festivitas XII. Lectionum evenerit, legantur „ Lectiones in capitulo, una de Evangelio, & altera de „ observantia Quadragesimæ; altera legatur statim post „ alteram; lecta posteriore Lectione, tunc primum dicat Lector: *Tu autem Domine*.) Utramque vero Lectionem dividebant Cluniacenses, & utrique sermonem subjungebant, testante Udalrico l. 1. c. 52. „ (Si qua festivitas eodem die XII. Lection. agenda evenerit, tunc „ in capitulo duæ lectiones leguntur, duoque sermones; „ anterior de festivitate, sequens de Quadragesima.) „ Idem videre est in libro consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 56. „ (Si autem qualibet festivitas XII. Lect. „ in ipsa secunda feria evenerit, cum, ut moris est, in capitulo dicto versu Evangelica lectio fuerit recitata, & post „ absolutionem defunctorum subsequenter exposita, iterum „ puer eccedens ad Lectorium sententiam B. Benedicti de „ observatione Quadragesimæ, sine benedictione legit; que „ juxta morem rursus explanete, Armarius recitet in tabulis „ omnium fratrum nomine, quibus præterito anno eadem „ die libri dati sunt &c.) Idem habet vetus Corbejense Ordinarium. Consuetudines autem S. Dionysii duplicem præscribunt lectionem; sed unicum sermonem: „ (Si ipsa „ die XII. Lectiones evenerint, post lectionem Evangelii, „ & post absolutionem defunctorum, subsequenter Regula supra dicta; & postquam exposita fuerit, nominet „ Cantor, quem librum quisque anno præterito acceperit.) Sed Lyrenses, atque Beccenses, quæcumque hac die festivitas XII. Lectionum accidisset, una contenti Regulæ Lectione, & uno sermone erant; post quem libri distribuebantur modo a nobis in comm. ad c. 48. descripto, qui ubique idem erat.

VIII. Tertio, librorum distributioni generalem etiam præmittebant confessionem Cassinenses nostri: rem ita exponunt in antiquiori Ordinario: „ (Deinde omnes con- „ venientes in capitulo solvant silentium secundum consue- „ tudinem, dehinc Abbas faciat confessionem, & ad eam „ accipiens orationem surgat, & sic omnes similiter faciant, „ & fratres confessionem, & Abbas super eos dent ora- „ tionem, sedeant omnes; tunc unusquisque de manu Bi- „ bliothecarii Librum accipiat suo ordine, incipientes a se- „ nioribus.) An vero ea respiciant consuetudines Lyræ, cum dicunt: „ (Ipsa die fit sermo a præsidente in ca- „ pitulo de institutione psalmorum prostratorum, & absti- „ nentia ciborum; postea loquentur de ordine: deinde præsi- „ dens proferat sententiam pro criminibus, qui nominari „ solent in hac die, pro quibus & sententia datur. Deinde præ- „ sidens de offensis suis in subditos, & subditorum in se „ loquatur. Postea dicat: *Confiteor*: & subditi respon- „ deant: *Misereatur*; capientes veniam in terra, tam sub- „ diti, quam Prælatus, & facta absolutione a Prælato sur- „ gant; tunc Cantor leget tabulam librorum &c.) An vero de excommunicatione certorum criminum, puta proprietatis, incontinentiæ, &c. quam feria secunda primæ hebdomadæ XL. pronunciabant Anglicani monachi ex eorum Statutis c. 6., quæ extant apud Reynerium in appendice p. 156.? forte utrumque. In rituali Beccensis monasterii præscribitur solum, ut post sermonem „ (loquentur de „ ordine; deinde præsidens de offensis suis in subditos, & „ subditorum in se loquantur, tunc omnes in terra veniam „ capiant, & facta absolutione, sine *Confiteor*; Cantor „ legat tabulam librorum.)

IX. Quarto, facta librorum distributione, & data unicuique jejunandi licentia, instituebantur ab Abbate Circatores, qui juxta Regulam horis, quibus vacant fratres lectionibus, monasterium circuirent: facta librorum distributione „ (datur ab Abbate fratribus licentia cum discretione, & „ moderate jejunandi; *inquiunt consuetudines S. Benigni c.* „ 56. Deinde Circatores surgentes ante Domnum Abbatem „ veniunt, & providetur de eis, utrum idonei sint, si sint, „ quot oporteat, vel plus; præcipiturque eis, ut secundum „ Deum *Circam* faciant, nulli pro qualibet gratia parcentes, „ nec per malitiam quemquam clamantes. (Idem legitur in veteri Corbejensi Ordinario. Cistercienses, & Bursfeldenses, qui libros Dominica 1. Quadragesimæ distribuebant, Circatores etiam Dominica post librorum distributionem instituebant, ut patet tum ex lib. Usuum Cisterc. c. 15. tum ex Ordin. Bursfelden. c. 32.

X. Quinto notandum, quod post Lectionem ex Regula, antequam libri distribuerentur, præscribitur in uno codice consuetudinum Lyræ, his verbis: „ (Tunc pronuntientur a „ Cantore Missæ de sancto Spiritu, & aliæ pro fidelibus, quæ „ debentur illis, qui libros fecerint, & dederint isti Ab- „ batiæ, & illis qui faciunt eleemosynam leprosis in die Pal- „ marum ad sermonem, & quinque Missæ pro fidelibus, pro „ fratribus de Noe defunctis. Orat. *Inclina*: *Deus venia*: *Ec-* „ *clesiæ*: *Sanctorum Fidelium* &c. ab unoquoque Sacerdote de- „ bentur; ab aliis L. psalmi quinquies; ab aliis *C. Pater* „ *noster*:) In Rituali etiam Beccensis monasterii præscribitur, ut „ (præsidens absolvat omnes, tam vivos, quam „ defunctos, qui circa libros laboraverunt, seu scripserunt, „ vel dederunt.)

XI. Sexto. „ (In eodem die, *inquit lib. Usuum Becc.*, „ pulsentur omnia signa ad vigilias mortuorum, & in- „ choatur tricenarium in conventu, hoc est septem plena „ officia, & *Verba mea* diebus XXX. pro cunctis fratribus „ monasterii, pro parentibus, pro benefactoribus, & fa- „ miliaribus ipsius loci, simul & pro cunctis fidelibus de- „ functis, sicuti fieri mos est pro fratribus noviter defun- „ ctis.) In Floriacensis vero monasterii consuetud. datur ab Abbate licentia *unum psalterium ex consuetudine* recitandi.

XII. Septimo denique mirum est, quod scribit Udalricus ad hanc diem: „ (Vide quoque quali humanitate Patres „ nostri ipsam Quadragesimam voluerunt initiari; eo namque „ die, prout ipsis placuit, habemus ad refectionem panem „ solito meliorem, & calidum, & generale piscium, si quo- „ modo inveniri poterit, & pigmentum, ad cujus propina- „ tionem scilla non sonatur.)

XIII. Feria quarta primæ hebdomadæ Quadragesimæ jejunium quatuor temporum in mense Martio celebrabatur, ut nunc fit, licet ejus terminus nondum accidisset, sed

sed postea futurus esset; „ (qui mos unde primo inoleverit, *inquit Udalr.*, de industria & studio, an ex negligentia, nescio, nisi hoc scio, contra usum esse multarum Ecclesiarum, tam in Romana lingua, quam in Teutonica.) Officium hujus diei nihil habebat singulare; sed eodem modo, & ritu, quod privatis diebus celebrabat: unum duntaxat habent consuetudines Dionysianæ codicis Colbertini, in quibus ad nocturnos assignantur Lectiones *de expositione Evangelii: Accesserunt ad Jesum Scribæ, & Pharisæi*. Sed Dionysianus codex constanter retinet Lectiones de expositione S. Augustini in psalmos, ut aliis diebus. Si quid ergo singulare hanc ad diem pertinet, in una Missa continetur; in qua nimirum duæ epistolæ, duoque ℟. canebantur.

XIV. Ad orationem, quæ primam præcedebat Epistolam, præmittebatur; *Dominus vobiscum*; ad alias tantummodo: *Oremus*. Ita consuetudines Benignianæ, Dionysianæ, Compendienses, ac Tullense Ord. Secus tamen in Ordinario S. Petri supra Divam, in quo præscribitur, ut „ (ad Missæ majoris collectam non dicat Sacerdos: *Dominus vobiscum*; sed *Oremus*; post ℟. vero dicat Sacerdos: *Dominus vobiscum*, & collectam de die, postea faciat memoriam, de quibus agenda est.) Ad secundam collectam non pertinebant nostri Tullenses: *Flectamus genua*; sed tantum ad primam; econtra Dionysiani, & Compendienses ad utramque.

XV. Prima lectio, quam vulgo Prophetiam appellamus, ex Benignianis consuetudinibus in pono Epistolæ cantabatur; & quidem *ab uno puero in alba, & cum titulo*, ex Ordinario Tullensi. Hic in monasterio S. Petri supra Divam erat *minister candelæ*, sive Acolythus, qui licet unus, unum tamen ad altare sacros ministros præcedens deferebat candelabrum, ut supra vidimus, qui *manipulum, si Subdiaconus esset*, accipiebat.

XVI. Quod sequebatur ℟. *Tribulationes*, ab uno puero cantabatur, ex Dionysianis consuetudinibus, ut & sequens Epistolam tractus: *De necessitatibus*. Quonam vero pacto hunc tractum cantarent nostri Corbejenses, exprimunt eorum consuetudines his verbis: „ [Feria quarta quo cantatur; *Reminiscere*, cantabunt duo fratres tractum: *De Necessitatibus*, mox ut cantaverint primum versum, conventus repetet eumdem versum, & cantabit, & post dicti duo fratres cantabunt secundum versum, & conventus repetet tractum in medio, scilicet; *Vide humilitatem*; & postea prædicti duo fratres cantabunt tertium versum, & conventus repetet tractum: *De Necessitatibus*, & cantabunt primum versum.) Huicque tractui subjungebant alterum: *Domine non secundum*, ex Rituali ejusdem monasterii, Dionysianis, Compendiensibus, & Tullensi Ordinario; a quo tamen abstinebant, si ea die festum XII. Lect. accidisset, ex Rituali Corbejensi.

XVII. Sequentis Sabbati Missæ majorem habebat solemnitatem, ad eam siquidem Cantor indutus cappa, aut minimum alba, chorum regebat; quinque præter epistolam Lectiones dicebantur, totidemque Responsoria, aliaque nonnulla fiebant, quæ circumstantium devotionem excitabant, & pietatem. Hac de Missa sic loquuntur consuetudines S. Benigni Divionensis c. 56. „ (Sabbato major Missa non prævenitur letania, nec ad eam amplius collectarum, quam de officio, est dicendum, nec offertur, nec pax recipitur nisi ab uno, & una tantum hostia, nec in refectorio dantur hostiæ;) & infra: „ (in Sabbato illi, qui cantant ℟. ad Missam, totum versum finiunt, & conventus ℟. a capite incipit: qui autem benedictiones cantant, non finiunt primum versum, sed inceptum ab eis chorus persequitur, & finit; ceteros vero, ut mos est, totos finiunt, choro, quod repetendum est, repetente. Hebdomadarius, qui cum cappa chorum regit, non ponit thus in thuribulum post offertorium; non enim fit nisi tantum in diebus festis. Notandum autem, quod in omnibus Sabbatis quatuor temporum illi, qui faciunt officium, donec versus offerendæ finiatur, expectant, idest illi qui Lectiones præter epistolam legerint, & ℟. cantaverint, præter infantes, & postea albas deponunt. Cantor vero, qui cum cappa tenet chorum, aliis ad orationem procumbentibus, non procumbit, & illam orationem quæ fit ante ℟., de choro exit.]

XVIII. Ad Orationes, quæ Lectionibus præmittuntur, non dicebat: *Dominus vobiscum*; sed tantum: *Oremus*: *Flectamus genua*; econtra ad collectam, quæ ante epistolam dicebatur; *Dominus vobiscum*, sed sine *Flectamus genua*, præmittebant.

XIX. Lectiones ex Tullensi Ordinario legebant *pueri in albis*; & quidem *cum titulo*. Hi in monasterio S. Petri supra Divam erant *Novitii*, eo excepto, qui quintam Lectionem legebat; erat enim Diaconus. Apud Beccenses quatuor primas Lectiones legebant quatuor *Subdiaconi*, quintam *Presbyter*. Apud Dionysianos quatuor posteriores Presbyteri, primam *ille, qui facit platenum*, inquiunt consuetudines Dionysianæ.

XX. Singulas Lectiones singula sequebantur ℟. ab aliquibus in albis cantanda ex Benignianis consuetudinibus modo citatis, excepta quinta, post quam hymnus: *Benedictus es*, cantabatur, & quidem a *quatuor Sacerdotibus*, ex Dionysianis consuetudinibus; sed in Compendiensi, atque Tullensi monasterio a duobus tantum fratribus. In Corbejensi a sex. Modum autem illum cantandi ita exprimit Tullense Ordinarium: „ [Hymnus *Benedictus es*, eo modo, quo dictum est in Adventu, canatur in albis a duobus fratribus, qui in præcedenti Dominica nominati fuerunt ad tractum.) Modus autem Adventus talis erat „ (cum prædicti duo fratres dixerint: *Patrum nostrorum*, chorus reincipiat: *Benedictus es*, & totum versum finiat, & post unumquemque versum idem chorus respondeat: *Et laudabilis*. Cumque prædicti duo fratres inceperint: *Gloria Patri*, surgant omnes de sedilibus suis; reinceptoque primo versu hymni: *Benedictus es* a prædictis duobus fratribus, chorus stans respondeat: *Domine Deus*, & totum versum finiat:) aliter Corbejensis monasterii consuetudines: „ (Sequenti, *inquiunt*, Sabbato cantabunt sex monachi tractum: *Benedictus es*, mox ut cantaverint primum versum, conventus repetet eumdem ℣. & cantabit, & post tres monachi de dictis sex monachis cantabunt unum ℣. & alii tres cantabunt alium ℣. & conventus repetet ad unumquemque ℣. *Hymnum dicite*; & quando tractus erit cantatus, iterum dicti sex monachi incipient principium primi versi de dicto tractu, scilicet: *Benedictus es*; & conventus cantabit illum primum versum.) Benigniani & Compendienses pro hymno *Benedictus*, hac die cantabant: *Benedicite*.

XXI. Post epistolam, tractus: *Laudate Dominum*, cantabatur a duobus, ex Ordinario Tullensi, & S. Petri supra Divam, consuetudinibusque S. Cornelii; & quidem *Sacerdotibus*, ex Dionysianis consuetudinibus. Quonam vero loco tam ipse tractus, quam præcedentes benedictiones canerentur, habemus ex libro Usuum Beccensium, nimirum „ [ubi leguntur Lectiones, *inquit*, ibi cantantur benedictiones. Tractus vero in XL. inter cortinam & altare ante analogium, quod ibi poni debet post benedictionem;) & consuet. Lyræ: „ (Ubi leguntur Lectiones, ibi cantentur Benedictio, tractus vero ante aquilam.) Ordinarium vero S. Petri supra Divam: „ (Cantent duo ad analogium hymnum: *Benedictus es Domine* ...... Cantent duo ad gradum omnino tractum: *Laudate Dominum*.)

XXII. Denique in fine Missæ non dicebant: *Humiliate capita vestra Deo*, ex lib. Us. Becc. & consf. Lyræ.

XXIII. „ (Dominica secunda XL. ut decet, devotissime celebretur, *inquit Ordinarium S. Petri supra Divam*, & ut supra dictum est, Sacerdos Sabbato tantum ad Vesperas revestiatur. Hæc igitur Dominica, & aliæ, quæ sequuntur, suum plene habeant servitium, nec carebunt suis utrisque Vesperis, etiamsi supervenerit festum in albis.] Lectiones ad primum, secundumque nocturnum ex libro Genesis: *Senuit Isaac*. De cetero nihil singulare occurrit, præter ea, quæ tractum utriusque Missæ respiciunt, de quo breviter liber Usuum Becc., & consuetudines Lyræ: „ (Dominica secunda XL. non dicitur ℟. ad Missam matutinalem, sed tractus: *Dixit Dominus mulieri*. Ad Missam majorem ℟. *Justus es Domine*, & tractus: *Benedicam Dominum*;) & Tullense S. Apri Ordinarium: „ [Ad matutinalem Missam tractus: *Lætatus sum*: fratres qui sunt in choro, in quo est hebdomadarius, dicant primum versum, & fratres alterius chori secundum, & sic de aliis; & infra ultimum versum uterque chorus dicat: *In turribus tuis*; & sic finitur:) Ad Majorem vero Missam, (tractus: *De necessitatibus*, cantetur a duobus pueris, & circa finem cujusque versus, chorus residuum sumens finiat versum, finito ultimo versu sequitur alius tractus a duobus fratribus in albis cantandus, scilicet: *Dixit Dominus mulieri*.) Dionysiani autem ad majorem Missam tractum: *Dixit Dominus mulieri*; Cartusienses: *De necessitatibus* cantabant. Intra hebdomadam nihil singulare occurrit; sed neque sequenti hebdomada tertia, nisi quod in Ordinario Tullensi feria Sexta etiam ad minores Horas propriæ assignantur antiphonæ, scilicet ad Primam: *Aquam quam ego*: ad Tertiam: *Dicit Samaritana*; ad Sextam: *Mulier venient*; ad Nonam, *Domine ut video*.

XXIV. Dominica IV., vulgo Dominica *Lætare* appellata ab Introitu Missæ, quæ ab hac incipit voce, paulo majorem

jorem habebat solemnitatem, hac siquidem die apud Floriacenses erat conventus in albis, uti & apud Nostros S. Germani a Pratis, quorum consuetud. hæc habent: „ (Dominica in media XL. qua cantatur *Lætare*, in vigilia „ ipsius Dominicæ debet esse sermo in capitulo, & est „ illa Dominica festum in albis, in quinque cereis.) In quibusdam monasteriis, & forte in omnibus eamdem omnino solemnitatem, quam supra ad Dominicam primam advertimus, obtinebat. De Dionysiano, & de monasterio Sancti Petri supra Divam res constat, tam ex illius consuetudinibus, quam ex illius Ordinario: „ (In hac „ Dominica, *inquiunt consuetudines Dionysianæ*, omnia fe„ stive celebrentur, ut in prima Dominica Quadragesimæ: „ Invitatorium: *Populus Domini* in albis;) & Ordinarium S. Petri supra Divam: „ (Dominica IV. XL. qua „ cantatur officium: *Lætare Jerusalem*, sicut prima XL. „ celebretur.) Sed omnium solemnissime Compendienses nostri; ita quippe MS. eorum consuetudines: „ (Sabbato mediæ XL. parabitur ecclesia, sonabit classi„ cum; ad Vesp. ℟. *Audi Israel* a duobus in frocis. Sa„ cerdos induatur ad thuribulum. Ad M. antiphona: „ *Nemo te*. Oratio: *Prætende Domine*: *Benedicamus* a „ duobus in cappis: ad Completorium pulsabuntur duæ „ majores campanæ, & ad Primam in Dominica . . ad „ Tertiam antiphona: *Nemo te*. Omnes sint in albis, „ & fiat processio, & deferatur sanctuarium . . . post pro„ cessionem faciat Abbas sermonem ad populum, vel cui „ jusserit ipse, & recitetur indulgentia Domini Papæ, & „ faciat benedictionem super populum.)

XXV. Feria III. infra hebdomadam in Tullensi Ordinario ad Primam propria notatur antiphona: *Unum opus feci*. Ad Tertiam: *Et me scis*. Fer. IV. ad Primam: *Ille homo qui dicitur*; ad Tertiam: *Interrogatus cæcus*: ad Sextam: *Dixi vobis*, Feria VI. ad Primam: *Lazarus amicus*.

XXVI. Dominica in Passione Domini, quam veteres *Dominicam medianam* appellabant, novas aliquas habebat consuetudines, novosque usus, quos recenset vetus codex consuet. S. Benigni Divion. his verbis: „ (In Passione „ Domini tantum ad ℟., & ad Invitatorium psalmum „ dimittitur *Gloria Patri*, nam ad officia Missarum dici„ tur, sicut in alio tempore; commemoratio quoque de „ sancta Cruce dimittitur, usque in Pascha; capitula „ etiam, & versiculi, & collectæ, quæ hactenus dice„ bantur, hymni quoque ad Matut. vel Vesperos, & ad „ nocturnos post primum versum psalmi Invitatorii ipsum „ Invitatorium non a capite, sed ab eo loco: *Et dixi*, „ *semper errant*, incipitur; eo scilicet quod in fine *Gloria* „ *Patri* non dicitur. Ad Primam Lectionem prologus „ de Hieremia legitur, ad reliquas septem de eodem Pro„ pheta. Legitur autem in ecclesia tantum, ita ut usque „ ad Lamentationem ad Cœnam Domini sit finitus.) Ubi quod ait, *Gloria Patri* ad officium, seu Introitum Missæ obmittendum non esse, habetur etiam in veteri Ordinario Corbejensi, & in antiquis consuetudinibus Cluniacensis monasterii apud Udalricum l. 1. c. 54., sed hoc istis monasteriis extitit peculiare, cui refragatur praxis aliorum monachorum. Hinc etiam Udalricus l. 1. c. 54. „ (In „ Passione Domini, *inquit*, *Gloria Patri* si ad nullum can„ tatur Responsorium, cantatur tamen ad Introitum; quamvis „ iterum contra usum faciamus aliarum ecclesiarum.) Rationem vero cur in Responsoriis, Invitatoriis, & Introitum Missæ *Gloria Patri* dimittamus, hanc afferunt consuetudines Grandimontenses cap. 15. „ (Quia a Dominica in Pas„ sione Domini incipit Ecclesia recitare ignominiam Pas„ sionis Christi, & gloria Christi cum ignominia Passio„ nis ejus dicenda non est congrue.]

XXVII. Commemorationem, & processionem ad crucem etiam obmittebant alii, usque ad octavam Paschæ, uti & memoriam de Trinitate usque ad Pentecosten.

XXVIII. Hymni novi erant ad Vesp. *Vexilla regis prodeunt*; ad Nocturnos; *Pange lingua*; ad Laudes: *Lustra sex*. Sed Cartusienses hymno: *Vexilla regis* tam in Vesperis, quam in Matutinis, usque ad Cœnam Domini utuntur, divisione facta pro Laudibus ante versum: *Arbor decora*; ut habetur in eorum Ord. c. 48. n. 11. Porro circa hos hymnos notandum, quod habent consuetudines Floriacensium: „ (Sabbato in Passione hymni cantantur „ magis protracte, & distincte, quam alio tempore. „ Dum cantatur: *O crux ave*, omnes pariter genua fle„ ctunt.] Consuetudines S. Dionysii in Francia, & Compendienses tantum habent: *Inclinent se ad omnes ob reverentiam Dominicæ Passionis*: Tullense autem S. Apri Ordinarium „ (Infra hymnum cum dicitur: *O crux ave*, „ omnes cum summa devotione flectant genua, & capita „ deundent, & cum dixerint: *Spes unica*, surgant.)

XXIX. Circa nocturnorum Lectiones illud observandum quod integram Hieremiæ Prophetiam ad Cœnam Domini legerent in ecclesia, præmisso ad primam Lectionem prologo, unde tres primas Lectiones faciebant nostri Dionysiani, quarum in fine dicebatur quidem: *Tu autem Domine*, cujus loco Prophetiæ Lectiones hac clausula terminabantur: *Hæc dicit Dominus*. Tullense Ordinarium addit: *Convertimini ad me & salvi eritis*. Cistercienses vero Hieremiæ Prophetiam, tam in choro, quam refectorio legebant ex lib. Usuum cap. 56.

XXX. Præterea „ [hac nocte (scilicet Sabbati ante „ Dominicam Passionis,] *inquit Tullense Ordinarium*, „ & Sabbato ante Palmas ad collationem finitis antiphonis, „ quæ in mandato solent quolibet Sabbato dici, surgant „ fratres de sedilibus suis, & cantent hos duos Versus: „ *O Crux ave spes*: *Te summa Deus Trinitas*.)

XXXI. Insuper „ (Dominica in Passione, *sic habent* „ *consuetudines Corbejenses* . . . Corpora Sanctorum, & „ crux majoris altaris velabantur duobus vexillis rubeis.)

XXXII. Denique ex Ordinario S. Petri supra Divam. „ (In capitulo imponendæ sunt Passiones Evangelicæ, quæ „ in alia hebdomada sunt dicendæ.)

XXXIII. Tandem ad majorem Missam, „ (Commi„ xtione Corporis & Sanguinis Domini facta, & oratio„ nibus dictis, & *Agnus Dei*, & data pace; Sacerdos su„ per altare tenens Corpus Dominicum, & calicem, can„ tet communionem, ad cujus inceptionem totus conven„ tus ob reverentiam Passionis Dominicæ prosternat se in „ terra cum summa devotione; cumque dicta communio „ a Sacerdote finita fuerit, omnes a terra surgant.) Ita Tullense Ordin.

XXXIV. Porro ab hac die usque ad Pascha nullus sanguine minuebatur, nisi petita in capitulo venia, & obtenta licentia, ut supra observavimus, & hic expresse habent Floriacenses, & Dionysianæ consuetudines.

XXXV. Infra hebdomadam vero nihil occurrit notandum, nisi forte quod habet Cassinense Ordinarium his verbis: „ (Ab hac die usque in feria 4. in cœna Domi„ ni in quotidianis diebus legantur duæ lectiones de Pro„ pheta; tertia vero de feria. Si autem festivitas S. Be„ nedicti intra hos dies venerit, prima intra octavam le„ gatur de Hieremia, secunda de homilia, tertia de S. „ Benedicto.] Ubi obiter observabis, celebratas illis temporibus in LX. octavas.

CAPUT XII.

De Dominica in Ramis Palmarum, (a) & tribus seq. diebus.

I. INter omnes Quadragesimæ Dominicas solemnissima semper extitit, quæ numero est postrema; sed mysterio & solemnitate prima, a Ramis Palmarum hac die benedicendis *Dominica Palmarum* appellata, quæ proinde proprium jure meretur Capitulum, in quo potissimum considerare oportet Regulare officium, Palmarum benedictionem, processionis ordinem, utriusque matutinalis, & majoris Missæ, immo & privatarum Missarum ritus speciales, & alia nonnulla, quibus in perquirendis naturalem tamen rerum ordinem prosequi satius existimavimus.

II. Igitur ad nocturnos Invitatorium: *Ipsi vero*, a duobus in albis cantabatur ex Lanfranci Statutis, Udalrico lib. 1. c. 11., lib. Usuum Beccensium, Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus ad cujus ultimum versum „ (mox ut cantaverint, *Ipsi vero non cognoverunt vias* „ *meas*, conventus respondebit, *Quibus juravi*,) inquiunt Corbejenses consuetudines, quibus concinit Tullense S. Apri Ordinarium hæc scribens; „ (Postquam illi duo qui „ cantant: *Venite*, dixerint hunc ℣. *Quadraginta*, usque „ *quibus juravi*, chorus incipit & finit, quod sequitur, „ scilicet: *quibus juravi*: Postea illi duo, qui cantant *Ve*„ *nite*, reincipiant: *Ipsi vero*, choro idipsum prose„ quente.)

III. Etsi in omnibus communiter monasteriis a Dominica Passionis ad Cœnam usque Domini, Jeremiæ Prophetia ad nocturnas vigilias quotidie legeretur, idque ipsum cum summa religione observaverint perplures; ab hac tamen communi regula deflectebant nonnulli; alias ad hanc Dominicam lectiones adsumentes. Ita etenim Cassinensium ordinarium Dominica in Palmis „ (Octo, *in*„ *quit*, Lectiones legantur de expositione S. Hieronymi super „ Matthæum: *Scitis quia post*: quatuor de homiliis S. Johan„ nis Chrysostomi;) & Dionysianæ consuetudines MS.

„ [qua-

(a) Dominica Palmarum in lib. 3. de gestis SS. Rotonensium c. 1. dicitur *Sabbatum Sanctum*, sæc. 4. part. 2. p. 215.

„ (quatuor primæ Lectiones de Prophetia Zachariæ: *Exulta satis*, ad finem quarum dicatur: *Hæc dicit Dominus*. Sequentes quatuor Lectiones de sermone: *Deus Deus meus*, ad finem quarum dicatur: *Tu autem*.. Quatuor Lectiones de Evangelio: *Cum appropinquasset Jesus*.) Denique Tullense S. Apri Ordinarium, *Lectiones*, inquit, *sic incipiunt: psalmi vigesimi primi*; deinde quatuor postremas Lectiones assignat de Evangelio: *Cum appropinquasset*.

IV. „ (℞. Nonum: *Ingrediente Domino*, quod cantet aliquis bene cantans,) inquiunt consuetudines Dionysianæ, post versum incipiebatur ex eisdem, & Compendiensibus consuetudinibus.

V. Ad Laudes, & per horas antiphonæ propriæ, omissis suffragiis tam ad Laudes, quam ad utrasque Vesperas, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus; licet in Tullensi Ordinario ad Laudes assignetur commemoratio de *Trinitate*, posthac usque ad oct. Pentecostes non facienda.

VI. Missam Matutinalem *de Trinitate* notant consuetudines Dionysianæ, & Compendienses; cum tamen omnes alii Missam de die canerent, in qua illud præcipuum observandum, quod in ea Passio non legeretur, sed Evangelium: *Cum appropinquasset*, quod etiam privatis in Missis observabant, ut patet ex Lanfranci Statutis c. 1. §. 4. „ (Sacerdotes ad privatas Missas unam tantum collectam dicant; Evangelium: *Cum appropinquasset*. Passionem nullus legat, nisi fratres, qui in formis cantant.) Ex Udalrico l. 1. c. 54. „ (In Ramis Palmarum ad Matutinalem Missam omnino una collecta est dicenda, nec Passio legitur; sed illa tantum Lectio S. Evangelii: *Cum appropinquaret Jesus*, quod etiam cunctis Sacerdotibus, qui privatas Missas cantaverunt, præcipitur; ut sint parati ad duas processiones, quæ illo die sunt agendæ.) Ex libro cons. S. Benigni Divionensis c. 57. „ Sabbato ante sanctum diem Palmarum capsæ in crastinum ad processionem ferendæ præparantur; in crastinum nec ad Missam matutinalem, nec ad Missas privatas Passio legitur; sed illud Evangelium: *Cum appropinquaret Dominus Jesus*.) Idem habet vetus Corbejense Ordinarium; & MS. consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Et est ordo, *inquiunt*, quod si quis Missam privatim cantaverit, non legat Passionem; sed Evangelium: *Cum appropinquasset*;) & Compendienses: „ (Si quis Missam privatim cantare voluerit, non Passionem leget; sed Evangelium: *Cum appropinquaret*;) Tullense etiam S. Apri Ordinar. „ (In omnibus privatis Missis, *inquit*, quæ de Dominica dicentur, in hac die non legatur Passio, sed Evangelium Missæ matutinalis, scilicet: *Cum appropinquasset*;) & Constitutiones Grandimontensium c. 15. „ (In hac Dominica Ramis palmarum cantatur Missa matutinalis de eodem die cum duobus, aut tribus versibus, tractus, & cum Evangelio; *Cum appropinquasset*;) Consuetudines S. Germani a Pratis; (Quando erimus circa finem tractus, Sacrista pulsabit unam parvam campanam pro congregando Domino ad audiendam Passionem; quia ipsa die non debet legi nisi in magna Missa.) Denique rubricæ Missalis Casalis Benedicti l. 3. c. 12. „ (postea fiat processio, & dicatur Evangelium: *Cum appropinquasset*, ubi consuetum est, quod etiam in missis privatis dicendum erit, non autem Passio: nisi cui fuerit a superiore concessum.) Ex quibus postremis verbis discimus, aliquibus fuisse concessum ad privatas Missas Passionem legere; & certe illud Cellerario permittunt consuetudines Corbejenses, his verbis: „ (Nullus leget passionem, nisi solus Cellerarius privatim,) immo omnibus ante capitulum. Liber Usuum Beccensium, & rituale ejusdem monasterii: „ (Ante Primam, *inquit*, possunt Passionem legere ad privatas Missas, quicumque voluerint; post capitulum nequaquam, nisi licentia, vel pro aliqua necessitate;) quæ totidem verbis habentur in consuetudinibus Lyrensium.

VII. Præterea hac in Missa matutinali una dumtaxat collecta dicebatur, nec tractus ex integro cantabatur, ut patet ex citatis modo Grandimontensium consuetudinibus & insuper ex Tullensi Sancti Apri Ordinario: „ (Tractus *Deus Deus*, cantetur usque ad illum versum, *Libera me*; fratres chori, in quo est hebdomada, dicant primum versum, & fratres alterius chori secundum, & sic de aliis.)

VIII. Denique „ (in hac Missa, *inquit Tullense Ordinarium*, communio dicatur, antequam Corpus & Sanguis Domini sumatur a Sacerdote. Idem fiat ad magnam Missam.)

IX. Interim dum hæc Missa cantaretur, aquæ Lustralis benedictionem, atque ad officinas monasterii processionem ab uno Sacerdote faciendam præscribit Concordia Dunstani c. 3. his verbis: „ (Dominica die Palmarum, quia major restat processio agenda, illa quæ solet in claustro agi, interim dum matutinalis Missa canitur, agitur a Sacerdote tantum, conspersionem & benedictionem agente.) Et consuetudines Germaniæ n. 27. „ (Mos vero post capitulum omnes induti albis, Presbyter Hebdomadarius cum cruce tantummodo, & aqua benedicta agat benedictiones per omnes officinas, dum a cæteris matutinalis Missa completur.) In aliis tamen monasteriis, finita Missa matutinali processio solito more fiebat per claustrum ab omnibus; & quidem albis indutis, ut patet ex Lanfranci Statutis c. 1. §. 4. „ (Post matutinalem Missam benedicatur aqua, ad quam fine omnes albis induti, fiat processio per claustrum, ut mos est omnibus Dominicis diebus. Ex Udalrico l. 1. c. 34. „ (Sint omnes parati ad duas processiones, quæ illo die sunt agendæ: Prior post Matutinalem Missam sale & aqua consecratis, sicut mos est cunctis Dominicis diebus, per claustrum; ulterior post Tertiam.) Ex libro consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 57. „ [Ipsa die, *scilicet Palmarum*, duæ fiunt processiones; post matutinalem Missam, prior per claustrum, sicut mos omnibus Dominicis, nec ad ipsam aliud cantatur, quam in præcedentium Dominicarum processionibus; posterior vero post Tertiam cum frondibus & Palmis ante majus altare sacratis; utræque tamen aguntur fratribus omnibus albis indutis.) Idem habet vetus Corbejense Ordinarium, & Liber Usuum Beccensium. „ (Post matutinalem Missam, *inquit*, omnes albas induti, agant processionem per claustrum, & cetera, uti mos est, in die Dominica.) Consuetudines vero S. Dionysii in Francia hæc scribunt: „ (Post *Sanctus* Missæ matutinalis, induantur omnes albis, & post eamdem Missam aqua benedicta, & processio eat per claustrum in albis, sicut in aliis Dominicis, præter quod non ibunt in navi; sed redeant per portas eburneas in choro, & ad ipsam processionem cantetur antiphona; *Cum federit* ad Introitum chori antiphona: *Turba multa*; deinde cantetur Tertia.) In alio vero codice Bibl. Colbertinæ: „ [Post *Sanctus* Missæ matutinalis, induantur omnes albis, & post eamdem Missam fiat aqua benedicta, & eat Sacerdos, qui benedixit aquam, per officinas dicendo orationes. Interim cantetur Tertia:) cui concinit Ordinarium S. Petri supra Divam his verbis: „ (Missa matutinalis de Dominica; post elevationem Corporis Christi ad ipsam Missam revestiant se omnes albis, sanctificata quoque aqua a Sacerdote, & aspersa more solito, faciat idem Sacerdos processionem cum cruce, & aqua benedicta, canentibus interim ceteris in choro Tertiam.) Tullense vero Ordinarium: „ [Finita Missa matutinali, *inquit*, hebdomadarius Missæ faciat aquam benedictam, qua more solito aspersa, Dominus Abbas, vel eo absente, Prior incipiat Tertiam, interim portetur aqua benedicta per claustrum, & ceteras officinas, sicut mos est in aliis Dominicis.) Idem habent Corbejenses cons. Post hæc cantata Tertia, vel etiam prius, fiebat extra monasterium processio, & solemnis Palmarum benedictio; sed ista hæc Palmarum benedictio; seu consecratio quibusdam in monasteriis in propria peragebatur Ecclesia, ut apud eos, qui Lanfranci Statuta observabant, apud Cluniacenses, Divionenses, Corbejenses, Beccenses, Tullenses, Sangermanenses, Cistercienses, Bursfeldenses, & Casalinos; in aliis extra propriam ecclesiam, atque ita præscribunt Concordia Dunstani, Germaniæ consuetudines Cassinense Ordinarium, Dionysianæ, Floriacensesque consuetudines; & quidem omnibus in cappis existentibus, ex Germaniæ consuetudinibus. Benedictionis vero ordinem ita describit vetus Cassinense Ordinarium: „ (Congregati omnes in ecclesiam, exposita in medio Palmarum, & olivarum Ramis, incipiant in choro: *Hosanna filio David*, qua finita Sacerdos dicat orationem: *Deus quem diligere*. Lectio: *Venerunt filii Israel*. Sequitur antiphona: *Collegerunt*. Versus *Unus autem*. ℞. *Ne forte*; & legatur Evangelium secundum Matthæum: *Cum appropinquaret Jesus*; post hæc sequatur benedictio olivarum, atque palmarum, qua expleta, aspergatur super eas aqua sanctificata, & thus adoleatur.) Paulo aliter Tullense Sancti Apri Ordinarium: „ (Dicta Tertia Subdiaconus Hebdomadarius alba & dalmatica indutus cum famulo veniat ad gradum chori, in quo solet quotidie Epistola legi, & ibi legat Epistolam: *Venerunt filii Israel*, qua lecta sine intervallo, Hebdomadarius Sacerdotalibus indutus vestibus, thuribulario, & Ceroferariis ipsum præcedentibus veniat, & stet juxta Ramos arborum ante

majus

majus altare ab Eleemosinario locatos, & super pulpitum ibidem præparatum, legat Evangelium. *Cum appropinquassent Bethphage*, thuribulario ei thuribulum offerente, ut librum Evangelii incenset, duobus Ceroferariis adstantibus hinc & inde, sicut mos est ad Matutinos, cum Evangelium legitur. Perfecto itaque Evangelio, fiat benedictio super Ramos arborum ab Abbate, & in ejus absentia a Priore induto alba, stola, & cappa, thuribulario juxta eum stante, sine cruce tamen, & cereis, & sic incipiat benedictionem: *Dominus vobiscum*. Oremus: *Deus cujus Filius*. Item collecta: *Deus humana*. Item alia: *Benedic Domine*. Finitis collectis, aquam benedictam super ramos arborum, & Palmas aspergat, & incenset.) Grandimontanses facta in capitulo processione, ibidem palmas benedicebant, ordine in consuetudinibus Guillelmi Pellicerii c. 15. his verbis descripto: (Legitur lectio: *Dicite filiæ Sion*, in modum lectionis, non Epistolæ. Et post sequitur ℟. *Christus factus est*. ℣. *Propter quod & Deus*. Deinde legitur Evangelium, sicut in ecclesia: *Cum appropinquasset*: Postea benedicuntur cum tribus orationibus, deinde aqua benedicta asperguntur, & incensentur.) Alii, præmisso duntaxat unico Evangelio: *Turba multa*, usque *Totus mundus post ipsum abiit*, Ramorum benedictionem peragebant: „ (Cantata Tertia, inquit Lanfrancus in Statutis c. 1. §. 4., legatur Evangelium *Turba multa*, postea accedens Abbas, aut Sacerdos benedicat Palmas, & flores, & frondes ante majus altare supra tapetum positas, aquam benedictam aspergat, & incenset.) Et Liber Usuum Beccensium: „ (Dicta Tertia, Diaconus, cui Cantor jusserit, legat Evangelium: *Turba multa*: & postea ponatur tapetum ante altare; & desuper flores, & frondes, & palmæ, quas benedicat Sacerdos alba, & stola indutus, benedictas incenset, & aspergat aqua benedicta.) Idem videre est in Concordia Dunstani, & Ordinario Sancti Petri supra Divam. Ex consuet. tamen Germaniæ, & Dionysianis præmittebatur Evangel. *Cum appropinquasset*. Sed juvat referre integrum ritum, quem describunt consuetudines Lyræ his verbis: „ (Post tertiam dum psalmi familiares dicuntur, exeat unus Diaconus non ille, qui lecturus est passionem, & induat stolam, & manipulum. Finitis psalmis familiaribus, adoleat incensum, & inferet Conversis candelabra, & thoribulum præferentibus, & Diaconus ferat librum Evangelii. Secretarius habeat analogium præparatum ante altare, palmis & frondibus jam coram positis. Cumque venerit Diaconus ante analogium, leget Evangelium: *Turba multa*, sine ante & & retro; quo lecto, faciat ante & retro; & eat solus in vestiarium, Conversi ibi remanentibus cum thuribulo, & candelabris; depositaque stola, & manipulo, revertatur in chorum. Interim Abbas in cappa, stola & manipulo, vel Prior, aut Sacerdos in alba, stola & manipulo tantum benedicat frondes, & palmas incenset, & aqua benedicta aspergat.)

X. Benedictionem vero unica oratione: *Omnipotens sempiterne Redemtor*, absolvebant Divionenses S. Benigni, Corbejenses S. Petri, Parisienses S. Germani, & Cartusienses monachi. Unicam aliam orationem: *Deus cujus Filius pro salute*, adhibebant Casalini; sed in collectaneo S. Petri supra Divam quatuor adnotantur, scilicet: *Omnipotens & misericors Deus*: *Deus cujus Filius pro salute*. *Deus qui Jerusalem veniens*: *Christe Jesu fili David*.

XI. Benedictæ Palmæ fratribus distribuebantur, & quidam a *Priore*, ex Germaniæ consuetudinibus, vel a *Secretariis*, ex Statutis Lanfranci; sive, ut habent Benignianæ consuetudines, & lib. Usuum Beccensium, ab *Ecclesiæ custodibus*. Tullense Ordinarium duobus fratribus hoc munus committit, „ (quorum unus in dextro a superioribus incipiens & alius in sinistro choro fratribus Palmas, & Ramos benedictos distribuebant.) Hi ex Floriacensis monasterii consuetudinibus erant *Thesaurarius*, & *Capicerius*: Dionysianæ solum *Capicerium* nominant. Cartusienses, & Casalini eodem ritu, ac in Purificatione Beatæ Mariæ candelas, hac die Palmas distribuebant.

XII. Interim vero dum illæc Palmarum distributio fieret, Cassinenses cantabant antiphonam: *Ante sex dies*; alii: *Pueri Hebræorum*, quas ex Concordia Dunstani, & Germaniæ consuet. exclamabant *Pueri*; in aliis monasteriis ipse Cantor. Cartusienses ℟. *Collegerunt*, cantabant.

XIII. Ramorum benedictionem, ac distributionem sequebatur solemnis extra monasterium processio, in qua deferebantur Reliquiæ, mane ad locum, ad quem procedebant, clam delatæ, ut patet ex MS. Germaniæ consuetudinibus: „ (Mane in Palmis, inquiunt c. 23. custodes præparent diligenter quoddam portatorium in modum feretri, in quo reponantur parvæ capsæ, sive textum Evangeliorum, desuper quoque appendantur philacteria, sive buxæ Reliquiarum; ferant autem illud latenter ante horam primam ad ecclesiam, ad locum, quo procedere debent, & cruces, & candelabra, & thuribulum, & aquam benedictam, & textum Evangelii, & albos flores, Palmas, & omnia quæ processioni illi conveniunt.) Idem videre est in Lanfranci Statutis, ex quibus etiam deferri debebat hac in processione Corpus sacrum Domini, quod & observabant nostri Beccenses, atque Lyrenses. Interim Lanfrancum hic audiamus: „ (Cantore incipiente antiphonam: *Occurrunt turbæ* (inquit,) exeant duo Sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eisdem Sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo & Corpus Christi debet esse reconditum.)

XIV. Hujus autem processionis ordinem instituebat Abbas in capitulo, ut discimus ex Lanfranci Statutis c. 1. §. 1. „ (Evangelium pronuncietur: *Cum appropinquasset*, de quo & lectio, & sermo in capitulo, in quo capitulo ordinet Abbas, vel Prior processionem, & quid quisque portare debeat, & qualiter ordinate eant, ac redeant fratres.) Hunc ordinem describit idem Lanfrancus non multo post his verbis: „ (Præcedant famuli cum vexillis, sequatur Conversus ferens situlam cum aqua benedicta, alii duo portantes duas cruces; item duo cum duobus candelabris accensis desuper cereis; alii duo ferentes duo thuribula igne, & thure referta, quod thus in thuribulo debet ponere, vel Abbas, si in choro est, conversis thuribula, & acerram cum thure deferentibus; vel ipse Cantor, si Abbas deest; ipse enim distribuit, quæ portanda sunt, & processionem ordinat: hos sequantur duo Subdiaconi portantes duos textus Evangeliorum, post quos Laici monachi, deinde infantes cum magistris, post quos cæteri fratres præcedentes Abbatem, qui ultimus procedit, duo, & duo sicut sunt priores.) Brevius consuetudines Germaniæ (Cum vero de illo loco egressuri sunt, ordinatim procedant cum præcedenti aqua benedicta, crucibus, thuribulis, candelabris, Evangelio; ac prosequatur illud portatorium ab Abbate, & Presbytero delatum cum summa gravitate . . . , Quod si Priori grave fuerit illud ferre onus, Presbyteris illud committat.) Paulo aliter vetus Cassinensium Ordinarium: „ (Hora Tertia omnes fratres induti in albis lineis stent in choro, & cantent Tertiam . . . Expleta Tertia dispondantur in choro stolæ, vel manipuli per Presbyteros, Diaconos, ac Subdiaconos, & sic, bini, & bini procedant ad Ecclesiam S. Martini cantando antiphonam: *Cum audisset Populus*, post quos Sacerdos pluviali indutus cum ministris tunicis, seu dalmaticis vestitis procedat, simul & Acolythi cum incenso, & luminariis.) De eodem ordine hæc habent consuetudines Floriacensis monasterii: „ (Præeunt vexilla, & draco; deinde omnes cruces, & capsa S. Mauri a duobus albatis Sacerdotibus, a Subdiacono unus textus, & duo candelabra a duobus pueris; deinde novitii, & cæteri, sicut in ordine; ad ultimum Domnus Abbas cum cappa rubea, & virga pastorali:) Liber vero consuet. S. Benigni Divionensis: „ (Antequam exeant, omnia signa tanguntur, deinde inchoata antiphona, *Cum appropinquaret Dominus*, quam sequatur, *Cum audisset populus*, egreditur in prima fronte aqua benedicta, sequuntur cruces aureæ duæ, textus Evangeliorum duo, candelabra quatuor, thuribula duo, deinde omnes Conversi, ad ultimum (*a*) Cantores, pueri vero medii inter Conversos, & cantores incedant. Famuli sartores ante processionem vexilla ferunt.) Et liber Usuum Beccensium cap. 57.: „ (Famuli ferant vexilla, unus tantum Subdiaconus ferat textum (alter codex addit *sine manipulo*,) Conversi aquam benedictam, discoopertam crucem, thuribulum, atque candelabra; quos sequuntur pueri, deinde juniores; postremo Priores omnes albis induti, duo, & duo pergant.) Denique liber Usuum Cisterciensium c. 17.: (Incipiente Cantore antiphonam: *Occurrunt turbæ*, exeat Subdiaconus cum aqua benedicta, subsequente Diacono cum cruce discooperta, quem subsequatur conventus eo ordine, quo stat in choro, Laicis monachis præeuntibus, ita ut Abbas, vel Sacerdos Hebdomadarius, si Abbas defuerit, eat posterior, & post ipsum novitii, post novitios vero Laici fratres: & fiat processio tantum per claustrum.)

XV. Pervenientes ad locum destinatum faciebant stationem, quam sic describit Lanfrancus his verbis: „ (Cum autem

(*a*) Per Cantores intelligitur chorus universus cantans.

„ autem perventum fuerit ad ipsum locum, fiat statim „ a toto conventu. Cantore autem incipiente antiphonam, *Occurrunt turbæ*, exeant duo Sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eisdem Sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo & corpus Christi debet esse reconditum: ad quod feretrum præcedant statim, qui vexilla portant, & cruces, & cetera, quæ superius dicta sunt. Et stantibus iis, qui feretrum portant stabunt, & ipsi a dextra, & a sinistra ipsius feretri ordinate, sicut venerunt. Pueri vero accedentes stabunt versis vultibus ad ipsos reliquos cum magistris suis, & quibusdam Cantoribus, qui auxilio eis esse possunt. Majores vero versi erunt ad invicem eo modo, quo in choro stare solent. Sic autem ordinetur hæc statio, ut modicum intervallum sit inter pueros, & majorem conventum: finita antiphona, *Occurrunt turbæ*, incipiant pueri, & qui cum eis sunt, antiphonam, *Hosanna filio David*, flectentes genua, & in principio, & in fine antiphonæ, quia in utroque *Hosanna* dicitur; quam antiphonam chorus repetat, & similiter genua flectat: deinde a pueris cantetur antiphona: *Cum Angelis*, in fine tantum antiphonæ genua flectentibus, quæ antiphona a conventu repetatur, & similiter venia accipiatur. Taliter his peractis, Abbate, vel Cantore incipiente antiphonam, *Ave rex noster*, transeant portitores feretri per medium stationis, præcedentibus his, qui vexilla portant, & ceteris superius dictis portitoribus, servato ab omnibus ordine in redeundo, quem habuerant in eundo, quibus transeuntibus flectant genua non simul omnes; sed singuli hinc, & inde, sicut feretrum transibit ante eos.) Brevius liber Usuum Beccensium: „ (Cum autem ad locum stationis pervenerint, stent fratres per ordinem, sicut solent in choro; pueri vero versi ad feretrum genua flectentes dicant antiphonam, *Hosanna filio David*; qua dicta flectant pueri tantum genua, quam repetant omnes similiter flectentes genua. Item pueri flectant genua, & dicant antiphonam: *Dignus es Domine*, totam, qua finita, ut primum flectant genua: cum autem inchoaverit Cantor antiphonam, *Ave Rex noster*, transibunt latores feretri per medium chori, & ipsis transeuntibus flectant (*a*) omnes genua, sequentesque feretrum cantent antiphonas.) Aliqua superaddunt consuetudines Lyræ, suorum stationem ita describentes: „ (Cum autem ad locum stationis venerint, stent fratres ordinate, sicut in choro solent, vertantque vultus suos ad feretrum; tunc Cantor innuat quatuor fratribus, qui stent in medio processionis, & dicant excelsa voce antiphonam, *Dignus es Domine* totam, quam chorus repetat flectendo genua. Item Cantores antiphonam, *Hosanna*: Item chorus antiphonam, *Dignus es*. Omnes istæ antiphonæ dicuntur a choro, & a Cantoribus flectendo genua, in inchoatione uniuscujusque, ac deinde Cantor antiphonam, *Occurrunt turbæ*. Item Cantor antiphonam: *Flectentes genua*: antiphonam: *Ave Rex noster*; chorus autem flectat genua in inchoatione hujus antiphonæ. Tunc Abbas, vel Prior, si Abbas absens est, eat per mediam processionem usque ad Eucharistiam, & dicat versum de Cruce, *Omnis terra*; *Dominus vobiscum*. Oratio, *Perpetua nos quæsumus*; deinde fiat sermo ad populum sedentibus omnibus; finito sermone, & prece dicta a Presbytero, & facta collecta leprosis, revertatur processio.)

XVI. Qui extra monasterium Palmas benedicebant, pervenientes ad locum stationi destinatum, benedictionem ibidem peragebant, qua facta, & dictis forte nonnullis antiphonis, aut ℟. ad propriam revertebantur Ecclesiam. Sermonem ad populum addebant Floriacenses nostri, Cluniacenses, Divionenses, Corbejensesque, dictis prius nonnullis antiphonis, aut ℟. ubi notandum, quod ad antiphonam *Ave Rex noster*, omnes ubique flectebant genua. Parisienses S. Germani stationem suam in MS. suis consuetudinibus ita repræsentant: „ (Ibimus ad S. Petrum cantando illa, quæ habebimus cantare. Quando appropinquabimus ad Ecclesiam, Cantor incipiet unum ℟. de S. Petro; tres Domni cantabunt versiculum, post reinceptionem ℟. Domnus Abbas dicat orationem, post orationem nos inclinabimus nos metipsos ad *Pater noster*; quando *Pater noster* erit terminatum, Cantor incipiet istam antiphonam: *Ave Rex noster*, & captemus venias flexis genibus; dum cantabitur ista antiphona, Diaconus præparabit se pro legendo Evangelium, & portabit incensum ad Domnum Abbatem pro benedicendo, & incensabit altare, & suum Evangelium, & ibit incensatum Domnum Abbatem, & accipiet benedictionem a Domno Abbate, post Evangelium erit sermo... post sermonem nos revertemur.) Cistercienses, qui processionem in claustro peragebant, tres in ea stationes faciebant, unam *juxta dormitorium*, alteram *juxta refectorium*, tertiam *juxta Ecclesiam*, „ (Et in unaquaque statione, *inquit liber Usuum cap.* 17. Diaconus, & Subdiaconus habeant vultus suos versos, & crucem versam ad conventum; & in ambulando, & in stando Subdiaconus ante Diaconum sit. Porro in ultima statione incipiente Cantore, *Ave Rex noster fili David*, inclinet ad crucem conventus genibus, & manibus in terra positis: & omnes erecti deinceps stent conversi ad crucem, usque dum incipiatur *Gloria laus*. Interea dum hæc antiphona, *Ave Rex noster* canitur, Secretarius analogium, quod ipse ante Tertiam collocavit in capitulo cum textu Evangeliorum, & stola ad locum, ubi Diaconus Evangelium lecturus est, deferat, hoc est ante ostium Ecclesiæ. Circa finem itaque antedictæ antiphonæ, *Ave Rex noster*, Diaconus crucem sanctam Subdiacono porrigat, qui & ipse interim Subdiaconus aquam benedictam juxtam ponat. Cum vero stola amictus Diaconus fuerit, parum se movendo ab analogio, ab Abbate benedictionem petat, & postea versus circa Orientem Evangelium legat, Subdiacono ante eum cum cruce adstante, & ad conventum vultum suum habente. Quo perlecto, stolam deponat, & crucem recipiat, atque Subdiaconus aquam benedictam resumat. Tunc etiam conventus stet versis vultibus ad invicem. Duo autem fratres, qui jam a Cantore præmoniti esse debent, circa finem Evangelii Ecclesiam intrent: & clauso ostio, stantes versa facie ad processionem, versus, *Gloria laus*, uti in libro ordinati sunt, cantent, quibus finitis, & & ab eisdem fratribus principio eorumdem versuum: *Gloria laus*, repetito, revertantur ad processionem, & stent in ordine suo. His igitur peractis inchoet Abbas ℟. *Ingrediente Domino*, & Ecclesiam omnes illud cantando intrent.)

XVII. Præter eam, quam modo descripsimus stationem, fiebat & alia ad portam monasterii, seu Ecclesiæ monasterii, in qua *foribus clausis*, *intus monasterium* (idest Ecclesiam) a quatuor fratribus canebatur, *Gloria laus*, ut loquuntur consuet. Floriacenses. Hi ex Udalrico, lib. consuetudinum S. Benigni, veteri Corbejensi Ordinario, & consuetud. Sancti Germani a Pratis, cappis erant induti, chorumque regebant ad Missam; at ex Concordia Dunstani id præstabant *pueri*, ex consuetudinibus Lyræ *quinque*, *vel sex de junioribus fratribus*. Finito hymno, additisque forte nonnullis antiphonis, aut ℟. Cantore, vel Abbate imponente: *Ingrediente Domino*, aperiebantur fores Ecclesiæ, quam statim conventus ingrediebatur, transeundo sub capsa reliquiarum, ut patet ex consuet. Floriacensis monasterii, „ (Conventu, *inquiunt*, ingrediente in Ecclesiam subtus capsam S. Mauri,) Et ex consuet. S. Germani a Pratis: „ (Nos transibimus per sub capsam, & ipsam osculabimus, & stabimus ordinatim in navi monasterii, & incipietur: *Gloria laus*;) in navi enim stationem secundam faciebant. Tertiam etiam in ea addunt consuetudines Lyræ ante crucifixum discoopertum: „ (Deinde faciant stationem, *inquiunt*, ante crucifixum, qui discooperiatur, & incipiat Cantor ℟. *Collegerunt*, & tres seniores, vel quatuor dicant ℣. *Unus autem*; quo finito cum regressu incipiat Abbas, vel Cantor antiphonam: *Multa turba*, & ingrediantur chorum.)

XVIII. Statuta Lanfranci, uti & liber Usuum Beccensium, præter primam stationem tres alias adsignant; primam ad portam civitatis, aut aliam locum constitutum, in quo deposito feretro Corpus Domini capiente super mensam pallio coopertam, cantabatur a *pueris*, & aliis forte, sibi a Cantore adjunctis, hymnus: *Gloria laus*; secundam ad portam monasterii, seu Ecclesiæ, in qua cantabatur ℟. *Collegerunt*, cujus ℣. *Unus autem*, dicebant tres, quatuorve fratres, & quidem Cappis a Secretario acceptis, ex Statutis Lanfranci; tertiam in navi *ante crucifixum prius detectum*, in qua concinebatur ℟. *Circumdederunt*, a tribus, vel quatuor fratribus in cappis, ex Statutis Lanfranci;

(*a*) Ideo toties flectebant genua ante feretrum, quia in eo reconditum erat Christi Domini Corpus, ut patet ex his præcedentibus verbis: „ (Ipso die Secretarius summo mane debet feretrum mittere per fratres cum lumine ad locum, ubi processio debet ire, in quo debet hora sic reponi Corpus Domini cum reliquiis.) Eumdem ritum viguisse in Angliæ monasterio S. Albani discimus ex Matthæo Paris. in vit. 23, Abbatum S. Albani pag. 61. ubi describit vasculum, seu Scrinium eleganter a Simone Abbate elaboratum, ad portandum Corpus Domini in Ramis palmarum ad processionem.

ci; vel ab omnibus, ex lib. Usuum Bec., in quo omnes genuflectebant.

XIX. Unicam in tota processione præscribunt Bursfeldenses c. 34. in qua collocata decenter a Sacrista Cruce, primum cantabatur a duobus: *Gloria laus*, deinde antiphonæ nonnullæ, postea „ (Finita ultima antiphona, in-„ quiunt, accedat Abbas cum ministris ad crucem: & fi-„ xis in terra genibus, manibusque complosis suppliciter „ adoret crucem, & parum elevando ipsam incipiat hunc „ versum: *O crux ave*, & postea: *Te summa Deus*, „ quos versus conventus prosequatur una cum Abbate, u-„ niversi genua flectentes: finitis vero his versibus, & „ Cantore incipiente ℟. *Ingrediente Domino*, intrent cho-„ rum.) Hactenus de processione satis, & forte plusquam satis, qua peracta, inquit Tullense Ordinarium: *Auferuntur cappæ, & dalmaticæ, excepto Cantore*. Nunc Missam quæ statim sequebatur, videamus.

XX. Missa solemnior ab Abbate cantabatur, & quidem *in purpureis casulis*, ut loquitur vetus Cassinensium Ordinarium, cui concinit liber cons. Benigni Divionensis cap. 57. his verbis: „ (Ad Missam Sacerdos ornatus uti-„ tur vestimentis, & casula rubea aureis) In ea unus, tres, quatuorve Cantores pro locorum consuetudine cappis induti chorum regebant, qui Introitum Missæ absque *Gloria* incipiebant: „ [siquidem ab hac die usque in Cœna Do-„ mini, ad Introitum *Gloria* non dicitur, *inquit Cassinense* „ *Ordinarium*. ℟. *Tenuisti manum*, dicebatur a duobus „ bene cantantibus,] ut habent consuetudines Dionysianæ l. 1. c. 54. Tractus vero „ [a solis quatuor Can-„ toribus hinc, & inde, conventu interim considente, „ & ex toto tacente, sicut etiam tacet ad ceteros tra-„ ctus,] ut ait Udalricus. Ex veteri Corbejensium Ordinario, Tractus „ (in pulpito a quatuor ex una parte „ Cantoribus, & quatuor ex alia) cantabatur: ex recentioribus vero consuetudinibus eorum id præstabant *sex monachi retro chorum*: Rituale autem Beccensis monasterii hæc habet: „ (Tractum dicant octo fratres vicissim; ita „ tamen, ut tertium versum semper dicat conventus, & „ finem ultimi versus, silentibus tum Cantoribus ibi usque „ ad finem, chorus Abbatis primum versum finiet.) Consuetudines Dionysianæ hoc munus XII. fratribus committunt, quamvis ex codice Colbertino, consuet. Lyræ, & Ordinario Sancti Petri supra Divam, tractus alternis cantaretur choris.

XXI. „ (Interim dum tractus cantatur, *inquit Tullense S. Apri Ordin.*, eat Diaconus ad locum, in quo lectu-„ rus est Passionem, cum Subdiacono, & Thuribulario „ tantum, & sine cereis.) Locum illum discimus ex Compendiensibus S. Cornelii consuet. in quibus habetur: *Epistola, & Passio leguntur in Lectorio*; & quidem cum *stola & manipulo tantum*, ex Ordin. S. Petri supra Divam, sine *Dominus vobiscum*, & sine *Gloria tibi Domine*, ex Cassinensi, & Tullensi Ordinariis, & consuetudinibus Lyræ; quamvis in Durstani Concordia ad tres Primas Passiones, ex consuetudinibus Germaniæ ad duas primas: *Dominus vobiscum*, sine *Gloria tibi Domine* tamen; ex cons. Grandimontensium lib. 1. cap. 54. ad primam utramque diceretur. Ad Passionem omnes tenebantur interesse, *nec quisquam ullius obedientiæ occasione*, ut loquitur Udalricus, *deesse* præsumebat; ideoque circa finem tractus squilla, sive campanula pulsabatur ad eos congregandos, qui variis officiis deputati aliorsum detinebantur, ut passim videre est in omnibus pene Ordinariis, & consuetudinariis: „ (Quando Diaconus dicet, *Tradidit spiritum*, (*inquiunt* „ *cons. S. Germani, a Pratis*,) nos capiemus veniam fle-„ xis genibus, & quando Dominus Abbas surget, nos surgemus.) His situs non ita videtur antiquus, ut pote quem silent omnes, quot viderim hanc in rem antiqui; ejus tamen meminere libellus antiquarum definitio-„ num Ordinis Cisterc. dist. 5. c. 5. statuens, ut „ (Quotiescumque in Passionibus Domini nostri Jesu „ Christi nominabitur articulus sanctissimæ mortis ejus, o-„ mnis genu flectatur, petendo veniam humiliter & devo-„ te.) Et postea Ordinarium Bursfeldensium: „ (Cum insonuerint hæc verba: *Et inclinato capite emisit*, vel: *Tradidit spiritum*, aut: *Expiravit*, nudis capitibus mox „ omnes procedentes flexis genibus summa devotione o-„ rent: *Pater noster & Ave Maria*. Postea erecti usque „ ad consummationem reliquæ partis Evangelii se gerant, „ ut moris est, sub aliis Evangeliis.)

XXII. Ad offertorium post oblationem panis, & vini, omnes suo quique ordine Ramos quos hactenus per totam Missam manu gestaverant, incipiente Diacono, Sacerdoti offerebant. Uni hac in re ab aliis discrepant Cassinenses, qui *Palmas usque ad finem Missæ omnes tenere debent in manibus*, ut loquuntur in veteri Ordinario, quod etiam observant Carthusienses monachi, Cart. Ordin. cap. 48. n. 17. Cistercienses vero lib. Usuum c. 17. in reditu processionis, *Ramos quos manu gestant, intrantes chorum super gradum Presbyterii deponunt*.

XXIII. Porro hujusmodi Palmæ, ut ajunt consuetudines Grandimont. „ (reservantur propter cineres faciendos „ anno sequenti; licet quidam faciant dictos cineres de „ sarmento vitis.) Notandum vero, quod habet codex vetustissimus Cassinensium circa Berthari Abbatis tempora scriptus, ut scilicet post Missam „ (pergant omnes „ cum processione ad refectorium, decantantes iterum: „ *Turba multa*, cum psalmo: *Jubilate Deum*, & data o-„ ratione revertantur omnes sacerdotalis gradus ad expo-„ liandum se; post hæc omnes reficiant.)

XXIV. Hac die post prandium pausabant in lectis cum omni silentio, incipiebantque apud omnes monachos nigros meridianæ; addunt tamen consuetudines Germaniæ; *Si mensis est Aprilis*, quod alii non habent. Meridianam sequebatur Nona; post Nonam vero pergebant in refectorium potum percepturi. Rem ita enarrant consuetudines S. Benigni Divionensis c. 54. „ [Ea die incipitur „ meridiana, hora Nona scilla sonet modice, surgunt „ de lectulis suis, lotis manibus, & faciebus, sive pe-„ ctinati vadunt in Ecclesia: Custos vero cum viderit „ infantes venientes, sonet majus signum, donec expleatur „ oratio in conventu; & sic incipitur Nona. Post itur in „ refectorium: fratres Hebdomadarii coquinæ de præteri-„ ta septimana deferant aquam ad bibendum cum refe-„ ctorario. Post inclinent se ante, & retro, vadant sede-„ re, & facta culpa a Priore bibat, cui placuerit, de „ vino cum justitia sua, & non cum anapis; deinde „ Prior det modice culpas in scilla tribus vicibus, sic „ agitur usque Calendas Octobris.) Ordin. S. Petri supra Divam legit: *Usque ad XIII. Cal. Octobris singulis diebus, quibus jejunium defuerit*. De hac consuetudine, cujus passim mentionem faciunt Ordinaria, & consuetudines monasteriorum, dicemus in commentario super Reg. S. P. Benedicti.

XXV. Denique unum hic addo ex Udalrico: „ (Anti-„ quitus, *ait*, in illa Dominica non dicebatur officium „ defunctorum, nec modo quoque psalmus ille: *Ad Do-„ minum cum tribularer*, officii vicarius.)

XXVI. Tribus sequentibus diebus propriæ ad Laudes, & Horas cantabantur antiphonæ, agebanturque officia SS. quorum forte festivitas his diebus contigisset: quamquam feriam quartam excipiant cons. S. Benigni, & Ordinarium Corbejensis monasterii, ex quibus quæcumque festivitas feria IV. & sequentibus eveniens post Pascha rejicienda erat, ut referendis infra.

XXVII. „ (Fer. 2. Hebdomadæ sanctæ, *inquiunt consuetudines Floriacenses*, post Missam de sancta Maria le-„ gitur psalterium in choro, ad finem dicitur *Requiem*, „ & debent omnes prostrati super formas: Cereus Paschalis „ debet hodie fieri.)

XXVIII. De duobus sequentibus diebus hæc consuetud. Germaniæ nu. 23. *Tertia & quarta feria radendum est, & balneandum*; quod ex Statutis Lanfranci ita debet intelligi, ut „ (feria tertia radendi sint fratres in claustro „ simul ipsa die, & in crastino debent esse balnea præpa-„ rata,) qua de re actum est supra cap. 2.

XXIX. De feria item tertia liber Usuum Beccensium: „ (Feria tertia ante Tertiam debet Ortolanus mundare „ refectorium, & post Completorium claustrum; Secreta-„ rius quoque tunc Capitulum, & feria IV. Ecclesiam.) quæ omnia fieri jubent etiam consuet. Grandimontensium c. 15.

XXX. Ad quartam feriam multo plura pertinent. Primo enim Cassinenses in veteri Ordinario sanciunt, ut „ (ad Capitulum post pronunciationem mensis & lunæ „ dicatur: *Cœna Domini, quando cœnam cum discipulis* „ *suis*, & mox projiciant se omnes in terra gratias agen-„ tes Deo cum silentio; & statim surgentibus cunctis, di-„ cat Sacerdos: *S. Maria, & omnes Sancti intercedant*, & „ reliqua, sicut est consuetudo, quod similiter feria V. & „ Sabbato fiat.)

XXXI. Deinde processio solita ante Missam prætermittebatur ex Lanfranci Statutis, Benignianis consuetudinibus & Lyrensibus: rationem reddunt Benignianæ consuetudines c. 57. his verbis: „ (In hac IV. feria est quasi XL. „ claudenda, in qua officium Missæ aliquantulum est pro-„ lixius propter duas Lectiones, & Passionem; ideoque „ Majores nostri decreverunt, ut in illo die non solum „ nulla festivitas celebraretur; sed nec processio, nec offi-„ cium defunctorum ageretur.) De officio defunctorum dicemus postea.

XXXII. Ad Missam quod spectat, duæ in ea Lectiones

nes dicebantur, & Passio secundum Lucam. Ad orationem, quæ primæ Lectioni præmittitur, dicebant. *Dominus vobiscum*. Oremus: *Flectamus genua*, & *Levate*. Lectio prima juxta Tullense S. Apri Ordinarium, *ab uno puero in alba, & cum tabula* cantabatur: Lectionem sequebatur R. ab uno puero, vel a toto conventu decantandum; dictaque deinde collecta, cum *Oremus*, sine *Flectamus genua*, Subdiaconus Epistolam legebat, quam excipiebat tractus; *Domine exaudi*, a duobus fratribus ex Ordinario S. Petri supra Divam, & Tullensi, atque ex recentioribus Corbejensium consuetudinibus; & quidem *in albis*, ex prædictis Ordinariis. Hi ex Tullensi erant, *qui præcedenti Dominica nominati fuerunt ad tractum*. Apud Dionysianos vero, *duo Sacerdotes in albis*: modum vero prædicti tractus concinendi, docent Corbejensis Monasterii consuetudines, his verbis: „ [Feria quarta sequenti cantabunt duo Monachi tractum ad magnam Missam: *Domine exaudi*. Mox, ut cantaverint primum V., conventus repetet eundem versum, & cantabunt; & post prædicti duo Monachi cantabunt alium V., & conventus repetet tractum in medio, scilicet: *Et clamor meus*, & sic usque in finem dictus tractus cantabitur; & post prædicti duo Monachi iterum incipient principium primi V. de dicto tractu, & conventus cantabit eumdem R...) Brevius Cassinenses Ordinar.: „ (Ad Missam unus frater indutus alba lineæ cantet tractum: *Domine exaudi*, & post omnes V. ejus, ad unum versum repetatur in choro: *Domine exaudi*, & ad alium: *Et clamor meus*.) Hujus ritus rationem innuunt consuetudines S. Germani e Pratis, nimirum quia tractus *est loco Responsorii*. Hunc tamen cantabant nostri Tullenses: „ (More aliorum tractuum per Dominicas XL, huicque subjungebant alium tractum *Domine non secundum peccata*.)

XXXIII. Sub finem tractus skilla, sive campanula pulsabatur ad congregandos absentes, ut nempe Passionem audirent, in qua cum Diaconus ad illa verba: *Et velum templi scissum est*, pervenisset, cortina deponebatur, aut saltem trahebatur.

XXXIV. Post Missam, omnibus pulsatis signis, Vesperarum celebrabant officium, quas Abbas solemniter decantabant; & quidem in *cappa rubea*, ut ajunt consuetudines Dionysianæ; licet ex consuetudinibus Sancti Germani e Pratis, Domnus, qui cantabit Vesperas; habebit cappam de pallio albo. Propter hujus officii, diecque solemnitatem plurima de solita psalmodia detrahebant, qua de re audiendus in Statutis Lanfrancus c. 1. §. 4. „ (Ante Vesperas non dicantur psalmi; *Deus auribus nostris*; pulsentur signa, sicut in festis diebus. R. *Circumdederunt me*, Hebdomadarius canat. Preces, *Ego dixi Domine*. Psalmus ad preces similiter, *Miserere mei Deus*. Psalmi prostrati non dicantur. Post Vesperas de omnibus SS. dicantur Vesperæ pro defunctis: officium mortuorum, quod post mensam dici solet, non dicatur.] Ex solita ergo psalmodia præter psalmum: *Miserere mei Deus*, nihil aliud dicebant, quam Vesperas de omnibus SS., & Vesperas defunctorum, ad quas etiam prætermittebant antiphonas nostri Divionenses S. Benigni c. 57. *Ad (placebo Domino) non dicuntur antiphonæ ipso die*, inquiunt in consuetudinibus; nonnulli tam Vesperas, quam vigilias defunctorum etiam omittebant; quod tamen sub conditione decernunt Corbejenses nostri in veteri Ordinario, scilicet *nisi brevis deforis afferatur, vel frater in Monasterio finiatur*; quod etiam habet lib. consuet. S. Benigni, additque: „ Missa vero pro fratre illo, quo deforis brevis affertur, donec privata dies post octavas Paschæ veniat, non dicetur: pro fratre autem, qui in Monasterio finierit, postquam Missa matutinalis in IV. feria dicta fuerit, usque in Pascha in V. feria Paschæ differtur, & tunc eodem modo celebrabitur, ac si præsens esset defuncti corpus.)

XXXV. In Monasterio tamen S. Petri supra Divam Vesperis diei præmittebantur etiam Vesperæ de B. Maria cum SS. suffragiis.

XXXVI. De Completorio vero sic loquuntur Cassinenses in veteri Ordinario: „ (Ad Completorium autem sonet tabula, & Abbas faciat confessionem, & sic incipiant tenere psalmos sine *Gloria*, & in fine trium psalmorum nihil dicatur, nisi V. *Custodi nos Domine ut*, & sic apud se unusquisque finiat Completorium, & in fine Sacerdos, aut Abbas det benedictionem.)

XXXVII. Denique cortina, quæ hactenus ante altare dependeret, post Completorium deponebatur, ex Statutis Lanfranci, consuet. Lyræ, & Corbiæ, atque Rituali Beccensis Monasterii.

CAPUT XIII.

De Cæna Domini.

I. PErvenimus tandem ad magna, & Sacrosancta Mysteria, quæ triduo ante Pascha coluntur, & celebrantur, in quibus tot, tam frequentes, tamque diversi ritus occurrunt, ut in iis referendis, & exponendis, singulis diebus singula merito consecrari debeant capitula, & ut a Cœna Domini, quam jure *Pascha Domini* appellant consuetudines Germaniæ, incipiamus, quis nocturnum diurnumve officium novo ritu novo ordine decantandum, quis novas capituli observantias, utramque pauperum & fratrum Missam, utramque refectionem, & mandatum, collationem aliosque hujus diei ritus brevi queat capitulo comprehendere, cum teste Udalrico l. 1. c. 12. *in tota anni tempore non est ullius diei obsequium tam multiplex, & tam prolixum, ut in Cœna Domini*, in quo proinde referendo diutius non est immorandum. Et si nocturnus, diurnusque Officii Divini cursus ex Regula S. Benedicti, omni anni tempore eodem ritu celebrandus, nihilominus antiquis nostris Patribus visum est, ut Romanum psallendi ordinem, ne a reliquis Christi fidelibus dissiderent, triduo ante Pascha susciperent. Hoc, ut credimus Hildemaro Comm. in Reg. S. Bened. c. 14., sub Ludovico Pio Imperatore potissimum factum est, authoritate congregati in Francia Concilii, forte Aquisgranensis, in quo reluctantibus licet nonnullis Abbatibus, Episcopi de consensu eorum Abbatum sanxerunt, ne hoc triduo Monachi in divinis officiis ab Ecclesia Romana discreparent; qui tamen, volentibus Episcopis Pascha etiam a Monachis, Romano more celebrari, fortiter restiterunt; antiquior tamen saltem in nonnullis Monasteriis hujus ritus extitit origo, quam S. Gregorio Magno tribuere videtur Amalarius in Supplemento ad l. IV. de Divinis Officiis tom. 2. Anal. Et certe antiquo ordine officii, in domo S. B. ante Pascha, quem ex cod. ante annos 900. descriptum, edidit noster Mabillonius, præscribitur, ut in Cœna Domini „ (Congregati omnes in oratorio versum non dicant, nec votationem, nec Presbyter compleat, nec orationem dicant, nisi tantum simpliciter incipiant antiphonam, novem psalmi dividantur in tres vices, tres, tres, tres cum novem R. majoribus, & novem Lectionibus de Lamentatione Jeremiæ, & tractu de Passione Domini;) quæ omnia coincidunt cum officio Romano, quod in omnibus omnino Monasteriis, saltem multis in rebus, post prædictum Concilium admissum fuisse constat. „ (In quibusdam vero locis, *inquit Amalarius in præfato supplemento*, non ignoro, in Passione Domini tribus noctibus XII. psalmos, & XII. Lectiones cum responsoriis agi: ubi prætermittuntur hymni & cantici, quippe qui pertinent ad lætitiam: ut in prima nocturna quatuor psalmi in solito more dicantur, & in secunda nocturna quatuor, in tertia quoque quatuor. Officia tamen inchoationis, ac terminum amittunt psalmum; itemque Invitatorium, sicut in Theophania non recitant.)

II. Porro antequam nocturnas vigilias celebrarent, accensis prius cereis, gradales quindecim psalmos sub silentio recitabant, ut ex Lanfranci statutis, Udalrico, Benignianis, Floriacensibus, Dionysianis, Compendiensibus, Laudunensibus, Sangermanensibus, Lyrensibusque consuetudinibus, veteri Ordinario Corbejensi, & libro Usuum Beccensium constat. Rem ita enarrant Divionenses S. Benigni consuetudines: „ (Cœna Domini ante vigilias, velum quod pendet ante altare, & chorum, penitus aufertur, & XV. candelæ in modum Pyramidis ante sanctum altare accenduntur, & quæ ab initio Matutinorum usque ad finem paulatim, & æqualiter extinguuntur, ad nocturnos eodem modo pulsantur signa, quo in XII. Lectionibus, tribus peractis orationibus, XV. cantica graduum sub silentio ab unoquoque dicuntur, per singulas incisiones super formas procumbitur.] Quibus in verbis notandum primo, quod ante vigilias nocturnas velum, seu (ut vocant) cortina penitus auferebatur, alii pridie post Completorium id præstabant.

III. Secundo. Quod quindecim cereos seu candelas ad nocturnos accenderent: totidem assignant Udalricus, consuetudines S. Vincentii Laudunensis, consuetudines Corbejensis Monasterii, consuet. Grandimont., & Breviarium Casalis Benedicti: tot nimirum, quot psalmi, aut antiphonæ tam ad vigilias, quam ad Matutinos cantarentur: „ (quæ consuetudo, *inquit Udalricus*, satis nota est, & Ecclesias omnes, quæ in illis sunt partibus, generalis.) MS. Germaniæ consuetudines præscribunt, „ (antequam primum fiat vigiliarum signum, omnia quæ præparata sunt, accendantur luminaria, videlicet XVIII. & VII.

hoc

hoc est viginti quinque; totidem etiam præscribunt Floriacensis Monasterii consuetudines, tot nimirum, quot antiphonæ, & responsoria ad Nocturnos, & Matutinos notantur; totidem etiam accendebant Beccenses nostri, præscribentes, ut „ (per unamquamque antiphonam, & per unum-„ quodque ℟. extinguat Secretarius candelam unam.) Sed & Ordo Romanus notat, quod „ (accenduntur in quibus-„ dam locis in hac nocte viginti quatuor lumina, & extin-„ guuntur per singulas Lectiones, & Responsoria.) Cassinenses non satis clare explicant, quot cereos ad Nocturnae vigilias accenderent, sed omnia secundum Romanam consuetudinem peragebant; in ordine autem Romano numerus candelarum definitus non legitur. In vetusto codice Corbejensis Monasterii ab annis circiter 800. manu exarato, in quo Ordo Romanus illius Monasterii consuetudinibus reperitur adaptatus, decernitur, ut ante vigilias *ecclesia omni lumine sit decorata, idest xxxix. luminaribus*, quot fortasse accendebant etiam Cassinenses.

VI. Tertio. Hujusmodi cereos accendebant *in modum Pyramidis ante sanctum altare*; Floriacenses *super pronae*; Cassinenses, & Corbejenses ex citato codice sparsim per omnem ecclesiam.

V. Quarto. Cereos *ab initio Matutinorum usque ad finem paulatim, & æqualiter* extinguebant, hoc est, *ante singulos psalmos*, ut explicat Udalricus l. 1. c. 12., sive *in fine cujuslibet psalmi*, ut habet Breviarium Casalis Benedicti, sive incepta qualibet antiphona, ut decernunt Laudunenses S. Vincentii consuetudines. Qui cereos viginti quinque accendebant, per singulas antiphonas, & singula responsoria singulos etiam extinguebant, ut patet ex citato libro Usuum Beccensium, & ex Statutis Lanfranci, in quibus idem præscribitur; sed Cassinenses ita luminaria ab Introitu Ecclesiæ incipiebant extinguere „ (ut peracta prima „ vigilia, tertia pars esset extincta; media autem vigilia, ite-„ rum tertia pars; tertia vero vigilia, omnia sint extin-„ cta, exceptis septem lampadibus, quæ sunt ante altare „ extinguendæ ad Matutinum,) inquit vetus eorum Ordinarium; quod fusius explicat codex Corbejensis his verbis: „ (Lumen autem ab initio cantus nocturnæ in-„ choetur extingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ip-„ sius ecclesiæ incipiatur paulatim tutari, ut v. g. peracto „ primo nocturno videatur eorum tertia pars extincta „ esse, medio nocturno iterum tertia pars, tertio vero „ nocturno expleto, exceptis septem lampadibus, nihil „ luminis relinquatur; quod hoc modo ordinare possumus: „ primo nocturno cum incipit Cantor primam antiphonam, „ sit Custos paratus, & tutat unam lampadem ab introi-„ tu ecclesiæ, & cum finierit ipsum psalmum, aliam tu-„ tat; & cum audierit secundam antiphonam, tutat ter-„ tiam; & psalmo finito, tutat quartam; & quando tertia „ antiphona inchoatur, quintam lampadem tutat, & cum „ finitur ipse psalmus, tutat Sextam; & dum orant, „ tutat septimam; cum vero lector primam Lectionem „ legerit, tutat octavam; & inchoato primo ℟. tutat no-„ nam; & cum Lectio secunda legitur, tutet decimam; „ audito vero secundo ℟. tutat undecimam; quando au-„ tem tertia Lectio inchoatur, tutat duodecimam, & sic „ inchoato tertio ℟. tutat decimam tertiam: ista est „ tertia pars luminis Ecclesiæ. In secundo quoque no-„ cturno ipsum ordinem tutationis, quem in primo con-„ stituimus, observet: porro in tertio nocturno cum au-„ dierit primam antiphonam, tutat lampadem unam: & se-„ cunda antiphona inchoata, tutat aliam; & cum ter-„ tiam audierit, tutat tertiam; quando autem prima Le-„ ctio ejusdem nocturnæ legitur, tutet quartam, & cum „ secunda incipitur, tutet quintam; tertia vero cum incoa-„ tur, tutat sextam; & ita fit, ut nihil luminis remaneat, „ nisi 7. lampades, quæ in Matutinis hoc ordine extin-„ guuntur. Initium primi psalmi sit custos paratus in loco „ dextræ partis ecclesiæ prope lampadibus, ut ubi audie-„ rit antiphonam, tenens cannam in manu sua, tutat lam-„ padem unam; in fine vero psalmi ipsius tutat aliam in „ sinistra parte; in secundo psalmo cum audierit antipho-„ nam, tutas aliam in dextera parte, & sic unam ex una „ parte, alia ex alia tutatur usque ad Evangelium; in „ Evangelio tutatur mediana lampada.) Hujus porro ri-„ tus fit mentio in lib. Mirac. Sancti Ursmari Abbatis Laubiensis n. 18. sæc. 2. Bened. part. 1.

VI. Quinto, tres orationes de quibus fit mentio, eæ erant, quibus circum visitando altaria nocturnos præveniebant, de quibus egimus in libro primo. His omnibus peractis, & recitatis fleris genibus, & cum solitis incisionibus in silentio xv. psalmis gradualibus, nocturnos incipiebant ab antiphona, *Zelus domus*, quam auspicabatur Hebdomadarius, ex Statutis Lanfranci, lib. Usuum Becc., consuetudinibus S. Benigni, S. Dionysii, S. Vincentii,

& S. Germani a Pratis: reliquas antiphonas imponebant fratres, *secundum quod in tabella notatum fuerat, ut in* xii. *Lectionibus*, quemadmodum habent Benignianæ consuetudines. Imposita prima antiphona, omnes petebant veniam, hoc est flectebant genua, idque ab omnibus, saltem nigris monachis, observabatur. Tres porro tantum antiphonas, tresque psalmos dumtaxat ad singulos nocturnos percutiebant; sed psalmos sine *Gloria*; cujus loco in fine psalmorum: *Miserere nostri Domine, miserere nostri*, cantabant Grandimontenses monachi ex consuetud. Guillelmi Pelliceri c. 16. Postea dicto versu, ut in officio mortuorum, & oratione Dominica sub silentio, tres Lectiones cum totidem ℟. dicebant.

VII. Tres autem primas lectiones ex Lamentatione Hyeremiæ Prophetæ desumebant, quae *sine cantu, & solitis alphabetis* legebant, ut discimus tum ex Statutis Lanfranci, tum ex Udalrico, consuetudinibus S. Benigni Divionensis, & veteri Corbejensium Ordinario; neque enim tum apud monachos inoleverat singularis Lamentationes decantandi modus, recentioris omnino instituti; qui nec simplicitatem, nec modestiam redolet monasticæ vitæ convenientem, & curiositati potius, quam pietati ac devotioni adsistentium excitandæ aptus comprobatur, quem merito a suis Ecclesiis procul eliminarunt nostri Cassinenses suis in declarationibus etiam anni 1642. statuentes, in Reg. 19. n. 3. „ (ut in Hebdomada Sancta nullo pacto va-„ rietur, aut mutetur cantus tam in Lamentationibus, „ & *Benedictus*, & Passione Domini, quam in aliis om-„ nibus; sed secundum ritum, & morem antiquum Congrega-„ tionis fiat, ut simplicitas, & uniformitas servetur in „ omnibus, ne scandalizentur Laici hujusmodi vanitati-„ bus.)

VIII. Legebantur autem, sine præmissa benedictione, & sine solita conclusione, *Tu autem Domine*, cujus loco in Breviario Casalis Bened. legitur, *Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum*. Aliis Lectiones, ut in officio defunctorum, terminabant.

IX. In secundo nocturno Lectiones ex S. Augustino super psalmos decurrebant; in tertio vero nocturno ex Epistolis Apostoli, sed in MS. S. Dionysii consuetudinibus ad tertium nocturnum notentur Lectiones ex Evangelio: *Ante diem festum Paschæ*, sive *In illo tempore*, hoc est ex homilia in Evangelium istud. Ultimum cujusque nocturni ℟. dicebatur sine *Gloria*, & in fine repetebatur.

X. Finito ultimo ℟. Laudes, quas Cistercienses dividebant, & *regulariter circa diem* canebant, pulsatis omnibus signis statim incipiebat Hebdomadarius ab antiphona, quam imponendo, omnes illico flectebant genua, ut supra ad nocturnos; et apud Grandimontenses *unusquisque per se* præmittebat orationem Dominicam. In Laudunensi vero S. Vincentii monasterio prima incepta antiphona altare discooperiebant.

XI. Incepto autem psalmo: *Laudate Dominum de Cælis*, Custodes puerorum ad eos accedebant, sicque inter eos stabant, ut unus inter duos esset, *qui ambos per manicas* tenebat, ut ait Udalricus, & sic scirer, quid agerent; quod ideo maxime faciebant, ne omni Ecclesiæ lumine extincto, profundis noctis tenebris exterrentur; eam ob causam in Parisiensi S. Germani monasterio Custodes ipsi laternas sub frocis accensas tenebant: „ (Quando erit ver-„ sus finem de *Laudate Dominum de Cælis*, (*inquiunt* „ *consuet. hujus monasterii*,) Custodes puerorum exibunt „ de choro, & accipient laternas eorum, & accendent „ intus candelae, & venient in chorum inter pueros, „ ne pueri timeant, laternæ erunt sub frocis suis.) Ex consuetudinibus autem Germanis omnino choro exibant, & in dormitorium deducebantur: „ (*Ad Laudate Domi-„ num de Cælis*, magistri inter infantes se constituant, „ quibus exeundi fratres dent spatium, ut cum laternis „ ante sibi paratis ab ostio Ecclesiæ dormitum pergant.) Tunc vero omnia monasterii, hoc est, Ecclesiæ luminaria, quæ remanebant accensa, a Sacrista, sive Capicerio extinguebantur „ (Præter unam, *inquit Lanfrancus*, „ quæ in choro ardeat, quæ & ipsa Cantore incipiente „ antiphonam: *Traditor autem*, extinguatur.) Cassinenses incepta antiphona: *Traditor autem*, præter septem lampades, quae ad antiphonas, & psalmos Laudum extinxerant, septem alias, quæ ante absidam pendebant, extinguebant.

XII. Repetita antiphona, *Kyrie eleison* singuli prorsus rite decantabant, quem ita describunt in veteri Ordinario: „ (Antiphona: „ *Traditor* finita, mox incipiant „ canere: *Kyrie eleison*; & pergant tres Clerici ante alta-„ re, & cantent versum *Domine miserere*, & chorus per „ unumquemque versum repetat *Kyrie*, sive *Christe*; qui-

bus finitis omnes inclinati cum silentio cantent *Pater noster*, & orationem; deinde accendatur ante altare candela una usque ad lucem diei.) Hunc ritum clarius, & distinctius exprimit Dunstanus in Concordia: „ (Comperimus, *inquit*, etiam in quorumdam Religiosorum Ecclesiis quiddam fieri, quod ad animarum compunctionem spiritualis rei indicium exorsum est, videlicet, ut peracto quidquid ad cantilenam illius noctis pertinet, Evangelique antiphona finita, nihilque jam cereorum luminis remanente, sint duo ad hoc idem destinati pueri in dextra parte chori, qui sonora psallant voce, *Kyrie eleison*, duoque in sinistra parte similiter, qui respondeant, *Christe eleison*: necnon & in Occidentali parte duo, qui dicant, *Domine miserere nobis*; quibus peractis, respondeat simul omnis chorus: *Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem*. Deinde pueri dexterioris chori repetant, quæ supra eodem modo, quo supra, usquequo chorus finiat quæ supra, idemque tertio repetant eodem ordine, quibus tertio finitis agant tacitas genuflexo more solito preces.)

XIII. Similiter liber Usuum Beccensium: „ Cum psal. *Laudate Dominum*, jam prope dictus fuerit, injungat Cantor quatuor fratribus, quibus voluerit, dicendos versus, *Kyrie eleison* post *Benedictus*: finita jam prope antiphona, venient fratres, qui versus cantabunt, & stabunt, ubi hospites accipiunt benedictionem; alii vero duo, qui respondebunt: *Kyrie eleison*, stabunt ante gradum, ubi legitur Epistola. Finita antiphona incipient illi, qui in choro sunt ita: *Kyrie eleison*, alii duo, qui ante eos sunt, respondeant similiter: *Kyrie eleison*; & illi duo, qui in choro sunt: *Kyrie eleison*, alii duo: *Christe eleison*, item primi ℣. *Qui passurus advenisti*, alii duo *Christe eleison*; item primi ℣. *Qui prophetice*, alii duo; *Christe eleison*; item primi ℣. *Qui expansis*, alii duo: *Kyrie eleison*, item primi: *Kyrie eleison*, alii duo: *Kyrie eleison*; primi: *Domine miserere*, conventus: *Christus Dominus*; tunc quatuor Cantores simul: *Factus est obediens usque*, conventus: *Mortem autem crucis*. Similiter in crastino, & in Sabbato. Illi autem duo, qui stant, ubi legitur Epistola, in eodem loco, finito: *Kyrie eleison*, curvent genua, & dicant preces duo, qui sunt in choro super formas. Preces: *Ego dixi Domine*. Psalm. *Miserere* tantum. Oratio: *Respice quæsumus Domine*; & facto sono a majore, proferatur laterna cum lucerna, & surgant omnes, & revertantur ad strata.) Idem habent consuetudines Lyræ. Simile etiam aliquid innuit Ordinarium S. Petri supra Divam, in quo duo Presbyteri in medio chori alta voce incipiebant: *Kyrie eleison*; duo vero novitii respondebant: *Domine miserere*; item, & Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines: sed Statuta Lanfranci, Udalricus, consuetudines S. Benigni, vetus Corbejensis monasterii Ordinarium, consuet. S. Germani, S. Vincentii Laudunensis, & Germaniæ, nullam hujusce ritus mentionem faciunt; sed tantum, ut „ (finita antiphona, curventur super formas, sub silentio dicentes, *Kyrie eleison*, *Pater noster*. Preces *Ego dixi Domine*: Psalmum *Miserere mei Deus*, solum sine *Gloria Patri*; collectam: *Respice quæsumus Domine*, signoque facto ab Abbate, vel Priore surgentes inclinent, sicut solent, ante & retro, & stet unusquisque in loco suo, usquequo Magister infantum laternas accensas in chorum deferat, & ipsis infantibus tribuat, Secretarius quoque accendat lumen ante altare, unde juvenes laternas suas accendant. His ita peractis revertantur omnes ad lectos suos.) Ita Lanfrancus, cui subscribunt alii.

XIV. Completis absolutisque Matutinis, nullum legimus apud veteres monachos editum fuisse fragorem, seu strepitum, ut nunc fit, cujus ne mentionem quidem faciunt rubricæ Breviarii Casalis Benedicti; sed sonitum tantum ab Abbate, vel Priore super formas, qui aliud nihil erat præter signum, quo fratribus licentia daretur exeundi, & dormitorium repetendi, ut patet tum ex citato Lanfranco, tum maxime ex veteri Corbejensi Ordinario: „ (Signo facto per sonitum a Domno Abbate, vel Priore consurgunt, & laternis cum lumine apportatis per magistrum puerorum, & aliis luminaribus per Secretarios, donec conventus possit exire, eunt dormitum;) & ex consuet. S. Cornelii „ (Post hæc Domnus Abbas faciat signum, & eant omnes dormitum.)

XV. Porro ex MS. Germaniæ consuetudinibus nocturnos ita temperabant, ut in tenebris complerentur; quod tamen de Laudibus, quam de nocturnis intelligendum est; quamvis Cistercienses l. Usuum c. 20. Laudes a nocturnis separatas circa diem decantarent, idque regulariter, hoc est juxta Regulam S. Benedicti, sive cum psalmis, & precibus a sancto Patre ad Laudes constitutis; nam & in eis hymnum dicebant, & Abbas orationem Dominicam alta voce pronunciabat.

XVI. De officio vero B. Mariæ, quod in quibusdam monasteriis quotidie dicebatur, hæc lego in veteri Ordinario S. Petri supra Divam: „ (De servitio sanctæ Mariæ, in quo reddendo tenetur quilibet, quotiescumque non dicitur in conventu, exceptis aliquibus solemnitatibus, quarum servitium partium ad laudem ejus pertinet, ut est Nativitas Domini &c. hujusmodi: Servitium nempe de sancta Maria his, & hujusmodi diebus, quibus in conventu minime dicitur, quamvis sit annualis festivitas & partim non sit de ipsa servitium celebratum, non negligat unusquisque reddere prout melius potuerit; ut qui ejus sine intermissione salutari indiget auxilio, servitium ipsius continua devotione studeat frequentare;) & Rubricæ Breviarii Casalis Benedicti: „ (Officium B. Mariæ non dicitur in choro; sed seorsum a singulis, aut binis fratribus usque ad Vesp. Sabbati in albis.)

XVII. Officium Primæ describunt consuetudines S. Dionysii in Francia his verbis: „ (Apparente aurora, pulsetur campana, & surgant omnes ad horas, & cantetur Prima hoc modo: non dicatur, *Deus in adjutorium*; sed incipiatur, *Jam lucis*, absque *Deo Patri*, & accipiant omnes veniam super genua, & ad omnes Horas, dum incipitur hymnus; postea incipiatur a puero antiphona, *Dominus tamquam ovis*, & cantentur psalmi, *Usquequo Domine*; *Dixit insipiens*: *Domine quis*, & non dicatur *Gloria*, post ullum psalmum usque in vigilia Paschæ ad Vesperas, nec dicatur: *Quicumque vult*, usque in octavam Paschæ. Post tres psalmos prædictos dicatur antiphona, & versus in directum: *Exurge Domine*, nec dicatur capitulum ad aliquam Horam; dicto versu, dicatur *Kyrie*: *Pater noster*, & preces sub silentio, & psalmus *Miserere*, & Oratio *Domine Deus, qui nos*, absque *Dominus vobiscum*; & post Primam non dicantur psalmi familiares; sed septem psalmi cum letania, & post letaniam sedeant in claustro.)

XVIII. Idem videre est in consuetudinibus S. Cornelii Compendiensis, in quibus multa observare licet. 1. Præmissa oratione Primam incipiebant ab hymno, non a solito versu, *Deus in adjutorium meum*; quod confirmant Statuta Lanfranci, Udalric. Corbejense Ordinarium, consuetud. S. Benigni Divionensis, S. Vincentii Laudunensis, & S. Germani a Pratis. In MS. tamen Germaniæ consuetudinibus n. 24. hæc lego: „ (Cum autem claruerit dies, a Custode signo dato, horam Primam cantaturi conveniant, in qua non dicatur: *Deus in adjutorium* alte, sed a singulis silentes super scamna; deinde more solito incipiat hymnum: *Jam lucis*, *Deo Patri*; & *Præsta Pater*, & *Gloria Patri* dimittantur.)

XIX. Cassinenses Primam incipiebant ab antiphona: *Ait Pilatus*, cui statim subjungebant psalmos, a quibus ex Concordia Dunstani lib. Usuum Beccensium, consuetudinibus Lyræ, & Ordinario S. Petri supra Divam, Prima exordium ducere debebat, cujus initio, sicut ad nocturnos, & Matutinos in genua procumbebant.

XX. Secundo, in hymno ultimam ejus stropham, quæ Trinitatis laudem continere solet, prætermittebant. Idem patet ex citatis consuetudinibus Germaniæ, Statutis Lanfranci, Udalrico, Corbejensi Ordinario, consuetudin. S. Benigni, & S. Vincentii Laudunensis.

XXI. Tertio, Psalmos consuetos, hoc est Regulares a S. Benedicto institutos subjungebant, ex Statutis Lanfranci, Udalrico, Ordin. Corb., consuet. S. Benigni; & quidem cum *antiphona*, & *tono*, quod etiam ad alias Horas, usque ad Completorium ipsa die faciebant: psalmis symbolum: *Quicumque*, sed sine *Gloria* addit Lanfrancus. Alii canonico more psalmos: *Deus in nomine*: *Beati immaculati* &c. decurrebant. Ita præscribunt Concordia Dunstani, Cassinense Ordinarium, liber Usuum Becc. consuet. Lyræ, & Ord. S. Petri supra Divam.

XXII. Quarto, Versum, & quæ sequuntur, preces solitas, sine psalmis familiaribus, sed tantum cum psalmo: *Miserere mei Deus*, sub silentio ita dicebant, ut cum perventum esset ad confessionis locum, Abbas signum ederet, ut diceretur ipsa confessio, *ita ut ab invicem audiatur*, inquiunt consf. S. Benigni, & Ord. Corbejense, absolutisque precibus, solita officium terminabant collecta, quam neque ad Primam, neque ad Completorium mutabant. In Beccensi, Lyrensi, & S. Petri supra Divam monasteriis preces bini, & bini, vel terni dicebant; sed in Congregatione Casalis Benedicti Primam, aliasque Horas ita persolvebant: præmissa in primis sub silentio oratione Dominica, & Salutatione Angelica, psalmos Canonicorum more in directum pronuntiabant, quibus finitis dicebant antiphonam;

nam: *Christus factus*; deinde flexis genibus: *Pater noster*, cui ad Primam addebant: *Confiteor*, psalmum: *Miserere* & collectam: *Respice*.

XXIII. „ (His tribus, *inquit Dunstanus*, Prima peracta, psallant psalterium ex integro unanimites in choro, post quod letaniam agant prostrati, deinde lectioni vacent.) Idem habent consuetud. Floriacensium, a quibus suas haurire potuit ipse Dunstanus; sed alii hac die psalmos dumtaxat septem pœnitentiales, sine *Gloria*, cum letania more solito persolvere contenti erat.

XXIV. Post Primam Cassinenses capitulum celebrabant. „ (Finita Prima, *inquiunt in Ordinario*, absolvatur capitulum secundum consuetudinem, Lector autem dicto datario, & luna, adjungat: *Parasceve Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*. Lectione completa, Abbas faciat sermonem, deinde confessionem eo ordine, quo in capite XL., quo expleto unusquisque librum, quem in capite XL. acceperat, quemadmodum Bibliothecarius ex tabella recitaverit, in præsenti reddat.) Alii post Tertiam, quam sicuti Sextam, & Nonam eodem modo, quo Primam cantabant, hoc est cum hymno, antiphona, psalmis Regularibus &c.; vel cum antiphona & psalmis Canonicorum, vel tandem cum solis psalmis Canonicorum, sine præmissa antiphona capitulum tenebant. Audiendæ sunt hanc in rem MS. Germaniæ consuetudines num. 2. „ (Statim post Tertiam capitulum adeunt, *inquiunt*, versum tacite dicentes, & sermone a Priore audito, recitentur consuetudines illorum dierum. Deinde jubente Priore, & nominante Camerario surgant non simul; sed singuli, & recipientes calcearia cum uncto & sapone in buxis, illi, qui distribuit, humillent se manibus defixis in terra; remanente vero coram Priore curvent genua, capite in terram supresso; hoc in omni dato, & accepto fiat; accipientes quoque nova, vetera reddant.) Quibus ex verbis, & ex citato Cassinensi Ordinario discimus, quales fuerint hac die capitulares actus: primus nimirum erat Lectio Martyrologii, in qua præmissis die, & luna annunciabatur Parasceves, seu Passio Domini nostri Jesu, cujus ad verba omnes in terram procumbebant. Legebatur autem sine prævia benedictione, & sine: *Tu autem* in fine; quidquid enim his tribus diebus, sive in choro, sive in refectorio, sive in capitulo, absque petita benedictione, & sine: *Tu autem* legebatur; „ (tantum enim inclinat; *inquiunt conf. S. Benigni c. 55.* ille, qui in capitulo, vel in Ecclesia, vel in refectorio legit, antequam lectionem incipiat in loco, ubi solet.) Laudunenses tamen S. Vincentii consuetudines ita statuunt. „ (Post ibi legens inclinando se sumit benedictionem in silentio ad legendum.) Secundus actus continebat versum, precesque inde consequentes, quæ sub silentio dicebant, ut patet tum ex citatis Germaniæ consuet. tum ex Statutis Lanfranci, ex Udalrico, Corbejensi Ordinario, consuetudinibus S. Benigni & S. Vincentii, sed ex consuetudinibus Lyrensis monasterii Sacerdos dicebat moderate: *Pretiosa in conspectu Domini*, sine *Gloria*, & sine *Dominus vobiscum*; ex libro Usuum Beccaus. „ (Lecta Lectione de sanctis dicant duo, & duo sub silentio versum: *Pretiosa in conspectu*, sine *Gloria*, sine *Kyrie eleison*, sine *Dominus vobiscum*;) ex consuetudinibus vero S. Cornelii Compend. „ (*Pretiosa est*, & *Isti*, *&* *omnes sancti*, dicatur in audientia, cetera sub silentio.)

XXV. Tertius actus, lectio Regulæ modo prædicto, quam sequebatur *Sermo*, vel de præsenti festivitate, vel de ipsius Regulæ expositione.

XXVI. Quartus, Sermonem in Ordinario Cassinensi sequitur confessio, de qua in vita S. Stephani Abbatis Obazinensis n. 15. tom. 4. Misc. Baluz. „ (In die vero Cœnæ Dominicæ, quæ misericordia plena est, generali supplicatione ab universis venia petebatur, ut quidquid per totius anni circulum deliquissent, hac sacra & solemni indulgentia deleretur. Tunc Venerabilis senior totus lacrymis perfusus, & peccata sua ante oculos sibi reducens, confisus de Dei misericordia, & sibi, & aliis indulgentiam tribuebat, & peccatorum vincula in Dei verba laxabat.) Confessionem etiam præscribunt consuetudines S. Dionysii in Francia, & S. Cornelii Compendiensis; sed post factam calceorum distributionem: „ (Ad finem capituli, *inquiunt Compendienses*, dicat Domnus Abbas, *Confiteor*, & respondeant *Misereatur*; *&* *Confiteor*: & Abbas: *Misereatur*, & *absolutionem*.) An vero isthæc confessio eadem sit cum absolutione, quam tunc temporis præscribunt Floriacenses consu., de qua etiam in consuetudinibus S. Germani a Pratis hæc lego: „ (Post sermonem nos dicemus ea, quæ etiam dicturi feria quinta, quando Domnus Abbas præcipiet ire quæsitum baculum pastoralem, & stolam, & librum pro faciendo absolutionem, tunc ibitur quæsitum;) quæ quidem absolutio fiebat in capitulo præmissis septem psalmis pœnitentialibus, ex collectaneo ejusdem monasterii; illius fit mentio in vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis n. 46. auctore Hildeberto Cœnomanensi Episcopo apud Boll. 29. Aprilis.

XXVII. Alii post sermonem horum dierum legebant consuetudines: „ (Sermone audito a Priore, recitentur consuetudines illorum dierum, *inquiunt conf. Germaniæ n. 24. &* *Statuta Lanfranci* c. 1. §. 4. factoque ex ea (Regula) sermone, correctis, quæ corrigi oportet, dicantur consuetudines, quæ agendæ sunt ab ipso capitulo, usque ad crastinum capitulum; dehinc ordinentur, quæ ad servitium totius diei ordinanda sunt;) & Udalricus l. 1. c. 12. „ (Antiqua consuetudo erat satis probabilis, ut in isto die, & præcedenti, & in sequenti, etiam per totum annum quotiens tale aliquid debuerit fieri, quasi novum, pro qualitate temporis, hoc in capitulo ab uno puero diceretur, qui si quid mendosum proferret, non esset talis persona cui contradici non auderetur. Nunc autem nescio propter quid hoc sit mutatum, etsi Domnus Abbas non adest, nec Prior, talis multum inde peritus præcentori vel alii fratri alicui potius quam puero imperat hoc munus.) Idem, vel quid simile habent consuetudines S. Benigni, & vetus Corbejense Ordinarium. In Ordinario etiam S. Petri supra Divam hæc lego: „ (Post Tertiam veniant in capitulum, ubi consuetudines ad hanc diem pertinentes commemorent, qui eas noverint, seniores.) Huc referri debet quod habent consuetudines Lyræ: „ (In ipso capitulo debet loqui de mandato, & debent assignari, qui serviant de Conversis: si vero minus sunt Conversi de Clericis fortioribus assignet;) & Compendienses: „ Hebdomadarii coquinæ venturæ hebdomadæ hac die in tabula recitentur.)

XXVIII. Ultimo tandem ex Ordinario Cassinensi, accepti in capite Quadragesimæ libri reddebantur quod solis (quod sciam) Cassinensibus singulare extitit; alias in Germaniæ consuetud. ultimo notatur loco calceorum distributio, de qua etiam Udalricus l. 1. c. 12., Corbejense vetus Ordinarium, consuetudines Floriacenses S. Benigni, S. Dionysii, S. Germani, & S. Cornelii. Modum eos distribuendi describit liber consuetudinum S. Benigni Divionensis his verbis: „ (Jubente Domno Abbate surgit Camerarius, & suffraganeus ejus, per eos fratribus ad se vocatis ipsa calceamenta erogantur, in quibus singulorum nomina fratrum sunt in particulis pargameni adscripta, & ex utraque parte a prioribus incipitur, accipientes nova, reddant vetera, ut pauperibus tribuentur. Sunt etiam ibi nocturnales æstivales parvi sine filtro, ut quibus necessarii fuerint, ut est infirmis, qui assidue morantur in infirmaria, erogentur.) Ipsi autem calces prius in capitulo, dum Tertia cantaretur, vel etiam antea, super perticas afferebantur. Præter calceamenta alia etiam vestimenta, quæ necessitatem patientibus erant eroganda, hoc in capitulo simul dabantur, ut discimus ex consuet. Germaniæ; quibus tamen in rebus cujusque loci possibilitas prospiciebatur.

XXIX. „ (Post capitulum, *inquiunt consuetudines Lyræ* dicatur *Verba mea*, & oratio a Sacerdote. Si defunctum habent, & si breve legitur, eant in ecclesiam canendo: *Verba mea*, & signa sonet: Sexta feria & Sabbato breve non legitur, quia non itur in ecclesiam.) Idem videre est apud alios; psalmos tamen alta voce, preces sub silentio dicebant.

XXX. Post capitulum etiam consuetudines Floriacenses præscribunt faciendam esse rasuram; consuetudines Sancti Germani a Pratis permittunt his, qui volunt, *ire ad confessionem*, *&* *ad peculiares disciplinas*.

XXXI. Cassinenses, qui statim post Primam in capitulum conveniebant, præscribunt, ut „ (Tertia finita cantatur Missa pauperibus, qua completa inducantur pauperes in atrio ecclesiæ, & ordinentur ad sedendum. Post hæc veniat Abbas cum omnibus fratribus ante illos, & adorent eos ponentes capita sua in terram, & surgentes incipiant eis lavare pedes per ordinem, incipientes a senioribus; ceteris interim fratribus residentibus, & antiphonas ipsius officii canentibus. Quo finito, cibum ac potum illis ministrantibus, & dent singulis singulos denarios. Finitis omnibus dicatur de more: *Suscepimus Deus*, & cap., & oratio; & iterum flexis genibus adorentur, & dimittentur.) Alii vero non statim post Tertiam; sed post capitulum, vel post Sextam; Missam quidem pauperibus cantabant, eisque largam & pingues eleemosynam largiebantur, mandatum autem

post

post majorem Missam ante Vesperas reficiebant, excepto tamen Dunstano, qui in sua Concordia hæc scribit: ,, (Sexta peracta, celebretur Missa pauperibus ante ad ,, hoc collectis, secundum numerum, quem Abbas prævi- ,, derit; dehinc collectis in locum congruum, eant fra- ,, tres ad agendum mandatum, ubi canentes antiphonas ,, eidem operi congruentes, lavent, & extergant pedes ,, pauperum, atque osculentur; & data aqua manibus ,, eorum, dentur eis etiam cibaria, fiatque secundum ,, Abbatis arbitrium in eis distributio nummorum.) Sed quæret aliquis, quot nimirum pauperibus illhæc Missa caneretur, quid in ea pauperes, vel monachi præstarent, quæque, qualisve eis eleemosyna distribueretur. Primum non exprimunt Cassinenses, sed neque Dunstanus, neque Lanfrancus. Consuetudines Germaniæ indefinite decernunt ut ,, (post Sextam provisos pauperum *multitudinem* indi- ,, gentium in aliqua entia assideat;) &c. Nonnihil amplius habet Udalricus, cum dicit, ut in capitulo post calceamentorum distributionem, ,, (pronuncietur, quanti ,, fratres sint in claustro, ut tanti quoque pauperes ad ,, mandatum admittantur; & insuper quantum visum ,, fuerit pro amicis nostris Domno Abbati: ipsis autem ,, pauperibus continuo a Sacerdote, qui Missam matuti- ,, nalem cantaturus esset, cantatur ad altare sanctæ cru- ,, cis.) Idem legitur in libro consuetudinum S. Benigni Divion. c. 58., & in veteri Corbejensi Ordinario: cujus praxim videre est in vita S. Hugonis auctore Hildeberto Cœnomanensi Episcopo n. 46. apud Boll. 29. Aprilis. Rem absoluta definiunt Floriacensis monasterii consuetudines his verbis: ,, (Ipso die post capitulum Sacerdos, ,, qui Missæ minoris Hebdomadarius est, cum Diacono ,, cantat Missam de die ad altare Sanctæ Crucis ad cen- ,, tum pauperes,) quod adhuc in hujusce sæculi currentis principio observabant Floriacenses nostri.

XXXII. Idem præscribunt consuetudines S. Germani a Pratis: ,,(Quando absolutio erit facta, *inquiunt*, Domnus ,, Abbas mittet quæsitum *centum pauperes*, & debent ire ,, Camerarius, & Subcamerarius, & Eleemosynarius, & ,, Subeleemosynarius, & *tres* vel quatuor fortiorum Re- ,, ligiosorum. Quando pauperes fuerint reperti, ipsi ad- ,, ducentur ad navem monasterii . . . . . Hebdomadarius ,, missæ matutinalis ibit celebratum ad altare S. Crucis ,, &c.) quam Missam una cum ministris in Vincentiano monasterio cantabant *Pauperes Clerici*.

XXXIII. Hac in Missa, quæ de die in altare crucis cum Diacono cantabatur, communicare debebant *pueri & juvenes homines*, ex consuetud. S. Germani a Pratis; *pueri & infirmi*, ex Dionysianis, & Compendiensibus: *Monachi qui ad majorem non possunt propter occupationes*, ut habent consuetud. Lyræ, & lib. Usuum Beccensium; Pauperibus vero ipsis singulis singulæ distribuebantur oblatæ sive hostiæ non consecratæ, ut discimus ex Statutis Lanfranci, ex Udalrico, veteri Corbejensi Ordinario, consuetudinibus S. Benigni, & Floriacensis monasterii; quare vero non consecratæ, docent cum Udalrico consuetudines S. Benigni c. 58. ,, (Et singulis, *ajunt*, singulæ dantur ,, hostiæ non consecratæ, finita Missa, non enim congru- ,, um est, ut ita indiscrete communicent, quorum con- ,, scientia nescitur.) Ritum autem eos communicandi tradit Lanfrancus in Statutis: ,, (Expleta Missa com- ,, municet Sacerdos ipsos pauperes de oblatis non consecra- ,, tis, signo tantum S. Crucis in nomine Domini super ,, eos facto.) Ex consuetudinibus tamen Germaniæ n. 24. ex omni pauperum multitudine XII. eligebantur, postea separatim reficiendi, qui ipsi communicabant: ,, (Dum autem hoc agitur, *inquiunt*, audiant Mis- ,, sam XII. pauperes, & servitor eorum, atque communi- ,, cent; postea in hospitale, mensa eorum diligenter præ- ,, parata & referta, manducent.) Nisi forte hunc locum intelligas de communione panis non consecrati, ut apud Lanfrancum, & alios. Completa Missa pauperibus erogabatur eleemosyna, quæ in edulis maxime consistebat; ,, (Veniens Abbas cum quibus voluerit, *inquiunt consue- ,, tudines Germaniæ n. 24.*, distribuat eis panem, & vi- ,, num, legumina, seu pastum, sal, vel cetera hujusmo- ,, di, secundum possibilitatem loci.) Udalricus l. 1. c. 12. ,, (In hospitali autem reficiendis bina dantur edulia faba- ,, rum, & milii.) Idem habent consuetudines Floriacenses, S. Benigni, & vetus Corbejense Ordinarium; consuetudines S. Germani hæc scribunt: ,, (Post Missam Ca- ,, merarius ducet pauperes in illud cimiterium, & faciet ,, eos lavare pedes suos, & dabit cuilibet duo alleta, & ,, plenam scutellam fabarum, & unum scyphum vini, & ,, unum panem.) Denique consuet. Lyræ: ,, (Finita Missa eant ,, pauperes in salam, det eis Celerarius manducare, & ,, bibere usque sufficientem refectionem.) Hanc eleemosynam ex consuetudinibus Germaniæ faciebant ante Missam multitudini pauperum, ex quibus XII. tantum Missam audiebant, communicabant, & post Missam reficiebantur: ubi vero omnes omnibus post Missam: factaque eleemosyna pauperibus aqua calida pedes lavabant, ut nimirum abstersis grossioribus sordibus, id Abbas postea minori cum repugnantia præstaret. Hæc omnia misericordiæ opera ad instar veterum monachorum, qui largas in Cœna Domini eleemosynas in pauperes profundere solebant, nostri præstabant; cujus rei egregium nobis exemplum suppeditat Johannes Moschus in Prato spir. c. 85. ubi de monasterio Theodosii Antiocheni Abbatis, loquens hæc habet ,, (Con- ,, suetudo fuit, ut in Cœna Domini pauperes omnes, & ,, populi religionis hujus confluerent huc, & acciperent ,, medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sex- ,, tarium vini, mediumque sextarium mellis pro quoli- ,, bet.) Hæc porro eleemosyna ad tritici *quingentos* modios ascendebat, ut consequentibus patet.

XXXIV. Post Nonam solemnis fiebat novi ignis benedictio, de qua hæc lego in veteri Corbejensi codice: ,, (Eadem vero die Cœnæ Domini excutiant ignem de ,, lapide in loco foris basilicæ sub idem oratorium; sive ,, vero, in loco quo consideraverit Prior, ita ut ex eo ,, igne candela possit accendi, quæ candela in arundine ,, debet poni, & a Custode ecclesiæ portari præsenti po- ,, pulo, & de ipso igne continuo in eadem ecclesia, vel ,, loco accenditur; lampada una servetur usque in Sabba- ,, tum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedi- ,, cendus est. Custos vero, sicut jam diximus, accipiat ,, candelam in manu sua illuminatam in cannam, & per- ,, gat prosequente eum populo cum supplici silentio, ita ,, ut summitas candelæ, qua illuminatur altare, versa in- ,, clinata respiciat illam ecclesiam, quam sunt ingressuri ,, . . quæ tamen ecclesia prius absque lumine erit, præ- ,, paratis ante altare VII. lampadibus, ita compositæ, ut ,, absque ullo impedimento cujuscumque retardationis, manu ,, Custodis possint accendi, ac deinceps præparatis Custo- ,, dibus, omni lumine decoretur ecclesia;) & Concordia Dunstani: ,, (Hora congrua agatur Nona, qua cantata ,, ob arcanum cujusdam mysterii indicium, si ita placuerit, ,, induant se fratres, & pergant ad ostium ecclesiæ ,, ferentes hastam cum imagine serpentis, ibique ignis ,, de silice excutiatur. Illo benedicto ab Abbate cande- ,, la, quæ (*a*) more serpentis infixa est, ab illo accen- ,, datur, sicque æditui hastam deportante, cuncti fratres ,, chorum ingredientes, unusque dehinc cereus ex illo ,, illuminetur igne.) Ubi non videmus aliquid, sive ante benedictionem ignis procedendo, sive postea revertendo in chorum, cantatum fuisse, quod neque in Ordinario Cassinensi præscribit, neque consuetudinibus Germaniæ; immo expressis decernunt verbis, ut procedant omnes cum silentio: alites tamen visum est posteris, ut ex consequentibus satis patebit, & primo quidem ex consuetudinibus S. Benigni Divionensis c. 58., in quibus ipsæ preces tam procedendo, quam redeundo assignantur, & integer ritus ita describitur: ,, (Post Sextam majus altare pallio orna- ,, tur, quod nequaquam aufertur, donec Vesperi finian- ,, tur. Lapis beryllus, de quo ignis est producendus, ,, sub custodia Apocrisiarii servatus, quem Præcentori ad- ,, hibet, ut ab eo ignis proferatur; qui licet industria Præ- ,, centoris a lapide producatur, vel de silice excutiatur, ,, a famulo tamen Sacristæ præparatur, & accenditur. ,, Post Nonam Priores statim mutantur versus altare, at- ,, que mox sine qualibet signi expectatione, sicut in duo- ,, bus sequentibus diebus, Sacerdote induto alba, & sto- ,, la, vel Domno Abbate, ceterisque ad Missam servituris ,, majorem, & infantibus, a Domno Abbate, vel Priore ,, incepto L. psalmo, fit processio ad novum ignem con- ,, secrandum: ante ipsam portatur aqua benedicta, thuri- ,, bulum sine igne, & crux; ut novus ignis postquam ,, consecratus fuerit, & aspergatur, & incensetur: porta- ,, tur quoque pertica, super quam ferendus est ignis ab ,, illo, a quo portandus est, qui in processione procedit. Ad ,, benedicendum dicitur hæc oratio; *Domine Deus Pa- ,, ter omnipotens, exaudi nos lumen.* Ad Processionem ,, post *Miserere mei Deus*, cantantur hi psalmi: *Deus in ,, nomine tuo*: *Miserere mei Deus, miserere mei*: *Deus mi- ,, sereatur*: *Deus in adjutorium*: *Ad Dominum cum tribularer*, ,, & ceteri, quantum usque ad ingressum chori dici potest; ,, ita ut ad eum ex præscriptis psalmis redeundo incipia- ,, tur, ubi eundo finis factus est; per mediam namque ,, ecclesiam revertatur processio usque in chorum, præ- ,, fatos psalmos canendo: unus vero de infantibus ,, in sconsa a magistro suo sibi præparata affert candelam ,, accen-

(*a*) f. in ore.

„ eccensum, ut præsto sit ignis, si extinguetur, qui super perticam portatur. Ipso die feria a Magistro Custode ecclesiæ, in crastino e Priore, in Sabbato ab Abbate, vel Sacerdote. Dum egitur processio, formæ complicantur; cum autem processio in chorum redierit, pulsatis omnibus signis, continuo simul ligata suspenduntur usque in Sabbatum.) Idem videre est apud Udalricum, & in Corbejensi Ordinario. Idem etiam fere habent consuetudines Floriacenses, in quibus hic Ordo processionis instituitur: „ (Ad processionem primum ibunt pueri cum magistris; deinde Domnus Abbas alba paratus & virga pastorali ornatus, & cappa candida, postea Priores, ad ultimum Novitii.) His adjicio Beccensium consuetudines, prout habentur in libro Usuum Beccensium: „ (Post nonam induetur Abbas, vel Prior, vel Sacerdos Hebdomadarius, alba cum stola, & manipulo; simulque Diaconus, & Subdiaconus cum manipulis, & Acolythos, & Cantor Hebdomadarius, & duo fratres Hebdomadarii ad responsorium, tresque Conversi ad thuribulum, & candelabra deferenda; & sic ordinate post Abbatem eant revestiti ad ignem in claustro canentes: *Miserere* sine *Gloria*, cum toto conventu; Diaconus inter thuribulum, & candelabra ferentes ferat hastam cum tribus cereis; cumque ad ignem venerint, stet conventus ordinate versis vultibus ad invicem, revestiti ad illam processionem antecedunt; deinde Priores; tunc dicat Sacerdos super ignem, *Dominus vobiscum*, deinde oratio, *Domine sancte Pater*, & responso *Amen*, asperges aquam benedictam super ignem; & missis prunis tunc primum in thuribulum, & thure supposito incenses ignem; deinde accensis cereis revertentes per medium chorum revestiti, & post eos Priores, ut sicut primi venerint, ita primi in ecclesia revertantur, & dicant hos psalmos: *Deus in nomine tuo: Miserere mei Deus, miserere mei: Deus misereatur: Deus in adjutorium*: eodem modo faciant duobus diebus sequentibus.] Idem fere habent consuetudines Lyræ. In Tallensi vero S. Apri Ordinario nonnihil diversum legitur: „ (Post IX. eant pueri, & ceteri Ministri loturi manus suas, & præparent se ad officium Missæ, & dum parati fuerint, eat conventus ad benedicendum novum ignem in claustro a Secrista paratum, & talis in iste processione ordo servetur; primo procedant Ministri altaris albis induti, crucem, thuribulum, & aquam benedictam portantes: deinde sequatur Diaconus alba indutus cum stola, & fanulo, candelam sine lumine portans; postmodum Sacerdos indutus alba cum stola, & fanulo: deinde sequentur fratres in ordine suo, ita ut, qui primi sunt in choro, primi exeant bini & bini cantantes psalmum: *Miserere mei*; finito psalmo sine *Gloria Patri*, dicatur, *Pater noster*; Sacerdos dicat, *Et ne nos*; Preces: *Signatum est super nos: Illumina oculos: Dominus illuminatio mea: Exurge Domine: Dominus vobiscum*. Oremus: *Domine Deus a lumen*. Interim dum collectæ dicuntur, thuribularius ignem in thuribulo ponat, & incensum. Facta ergo benedictione ignis, Sacerdos ipsum ignem aqua benedicta aspergat, & incenset; postmodum Diaconus candelam de igne benedicto accendat. Iis omnibus perfectis, revertantur omnes ad ecclesiam ordine, quo venerint, cantando psalmum: *Dominus illuminatio mea*. Finito psalmo sequitur Missa.) Denique consuetudines S. Dionysii in Francia: „ (Post IX. induetur Sacerdos alba, & stola, & eat ad novum ignem benedicendum cum Ministris, qui ferent aquam benedictam, & crucem, & candelabre, & thuribulum, & lanternam; qui ignis præparari debet in quodam angulo claustri, & cantent hunc psalmum: *Miserere*; & cum pervenerint ad ignem, dicat hanc orationem: *Dominus vobiscum: Domine Deus Pater omnipotens lumen inde*. Post orationem aspergatur ignis aqua benedicta, & impleatur thuribulum ipso igne, & accendantur cerei, & candela portanda super perticam, quæ ipso die ferenda est a Magistro Custode Ecclesiæ, in crastino a Priore, Sabbato ab Abbate, vel a Sacerdote, & redeuntes cantant hunc psalmum: *Dominus illuminatio*.)

XXXV. Idem fere habent consuetudines Compendienses. Hæc solius forte quam par fuit, referre libuit, ne qua forte alicujus Monasterii, quantum in nobis est, consuetudo excideret: ceterum hujusce benedictionis novi ignis nullam ad hanc diem mentionem faciunt Statuta Lanfranci, Ordinarium Sancti Petri supra Divam, neque usus Cistercienses, neque Laudunenses S. Vincentii consuetudines.

XXXVI. Benedictionem novi ignis excipit tam in Dionysianis, quam in Compend. consf. solemnis super populum benedictio, cujus ritum ita describunt Dionysiani: „ (Deinde debet Abbas se præparare, & socii sui, & absolutionem facere populo in lectorio, & deferantur ibi clavus, & Corona Domini, & brachium S. Symeonis, & crux, & thuribulum, ac candelabra. Ante absolutionem faciat Domnus Abbas sermonem ad populum, aut cui jusserit, & post sermonem fiet absolutio hoc modo: prosternantur omnes in choro, & dicant septem psalmos pœnitentiales, & *Gloria Patri*, & antiphonam quæ incipienda est a Cantore. Antiphona *Ne reminiscaris*: deinde dicatur: *Kyrie eleison* ter: *Pater noster*. Preces: *Salvos fac servos: Esto eis Domine: Mitte eis Domine; Nihil proficiat: Exurge Domine adjuva; Domine exaudi orationem meam: Dominus vobiscum*. Oratio: *Adesto Domine supplicationibus*. Alia: *Præsta quæsumus Domine*. Alia oratio: *Deus humani generis*. Absolutio: *Omnipotens*. Item alia: *Dominus Jesus Christus*; post dicet Diaconus: *Humiliate vos ad benedictionem*. Sequitur benedictio: *Benedicat nos Deus*. Et alia.) Brevius consuetudines Compend.: „ (Post hæc Domnus Abbas, & socii ejus eant in lectorium cum Sanctuario, & cereis, & thuribulo, & fiat sermo ad populum: deinde prosternent se omnes fratres, & dicentur septem psalmi cum antiphona *Ne reminiscaris*, sine cantu, *Kyrie eleison: Pater noster*; & sic fiet absolutio.) Hujusmodi absolutionem faciebant nostri Corbejenses post Sextam, ut didicimus ex eorum Consuet. manuscriptis: „ (Cantata Sexta, *inquiunt*, sonabitur absolutio duabus signis ter, ut gentes conveniant, & fiet sermo ad populum; finito sermone conventus procumbet super formas, & dicet septem psalmos; dictis septem psalmis, Domnus Abbas indutus cappa absolvet populum, & benedicet duobus brachiis, quæ duo Diaconi induti tenebunt prope eum.) Ad hancce absolutionem, quam aliquando faciebat Episcopus Diœcesanus, ut in Laudunensi Sancti Vincentii Monasterio, Confessionem, sive *Confiteor Deo*, præmittebant psalmis pœnitentialibus ipsi Laudunenses.

XXXVII. Absolutione completa, quæ tamen non omnibus fiebat in Monasteriis, vel statim post novi ignis benedictionem, pulsatis omnibus signis in posterum non sonandis, Missa solemniter cantabatur; & quidem in paramentis *rubeis*, ex Laudunensibus, Dionysianisque consuetudinibus, & Rituali Corbejensi: Sacerdote *festivo*, *&* *aurato indumento* vestito, *ut* lib. consuet. S. Benign. c. 58; omnibus *in albis* existentibus, *ut* Dunstani Concordia, consuetudinibus Germaniæ, & S. Dionysii in Francia; ad quam, inquiunt Cassinenses in Ordinario, „ (induentur cum Sacerdote duo Diaconi, & duo Subdiaconi, duo quoque Acolythi cum thuribulis, & duo cum candelabris.) S. Lanfrancus duos etiam ad ℟. cantandum notat; in libro Usuum Beccensium, & consuetudinibus Lyræ unicus quidem Diaconus, sed duo Subdiaconi ad Missam nominantur, & quidem Diaconus cum dalmatica, Subdiaconi cum tunica; quod etiam observabant alii.

XXXVIII. Missæ Introitus: *Nos autem*, qui ex Laudunensibus, & Compen. S. Cornelii consuetudinibus ter repetendus erat, & ubique fere cum *Gloria* dicendus; quo incepto, inquit vetus Ordo Corbejensis pro hebdomade Sancta, Ministri „ (procedant cum cereis ad Missam, & dum venerint ante altare, prosternat se Sacerdos super oratorium usque ad repetitionem versus; finito Introitu non dicat (chorus) *Kyrie eleison*, nec Sacerdos: *Dominus vobiscum*, sed tantum, *Oremus*, & det orationem, &c.) Quod ait, *Kyrie* non esse dicendum, huic videtur Monasterio peculiare. Nullam porro mentionem hymni Angelici, *Gloria in excelsis Deo*, facit, quem etiam expressis verbis reticendum esse dicit Lanfrancus in Statutis: „ (Missa festive celebretur, *Gloria in excelsis Deo* minime dicatur, nisi Episcopus Missam celebret, chrisma faciat.) Udalricus l. 1. c. 12. „ (Pulsatis omnibus signis cantatur Missa festive, tamen absque *Gloria in excelsis*.) Quæ verba etiam extant in lib. consuet. S. Benigni c. 58. Tullense Ordinarium „ (*Gloria in excelsis* non dicitur, nisi Episcopus celebret.) Idem patet ex Dionysianis consuet. & tamen consuetudines Germaniæ, & vetus Cassinense Ordinarium expresse dicunt: „ (*Gloria in excelsis Deo* canetur. Qua incipiente, *pergit Cassinense Ordinarium*, statim pulsentur omnia signa, & peragatur Missa ordine suo.] Et tamen in vetusto Cassinensium codice circa tempus Berthari Abbatis scripto legitur: „ (Feria V. quæ est in vigilia de Cœna Domini ... ad Completorium in ipso die signum non tangunt, sed tantum tabulas usque ad Missam sero in Sabbato Sancto.) Alii omnia signa pulsabant ante introitum Missæ & continuo simul ligata suspendebant usque Sabbatum; quamvis ex MS. Germaniæ consuet. etiam hac die post Missam ad Men-

ad Mandatum, & Vesperas omnia pulsarentur.

XXXIX. Quod de *Gloria in excelsis*, hoc de *Dominus vobiscum* cum codice Corbejensi decernit Dunstanus, ut scilicet „ (minime dicatur, nisi ab Episcopo tantummo„ do, ubi chrisma conficitur.) Alii vero communiter dicebant, sed sine *Flectamus genua*. Post Epistolam responsorium, sive graduale a duobus concinebatur, & quidem Sacerdotibus, ex Dionysianis consuetudinibus. De Evangelio hæc habet antiquus Ordo Corbejensis pro Majori hebdomada: „ (Evangelium legatur secundum Johannem, „ sed nec Diaconus cum legerit, *Dominus vobiscum* dicat, „ sed inchoat: *Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.* „ *In illo tempore sciens Jesus, quia venit hora ejus*, usque „ *Quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis.*) Post Evang. symbolum omittebatur, præterquam apud Cartusianos, & forte Parisienses S. Germani a Pratis.

XL. Ad offertorium tot apponebantur hostiæ consecrandæ, quot fratribus hac die, ac sequenti communicendis sufficerent: „ (Interim dum offerenda cantatur, *inquit* „ *lib. consuet. S. Benigni*, accedit ad altare Armarius (id est „ Cantor,) ut provideat de hostiis ministratis a Secreta„ rio, & ponat ad consecrandum, quantum necesse fuerit „ fratribus ipsa die, & in crastino.) Idem legitur in Ordin. Corbejensi, & in consuet. Floriac. Hoc munus in Dionysianis, & in libro Usuum Beccensium Diacono committitur.

XLI. Præfatio in Dionysianis consuet. hæc notatur: *Quem in hac nocte*; in Tullensi Ordinario, *Communis*. *Communicantes: Hanc igitur*, & *Qui pridie*, erant propria.

XLII. Ad pacem omnes accedebant apud Cluniacenses, Divionenses, Corbejenses, Dionysianos, & Cartusienses; in Beccensi, atque Lyrensi Monasteriis solus *Diaconus*, & *Cantor*. In Tullensi S. Apri, & S. Petri supra Divam, uti & apud Bursfeldenses, & Grandimont. nullus, nimirum „ (propter Judam proditorem Domini, & „ fallax ejus osculum, *inquiunt consuet. Grandim. c. 16.*) Dunstanus a solo Episcopo in Eucharistiæ acceptione pacis osculum Presbyteris, post *Agnus Dei* decantato, dari voluit; ab aliis vero, *inquit*, minime præsumatur. In veteri etiam ordine Corbejensi hæc lego: neque *Agnus Dei* cantetur, neque oscula celebrentur.

XLIII. Data pace ubi dari consueverat, omnes sacram communionem percipiebant. De hac communione hæc habet prædictus Ordo Corbejensis Monasterii pro Hebdomada Sancta: (Sacerdos vero cum fregerit Sancta, mittat unam „ partem in calicem, & ex alia communicet; porro ter„ tiam in altare dimittat, & confirmetur a Diacono de „ calice, & illo tantummodo die; postquam confirmave„ rit, a Sacerdote ponat calicem super altare, & accipiat „ Diaconus patenam majorem, mittetque in eam de san„ cta oblatas integras, & ponat juxta calicem in sinistro „ latere, & duo Subdiaconi veniant, unus cum patena, „ & alius cum chire utriusque vasis, & tollat Diaco„ nus cum majore patena ex oblatis, quantum sufficere „ possit ad communicandum populum, & de calice simi„ liter, & mittat in patenam, & calicem, quæ Subdia„ coni tenent in manibus, & statim illud, quod rema„ net super altare, cooperietur a duobus Diaconibus, u„ trumque sindone munda; & de illa alia juxta altare „ faciat confractionem, redeant ad Sacerdotem, ut com„ municent ipsi, & reliqui per ordinem;) & in Tullensi Sancti Apri Ordinario: „ (Post ultimum *Agnus* „ *Dei*, ille qui primus est in choro, dicat: *Confiteor*, & „ fratres respondeant, *Misereatur tui*; deinde dicent & „ ipsi: *Confiteor*, & ille qui primus est, dicat, *Miserea„ tur vestri*: item dicat: *Indulgentiam*, & responso ab „ omnibus *Amen*, accedant fratres ad sacram communio„ nem, dimittatur aliqua pars de Corpore Christi in ca„ lice, & portetur a Diacono super altare B. Apri, & „ teneat ibi calicem, & unus puer ampullam, in qua sit „ vinum, quod in calicem fundatur, cum necesse fuerit, „ donec biberint omnes fratres Monachi; sanctificatur „ enim vinum per Corpus Christi consecratum, & in ca„ lice depositum, cum dicitur: *Fiat hæc commixtio*: Sa„ crista vero habeat alium calicem, & urceum cum vino „ ad altare S. Christophori, ut ibi bibant Conversi, & „ conversæ, qui Corpus Domini susceperunt.)

XLIV. Omnes porro hac in Missa de manu Abbatis communicabant in *vivam repræsentationem illius sanctissimæ Cœnæ quam Dominus noster una cum suis Apostolis celebravit*, inquiunt Cartusienses in Ordinario c. 49. n. 6. nec cuiquam his sanctis diebus a sacra se communione subtrahere licitum erat, nec illis etiam, quibus tale quid nocte contigisset. Nullus ergo hac die celebrabat præter Abbatem, & eum, qui Missam pauperum cecinisset; id enim expresse prohibent lib. Usuum Cisterciensium, lib. Usuum Beccensium, consuetudines Lyræ, & Ordinarium Bursfeldensium. Apud Cistercienses vero privata Missa cantabatur „ (pro Conversis communicandis, ubi multi„ tudo exigebat, & ipsa Missa sit de die,) inquit lib. Usuum c. 21.; insuper Missa de Sancta Maria, ad quam nullus hac die communicabat, & quotidiana pro defunctis. In quibusdam tamen Monasteriis, ut in Floriacensi S. Benedicti, Divionensi S. Benigni, Corbejensi S. Petri, Fontanellensi S. Vandregesili, Compendiensi S. Cornelii, Parisiensi S. Dionysii permittebatur privatas celebrare Missas; sed non aliam quam de die, & quidem sine igne, si ante novi ignis benedictionem cantaretur. Porro singulare est illud, quod extat in MS. S. Germani a Pratis consuetudinibus: „ (Post Primam dicentur septem psal„ mi, & letania, & postea veniemus sessum in claustro; „ Sacerdotes ibunt dictum Missas suas, & omnes debent „ celebrare illas, & celebrabunt sina igne, & dicent: „ *Credo: Communicantes*, & *Hanc igitur*, & *Qui pridie*, „ quod non dicitur nisi solummodo in illa die.) Alii vero non Sacerdotes communicabant „ (quia, *inquiunt ip„ sa*, omnes debemus esse confessi, & communicasse;) & in Rituali Corbejensis Monasterii ad Cœnam Domini: „ Sciendum, quod omnes Presbyteri tenentur dicta „ die dicere Missas suas, & omnes ante ignem benedictum „ possunt dicere Missas suas, ad quas Missas *Agnus Dei* „ dicitur, sed pax non datur;) sed & Laudunenses S. Vincentii consuetudines: „ (Omnes Sacerdotes, *inquiunt*, „ debent hac die Missam celebrare, vel communicari.) At hæc recentioris videntur instituti.

XLV. Interim dum fratres communicarent, seu potius facta fratrum communione, Vesperas cantabant nostri Dionysiani, & Compendienses, modo in consuetudinibus Compendiensibus his verbis descripto: „ (Postquam omnes communicaverint, dicat Domnus Abbas orationem sub si„ lentio: *Refecti vitalibus*. Post *Sanctus* sonent Vesperæ, „ ut in quarto R. duplici, & post communionem canten„ tur hoc modo: Hebdomadarius chori incipiat antipho„ nam: *Calicem*; Psal. & ceteræ antiphonæ dicantur si„ cut in libro: ad *Magnificat* incipiat Hebdomadarius, „ *Cœnantibus*. *Gloria Patri* non dicitur, post hæc dicat „ Sacerdos orationem ad altare. *Respice*. *Dominus vobis„ cum* dicatur ante & post, & dicat Diaconus *Benedica„ mus Domino*, ut in quarto R. duplici.) In Dionysianis vero ita habetur: (*Dum fratres communicant, can„ tentur Vesperæ* hoc modo: Hebdomadarius incipiat anti„ phonam: *Calicem* . . . . post *Magn.* dicat Sacerdos: „ *Dominus vobiscum*, orationem: *Refecti vitalibus*, post „ orationem dicat Diaconus: *Benedicamus Domino*, & sic „ finiatur Missa. Si quis ad Vesperas præsens non fuerit, „ dicat orat. post *Magnificat*, *Respice*.) Sed hoc duobus illis Monasteriis extitit singulare; nam in aliis facta communione, statim Missa per orationem finiebatur sine *Ite Missa est*, ut patet ex veteri ordine Corbejensi pro Hebdomada Sancta: „ (Communicent ipsi, & reliqui per or„ dinem, & data oratione post communionem, Diaconus „ non dicat: *Ite Missa est*; sed ipsa oratione finiantur „ universi. Ipsa vero oblata, quæ super altare cooperta „ remanserant, serventur in crastinum juxta consuetudi„ nem.)

XLVI. Ritum sacræ Eucharistiæ post Missam recondendæ habemus tam apud Lanfrancum, quam apud Udalricum, & alios, quos hic referimus: „ (Expleta Missa, „ *inquit Lanfrancus*, fiat oratio vespertina supra formas. „ Interea Sacerdos, præcedente processione, cum ad al„ tare venit, vadat ad locum constitutum decentissime „ præparatum, ibique reponat Corpus Domini, incensa„ to ipso loco, & ante repositionem, & post repositio„ nem; ante quem locum lumen continue ardeat.) Udalricus l. 1. c. 12. „ (Finita Missa, tabula percutitur „ pro signo ad orationem Vesperorum quam formis ite„ rum explicatis fariunt procumbendo. Interea vero recon„ ditur Dominicum Corpus a Sacerdote, retro altare poni„ tur in patena aurea, & patena inter scutellas aureas, & „ adhuc scutellæ inter tabulas argenteas, quæ factæ sunt ad „ textum Evangelii. Eo autem, quo ab altari portatur „ cum cereis, & plurimo incenso.) Liber consuetudinum S. Benigni Divionensis cap. 58. „) Missa autem finita, „ tabula percutitur pro signo ad orationem Vesperorum, „ quæ iterum formis versis, & explicatis fit fratribus „ super eas procumbentibus. Post orationem Corpus Do„ minicum diligenter a Diacono, & ab Armario undique „ patenis obvolutum, in tabulis quoque locatum, & a „ Sacerdote incensatum, cum candelabris, & thuribulo „ defertur retro majus altare, & in loco editiori ab A„ pocrisario reponitur, nec una hora sine lumine ma„ net; interim vero conventus sedet in choro.) Tullense

S. Apri

S. Apri Ordinarium: „ (Missa finita, involvat Sacerdos Eucharistiam in corporali, & portetur ab ipso in armario retro majus altare, Ceroferariis, Thuribulario & Diacono ipsum præcedentibus, & ibi reservetur usque ad crastinum.) Consuetudines Lyræ: „ (Dicto a Sacerdote, *Placeat tibi Sancta Trinitas*, ipse & Diaconus, adstante etiam Cantore, & Sacrista, hostias consecratas corporalibus involvant diligenter, & lintea altaris iterato; tunc Sacerdos offerat incensum, & cum Diacono eam ferat cum summa diligentia in locum constitutum, omnibus flectentibus genua, conversis cum candelabris, & thuribulo præcedentibus. Sacrista extendat pallium, & unam tuiliam super Corpus Domini, & cereum coram eo accendat, qui jugiter ardeat usque ad tenebras, quando omnia luminaria extinguuntur; & statim post sonitum Præsidentis reaccendatur.) Laudunenses S. Vincentii consuet. „ (In fine Missæ Majoris portatur Corpus Christi reverenter cum vase argenteo in Armario juxta altare, & duo cerei jugiter ardentes ante Corpus Domini.) Rituale Corbejensis Monasterii: „ (Post finem Abbas cum Ministris suis, & cum torteis illuminatis portabit in uno magno calice Corpus Domini, cum reliquiis Sanctis in clausura, (idest in Armario, ubi asservantur reliquiæ, ex Consuet.) & quando portabit, tunc Cantor incipiet alta voce communionem: *Hoc Corpus*) In Beccensi Monasterio statim post communionem ante finem Missæ Eucharistia reservanda custodiebatur, ut discimus ex libro Usuum Beccens. „ (Communicent omnes, nec non & pueri. Post hæc ferat Diaconus hostias consecratas corporalibus involutas, prius a Sacerdote incensatas in locum constitutum, Conversis præcedentibus, & thuribulo, & candelabris; quas dum ivat, flectant omnes genua, cumque deposuerit, offerat incensum. Secretarius extendat desuper pallium, & coram accendat cereum, qui jugiter ardeat ibi usque ad Laudes, &c.) Clarius in alio codice: „ (Communicatis omnibus Sacerdos, & Diaconus, adstante etiam Cantore, hostias consecratas corporalibus involvant; & sic desuper calicem positas linteo altaris iterato involvant. Tunc Sacerdos offerat incensum, & Diaconus, omnibus genua flectentibus, cum summa diligentia ferat eas in locum constitutum, Conversis cum candelabris, & thuribulo præcedentibus. Interim dicat Cantor Hebdomedarius post communionem, *Dominus Jesus*. Cum vero deposuerit Levita hostias, offerat incensum, & sic revertatur ad altare. Tunc Sacerdos dicat, *Dominus vobiscum*, dicat postcommunionem Missæ, & Diaconus, *Benedicamus* festive, ut in die XII. Lect. Secretarius extendat pallium super Corpus Domini, & cereum coram accendat, qui jugiter ardeat usque ad tenebras, quando omnia luminaria extinguuntur.)

XLVII. Ex dictis hactenus patet, quam longe abfuerint monachi a magno illo apparatu, quem pro recondenda Eucharistia nostris temporibus videmus esse inventum, quem non sine magna animi distractione præparare possumus, & ad instituti monastici simplicitatem minus accedere merito probi causantur. Multo magis laudandi sunt Cartusienses monachi (in ord. Cart. c. 49. n. 6.) qui Eucharistiam reponi volunt „ (in loco confueto majoris altaris, prohibentes fieri pro ea reservanda, more sæcularium, monumenta, vel alios apparatus, *inquiunt*, nostræ solitudini non convenientes.) Et Bursfeldenses in ordin. cap. 36. qui simpliciter post Missam sacram Eucharistiam includunt „ (fenestræ, in qua sacramentum recondi consuevit.) Cisterciensium hanc in rem ritus is est: „ (Post pacem, *inquiunt in lib. Us. c.* 41. Corpus Domini de vasculo supra altare sumatur, & super patenam illa hora sumendum ponatur, linteum etiam, mox de eodem vasculo auferatur, aliudque illa hora a Sacrista præsentatorem in eodem ponatur, illoque mutato ab eodem Secretario, mox Abbas, vel qui cantat Missam partem sacræ communionis in crastinum servandam in vasculo ante notato honorifice recondat; & tunc linteum vetus in patena diligenter excussum, super piscinam comburatur, & cineresque ejus in eam projiciantur.)

XLVIII. Quid vero post Missam ante refectionem agerent, paucis docet nos Dunstanus in Concordia: „ (Peracta Missæ celebratione, *ait*, omnes ad mixtum pergant, post mixtum, quos voluerit Abbas ex fratribus secum adsumens, suum peragat Mandatum; quo peracto Vesperas celebrent; dehinc refectionem fratrum agunt.) Tria ergo præstabant, primo mixtum omnes accipiebant, secundo pauperum Mandatum peragebant, tertio Vesperas cantabant. Tria hæc paucis expedenda sunt, monasteriorum his de argumentis consuetudines referendo.

XLIX. Ad primum quod attinet, hæc lego in veteri Ordine officii in domo S. Benedicti ante Pascha Anal. to. 4. „ [In Cœna Domini agatur Missa ad Vesperum; ita intrantes in refectorio accipiant singulas biberes, & panem, & quicquid eis appositum fuerit;) quæ sane de cœna, sive integra refectione intelligi nequeunt. Nam mox subdit: *Et post Mandatum cœnat*. Statuta Lanfranci c. 1. §. 3. rem non tantum, sed modum etiam exprimunt. Decernunt enim, ut recondito SS. Sacramento „ (vadant in refectorium accipere mistum: ingressi autem refectorium faciant ante & retro ante sedila sua, & considentes sumant mistum de pane tantum, & potu, quem super justitias suas a Refectorario in sciphis positum invenerint.) Et Udalricus l. 1. c. 12. „ [postquam se exuerunt, qui ad Missam servierunt, Domnum Abbatem præcedentem omnes sequuntur, (sederunt interim in choro) & eunt in refectorium, ut mixtum accipiant tantum unusquisque de libra sua, & potio eis pigmentata propinatur. Quando consederint, vel quando surrexerint, nihil dicunt de versu, solummodo ante faciunt & retro.) Liber consuetudinum S. Benigni Divion. c. 39. „ (Divestitis his, qui ad Missam servierunt, Domnum Abbatem præcedentem omnes, sicut est ordo eorum, sequuntur, ut mixtum capiant quisque de pane suo: nullus tamen debet inde gustare, donec Domnus Abbas incipiat, & potio eis pigmentata in scyphis propinatur a juvenibus, & Conversis, ad quam tabula refectorii non percutitur. Ad secundum vel consurgendum nihil dicitur, tantum ante & retro quisque facit:) quæ totidem pene verbis exstant in Ordinario Corbejensi. Ritus hujus causam indicare videntur Floriacensis monasterii consuetudines ita scribentes: „ (Post Missam cum omnes in choro adunati fuerint, & Domnus Abbas advenerit, ibunt in refectorium, ut celebrent Cœnam. Primum ibunt pueri cum magistris, postea Domnus Abbas, deinde priores, ad ultimum novitii; distribuunturque a fratre, qui pistoribus præest, panes azymi fratribus. Refectorarius debet prævidisse, ut antequam conventus veniat, in singulorum scyphis vinum propinet.) Quibus ex verbis discimus, hanc potissimum consuetudinem apud monachos fuisse institutam, ad Cœnam Dominicam repræsentandam, quod in ea panes azymi, & vinum fratribus porrectum. Inde confirmant Laudunenses S. Vincentii consuetudin. in quibus hæc lego: „ (Missa finita, Conventus sedet in choro, donec illi qui ad Missam ministraverint, sint divestiti. Tunc Prior præcedit, & seniores post eum, sicut sunt in ordine, pueri vero in ultimum, euntes in modum processionis, sicut quotidie fit ad processionem capituli; & venientes in refectorium sedent ad mensas unusquisque in suo ordine; Mensæ debent esse coopertæ. *Hostiæ* vero ponuntur per mensas super panes. Facta benedictione a Priore cum silentio, qui voluerit, accipiat hostiam, & comedat, Priore tamen incipiente.) Idem porro vigebat usus in Dionysiano, S. Germani de Pratis, Compendiensi, Beccensi atque Lyrensi monasteriis. De Beccensi monasterio hæc legimus in lib. Us. Beccensium: „ (Cum ministri altaris fuerint divestiti post Missam, veniant in chorum ad reliquos, ubi finita oratione pergant ad refectorium, ordinata processione duo & duo, sicut fiunt in capitulum, idest primi priores, deinde juniores, postremo novitii; faciantque ante & retro in loco suo in refectorio. Abbas, si tunc defuerit, expectabitur, cumque venerit, assurgent ei omnes: quo stante testa mensam suam, dicat moderata voce una cum ceteris: *Benedicite*, & Præsidens, *Largitor omnium bonorum benedicat cibum servorum suorum*. Deinde comedant de eo, quod præ illis est. Qui postea venerit, accedat ante gradum, & petita licentia faciat ante & retro tantum, & pergat ad locum suum, & comedat.) Idem habent consuetudines Lyræ. In Dionysiano tamen monasterio, priusquam ad mixtum pergerent, Abbas duodecim pauperibus mandatum faciebat: „ [Post Missam, *inquiunt consuetudines hujus monasterii*, faciat Domnus Abbas, vel Prior mandatum XII. pauperibus in honore XII. Apostolorum, & detur eis panis, & vinum, & calceamenta, & indumenta; postea eant ad cœnam, Abbata præcedente; nullus tamen gustare debet, donec Abbas incipiat ad consedendum vel surgendum. Non percutitur tabula; sed tantum fit ante & retro.) In MS. vero Germaniæ n. 24. non omnibus, sed ministerialibus tantum, & pueris mixtum conceditur; reliquis interim in choro sedentibus, & Abbate mandatum XII. pauperum peragente: „ (Cum *Ite Missa est*, dictum fuerit, primum signum fiat ad Vesperas, & post orationem exuti albis ministeriales, & pueri sumant sibi

„ sibi panem & biberem; & ceteri in choro sedeant: „ Domnus vero Abbas, cum quibus voluerit prioribus, „ facto signo tabulæ, pergant ad Mandatum ætr. pauperum cantando tacite psal. *Verba mea*, adjuncto, si opus „ est, psalmo *Domine ne in furore*. Cum autem pervenerint, adoratis illis, & pedibus lotis, & manibus, & „ oratione data, post oblationem potus dentur eis juxta „ facultatem loci, vestimenta, calciatia, denarii. Consignet autem, quid singuli offerant eis, qui cum eo sunt; „ quibus iterum adoratis revertantur in ecclesiam more „ solito canentes psalmum, *Miserere mei Deus*, & *De* „ *profundis*.) Hoc est mandatum illud, quod alias in monasteriis non a solo Abbate cum aliis paucis, sed ab omnibus; nec duodecim tantum pauperibus, sed tot, quot singulis in cœnobiis erant monachi, & benefactores; neque tempore mixti, sed postea peragebatur: de quo fusius in omnibus monasteriorum ordinariis.

L. Instar omnium nobis hanc in rem esse debent S. Benigni Divionensis consuetudines c. 59., quas hic ex integro referimus, si quid apud alios singulare extiterit subinde notaturi. Mandatum ergo sic describunt: (Interim „ autem (dum sumitur mixtum) pauperes in claustrum „ introducti ordinantur in tribus trisantiis claustri ex utraque parte; cum autem videbitur Abbati, ut surgant, exeunt an ordine, quo ingressi sunt; ultimi omnium infantes exeunt, qui cum ostium refectorii egressi fuerint, divertunt se cum magistris in scholam, ibique faciunt Mandatum. Domnus Abbas vero usque ad „ ostium auditorii procedit, aliis sequentibus, sicut sunt „ priores de suo choro ad eandem partem: alter chorus „ quippe ad aliam partem vadit, prioribus præcedentibus. „ Tunc Domnus Abbas, vel si ipse absuerit, Armarius „ incipit antiphonam, *Dominus Jesus*, & mox super genua venia ab universis petitur. Psal. *Deus misereatur* „ *nostri*, finita prædicta antiphona, subjungitur, & per „ singulos versus ejusdem psalmi communiter ab omnibus „ cantatos ipsa antiphona repetitur. Deinde psalmus *Beati* „ *immaculati*, & dicuntur versus alternatim a choris, & „ post octo versus quasi in loco Gloriæ ipsa antiphona „ repetitur; de quo psalmo tamdiu cantatur, quamdiu pedes pauperum lavantur. Incepta autem antiphona, & „ petita venia, Domnus Abbas, & cum eo unus, vel „ duo de choro suo, acceptis conchis, & aqua, incipiunt „ ex una parte trisantiæ, quæ propior est, ipsis lavare „ pauperibus pedes quisque suo; totidemque fratres de „ eodem choro, ministratis eis tersoriis, accipiunt conchas ab ipsis, & allata aqua lavant similiter aliis; & „ totidem alii de eodem choro eodem modo post eos, & „ alii post illos. Similiter omnino faciunt ex altera parte „ trisantiæ, quæ est propior prato, alii de altero choro, „ alii post alios, sicut est ordo eorum, venientes, & ministratis tersoriis lavantibus, conchas ab eisdem recipientes. Duo autem fratres jugiter serviunt de aqua, & „ manutergio redeuntibus de pedum lavatione, stantes „ juxta cuppam, in qua est aqua. Nam in illo angulo „ claustri, qui proximus est eleemosynariæ extra trisantias, cuppa quædam plena aqua calida posita est, & alia „ prope lavatorium ad opus novitiorum, qui ex illa parte faciunt Mandatum, & ad utramque singuli fratres „ stantes infundunt aquam cum bachiis jugiter in conchas, si opus est. Illi autem, qui serviunt de aqua, & „ manutergio, sicut & isti mutantur, cum opus est. „ Postquam autem quisque suo pauperi laverit pedes, innuit Abbas, ut eodem modo lavent illis, qui superfuerint, reincipientes a prioribus; non enim sine præcepto „ Abbatis mos est id fieri. Cum vero adhuc ventum fuerit, ut ad manus pauperum aqua ministretur, incipiuntur aliæ antiphonæ pertinentes ad mandatum, ut, *Mandatum novum: Postquam surrexit Dominus*, & hujusmodi; & omnino eodem ordine, & eodem modo, quo pedes „ laverit, ministrant aquam manibus. Quo facto, & tabula semel a Priore percussa, prius vino in aliquot scyphis infuso, quod est signum petendæ benedictionis ad „ potum, Abbas de loco suo sub silentio alevata manu „ dat benedictionem; & tunc quisque sicut pedes, & manus laverit, ita propinant potum, quam in cadit a Custoda vini appositum ex utraque parte juxta cuppas aquæ, unde lavati sunt pedes, & manus, accipiunt, & „ cum ipso potu dantur etiam a singulis fratribus singulis „ pauperibus duodenarii, quos Camerarii, alter ex altero choro, & alter ex altero, fratribus ministrant, quo „ peracto percutit Prior ter tabulam, quod est signum, „ ut omnes surgant, sedent enim omnes, dum potus ministratur; sed & dum pedes, & manus lavantur, sedent, qui voluerint, sicut in choro, unus inter duos „ stantes, & unus inter duos. Postquam autem ad tabulæ percussionem omnes surrexerint, dicit Domnus Abbas, sicut ad cotidianum mandatum fit: *Ostende nobis* „ *Domine miser. tuam*, tantum ut possit audiri; respondente autem conventu: *Et salutare tuum da nobis*, inclinantur omnes super genua, dicendo ter *Kyrie eleison*; „ non enim tunc petunt venias. Finito *Pater noster*, prosequitur D. Abbas capitula, & coll. sicut ad quotidianum mandatum fit, & responso *Amen*; factoque versu „ & retro ab omnibus, incipit mediocriter *Miserere mei* „ *Deus*, pergendo ad ecclesiam; tunc infantes præcedunt Domnum Abbatem in ecclesiam, sequuntur ceteri, sicut sunt „ priores, & cantantes *Miserere mei Deus*, ita ut alter chorus alterum audiat, & finiunt ipsum psalmum in choro „ sine omni capitulo, & prostratione, & collecta, &c.) Hactenus Divionenses Sancti Benigni consuetudines, in quibus plurima observatu digna occurrunt.

LI. Primo enim congregabantur in claustro pauperes, dum sumeretur mixtum tribus in trisantiis, hoc est lateribus claustri; & ex utraque parte utriusque trisantiæ ordinabantur. Hoc munus consuet. Laudunenses, Eleemosynario; liber Usuum Becc. & consuetudines Lyræ, Eleemosynario, & Celletario committunt his verbis: „ (Dum „ cœnant, Eleemosinarius, & Cellerarius de loco suo elevata manu petant licentiam exeundi a præsidente, & „ faciant ante & retro in eodem loco, idest coram sedibus suis, & non ante gradum mensæ, post ante & retro statim exeant, & adducant pauperes in claustro; „ quibus adductis, unus eorum reversus in refectorium „ faciat signum præsidenti; tunc surgent omnes, & cæant de refectorio ordinate duo & duo; sed unus post „ alium, incipientes a junioribus, ultimus Domnus Abbas, & faciant stationem ante pauperes, versis vultibus „ ad illos.

LII. Secundo, infantes una cum magistris suis ad scholam, hoc est in ea parte claustri, ubi erat schola infantium, divertentes, separatim mandatum suum faciebant.

LIII. Tertio, incepta ab Abbate, vel Centore antiphona ad Mandatum, omnes flectebant genua; & quidem *ante pauperes*, ex cons. S. Dionysii, Fontanellæ, Lyræ, & lib. Us. Becc. c. 36. ut *adorent Christum in pauperibus*, ut habet Lanfrancus, *quibus post pausam erectis*, inquiunt Bursfeldenses in Ordinario, *lavent pedes pauperum*.

LIV. Quarto, unusquisque pauperi suo pedes manusque lavabat, tot enim assumebantur pauperes, quot erant monachi; unde in hujus diei capitulo post calciamentorum distributionem „ (pronuntiatur, *inquit Udalr. l. 1. c. 12.* quotquot „ fratres sunt in claustro, ut tanti quoque pauperes ad Mandatum admittantur, & insuper quantum visum fuerit pro „ amicis nostris Domno Abbati;) & quia sic numerum excedebat monachorum, propter amicos & benefactores; propter infirmos, & hoc anno mortuos, quibus etiam suus singulis adtribuebatur pauper; vel lotis ab unoquoque suo pauperi pedibus, priores, seu antiquiores residuis pauperibus, quisque suo, pedes iterum incipiendo lavabant, ut hic in cons. S. Benigni; vel nonnullis statim ab initio plures assignabantur pauperes lavandi: apud Fontanellam „ (Ipsi Abbati quatuor, & unicuique fratri duos, Abbatibus hujus loci defunctis & fratribus eo anno mortuis, unicuique duos) assignabant: „ (Tunc eleemosynarius, *inquit liber Usuum Beccensium*, assignet unicuique suum (*scilicet pauperem*) per virgam, quam manu teneat, Priori duo, tres, vel quatuor. Abbati quinque, vel sex vel septem assignat; quo facto, percutiat „ Prior tabulam tribus ictibus, & statim incipiat Cantor „ antiphonam *Dominus Jesus* &c.) & consuetudines Lyræ: „ (Tunc Cellerarius assignet unicuique suum per virgam, „ quam manu tenet; priori duo, & si ultra numerum „ conventus sunt, seu pauperes pro comite, qui hos assignavit; & Abbati tres. Conversi habent sicut monachi, & infirmi, & monachi de S. Agilo;) sed apud Cistercienses: „ (Cellerarius, *inquit liber Usuum c.11.*, qui „ denarios ad opus pauperum monachis porrigit, eatamis „ in ordine monachis innuat, ut in pauperibus infirmorum, & absentium monachorum, & portari, qui in „ ultimo ordine pauperum collocandi sunt, mandati officium adimpleant:) Infantes vero in Floriacensi S. Benedicti monasterio duodecim tantum pauperibus mandatum faciebant, ex cons. ejusdem monasterii.

LV. Quinto, sic omnes suo pauperi pedes lavabant, ut non tamen simul omnes id obsequii præstarent; sed primum Abbas cum uno, aut altero ex uno choro; & Prior cum totidem ex altero, mandatum duobus, tribusque pauperibus facerent, quibus alii duo, vel tres ex utraque parte succederent, & sic de ceteris. In percelebri Turonensi monasterio trecentis pauperibus pedes lavabantur.

LVI.

LVI. Sexto, lotos pauperum pedes, & tersos osculabantur *ore & oculis*, inquit Lanfrancus: deinde manus eodem ordine lavabant.

LVII. Septimo, benedictum ab Abbate vinum postea suo quisque pauperi propinabat, tum denarios duos, vel quatuor, vel etiam unicum pro more monasterii dabat, sive, ut habet Lanfrancus „ (quot Abbas præceperit, iterum osculantes eorum manus.) Addit lib. Usuum Cist. eod. c. 21. „ (qui denarii flexis genibus sunt dandi.) In Vincentiano Lauduni monasterio ipse Armarius denarios pauperibus distribuebat, *deosculando manus omnium*.

LVIII. De Vesperis, quæ Mandatum pauperum statim sequebantur, hæc subinferunt consuetudines S. Benigni Divionensis c. 59. „ (Secretarius autem postquam pedes pauperum viderit ablutos, in claustro coram ostio ecclesiæ ad Vesperas tabulam percutit; videlicet tot vicibus, quot solent signa ad Vesperos pulsari: primus namque percutitur ad orationem Vesperorum ante Mandatum, secundo ad ablutionem manuum, tertio dum propinatur vinum. Cum autem finito mandato, ut dictum est, *Miserere mei Deus* incipitur, ante introitum ecclesiæ in ea parte, quæ est versus capitulum, quamplures tabulæ ad hoc provisæ a Decano, & emptæ a Secretario, a Custodibus Ecclesiæ, & aliis conversis vice signorum ad classicum percutiuntur, eodem modo, quo signa solent pulsari; videlicet in primis duæ, sicut de skilla fit; deinde paulatim aliæ, donec omnes insimul feriantur; quibus remanentibus, tribus ante altare cereis accensis, inchoatur a puero antiphona: *Calicem salutaris*, & Vesperi more canonico cum quinque psalmis. Ad inceptionem ab omnibus veniæ petuntur, & aperte illa tantum die usque ad prostrationem super formas dicuntur; postea vero quisque finit per se, quod restat; & ex hac hora, sicut jam dictum est, quisque singulariter, & cum silentio per se cantant omnes Horas usque ad Vesperos Sabbati, toto conventu verso ad altare, exceptis his, quæ superius dicta sunt.) Quibus in verbis observandus primo ritus pulsandi ad Vesperas, quem innuunt Lanfrancus in Statutis, Udalric. l. 1. c. 12. & vetus Corbejense Ordin.

LIX. Secundo, Vesperas incipiebat puer ab antiphona *Calicem*; sed in Consuet. Laudunensium, Ordinario S. Petri supra Divam, & cons. S. Germani a Pratis, Fontanellenses, hoc munus Hebdomadario committitur, qui apud Fontanellenses incipiebat *alta voce*, *Calicem salutaris*, in Ordinario Cartusiensi antiquiori, ex choro Cantoris; reliquas antiphonas, ex Ord. S. Petri supra Divam, imponebant *Juniores*.

LX. Tertio, incepta antiphona omnes petebant veniam, hoc est flectebant genua, idque passim observabatur ubique. Cantabantur autem Vesperæ *sonora voce*, ut loquitur Dunstanus, sive, ut habet lib. Usum Cisterc. *alte*, vel ut Rubricæ Breviarii Casalinorum, *cum tono*; post *Magnificat* tamen, cujus antiphonam ex lib. Usuum Beccens.; cons. Lyræ, & S. Vincentii Cantor imponebat, preces sub silentio dicebantur: lib. Usuum Beccensium, & Cons. Lyræ habent, *Preces sub silentio duo, & duo*.

LXI. Vesperas vero de omnibus Sanctis prætermittebant, ex Germaniæ cons. numero 24. sed Cartusienses, finitis Vesperis Canonicis, *Vesperas de Dominica more consueto* dicunt.

LXII. Addunt consuetudines S. Benigni c. 19. „ (Conversi autem, qui nesciunt Horas per se cantare, tres psalmos, vel toties psalmum L. ad Horas alias dicunt, & quatuor ad Vesperos.)

LXIII. De refectione, quæ etiam post Vesperas fiebat, ista paulo post subjungunt prædictæ Consuetudines S. Benigni ibid. „ (Finitis Vesperis, pro cimbalo percutitur tabula, & in refectorio pro skilla, ubi sicut in capitulo, quæ dicenda sunt, omnia, præter lectionem, sub silentio dicuntur. Sacerdos vero finito *Pater noster* cum eodem silentio, facit benedictionem elevata manu ante prandium, & ad generale; & post prandium gratias agit, omnibus sub eodem silentio, cum videtur eis tempus, respondentibus; & Domnus Abbas ad caritatem potus sub eodem silentio dicit, *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & tabulæ percutiuntur ad omnia, ad quæ skilla, vel cymbalum solent pulsari. Eodem modo facit Secretarius cum tabulis omnia, quæ cum signis solent fieri, etiam post prandium, & Sextam; & Prior ad capitulum, & post Completorium. Dum conventus in refectorio ad prandium progreditur, remorantes Secretarii altaria cuncta discooperiunt. Finito prandio, Domnus Abbas facit signum, quando surgendum sit, sicut ad finem omnium Horarum, & dicto versu sub silentio, & incepto *Miserere mei Deus*, ad Ecclesiam, sicut mos est, progrediuntur, inde dormitorium ascendentes, diurnales calceos ponunt, & nocturnales induunt.) Ubi quod de tabula pro cymbalo, aut skilla percutienda dicit, ubique observabatur. Similiter, quod de versu, ciborum benedictione, & gratiarum actione, post prandium, excepto psalmo, sub silentio dicendis; licet in consuetudinibus Lyræ hæc legam: „ (Eant in refectorium, & percutiat præsidens tabulam diutius, deinde dicat: *Benedicite*, humili voce, & versus, sine gloria dicatur *Kyrie eleison* ter, *Et ne nos*, Oratio: *Benedic Domine*, ut solet;) quibus consentiunt Statuta Lanfranci, & liber Usuum Beccensium, Laudunenses vero S. Vincentii consuetudines sic habent: „ (Benedictio fit ab unoquoque sub silentio, lectori datur benedictio sub silentio, in fine lectionis non dicitur *Tu autem*, sed tria, aut quatuor verba ultima reincipiuntur a Priore, postea a Lectore finiendo, sicut Lectiones pro defunctis; postea redduntur gratiæ ab unoquoque sub silentio.) Ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, post prandium versus, & psalmus cantandi, reliqua sub silentio dicenda. Consuet. Grandimontensium c. 16. ita statuunt: „ (Ad prandium incipimus: *Edent pauperes, & saturabuntur*, sine *Gloria*, & sine *Kyrie eleison*; sed dicto *Pater noster*, non dicitur *Et ne nos*; sed Sacerdos dicit: *Benedic Domine dona*, & sequitur sine *Jube Domne*, & sine *Tu autem*. Post prandium: *Memoriam fecit*, dicitur sine *Gloria Patri*: *Agimus tibi* non dicitur; sed sequitur: *Miserere mei Deus*, sine *Gloria Patri*, & sine *Kyrie eleison*; & *Pater noster* dicitur sub silentio; *Retribuere dignare* non dicitur.) Cartusiensium vero antiqua statuta 1. part. c. 13., & recens eorumdem Ordinarium: „ (Dato signo, refectorium intramus; ubi non dicimus: *Benedicite*; sed tantum: *Edent pauperes* incipitur a Priore, nec sequitur *Gloria*: dictoque sub silentio: *Kyrie eleison*: *Pater noster*, Prior more solito dicit: *Et ne nos inducas*, & respondetur: *Sed libera nos a malo*; deinde non præmittens: *Oremus*, prandium benedicit dicens: *Benedic Domine dona tua*; respondetur: *Amen*; Lector autem sine *Jube Domne*, & titulo prætermisso, inchoat lectionem: quam etiam signo dato terminat sine *Tu autem*, sicut horum dierum versiculi terminantur. In fine vero prandii finito versu: *Memoriam fecit*, sine *Gloria*, dicit Sacerdos: *Agimus tibi gratias*, respondetur: *Amen*, omnibus versa facie ad crucem remanentibus. Incipientesque *Miserere mei Deus* solito more, ipsum sine *Gloria Patri* in Ecclesia finimus: *Kyrie eleison*: *Pater noster*, & cætera, quæ sequuntur: inclinati super misericordias sub silentio persolventes.) Sed Cassinenses *facto signo, intrantes in refectorium dicebant versum ex more*, finitaque refectione pergebant *cum versu in ecclesiam juxta morem*. Quod etiam de lectione, sine benedictione, & sine *Tu autem* facienda, hic dicitur, ubique observabatur; hanc finiebant Sangermanenses nostri ad instar Lectionum nocturnarum; & Laudunen. S. Vincentii, ut Lectiones pro defunctis.

LXIV. Ad altarium denudationem quod spectat, non una eademque erat monachorum consuetudo. Alii enim statim post capitulum hæc præstabant; atque ita Anglicani monachi, Sanctimonialesque sub Dunstano, quorum hæc Concordiæ verba c. 3. „ (Facto namque capitulo, discalciant se fratres, & intrantes Ecclesiam, more obedientiæ lavent pavimenta Ecclesiæ; Sacerdotibus interim cum ministris altaris benedicta aqua sacra altaria lavantibus; ea enim die non fit celebratio Missæ in aliquo altari, donec laventur; quibus peractis, lotis pedibus recalcient se.) Alii majoris Missæ tempore „ (hac die, inquiunt consuetudines Fontanellenses, post evangelium, lavantur a Sacerdotibus altaria ex vino, & aqua, cantando suppressa voce, *circumdederunt*, & dimittuntur discooperta usque Sabbato sancto.) Altare vero majus, post dictam Missam, & delatam ad locum suum Eucharistiam „ (Sacerdos exutus casula cum stola, & alba præcinctus manipulo lavet, omnibus alta voce cantantibus, *circumdederunt*, cum suo versu, Abbate incipiente,) alii facta corporis Dominici elevatione: „ (Post elevationem Corporis Christi, *inquit Ord. S. Petri supra Divam*, abluant Sacerdotes bini, & bini altaria per circuitum, dicentes ℟. *Circumdederunt me viri*, ℣. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea*, collectam; *Respice quæsumus Domine super hanc familiam*. Deinde faciant memoriam de Sanctis, in quorum honore consecrantur altaria, cum antiphonis, sine ℣. & oratione; quibus peractis revertantur in chorum.) Cassinenses Vesperarum initio altaria denudabant: „ (Finita Missa, *inquiunt in Ord.* statim incipiat Cantor antiphonam ad Vesperas,

„ peras, *Calicem*. Psal. *Credidi*; incipientibus in choro primam antiphonam, duo Acolythi induti nigris planetis incipiant expoliare altaria, quæ a Vespera hujus diei nuda maneant usque ad horam septimam Sabbati.) Compendienses, qui Vesperas in ipsa Missa dicebant, ea finita, statim expoliabant altaria: „ (Dicat Diaconus *Benedicamus Domino*, (scilicet in fine Missæ,) ut in quarto R. duplici; post hæc denudentur omnia altaria a Capitrariis, & laventur aqua, & vino, & sic remaneant denudata usque in vigilia Paschæ. Dum lavantur altaria, dicatur antiphona, & oratio de sancto, cujus est altare, quod lavatur.) Apud Grandimontenses, ex consuetud. Guilielmi Pellicerii primi Abbatis: „ (Post Vesperas die cœnæ discooperiuntur altaria in signum, quod Christus fuit spoliatus, qui Christus altare significat.) Cistercienses etiam lib. Usuum c. 21. ante Vesperas, facto scilicet pauperum mandato, hoc præstabant: „ (Expleto pauperum Mandato, inquiunt, Sacrista mox ascitis sibi fratribus, quos necessarios habuerit, altaria discooperiat, & pallas, quas inde tulerit, honeste aptet.) Idem habet Ordinar. Bursfeldensium: Alii vero tempore refectionis, ut notatur in citatis consuetudinibus S. Benigni, quibus accedunt consuetudines Germaniæ n. 24. in quibus hæc lego: „ (Dum autem cœnaverint, deputentur, qui altaria denudent, & laveat tam de aqua, quam de vino: servientes etiam, qui usque Completorium, si expedit, pavimentum Ecclesiæ abluunt; adeo autem solet esse hic dies occupatus, ut de lavatione Ecclesiæ omniumque suorum ornamentorum in auro, & argento usque in crastinum differatur;) Statuta Lanfranci: „ (Interim dum fratres in refectorio sunt, Secretarii discooperiant omnia altaria.) Vetus Corbejense Ord. „ (dum conventus in refectorium ad prandium progreditur, remorantes Secretarii altaria cuncta discooperiunt.) Liber Usuum Beccensium: „ (Dum cœnant, Secretarius discooperiat altaria.) Idem habent consuet. Lyræ: Casalini vero „ (Post refectionem, inquiunt, Sacerdos cum Acolytho denudat altaria dicendo antiphonam: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem* cum toto psalmo: *Deus Deus meus respice*;) & Laudunenses S. Vincentii consuetudines: „ (Post prandium discooperiantur altaria, sed non lavantur usque in crastinum.) Denique Cartusienses monachi id præstant post mandatum fratrum in capitulo, quod refectionem communem sequebatur; de quo proinde hic dicendum; neque tamen omittendum puto, quod in Germaniæ consuetudinibus n. 24. legitur his verbis: „ (Provideat Abbas, ut in honore illius, cujus vice fungitur, diligenter fratribus serviat in refectorio.)

LXV. Finita ergo refectione, omnes ascendebant dormitorium, nocturnales calceos sumturi; inde descendebant in claustrum pedes lavaturi; cœnatisque servitoribus, refectorium ingrediebantur ad potum; postea pulsata a Priore tabula in capitulum conveniebant, ubi mandatum (*a*) fratrum peragebant. Rem fuse omnino describit Lanfrancus in Statutis c. 1. §. 4. quem hic in exemplum veterum monachorum adduco: „ (Postquam fratres a mensa surrexerint, & de monasterio, ac dormitorio solito more redierint, lavent sibi pedes, ut Sabbato fieri solet. Præparentur cuncta, quæ ad Mandatum sunt necessaria. Refectis servitoribus, & pedibus ablutis, pulsetur tabula, & ad bibendum in refectorium vadat. Post hæc egressis fratribus de refectorio, Prior claustri jubente Abbate percutiat tabulam ad Mandatum; ingressis in capitulum fratribus, Priore claustri sedente in loco Abbatis, præcingant se linteis Abbas, & Prior; & inchoante Priore claustri antiphonam, *Dominus Jesus*, veniant in capitulum Abbas ad dextram, & Prior ad sinistram, sequentibus eos fratribus, qui ad servitium eorum ipsa die in capitulo fuerint ordinati; & utrique flexis genibus lavent pedes fratrum, & tergant, & osculentur. Camerarii præsto esse debent, qui madefactis tersoriis, alia ministrent, quoties opus fuerit. Lotis omnium, qui in capitulo sunt, pedibus, sedeant foris ante capitulum Prior, & prædicti servitores cum eo, quorum pedes præcinctus tersorio Abbas flexis genibus abluat, & tergat, & osculetur, servientibus sibi fratribus ad hoc obsequium deputatis. Post hæc redeat Abbas in sedem suam, ad quam Prior præcinctus tersorio veniens cum fratribus sibi deputatis, lavet pedes ejus, & tergat, & osculetur, & ablutis manibus suis statim deferat sibi aquam ad abluendas manus, uno eorum, qui sibi servierunt, tenente manutergium: deinde redeunte Priore claustri in locum Abbatis, exeat Abbas, & accipientes ipse, & Prior bacilia cum aqua, & manutergia, duo fratres, qui de coquina ipsa septimana serviunt, qui inter ceteros adjutores, ad hujus mandati obsequium ordinari debent, serviant omnibus ad abluendas manus, sicut servierunt ad abluendos pedes. His expletis exeant Abbas, & Prior, & servitores eorum, & ante capitulum præbeat eis Abbas aquam ad abluendas manus, tenente manutergium uno eorum fratrum, qui ad hoc obsequium ei deputati sunt. Quo peracto, præcedens Abbas, & ceteri sequentes eum introeant capitulum, & faciant ante, & retro, sicut solet fieri die Sabbati ab eis, qui Mandatum fecerunt. Postea pergat Abbas ad sedem suam, surgente conventu donec sedeat, reliqui similiter ad loca sua.) Hactenus Lanfranciani ritus ad Mandatum fratrum in capitulo observati, in quibus quatuor potissimum observare licet, Primo, quod ipso Mandati tempore Prior claustri sedem Abbatis in capitulo occuparet. Secundo, quod Abbas, & Prior, scilicet *Major* a priore claustri distinguendus, istud Mandatum peragerent. Tertio, quod lotis omnium fratrum pedibus, Abbas *foris ante capitulum* Priori, aliisque servitoribus Mandati obsequium exhiberet. Quarto, quod ipsi Abbati suam in sedem reverso, idem Prior ipse præstaret.

LXVI. Lanfranco, quo ad duo priora concinunt liber Usuum Beccens. in secundo exemplari, consuetudines S. Dionysii, S. Germani a Pratis, & S. Cornelii Compendiensis; nisi quod in lib. Usuum Beccens. cons. S. Germani, & S. Cornelii non *Prior claustralis*, sed *Prior* in sedem Abbatis sedere jubetur; voces diversæ, sed res eadem. Aliis in monasteriis, in quibus Abbas solus, vel cum aliis a Priore Mandati obsequium præstabat, Magnus Prior sedem Abbatis in capitulo tenebat. Ita apud Cluniacenses, Divionenses, Corbejenses, Cistercienses, Bursfeldenses, & alios. Porro antequam Abbas, & Prior ad Mandatum sese accingerent, Hebdomadarii coquinæ, quibus ex Regula Mandatum Sabbatis singulis facere incumbit, omnium pedes lavabant; sed non tergebant, præterquam Abbatis, & Prioris; & hoc apud Dionysianos. Lotis aliquorum pedibus, Abbas ipse præcinctus linteo (*b*) iterum lavabat, tergebat, & osculabatur singulorum pedes. Rem cum Udalrico, & vetere Corbejense Ordinario ita enunciat liber cons. S. Benigni Divionensis c. 60. „ (Hebdomadarii coquinæ primum lavant pedes fratrum, sed non tergunt, qui cum ex utraque parte laverint octo, aut decem fratribus pedes, procedit Domnus Abbas reincipiendo a capite, sequens eos cum tribus, vel amplius adjutoribus, qui iterum lavant, & tergunt.) Ubi numerosa adeo esset monachorum congregatio, ut omnium lavandis pedibus Abbas sufficere non posset, unus ex Prioribus, vel etiam alii duo, si visum fuisset, qui ex utraque parte Mandatum facerent, ei in adjutorium dabantur, ut, teste Udalrico apud Cluniac. l. 1. c. 12. quod certe semper faciunt Cistercienses libro Usuum c. 21. „ (ita ut Abbas duodecim tantum, idest quatuor monachorum, quatuor novitiorum, & quatuor fratrum laicorum pedes lavet, quod si numerus defuerit novitiorum, de fratribus laicorum suppleatur.) Neque vero prætereundum est, quod apud Cartusienses monachos (Ord. Cart. c. 49. n. 12.) Prior assistentibus sibi procuratore, & duobus antiquioribus fratribus Mandatum perficit, *nudatis pedibus, & capite*, tam suis, quam adjutorum ejus.

LXVII. Lotis omnium fratrum pedibus, Abbas, adjutores ejus, & servitores capitulo egrediebantur, quibus duo ex senioribus mane in capitulo designati Mandatum exhibebant: „ (In capitulo, *inquiunt Floriacensium consuetudines*, duo senes designantur, qui extra capitulum Domno Abbati, & omnibus adjutoribus ejus pedes, & manus lavent.) Idem videre est in antiquo Corbejensi Ord. & in libro Consuetud. S. Benigni, in quibus additur: *Quod tamen dudum solebat in capitulo fieri*. In Beccensi autem monasterio Abbas Priori, & Prior Abbati pedes lavabat in capitulo; sed antea uterque extra capitulum linteum, quo erat præcinctus, deponebat, & resumebat. Similiter in Lyrensi, ubi solus Abbas Mandatum peragebat, lotis omnium pedibus, Abbas, & Prior simul capitulo exibant: Abbas linteum depositurus, Prior linteo, alio tamen, quam Abbatis, sese præcincturus; tum ingredientes capitulum Prior Abbatis pedes lavabat. In Parisiensi S. Germani monasterio, qui ad Mandatum servierant, ipsi sibi invicem pedes lavabant „ (scilicet unus alteri obsequendo, & hoc erit ante capitulum,) inquiunt consuet. ejusdem monasterii. Similiter apud Cistercienses: „ (Peracto obsequio, *sic habet lib. Usuum*, Abbas duorum servitorum suorum pedes lavet, ceterique sibi invicem lavent:

(*a*) Lotionis pedum in Cœna Domini meminit Beda in vit. S. Cuthberti c. 18. sæc. 2.

(*b*) Præcingebant autem se ex Ord. Bursfeld. c. 36. cum in antiphona: *Ante diem festum*, perventum esset ad hæc verba: *Surrexit præcinxit se*,

lavent: Novissime vero alter ex sibi deputatis, Prior scilicet in eodem loco Abbatis pedes levat, alter vero tergat, & osculetur &c.,) sed hoc intra capitulum. Interim vero dum Mandatum fieret, antiphonas, & ℟. ad præsentem actionem pertinentia, ut Sabbato fieri solet, decantabant; sed sub Mandati finem duo optime cantantes a Cantore designati medium in capitulum prodibant hymnumque: *Tellus ac æthra jubilent*, e Flavio Cabilonensi Episcopo compositum, modulaturi, ad cujus singulas strophas, chori primam stropham repetebant. Hunc hymnum edidit Menardus noster in notis ad lib. Sacrament. S. Greg. Pap. p. 78.

LXVIII. Et hæc quidem de Mandato fratrum in capitulo, in quibus ne quidem mentionem fecimus Cassinensium rituum, qui cum sint singulares, hic eos ex integro referre operæ pretium existimavimus. Tales autem sunt: „ [Post hæc tacto signo intrantes in refectorium dicunt ℣. ex more, Lector autem non petet benedictionem; sed incipiat tantum legere. Tunc fratres, postquam comederint, quæ illis apposita fuerint, nondum tamen cœna completa, tacto signo a Priore, surgant, imitantes Salvatorem, & euntes in capitulum lavent pedes utrinsque ad invicem, tam Abbas, quam cæteri fratres per ordinem. Mansionarii vero deferentes partem linteí Salvatoris, unde extersit pedes discipulis, præparent illud honorifice, ubi Mandatum fieri debent, ante quod duo candelabra accendantur, & Acolythus cum incenso stet ante illud. Antiphonæ ad Laudes: *Postquam.* Psalmus: *Deus misereatur. Ut cognoscamus* &c... Tunc surgant tres Clerici, & cantent ℣. *Ubi charitas*, & per omnes versus repetatur a sedentibus; *Ubi charitas*. Interim vero dum ℣. cantantur, per ordinem omnes fratres partem præfati linei singillatim genibus flexis adorent, & osculentur. Finitis autem ℣., dicimr: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison: Pater noster*. Capit. *Salvos nos fac Domine Deus noster: Ut confiteamur: Memento nostri Domine; Memento congregationis: Domine exaudi*. Oratio: *Deus cujus cœna sacratissima*, & ita omnes pariter revertantur in refectorium ad explendam cœnam, & ea finita pergant, cum versu in Ecclesiam juxta morem.)

LXIX. De sanctimonialibus quæret aliquis, an sibi pedes, virorum ad instar, lavarent. Hac de re interrogatus olim a Bonifacio Moguntino Episcopo Zacharias Papa (In vit. S. Bon. l. 2. cap. 12. sæc. 3. part. 2. pag. 78.) respondit in hæc verba: „ (Inquisivit & hoc fraternitas tua, si liceat, Sanctimoniales fœminas quemadmodum viri faciunt, sibi pedes abluere, tam in Cœna Domini, quam in cæteris diebus. Hoc Dominicum præceptum est, quod qui per fidem impleverit, habebit ea ad laudem; etenim viri, & mulieres unum Dominum habemus, qui in cœlis est.) Certe S. Berta Congregationis Vallis Umbrosæ Abbatissa Discipularum suarum pedes in Cœna Domini lavisse dicitur in ejus vit. n. 7. apud Boll. 24. Mart.

LXX. Huic prætermittere non licet, quod quibusdam in monasteriis, præter istud fratrum Mandatum, & aliud pauperum, quod ante Vesperas fiebat, ut vidimus, Abbas e cœna egrediens duodecim iterum pauperibus pedes lavabat. Extat insignis hujus rei locus in Floriacensis monasterii consuetudinibus: „ (Post mensam eat Domnus Abbas cum sociis suis in eleemosynam ad faciendum Mandatum XII. pauperibus, ut pedes, & manus eorum abluat. Deinde ipsis singulis offerat panem, & vinum cum duobus arenciis, & XII. denarios;) & in consuet. S. Germani a Pratis: „ (Post comestionem nos reddemus gratias in silentio; post gratias nos ascendemus dormitorium, & revertemur in claustrum lotum pedes nostros; omnes debent lavare pedes suos in claustro, quando erit quasi completa lotio suorum pedum, Domnus Abbas ibi faciet Mandatum XII. pauperibus, quos pavit in ista Quadragesima; ad istud Mandatum debent esse Baillivi forinseci. Quando Mandatum erit factum, Domnus Abbas ibit in ecclesiam cantando: *Miserere mei Deus*, & revertetur in locutorium.)

LXXI. Hactenus de Mandatis in Cœna Domini fieri solitis satis: superest, ut de collatione, & de Completorio aliquid breviter dicatur. Collationem statim post cœnam faciebant Cassinenses, alii post Mandatum fratrum; unde nec capitulo exibant, sed sub finem Mandati, scilicet cum lavarentur manus, Diaconus prius lotus cum ministris pergebat in sacristiam, unde alba, stola, & dalmatica indutus, reversus in capitulum collationis lectionem ex Evangelio inchoabat. De hac collatione breviter Cassinensium Ordinarium „ (Postquam vero omnes fratres e cœna surrexerint, adeant collationem. Cunctis autem residentibus, veniat Diaconus indutus dalmatica, præcedentibus quatuor Acolythis, cum luminaribus, & incenso; & incipiat legere Evangelium in sono lectionis: *Amen, amen dico vobis, non est servus.... surgite eamus hinc*. Tunc vadant omnes in refectorium ad bibendum, & dum biberint, perlegatur Evangelium, quousque visum fuerit Abbati, & tunc bibat Lector, & qui cum eo steterint: Deinde Abbas dicat, *Adjutorium nostrum in nomine Domini: Sit nomen; Benedicamus Domino*: & sic pergant ad completorium.) Hæc illi breviter, quæ fusius alii prosequuntur, ex quibus nonnulla sufficienda sunt.

LXXII. Primo ergo apud Cassinenses Diaconus cum quatuor Acolythis procedebat indutus dalmatica; similiter ex Lanfranci Statutis, lib. Usuum Becc. & consuet. Lyræ *alba, stola, manipulo, & Dalmatica*; cum tamen apud alios sola *alba, & stola* indutus legatur, ut in Germaniæ consuet., apud Udalricum l. 1. c. 12., lib. consuet. S. Benigni, & Ordin. Corbejensi; quidam addunt *manipulum*, ut Parisienses S. Germani. His de indumentis ita scribunt Benigniana consuetudines c. 60. „ (Custos Ecclesiæ ad sanctum Evangelium legendum Diacono aureum exhibet amictum, festivam albam, stolam simul, & cinctorium sericum;) & consuet. S. Dionysii in Franc. „ [Induatur Diaconus alba deaurata, & stola festiva cum textu.) Hunc textum ex Germaniæ consuet. ferebat unus ex tribus Acolythis.

LXXIII. Secundo, priusquam e sacrario Diaconus progrederetur, incensum in thuribulo *abundantissime* imponebat, ex Statutis Lanfranci, consuet. S. Benigni, & Ordinario Corbejensi; sed in Parisiensi S. Germani, Dionysiano, Compendiensique monasteriis Abbas in capitulo thus in thuribulo ponebat.

LXXIV. Tertio, Diaconus non petita benedictione lectionem ex Evangelio secundum Johannem, *Ante diem festum Paschæ*, incipiebat, stantibus omnibus, donec primus versus legeretur, ex Statutis Lanfr. consuet. S. Benigni, & Ordin. Corbejensi; sed in Dionysiano, Compendiensique monasteriis stabant ad hæc usque verba, *Exemplum enim dedi*; apud Cartusienses, & Grandimontenses ad ista: *Et cum recubuisset*; Parisienses S. Germani, usque dum sederet Abbas. Abbate enim sedente omnes sedebant, horum in monasterio, ut & in Vincentiano, Diaconus benedictionem petebat; (sed silenter Diaconus offeret thus Domno Abbati ad benedicendum, & incensabit suum Evangelium, & Domnum Abbatem, & accipiet benedictionem a Domno Abbate in silentio, & incipiet legere Evangelium hodiernum,) inquiunt consuetudines S. Germani.

LXXV. Quarto, ubi ad hæc Evangelii verba: *Surgite eamus*, perventum esset, pulsata a Priore tabula, præeunte Diacono, omnes capitulo egressi refectorium intrabant; in quo primum præmisso, *Pocula caritatis*, ex consuet. Grandimont. respondebatur, *Amen*. Tum Diaconus inceptam in capitulo lectionem ab eo loco, unde desiverat, prosequebatur, & quidem imposito prius in thuribulo incenso, textu, & analogio incensato, ex Lanfranci Statutis, idque ad nutum Prioris claustralis, sive Subprioris in Abbatis loco recumbentis. Audiendæ sunt hanc in rem Laudunenses S. Vincentii consuetudines: „ (Cum perventum fuerit ad illum locum, *Si quis diligit me*, tunc Prior, & Refectionarius licentiati ab Abbate exeunt capitulum, & percutit Prior tabulam, Refectionarius aperiens ostia refectorii præparat vinum in justa melius solito. Quando vero ventum est ad illum locum, *Surgite eamus hinc*, tunc surgunt omnes euntes in refectorium, Abbate tantum præcedente, cæteris sequentibus, sicut sunt in ordine. Juvenis quidam debet portare lectorium ante Levitam. Cum autem sunt in refectorium, tunc incipit lectionem ad illum locum, quo in capitulo fecit finem.]

LXXVI. Quinto, infusum in phialis vitreis, sive scyphis vinum benedicebat Hebdomadarius Sacerdos, ex Lanfranci Statutis, vel ille, qui cantaverat Missam pauperum, ex consuetudinibus Lyræ, vel ipse Subprior sedens in loco Abbatis, ex consuet. Compendiens.; & quidem sub silentio, ex lib. consuet. S. Benigni, & Ordinario Corbejensi; vel saltem humili voce, ex Statutis Lanfranci, vel alta omnino voce, ut Cartusienses (in ord. Cart. c. 49.), apud quos „ (tam Prior, quam Religiosi alii capita detegentes, dataque a Prælato benedictione, scilicet, *Potum servorum suorum filius Dei benedicat*, quam terminat, sicut Lectiones hujus tridui, absque responso: *Amen*, sedent omnes, ut prius, & bibunt;) quod etiam fecisse videntur Lyrenses nostri, ut colligitur ex eorum consuet. „) Et dicant: *Benedicite*, sicut fit Sabbatis, & Sacerdos, qui cantaverit Missam pauperibus, det benedictionem: *Largitor omnium bonorum*.) Hujus vero benedictionis dandæ modum describunt consuet. S. Benigni

his verbis: „(Tacente lectore, omnes sub silentio di„cunt, *Benedicite*, & Sacerdos surgens elevata manu „cum signo crucis facit benedictionem eodem modo sub „silentio.)

LXXVII. Sexto, benedictum hoc modo vinum Abbas, & qui cum eo Mandatum fecerant, Priori, seu Subpriori, sive Priori claustrali primum, deinde ceteris omnibus propinabant, eorum manus osculantes, quod tunc bibebant. Ministrato omnibus fratribus, etiam infantibus, vino, Diacono, & ejus Acolythis sua offerebatur phiala; deinde servitoribus, novissime & ipsi Abbati ad suam sedem accedenti, a Priore recedente paullulum. Quibusdam in locis statim post Priorem offerebatur Diacono, & Acolythis vinum; sed non nisi finita lectione bibebant; quod ubique observabant: quapropter finita, sine *Tu autem Domine*, lectione, deposita dalmatica, stola, & manipulo, vel sola stola, ubi solam induebat, super analogium, candelabris, & thuribulo super mensam Abbatis, facto ante, & retro ad ipsum Abbatem accedebant; Diaconus juxta eum, Acolythi juxta Diaconum, pro ut erant priores sedentes, ubi omnium novissimi bibebant. Diaconus autem lectionem continuabat ad hæc usque verba, *Locutus est Jesus, & sublevatis*, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetud., vel usque ad nutum Abbatis, ut apud omnes alios. Prohibent porro Cartusienses monachi „(Nectar, „& alias quascumque vini, & specierum confectiones mi„sceri) ad collationis potum, contra communem monachorum consuetudinem, de qua Petrus Vener. in statut. XI. „(Statutum est, ut ab omni mellis, ac specierum „cum vino confectione, quod vulgari nomine pigmentum „vocatur, Cœna Domini tantum excepta, qua die mel „absque speciebus vino mistum antiquitas permisit, omnes „Cluniacensis Ordinis fratres abstineant.) Hic vero observare liceat, quater hac die Majores nostros ad refectorium accessisse; primo post Missam, secundo, post Vesperas ad refectionem, tertio, post servitorum refectionem ad potum, quarto, tempore collationis ad charitatem: bis tantum notat vetus Ordo Divini officii in domo S. Benedicti ante Pascha tom. 4. Anal. his Cassinense Ordinarium tempore Oderisii scriptum; ad refectionem, quam tamen dividebant, sive intermittebant, & ad collationem; similiter Grandimontenses, & Cartusienses.

LXXVIII. Septimo, finito potu, & dicto sub silentio, *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ex Cons. Germaniæ, S. Benigni, S. Dionysii, & Comp., & Ordin. Corbejensi; vel humili voce ex Lanfranci Statutis; vel alta voce, ut innuere videntur consuetudines Lyræ c. 60. pergebant in Ecclesiam ad Completorium, & quidem „(præeunte pro„cessione, Diacono textum ad pectus, & stolam in manu „plicatam ferente,) ut habent Cons. S. Benigni: ex Statutis vero Lanfranci duo Secretarii analogium, & dalmaticam, cum textu, & stola, & manipulo ad monasterium, hoc est Ecclesiam deferebant.

LXXIX. Congregati in Ecclesia, & pulsata tabula; Completorium *Canonico more*, ex Concordia Dunstani, vel cum psalmis solitis, & hymno, sine *Presta Pater*, & sine capitulo, cum precibus, & collectis consuetis, sine *Dominus vobiscum* ante, & post, ex Dionys., Compendiensibusque consuetudinibus cantabant; & quidem *sonore*, ex eadem Dunstani Concordia; vel saltem summisse, sive, ut habet lib. Usuum Cist. c. 21. *mediocri voce*, ita ut psalmodiæ sonus clare, & distincte resonet, quod etiam observabant Cassinenses; vel tandem omnino *per se sub silentio*, ut loquuntur Divionenses S. Benigni, Floriacense S. Benedicti Consuet., vetus Corbejense Ordinarium, & alii; sive, ut consuetud. Germaniæ, *singillatim*. Liber Usuum Beccensium in secundo exemplari habet: „(Duo, & duo „sub silentio;) Lanfrancus in Statutis: „(Bini, aut terni sub silentio;) additque: „(Post Completorium tres „orationes solito more faciant, Prior tabulam percutiat „tribus ictibus, post orationes infantum, sicut scillam „pulsare solet.)

LXXX. De psalmodia vero ad officium regulare solito addita, hæc habent consuetudines Germaniæ: „(Notan„dum sane, quod illis tribus diebus, psalmi post horas „diurnales interea canendi non relinquantur, videlicet „post Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam. „Post Primam quoque, illis decursis, sequatur *Deus au„ribus nostris*, XVIII. psalmos; deinde septem pœniten„tiales cum litania sua; cæteri dimittantur, de omnibus „SS., & pro mortuis similiter;) & tamen ex Ordinario Corbejensi, & cons. Sancti Benigni, psalmi familiares prætermitti debebant.

LXXXI. Ad benedictionem itinerantium quod attinet, audiendus est Udalricus l. 2. c. 12. „(Siquis autem fratrum foris positus Paschali solemnitati vult interesse, in IV. feria „debet venisse. Ac si forte per negligentiam contigerit, „sive sit noster professus, sive monachus extraneus, ut „non veniat, nisi in ipsis tribus diebus; post quamlibet „horam finitam, postquam se fratres ad fontem levaverint „de formis, solitam benedictionem habebit; nemo tamen „illum osculatur ab eo momento Cœnæ Domini, quo „pax in Ecclesia generaliter est data, usque dum pax ite„rum detur in præfato Sabbato sancto ad communio„nem.)

LXXXII. Superest, ut de oleo infirmorum unum verbum addam ex consuetud. S. Benigni c. 60. „(De oleo „sancti Chrismatis præteriti anni, si quid residuum fuerit, „pridie, idest IV. feria ante Cœnam Domini, in loco apto, „atque mundissimo igne crematur, vel etiam in abditis„simo, ac secretissimo reconditur loco. De oleo quoque „catechumenorum, seu infirmorum similiter est agendum. „Inde cura Apocrisarii per strenuum legatum, sive Cle„ricum, sive laicum, cum ampullis transmittitur ad E„piscopum Lingonensem, ut faciæ unctionis oleum in „die sancto Cœnæ Domini confectum fratribus transmit„tat;) & confiet. Floriacenses: „(De oleo infirmorum „præteriti anni, si quid residuum fuerit, in loco apto, „& mundissimo reconditur, vel igne crematur; quando „novum oleum ad nos a Præposito Villaris infra octo dies „delatum fuerit. Hodie fit eleemosyna de pane, & vino „omnibus, qui voluerint;) quod de eleemosyna facienda hic addunt, in memoriam revocat laudabilem S. Alberti Abbatis Gembronensis consuetudinem, qui, ut scribit in ejus vita Anonym. n. 12. in app. ad sæc. 3. „(Annuatim bis „centum solidos in eleemosyna erogaret, in die videlicet „Cœnæ Dominicæ; .... & in die Nativitatis ejusdem „Domini Jesu Christi.)

CAPUT XIV.

De Feria VI. Parasceves.

I. FEria Sexta Parasceves, in qua Salvatoris Domini nostri Jesu Christi Passionem & mortem celebramus, suas habebat nocturnas vigilias cum eadem solemnitate, iisdemque ritibus, atque Cœna Domini. In I. nocturno de Lamentatione Jeremiæ Prophetæ lectiones desumebant: in 2. de sermone S. Augustini super Psalmos: in 3. ex Epistola ad Hebræos; pro quibus ex MS. consuetudinibus S. Dionysii in Francia „(tres Lectiones de passione, *Do„carsis dilectissimi*, dicendæ erant.) His omnes interesse debebant etiam infirmi. Unde Lanfrancus in Statutis: „(Fe„ria Sexta, *inquit*, ante nocturna pulsetur tabula in clau„stro, & ante Cellarium, & ante *domum infirmorum* „ad excitandos dormientes.)

II. Ad Primam nudis omnes pedibus conveniebant, ex communi & universali monasteriorum nostrorum usu, quod absolute præscribunt Dunstanus in Concordia, Udalricus l. 1. c. 13. consuetudines Germaniæ, Floriacenses, Divionenses, Dionysianæ, Compendienses, & Lyrenses, vetus Ordinarium Corbejense, & S. Petri supra Divam, liber Usuum Cisterciensium c. 21. & Beccensium; sub conditione vero Lanfrancus, consuetud. S. Germani a Pratis, atque S. Vincentii Laudunensis, & recens Corbejensis monasterii Rituale, consuetudines Fontanellenses, scilicet nisi *pro nimia frigoris asperitate* misericordia concedatur, sive, ut loquuntur Laudunenses consuetudines, *nisi sit frigus horridum*; neque enim pro quovis frigore calceos retinebant; quo ipso *officio tantum*, inquit Lanfrancus, *intersunt nudis pedibus*, & pro hac gratia, ait Rituale Corbejense, uti & Fontanellenses consuetudines, *quilibet tenetur dicere septem psalmos*; sive in prima aliquem usum permutabitur ex cons. Laudun. & sic remanebant nudi usque ad Vesperam, tunc enim factis orationibus trinis locos aqua calida pedes calciabant, ac Vesperas cantabant. Id porro monachis non ita erat singulare, quin etiam laicis fuerit commune, quod discimus ex vita S. Constabilis Abbatis Cavensis ineunte sæc. 12. n. 66. apud Boll. 17. Feb. ubi hoc lego: „(In sancta præterea die Parasceves cum „de diversis partibus multitudo virorum & mulierum, si„cut mos est Christianæ religionis, sanctum diem illum „*discalceatis pedibus*, & cum lachrymis sacra loca visitando „celebraret, contigit quod multi ad hunc sanctum locum „venerunt.)

III. Primam autem cantabant *sub silentio* in omnibus omnino monasteriis; licet hoc non exprimat Cassinense Ordinarium; in cœnobio S. Petri supra Divam *bini vel terni*; & quidem cum iisdem psalmis, eodemque ordine ac die præcedenti, hoc est Canonicorum more, vel cum psalmis regularibus pro monasteriorum consuetudine, nisi quod

apud

apud Cassinenses primus psalmus dicebatur, *Deus Deus meus respice in me*, deinde, *Beati immaculati*.

IV. Primam sequabantur more solito psalmi pœnitentiales, ex conf. Lyræ, *sub silentio*, etiam dicendi, ex Udalrico vero, consuet. S. Benigni, & Ordinario Corbejensi, *manifeste*, sive, ut loquitur S. Petri supra Divam Ordinarium, *in auditu*, Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines *in audientia*, hoc est alta voce; cum „ letania „ (quæ, *ut ait Udalricus l. 5. c. 13.*, nihil „ sui juris, & consuetudinis carebit in versibus & col- „ lectis.)

V. Postea exeuntes in claustro totum ex integro psalterium Abbate incipiente decurrebant, „ [quod cum in- „ cipitur, omnes accipiant veniam super genua,) (inquiunt consuet. Compendienses,) quibus suffragantur Dionysianæ; postea tamen sedebant, ut patet ex veteri Corbejensium Ordinario, in quo sic lego: „ (Finita autem leta- „ nia, exeunt fratres in claustrum, ibique sedentes capel- „ los non habentes in capite, communiter cantant totum „ psalterium, quod incipit Domnus Abbas ibidem sedens, „ donec finiatur; qui ex una parte residentiæ sedent unum ver- „ sum dicunt, qui ex alia, alium.) Hoc Fontanellenses, & Cistercienses non in claustro, sed in *capitulo* faciebant, ex lib. Us. Cist. c. 22. Cassinenses finitis Matutinis psalterium canere incipiebant, de quo tandiu decurrebant, donec Primæ tempus advenisset; qua finita, psalmos ubi dimiserant, reincipientes, psalterium cum letania & orationibus absolvebant. Hactenus psalterium integrum nostri Trevirenses S. Maximini recitant.

VI. Istud psalterium aliquibus in locis pro defunctis maxime dicebatur, ut colligimus ex Corbejensis monasterii Rituali hæc præscribente: „ (Abbas cum conventu in ec- „ clesia, vel in capitulo debent dicere totum psalterium pro „ *Mortuis*. In principio quilibet debet dicere, *Pater no-* „ *ster*, *Ave Maria*. *Oremus pro cunctis fidelibus Dei de-* „ *functis*: *Beatus vir*, & in fine, *Requiem*; *Pater noster*, „ & *Ave Maria*: *Et ne nos*; ℣. *A porta inferi*. Collecta, „ *Fidelium*, & *Requiescat in pace*, *Amen*.) Alias preces psalterio subjungebant Laudunenses S. Vincentii, quas in consuetudinibus exprimunt his verbis: „ (Finito ab om- „ nibus psalterio, in fine dicitur *Laus tibi Rex æterna glo-* „ *riæ*: *Kyrie eleison*; *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, *Pater* „ *noster*, Domnus Abbas: *Et ne nos*. ℣. *Adoramus te* „ *Christe*: ℣. *Domine non secundum peccata*, ℣. *Domine ne* „ *memineris*. ℣. *Adjuva nos Deus*: ℣. *Domine exaudi ora-* „ *tionem*: *Oremus*. Collecte: *Respice quæsumus Domine su-* „ *per hanc familiam*. Collecta: *Exaudi quæsumus Domine* „ *supplicum preces*. Collecte: *Deus qui justis irasceris*. Col- „ lecte: *Deus cui proprium*. Collecta: *Ecclesiæ*. Collecta: „ *Ineffabilem per Dominum nostrum*: *Domine exaudi*, *Be-* „ *nedicamus Domino*.]

VII. Completo psalterio, addit Lanfrancus: „ [Vadant „ ad confessionem, qui voluerint, usque ad horam officii;] & Ordinarium S. Petri supra Divam: „ (Completo psal- „ terio sedeant in claustro, in orationibus, psalmis, le- „ ctionibus, disciplinis, & confessionibus usque ad horam „ servitii.) Denique consuetudines S. Germani a Pratis: „ (quando psalterium erit dictum, illi qui volent ire ad „ confessionem, & ad privatas disciplinas, habebunt am- „ plum spatium.) Ad disciplinas quod spectat, notandum plane, quod de Joffrido Croylandensi Abbate scribit Petrus Bles. in continuata Ingulfi historia ad ann. 1114. „ (Constituit, & injunxit, ut in die Passionis Domini no- „ stri Jesu Christi, quem Parasceven divina pagina nomi- „ nat, Abbas istius domus sese coram omnibus in capitulo „ excuset, & verbera propriæ carnis regulariter suscipiet, „ & totus conventus in ordine suo id idem faciat.) Similites Bursfeldenses in Ordinario c. 37. (In Parasceve „ post Primam regularem in capitulo, postquam Abbas „ dixerit: *Loquamur de ordine*, singuli fratres per ordinem „ petita venia pro suis negligentiis, & in memoriam Do- „ minicæ Passionis disciplinam suscipiant de manu præsi- „ dentis.)

VIII. Appropinquante hora tertia ad tabulæ signum dormitorium ascendebant, lotisque manibus, & facie, pexoque capite, in ecclesiam conveniebant; ubi præmissis solitis orationibus, Tertiam, uti & reliquas diei Horas sub silentio dicebant Cluniacenses, & Corbejenses in Ecclesia B. Mariæ; Divionenses in oratorio S. Benedicti, hoc est in cappella infirmorum Tertiam dicebant, propterea quod interim scopis mundaretur Ecclesia, vel paulo ante saltem, & nondum excitatus pulvis requiesceret. „ (Dum psalterium „ cantatur, *inquiunt consuetudines Benignianæ c. 61.*, omnis „ Ecclesiæ a famulis Eleemosinarii scopis diligenter emunda- „ tur, quamquam in aliis solemnitatibus non agatur, nisi „ quando fratres hora prandii generaliter vescuntur. Tertia „ ad S. Benedictum cantatur, si pulvis majoris Ecclesiæ „ nondum est sedatus. [

IX. Post Tertiam conveniebant in capitulum, ubi primo Martyrologium eodem ritu legebant, quo die præcedenti, & terminabant, *sicut Lectiones mortuorum*, inquit rituale Corbejensis monasterii. Hæc in lectione lector primam pronunciabat: *Sabbato Dominus quievit in sepulchro*, quod dum cantaret, „ (omnes se in terram projiciant, „ *inquiunt Cassinenses in Ordinario*, & ita apud se unus- „ quisque versum ad solvendum dicat; hoc est in terra „ prostratis, & sub silentio.) Secundo dicto versu Lector Regulæ lectionem juxta consuetudinem pronunciabat, nulla petita benedictione, & sine solita conclusione. Tertio lectionem Regulæ excipiebat sermo, vel de ipsa Regulæ lectione, vel potius, ut habent consuetudines Lyræ, ex Evangelio illius diei. Apud Compendienses *Passio* exponebatur, sed *post capitulum*; „ (& apud Corbejenses fie- „ bat in ecclesia sermo ad conventum, & ad populum si- „ mul,) ex eorum Rituali, sed post Sextam. Quarto „ (post sermonem, *addit Lanfrancus*, narrentur, & „ ordinentur, quæ agenda sunt usque ad crastinum capitu- „ lum.) Sive, ut alii exponunt, legantur consuetudines hujus diei. Ultimo denique dicto sub silentio, *Verba mea*, exibant in claustro, ubi sub silentio lectioni, psalmisque vacabant; sed in Ordinario S. Petri supra Divam præscribitur, ut, „ (dicto *Verba mea*, veniant in chorum, in quo „ dicans septem psalmos prostrati, quibus finitis cum ℣. „ & collecta assuete, sedeant in claustro.)

X. Item *post Tertiam*, hoc est interim dum capitulum teneretur, vel postea, præscribunt consuetudines S. Benigni c. 61. „ ut (discooperiantur cruces, coronæ, capsæ, & „ cetera, quæ Quadragesimali tempore fuerant adoperta,) quæ totidem verbis leguntur in MS. conf. Cluniacensis monasterii; & Laudunenses S. Vincentii: „ (Post Ter- „ tiam discooperitur Crucifixus, & omnes imagines eccle- „ siæ.) Sed Cassinenses id præscribunt dumtaxat post Sextam, ad quam etiam legendam esse Passionem secundum Marcum decernunt: „ (Finita Sexta, *inquiunt in* „ *Ord.* legatur ante altare Passio Domini secundum Mar- „ cum, quo finito discooperiant omnes cruces & præparent „ crucem de ligno Domini ante altare, ut speciatiter, ac „ licenter adorent, quicumque voluerint usque ad horam „ officii.) Ubi quod de Passione ad Sextam legenda dicitur, in memoriam revocat illud quod in ordine officii in domo S. Benedicti ante Pascha scribitur to. 4. Anal. „ (In „ Sexta feria ad Tertiam legunt Passionem Domini se- „ cundum Matthæum, ad Sextam secundum Marcum; „ hora vero Nona legunt lectionem de Osee Propheta, „ sequatur gradale cum quinque versiculis: *Domine audi-* „ *vi*; deinde lectio de Exodo, & tractus, *Qui habitat in* „ *adjutorio*. Post hæc Passio Domini secundum Johannem „ sequatur.

XI. Sexta autem, uti & reliquæ Horæ diurnæ, sub silentio dicebatur, & *post hanc horam*, ait S. Petri supra Divam Ordinarium, *accipiat communiter disciplinas*, præter eas, quas privatim accipere ante Tertiam permiserat.

XII. Dicta Nona, fiebat solemnis novi ignis benedictio, ut die præcedenti; ad quam omnes, qui ad officium erant „ servituri, *albis* induti procedere debebant, ex Udalrico l. 5. c. 13., immo ipsi etiam infantes, ex Benignianis Conf. & Ordinario Corb. Ad eam Abbas *stola*, *& cappa* ornatus incedebat, ex Conf. S. Germani a Pratis, & quidem *rubea*, *baculum pastoralem manu gerens*, ut videntur innuere Floriacenses; „ [ad quam tamen processionem, „ (ita scribunt MS. Cluniacensis monasterii conf.) nihil „ aliud quam aqua benedicta, crux cum incenso, & thu- „ ribulo defertur,) tamen in Tullensi S. Apri Ordinario, hæc lego: „ (Ista die post Nonam eant ad benedi- „ cendum novum ignem eodem modo, & ordine, quo „ prædictum est in feria V. præcedenti, *excepto quod crux* „ *non portetur*.] Hæc omnia peragebantur hora diei octava, ut discimus ex pervetusto Corbejensis monasterii ordine pro Hebdomada sancta, in quo hæc continentur: „ (Ho- „ ra octava faciant de igne, sicut fecerunt in quinta feria, „ & a Præposito portetur, & septem lampades ejus mani- „ bus illuminentur, & de candelis, quantum Priori videtur.) Ad candelas quod spectat: „ (Hac die, (ajunt Conf. S. „ Benigni,) unus solus cereus coram altare ardet, post- „ quam novus ignis consecratus est, & in crastino, donec „ Missa incipiatur.) Reversi autem a processione hac Conversi, sic vocabant Acolithos, candelabra, & thuribulum deferentes, ex Benignianis consuet. albas cernebant: reliqui vero sacerdotalia indumenta, statim ad altare pro officio procedebant. Porro in monasterio S. Dionysii in Francia non omnes; sed „ (quædam pars de conventu ad novum ignem „ benedicendum, sicut pridie,) procedebat.

XIII. Solemnem ignis benedictionam axcipiebat officium, pro quo noiemm dumtaxat ceraum accendebant Cassinenses, Divionenses, & Corbejensea; duos Cillatarenses & Bursfeldenses. Ad illud procedebat Abbas, sive Sacerdos cum ministris, hoc est cum duobus minimum Diaconis, totidemque Subdiaconis apud Cassinenses, omnes ,, (induti nigris casulis, pedibusque discalciatis;) licet ex Statutis Lanfranci ,, (Sacerdos, & Levita soli; Sacerdos in casula, Diaconus in stola;) Ordinarium Sancti Patri supte Divam addit, *& manipulo*, procederent ad altara, quibus consentiunt Germaniæ consuetudines, in quibus Presbyter cum Diacono *induti planetis fuscis*; Cluniacenses MS. & Divionenses Sancti Benigni, in quibus ,, (Sacerdos indutus casula fusca, & ferens sinistra Missalem librum, cum Diacono) procedare jubentur: His proxime accedit Tullensa S. Apri Ordinarium, in quo legimus: ,, (Et nota, quod Abbas debet facere officium Missæ, & cum eo Hebdomaderius Missæ procadata alba indutus.) In Concordia Dunstani cum Abbate scribuntur Diaconus, & Subdiaconus. Similiter in Lyrensi monasterii consuetudinibus, in quibus & duo candelabra ferentes & in libro Usuum Becc., in quo duo Conversi ad candelabrum, & tertius ad thuribulum adjiciuntur. In Rituali Corbejensis monasterii generatim scribitur, ut ,, (Abbas indutus de casula nigra, & mitra alba cum ministris) eat ad altare matus. Apud Bursfeldenses Abbas *Cappam* gerebat, non casulam. Reliqui vero omnes, qui ad officium erant servituri, albis induti remanebant in choro, de quibus illud notandum est quod habent Compend. S. Cornelii consuetudines: ,, (Nullus legat, vel cantet, qui non sit Sacerdos, omnes qui legunt, vel cantant, albis induantur, (quod confirmant vetus Ordinarium Corbejense, & liber cons. S. Benigni, cum dicunt: ,, (Sciendum est, quod omnes qui in dia ad officium serviunt, & ad crucem, debent esse Sacerdotes;) in consuetudinibus tamen S. Benigni additur, *Præter Diaconum* hoc Dionysianæ consuetudines primam lectionem ab uno Sacerdote inchoari & cantari solent. Idem videre est in Lauduensium S. Vincantii consuet.

XIV. Officium autem ducebat initium a lectione, seu Prophetia Osee, quam tamen non incipiebat ante Subdiaconus quam Abbas, seu Sacerdos ad altare perveniens, præmissa oratione mentali, ad suam sedem se recepisset, in qua & sedebat. Ita nos docent vetustissimus Ordo Corbejensis monasterii pro Majori hebdomada: ,, (Procedat Sacerdos de sacrario, qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum super oratorium, sicut mos est; statim ut surrexerit, cum silentio ascendat ad sedem; quo sedente, statim Subdiaconus ascendat ad legendum;) Cassinense Ordin. ,, (Et venientes ante altare, prostrato omni corpore, in terram diutius orent; inde surgentes osculato altari, vadant sedere; & mittatur parvum linteum super altare nudum de sub Evangelio, & candela illuminetur usque ad finem officii, Sacerdote autem sedente, & innuente Diacono, Subdiaconus ascendat in grado ad legendum.) MS. cons. Cluniacensis monasterii: ,, [Sacerdos indutus casula fusca ferens sinistra Missalem librum, cum Diacono ad altare procedit, ubi tamen nec orationem facit, nec confessionem; sed mox posito in altari libro sessum vadit. Idem habetur in Benignianis, nec obscure innuitur in Concord. Dunstani, non defuerunt tamen qui lectionem ante inciperent, quam Sacerdos ad sacrum altare procederet. Ita Cistercienses, quorum in libro Usuum hæc leguntur: ,, (Legatur sine titulo Lectio *In tribulatione*, mane a quodam fratre a Cantore præmonito; quam dum inceperit, ingrediatur Abbas cum ministris ad altare nudis pedibus, orationem solitam prætermittentes ante altare.) Et Tulleoses S. Apri testante eorum Ordinario: ,, (Facta benedictione *ignis*, & reversis in chorum fratribus, unus puer alba indutus, adstans ante crucem in choro, ferialiter, & sine titulo legat hanc lectionem, *In tribulatione*; interim dum legitur, Sacerdos calceatis pedibus, cum ministris nudis pedibus, excepto Diacono, qui est calceatus, ingreditur ad altare sine aliqua processione.)

XV. Nonnulli officium auspicabantur ab oratione, *Deus a quo Judas*, quam sequebatur lectio Osee. Ita ex Statutis Lanfranci, libro Usuum Beccensium, consuetudinibus S. Dionysii, S. Cornelii, Lyræ, & Ordinario S. Petri supra Divam. Cartusienses, & Grandimontenses etiam confessionem præmittebant. De Grandimontensibus res patet ex eorum MS. consuetudinibus ,, (In hac die Parasceve, Nona dicta, & *confessione facta*, incipiuntur lectiones sine pronunciatione nominis Prophetarum cum tractibus &c.) De Cartusianis ex eorum Ordinario: Omnibus ,, (congregatis, accensisque candelis, portæ chori aperiuntur, & per totum officium patent, & Celebrans *confessionem facit* ad altare, & orationem more solito; deinde sessum vadit, sedetque conventus. Postea sequitur lectio: *In tribulatione*, quem dicit ultimus titulo prætermisso;) quæ pene totidem verbis extant in antiquis Statutis 2. part. c. 13.

XVI. Lectionem ita incipiebant Cassinenses: (Hæc dicit Dominus: *In tribulatione sua*; sed alii priora hæc verba, *Hæc dicit Dominus*, quæ non sunt ex Prophetæ textu, prætermittebant; utique non in tono Epistolarum, sed matutinarum lectionum cantabant.)

XVII. Prophetæ lectionem sequebatur tractus *Domine audivi*, a duobus cantandus, ex consuetudinibus Germaniæ, & quidem *in albis*, ex Statutis Lanfranci; usque *Diaconis*, ex Tullensi S. Apri Ordinario; vel *Presbyteris*, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, & aliis; vel a duobus *Hebdomadariis*, ex Ordinario S. Petri supra Divam. Ex Ordinario vero Corbejensi, & consuetudinibus S. Germani a Pratis a tribus Cantoribus concinebantur. Modum istius tractus cantendi discimus ex Rituali Corbejensi, in quo legimus: (Tres Presbyteri dicent tractum *Domine audivi*, quem versum repetet Conventus in principio, & in fine, & in aliis versibus, repetet in uno medietatem, in alio totum versum,) cui consentit Udelricus l. 1. c. 13.

XVIII. Tractu ,, (finito dicat Sacerdos *Oremus*, & Diaconus *Flectamus genua*, & alter Diaconus dicat *Levate*. Tunc Sacerdos dicat orationem: *Deus a quo & Judas*, (inquit Cassin. Ordinarium. Similiter vetustissimus Ordo Corbejensis pro Majori hebdomada. ,, (Post lectionem cantetur canticum: *Domine audivi*, cum versibus suis, & dicat Sacerdos *Oremus*, & Diaconus *Flectamus genua*, & orent; & dum dixerit *Levate*, surgant; & Sacerdos det orationem, *Deus a quo & Judas*.) Et tamen Tullenses S. Apri, Cistercienses, Cartusiani, & Bursfeldenses orationem absolute incipiebant sine præmisso: *Flectamus genua*.

XIX. Qui officium ab oratione *Deus a quo Judas*, auspicabantur, hic aliam dicebant collectam, nempe, *Deus qui peccati veteris*.

XX. Interim ,, (alter Subdiaconus (*Ordinarium Cassinense inscribit*,) ascendat ad legendum lectionem libri Exodi: *In diebus illis dixit ad Moysen, & Aaron*.) Eamdem lectionem sine prioribus verbis, *In diebus illis*, cantabat apud Tullenses *puer in albis*, sicut priorem; quam sequebatur tractus a quatuor monachis, & quidem Presbyteris decantandus, ex Consuet. S. Dionysii, S. Germani, & S. Cornelii, vel a sex Sacerdotibus, ex Ordinario & Rituali Corbejensi: ,, (Finita secunda lectione sex Presbyteri dicent tractum *Eripe me*; tres ex una parte, & tres ex alia.) In monasterio S. Petri supra Divam, sicut & in Tullensi S. Apri tractus ista ab omnibus, hoc est ab utroque choro cantabatur. Sed Tullenses huic tractui subjungebant, *Domine non secundum peccata*. In antiquo codice Cassinensi annorum 800. lectioni de Exodo subjungitur ,, (tractus, *Qui habitat in adjutorio*, & ut modernis placet, tractus *Eripe me Domine ab homine malo*.)

XXI. Postea legebatur Passio secundum Johannem ab uno dumtaxat Diacono. Hic ex dictis, saltem multis in locis, debebat esse Sacerdos; ,, (& Presbyter qui dicet eam, (inquit Corbejense rituale) habebit in collo unam stolam nigram, sicut habet ille, qui facit aquam benedictam in Dominicis diebus, cum manipulo nigro in sinistro brachio.) Ad eam nec candelabra, nec thuribulum deferebant, præterquam in Beccensi monasterio, in quo ,, (ad Passionem tenebant Conversi candelabra, & thuribulum, incensato prius altari a Sacerdote,] uti legitur in libro Usuum Becc., & in Lyrensi, ubi ,, (candelabra sine thuribulo] gerebant; denique in monasterio S. Petri supra Divam, in quo ,, (stante uno solo ministro cum thuribulo] Passio legebatur; sed illis hoc monasteriis extitit singulare contra morem, & consuetudinem omnium fere monasteriorum.

XXII. Ubi vero Diaconus, qui ex consuetudinibus S. Vincentii vultu ad altare converso Passionem legebat, ad eum Evangelii locum, *Partiti sunt sibi vestimenta*, pervenisset, aptatæ prius super altari duæ sindones, hinc inde a duobus fratribus in modum furantis rapiebantur; quod munus in Statutis Lanfranci, Dionysianis, Compendiensibus, Lyrensibusque consuetudinibus duobus ex revestiariis committitur; in consuet. MS. Clun. monasterii duobus cantoribus in Sangermanensis duobus qui cantaverant tractum; in lib. Usuum Becc. duobus Sacristis;

in

in Ordinario Cassinensi duobus Subdiaconis, in Concordia Dunstani, consuetudinibus Floriacensium, & Ordinario Tullensi duobus Diaconis, & quidem *cum planetis*, ex consuetudinibus Germaniæ, ex consuetudinibus Fontanellensibus *duo fratres induti cappis*; in Benignianis, Ordinario S. Petri supra Divam, & Rituali Corbejensi duobus Sacerdotibus. In pervetusto Corbejensi ordine pro Majori hebdomada hoc tantum post Passionem faciendum præscribitur: „ (Hæc expleta, statim duo Diaconi nudant altare sindone, quæ prius fuerat sub Evangelio posita, in modum furantis; & ponent eam in sacrario, & Sacerdos veniet ante altare, det orationem, &c.) Non tamen remanebat altare omnino nudum; sed una desuper palla coopertum erat; licet ex lib. Usuum Bec. & consuet. Lyræ deberet esse altare nudum, libri nudi, nudum analogium. Absoluta passione Diaconus apud Bursfeldenses librum obsculabatur; & hoc ipse solus; apud Cartusienses defertur Sacerdoti. Apud Fontanellenses Levita osculabatur altare, deinde reinduebat casulam.

XXIII. Sequebantur solemnes orationes pro omni gradu Ecclesiæ, quas Sacerdos ad altare reversus cantabat. Prima „ (finita, dicat Sacerdos, *Oremus*, & Diaconus *Flectamus genua*, & orent diutissime, usque dum dicat Diaconus; *Levate*,) (inquit vetustissimus Ordo Corbejensis) atque ita se gerebant ad singulas orationes, præterquam ad eam, quæ pro perfidis Judæis, qui flexo genu Dominum irridebant; ad hanc enim genua non flectebant; sed tamen omnes inclinabant, ex Benignianis, & MS. Clun. consf.

XXIV. Ad Crucis adorationem, quæ solemnes excipiebat orationes, non uni fuerunt omnium cœnobiorum ritus; sed singulis fere in locis plane singulares, ac diversi, quos hic omnes referre etsi videatur prolixum, fortassis tamen non erit penitus otiosum.

Ex vetustissimo Corbejensi Ordine pro majori Hebdomada.

XXV. „ Post orationem, præparetur Crux ante altare, interposito spatio inter ipsam & altare, sustentata hinc inde a duobus Acolythis, posito ante eam oratorio; & veniat Sacerdos, & adoretur, & deosculetur crucem; deinde Presbyteri, & Diaconi, & cæteri per ordinem. Sacerdos vero redeat ad sedem, usque dum omnem salutent: Presbyteri vero duo Priores, mox ut salutaverint, intrant in sacrario, vel ubi positum fuerit Corpus Domini; Sacerdos vero sedeat, dum salutat populus crucem; nam salutante Pontifice, & populo crucem, canatur semper antiphona, *Ecce lignum Crucis, in qua salus mundi pependit: Venite adoremus*, dicatur psalmus CXVII., qua salutate, & reposita in loco suo, descendat Sacerdos ante altare, & dicat: *Oremus Præceptis salutaribus*.

Ex Cassinensi Ordinario.

XXVI. Orationibus finitis, „ (Sacerdos accipiens crucem in manibus sustentatam hinc inde a duobus Acolythis, versus chorum dicat alta voce antiphonam, *Ecce lignum*, totam; & cum dixerit, *Venite*, mox omnes in choro flexis genibus adorent ipsam crucem, & surgentes repetant eandem antiphonam cum psalmo, *Beati immaculati*, & per unumquemque versum ejus eadem antiphona repetatur. Interim veniens Sacerdos cum ministris adoratam deosculetur crucem; deinde ceteri per ordinem, incipientes a senioribus; & postquam dicti fuerint sex, vel octo versus de prædicto psalmo, veniant tres Clerici albis induti ante crucem chori sinistri, & canent, *Agios o theos*, chorus etiam per unumquemque versum alternatim respondeat: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*. Quo finito, iidem ipsi incipiant ante crucem: *Popule meus*, cum versibus istis, *Quia eduxi te*, Chorus quoque per unumquemque versum vicissim respondeat. Quibus expletis, alii tres Clerici similiter albis induti, venientes ante crucem incipiant hymnum: *Crux fidelis*, & in choro similiter respondeatur: *Crux fidelis*, & illi ante crucem, *Pange lingua*, per ordinem) Expletis his omnibus, calcient se Sacerdos, & ministri.)

Ex antiquis Germaniæ consuetudinibus n. 25.

XXVII. Orationibus dictis, „ (vadant duo revestiti post præcipuum altare, quo crux parata, & provoluta est; & incipiant: *Popule meus*, quibus alii respondeant cum planetis terræ incumbentes: *Agios*. Deinde omnis congregatio flexo genu, *Sanctus Deus*. Dum hoc canitur, deferatur crux ante altare, & dicatur versus, *Quia eduxi te*, sequatur vero *Agios*, quibus omnibus respondebat, *Sanctus Deus*. Dum hoc canitur, constituatur crux in loco, ubi adoranda est, canaturque versus: *Quid ultra*, respondentibus duobus *Agios*, & adorantibus, similiter congregatio adorans subjungat, *Sanctus Deus*. Deinde prosternat se Abbas super tapetia ibi extensa, omnesque fratres tantummodo remaneant, qui bene cantent *Crux fidelis*, *Pange lingua*, *Crucem tuam*, dum cæteri prostrati tres compleverint orationes. Post tertiam vero orationem, offeratur Abbati virga arundinea, qua subposita linteo, & subito porrecta in altum, revelet crucem, clamans voce magna, *Ecce lignum Crucis*, cui pluribus additis versibus, dum deosculantur crux, qui residui sunt, iisdem orationibus se terræ prosternant; aliis cantantibus: *Cum fabricator*, *Salve Crux*, *O Crux splendidior*, lignum quoque Domini offeratur adorandum a Presbytero.)

Ex Dunstani Concordia c. 4.

XXVIII. „ Quibus expletis per ordinem, statim præparetur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam, & altare, sustentata hinc inde a duobus Diaconibus. Tunc cantent, *Popule meus*; respondentes autem duo Subdiaconi stantes ante crucem canant græce: *Agios o theos, agios ischiros, agios athanatos, eleison imas*; itemque schola idipsum latine: *Sanctus Deus*. Deferatur tunc ab ipsis Diaconibus ante altare, & eos Acolythus cum pulvillo sequatur, super quem sancta Crux ponatur; antiphonaque finita, quam schola respondet latine, canant ibidem, sicut prius: *Quia eduxi vos per desertum*. Idem vero respondeant Subdiaconi græce, sicut prius. *Agios*, ut supra; itemque schola latine ut prius, *Sanctus Deus*; itemque Diaconi levantes crucem canant sicut prius, *Quid ultra*; item Subdiaconi sicut prius, *Agios*, ut supra; itemque schola latine, *Sanctus Deus*, ut supra. Post hæc vertentem se ad clerum, nudata cruce dicant antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, antiphonam: *Crucem tuam adoramus*, antiphonam: *Dum fabricator mundi*, *Pange lingua*. Illico ea nudata, veniat Abbas ante crucem sanctam, ac tribus vicibus se prosternat, cum omnibus fratribus dexterioris chori, scilicet senioribus ac junioribus; & cum magno cordis suspirio septem pœnitentiæ psalmos cum orationibus sanctæ Cruci competentibus decantando peroret.

XXIX. „ In prima quidem oratione tres psalmos primos cum oratione: *Domine Jesu Christe adoro te in crucem ascendentem; deprecor te, ut ipsa crux liberet me de Diabolo percutiente. Domine Jesu Christe adoro te in ipsa vulneratum; deprecor te, ut ipsa vulnera remedium sint animæ meæ. Domine Jesu Christe adoro te descendentem ad inferos liberare captivos; deprecor te, ut non ibi me dimittas introire. Domine J. C. adoro te resurgentem ab inferis, ascendentem ad Cælos; deprecor te miserere mei. Domine J. C. adoro te venturum judicaturum; deprecor te, ut in tuo adventu non intres in judicio cum me peccante; sed deprecor te, ut ante dimittas, quam judices; qui vivis & regnas.*

XXX. „ In secunda duos medios cum sequenti oratione; *Domine J. C. gloriosissime conditor mundi, qui cum sis splendor gloriæ, coæternus Patri, sanctoque Spiritui; ideo dignatus es carnem ex immaculata Virgine sumere, & gloriosas palmas tuas in crucis patibulo permisisti configere, ut claustra dissipares inferni, & humanum genus liberares de morte; respice, & miserere mihi misero, oppresso facinorum pondere, multarumque nequitiarum labe polluto; non me digneris derelinquere piissime Pater; sed indulge, quod impie gessi, exaudi me prostratum coram adoranda gloriosissima Cruce tua, ut merear tibi mundus assistere, & placere conspectui tuo qui cum Patre.*

XXXI. „ A tertia ultimos duos cum oratione: *Domine omnipotens Jesu Christe, qui tuas manus mundas propter nos in cruce posuisti, & de tuo sancto Sanguine nos redemisti; mitte in me sensum, & intelligentiam, quomodo habeam veram pœnitentiam, & habeam bonam perseverantiam omnibus diebus vitæ meæ, Amen.* Et eam humiliter deosculans surgat. Dehinc sinisterioris chori omnes fratres eadem mente devota peragant; nam salutata ab Abbate, vel omnibus cruce, redeat ipse Abbas ad sedem suam, usque dum omnis clerus, ac populus hoc idem faciat.

Ex Statutis Lanfranci c. 1. § 4.

XXXII. Orationibus expletis, „ (depositis casulis, & stolis, revertantur Sacerdos, & Levita in chorum in albis. Tunc duo Sacerdotes, quibus Cantor jusserit, induti albis accedant ad crucem, quæ debet esse præparata, & cooperta ad altare matutinale; quam accipientes ferant eam paulatim progredientes, & cantantes versus, *Popule meus*. Duo Levitæ in albis stantes ante gradus, ante altare majus respondeant, *Agios o theos*; Chorus autem dicat: *Sanctus Deus*; Sacerdotes, *Quia eduxi vos*, Levitæ, *Agios*, Chorus, *Sanctus*, Sacerdotes, *Quid ultra*, Levitæ, *Agios*, Chorus, *Sanctus*. Tunc Sacerdotes crucem ferentes, veniant ante altare, & cum finierint *Sanctus*, statim discooperientes eam incipiant ambo antiphonam *Ecce lignum*; & tunc demum omnes flectant genua; repetatur antiphona cum versibus psalmi: *Beati immaculati*, quantum Cantori visum fuerit. Dehinc canantur alia ad hoc servitium pertinentia, quantum opus fuerit; tapetia sint extensa ante altare, super quæ prosternantur, primum Domnus Abbas, & induti; interim in locum eorum, qui tenent crucem succedentibus aliis; deinde ceteri, sicut est ordo eorum; & non prolixe adorantes jaceant, sed breviter, & pure orantes. Postea, unusquisque osculetur pedes Crucifixi, & post revertatur in chorum; quod si convenerint aliqui Clerici, vel laici volentes adorare crucem, portetur eis crux in alium locum, ubi aptius adorent eam; quæ si per chorum transierit, flexis ad terram genibus adoretur a fratribus, non simul omnibus, sed sicut portabitur coram eis. Adorata ab omnibus cruce, portitores ejus elevantes eam, incipiant antiphonam; *Super omnia ligna cedrorum*; & sic vadant ad locum, ubi eam collocare debent; tunc petant omnes veniam flexis ad terram genibus.) Eadem fere videre est apud Udalricum l. 1. c. 13., ubi portitores crucis non solum *albis*, sed etiam *casulis* indui debent, & infirmi post pueros adorare; nimirum *qui quocumque modo*, *aut per se possunt*, *aut alio sustentante accedere*, ut habent consl. S. Benigni cap. 61., & Corbejense ordinarium, in quibus idem constituitur. Eadem fere habent etiam Laudunenses Sancti Vincentii consuetudines.

Ex consuetudinibus S. Dionysii in Francia.

XXXIII. „ (Interim dum orationes dicuntur, conventus adoret crucem in capitulo. Finitis vero orationibus, quatuor Sacerdotes induti infulis sint ibi parati. Ex quibus duo incipiant hanc lamentationem; *Popule meus*, & alii duo respondeant: *Agios o theos*, & conventus: *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*. Postea illi quatuor deferant crucem ante martyres, ibique Domnus Abbas, & ministri altaris crucem adorent. Deinde prædicti quatuor deferant crucem ante majus altare, & erigatur in altum, & detegatur, & incipiatur antiphona a Cantore: *Ecce lignum* cum psalmo: *Beati immaculati*, qui dum incipitur, accipiant omnes veniam super genua. Deinde auferatur clavus a pectore, & corona de capite Crucifixi, & deferatur crux a duobus clericis albis indutis ante altare matutinale, ibique adoretur a populo. Interim canteur hymnus: *Pange lingua*, & *Lustra*, & ad unumquemque ℣. dicatur: *Crux fidelis*.

Ex consuetudinibus S. Germani a Pratis.

XXXIV. „ (Post istas sollemnes orationes, conventus ibit se discalciatum: (si nimirum calceos retinendi indulta sit misericordia) Domnus Abbas veniet in vestiarium, & se discalciabit, & post veniet in chorum. Quatuor Domni, qui cantaverint ultimum tractum, capient quatuor infulas rubeas; duo, qui erunt retro crucem, cantabunt: *Popule meus*, & illi, qui erunt ante: *Agios*, & conventus respondebit ter: *Sanctus*; & ter accipiemus venias flexis genibus. Quando iste cantus erit finitus, unus Sacerdotum, qui cantaverit: *Popule meus*, flectet genua, & discooperiet crucem, & accipiet ipsam inter manus suas, & levabit in altum, & incipiet istam antiphonam: *Ecce lignum*; & nos capiemus venias flexis genibus. Domnus Abbas ibit adoratum crucem, & nos quilibet communiter in suo ordine. Quando crux fuerit adorata, ille, qui eam tenuerit, veniet ipsam adoratum, & tunc alius accipiet ipsam; quando ipsam adoraverit ipse, accipiet ipsam inter manus suas, & portabit eam in sacrarium cantando istam antiphonam: *Super omnia ligna cedrorum*, & nos capiemus veniam flexis genibus.

Ex consuetudinibus S. Cornelii Compend.

XXXV. „ Finitis orationibus, duo ex iis, qui cantaverunt tractum: *Eripe me*, induti casulis deferant Crucifixum aureum ante Martyres, & ibi cantent ℣. *Popule meus*; reliqui duo minores similiter infulis induti, & sint ante crucem juxta Sanctuarium, & respondeant: *Agios o theos*, conventus vero respondeat: *Sanctus Deus*. Post hæc incipiat Cantor stans juxta crucem: *Ecce lignum*; & cum inceperit, omnes flectant genua, & tunc Crucifixus aureus discooperiatur, & ante magnum altare deferatur, ibique a Domno Abbate, & conventu adoretur. Tunc Crucifixus argenteus discooperiatur, & ceteri. Post hæc deferatur Crucifixus aureus ad gradus Presbyterii, & ibi a populo adoretur. Interim cantentur hymni: *Pange lingua*, & *Lustra*.

Ex Tullensi S. Apri Ordinario.

XXXVI. „ (Interim dum orationes dicuntur, duo Presbyteri in tabula nominati, *Popule meus*, cantaturi, induant se albis, stolis, & fanulis, & casulis; completisque orationibus prædictis, Sacerdos deposita tantummodo casula, & Diaconus depositis stolis, cum ceteris Ministris ab altari discedant, & in chorum veniant; prædicti autem duo Presbyteri in fine orationum prædictarum cantent: *Popule meus*, stantes juxta crucem; unus ad dextram crucis, & alius ad sinistram, habentes respectum versus Diaconos, qui cantaverunt tractum: *Domine audivi*, & Diaconi versus ipsos; qui Diaconi stent super ultimum tapetum in medio chori positum, & post unumquemque ℣. respondeant: *Agios o theos*; cumque dixerint: *Imas*, respondeat chorus: *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus & immortalis*, ad quamlibet clausulam genua flectendo; post ultimum vero ℣. prædicti duo Presbyteri crucem detegant; & omnibus nudam repræsentantes, incipientes hanc antiphonam: *Ecce lignum*, & omnes, qui sunt in choro, prosequuntur flectentes genua. Tunc unus ex duobus Presbyteris in vestiarium redeat, & sacras vestes deponat, & in chorum ad alios revertatur; alius vero Presbyter juxta crucem remaneat, casulam tantum deponendo, ipsam crucem per brachia tenens, singulis adorantibus ad osculum debet coaptare. Finita prædicta antiphona, incipiatur alia antiphona: *Crucem sanctam*. Alia antiphona: *Dum fabricator*. Alia. *O admirabile*. His dictis, sequitur hymnus: *Crux fidelis*, & si necesse fuerit, alius hymnus: *Vexilla Regis*. Interim dum ista cantantur, adoretur crux ab omnibus; ita ut, qui primi sunt in choro, primo procedant bini & bini ad adorandam crucem, & ultimo ultimi, cum duplici corporis prostratione, & una genuum flexione in hunc modum: prima prostratio fit super primum tapetum, secunda super medium, & in unaquaque prostratione fit aliqua mora a prostratis; super tertium vero tapetum fratres genua ante crucem flectentes, & moram non facientes, pedes crucifixi osculentur, reliquiasque ibi pendentes, & evangelium;) (dependebant enim ex collo, & brachiis crucifixi sacræ reliquiæ) „ (post monachos Conversi adorent crucem. His igitur peractis, antequam crux auferatur, incipiat Cantor ℟. *Tuam crucem*, & chorus prosequitur, & infra ℟., & in ℣. cum dicant fratres: *Adoremus*, flectant omnes genua. Finita itaque repetitione post ℣. Abbas, vel in ejus absentia Prior, accipiens crucem, ipsamque sursum erigens, incipit antiphonam: *Super omnia*, & fratres prosequuntur, portaturque crux ab ipso super altare B. Petri.

Ex libro Usuum Beccensium.

XXXVII. Expletis orationibus „ (Sacerdos discalciatus cum Diacono revertatur in chorum in albis, eantque duo fratres, qui secundum tractum cantaverunt, Conversis præcedentibus cum candelabris, & thuribulo, ad locum, ubi crux a Secretario debet esse præparata, & pallio cooperta; quorum unus prius eam inveniat, & sic tenentes eam in ipso loco coopertam, dicant versi ad populum antiphonam: *Popule meus*, alii duo, qui primum tractum cantaverunt, ante altare stantes, respondeant: *Agios*, ter flectentes genua; Bajuli procedentes paululum dicant alium versum; similiter ad tertium. Post hæc afferant crucem ante altare, & discooperientes eam dicant antiphonam: *Ecce lignum*, quam chorus repetat flectendo genua. Postea adorent crucem, choro interim canente antiphonam, sicut in gradali

dali continentur. Tunc discoperiant crucifixum; cum autem adorata fuerit, reportet eam unus bajulorum incipiens ad introitum chori excelsa voce antiphonam: *Super omnia*, choros subjungens: *Tu sola excelsior*, flectat genua, & posita cruce in loco suo, Sacerdos recalceatus resumat stolam, & casulam; post accedat ad altare, &c.) Idem, aut fere idem habent consuetudines Lyræ. In libro Usuum Cisterciensium, consuetudinibus Grandimontensium, Ordinario Bursfeldensium vix aliquid singulare reperitur, quod ad aliquam ex prædictis consuetudinibus referri non possit, sed neque in Rituali Corbejensi, nisi quod in eo præscribitur, ut adorata cruce „(eant omnes ad altare matutinale, osculando reliquias, & accipiendo aquam benedictam, & via per quam itur, & revertitur ad altare matutinale, debet esse strata tapeciis. Apud Fontanellenses facta crucis adoratione. „(suscipiant Sacerdotes crucem, & dicant versum *Super omnia*. Tunc deportent in præparatum locum supra sepulcrum, ubi cum honorificentia recondatur canendo ℟. *Jerusalem luge*. ℣. *Plangent*, & operiatur linteamine mundo, & super caput ejus corporala pro sudario ponatur, dicendo antiphonam; *In pace*, & *cara mea*. Sicque ibi accenso lumine, cum odorato thure, claudatur sepulcrum, canendo hanc antiphonam: *Sepulto Domino*.)

XXXVIII. Adorata, eo quo diximus modo, cruce, resumtisque a Sacerdote, & sacris Ministris vestibus, Missa absolvebatur, & sacra communio peragebatur; pro qua Diaconus, & subdiaconus, ex Dunstano, consuetudinibus Germaniæ, & Rituali Cassinensium, vel duo Sacerdotes albis induti, ex Udelrico, vel Abbas ipse, sive Sacerdos officium peragens cum Ministris, thuribulo, & candelebris pergebant ad locum, ubi posita pridie fuerat Eucharistia; eamque adoratam ad altare referebat. Ritum hunc ita describunt consuetudines Germaniæ.

XXXIX. „(His peractis, *id est adorata cruce*, de sacrario procedant Diaconus, & Subdiaconus cum Corpore Domini, & alius cum calice, habens vinum, & aquam, præcedentibus candelabris. Deinde a Diacono expandatur corporale super altare, & quæ apposita sunt, ministrent desuper.) Cassinense Ordinarium: „(Expletis his omnibus, calcient se Sacerdos, & Ministri; dehinc lotis manibus, Diaconi, & Subdiaconi ab altari pergant in sacrarium, ubi positum est Corpus Domini, quod pridie remansit, & accipientes illud in duabus patenis; Diaconi quidem ipsas patenas, Subdiaconi vero duos calices cum vino non consecrato, mista ibi ad altare deferant. Tunc Diaconi offerant ipsas patenas Sacerdoti, qui ponat eas super altare; calicem vero Diaconus de manu Subdiaconorum accipiens, ipse super altare ponat.) Clarius & distinctius Statuta Lanfranci: „(His ita gestis, Sacerdos resumta casula cum stola, & Diaconus stola, præcedentibus Conversis cum candelabris, & thuribulo, vadant ad locum, ubi quinta feria Corpus Domini fuit repositum; & posito incenso in thuribulo incenset illud, & sic tradat Diacono ad reportandum; in eundo, & redeundo Conversos sequatur Diaconus, Sacerdos extremus veniat. Cum appropinquant altari adorent omnes fratres Corpus Domini flexis genibus;) & consuetudines S. Benigni: „(Post adorationem Sanctæ Crucis, sollicite procuret Apocrisarius, ad præparationem Sacrosanctæ Eucharistiæ necessaria quæque adhibere, idest candelabra argentea cum cereis, thuribulum quoque festivum cum copia incensi, casulas tres, unam scilicet Domno Abbati, vel Hebdomadario, aliam vero Sacerdoti, cui ab Armario patena cum Corpore Domini ferenda committitur, tertiam quoque alteri nihilominus Sacerdoti, qui calicem cum vino, & aqua bajulat. His rite peractis proceditur ad locum cum cereis, & incenso: Corpus Dominicum manibus Apocrisarii productum Sacerdoti traditur; indeque ad altare cum processione redditur: omnes assurgunt, genua flectunt; altare linteo candidissimo a Præcentore operitur, desuper corporale extenditur, calix veluti ad Missam superponitur, & cooperitur, & juxta eum patena cum Corpore Domini ponitur.) Idem habent Cluniacensis Monasterii consuet. MS. Fuerunt adhuc MS. consuetudines S. Germani a Pratis: „(Alii Sacerdotes involvent se suis infulis, & accipient candelabra, & thuribulum, & ibunt in vestiarium; Domnus Abbas ibit in vestiarium, & accipiet manipulum, & stolam, & infulam, & ibit in sacrarium ipse cum Diacono nudi pedes, sua processione præcedente ipsum, & trahet se versus pronos ad dicendum suum *Confiteor* conventui, & conventus trahet se juxta ipsum: quando ipse dixerit suum *Confiteor*, ipse ibit armariolum calicum, ubi Corpus Domini est, sua processione præcedente ipsum, & aperiet ipsum, & flectet genua, & incensabit Corpus Domini, & accipiet ipsum inter manus suas, & portabit super magnum altare, cantando: *Hoc Corpus*. Postcommunionem quam cantaverant, quando ipse ibidem ipsum portaverat; & nos capiemus venias flexis genibus: Domnus Abbas sumet vinum in calice inter manus suas, & Diaconus ministrabit sibi vinum, & aquam, & deplicabit suum corporale, & cooperiet suum calicem corporali.)

XL. Denique Rituale Corbejensis Monasterii: „(Hoc facto, Domnus Abbas cum Ministris suis ibit ad majus altare, & reaccipiet stolam, manipulum, & casulam suam; & Prior ibit ad altare matutinale, & ibi accipiet similiter & casulam cum stola, & manipulo storum nigrorum, & ibunt simul Abbas cum Priore, cum candelabris, thuribulo, & torceis illuminatis, ad reliquias, & ibi ante Corpus Domini, & reliquias, Domnus Abbas administrabit in uno calice vinum, & aquam, sicut fit quotidie ad Missam. Item Corpore Christi adorato, & incensato, Cantor, qui ibi debet esse præsens, incipiet communionem: *Hoc Corpus*, alta voce, & apportabunt Prior calicem cum aqua, & vino primitus administrato per Abbatem in calice; & Abbas in magno calice cooperto secundus Corpus Domini. Finito cantu communionis: *Hoc Corpus*, statim sine intervallo, tunc totus conventus ibit ad majus altare post eos, & dicet Abbas, *Confiteor*, & totus conventus respondebit, *Misereatur*, &c., & statim Abbas osculabit altare, & dicet cum cantu: *Oremus præceptis salutaribus*.)

XLI. His omnibus addo Laudunenses Sancti Vincentii consuet.: Adorata cruce, & super altare collocata „(tunc Domnus Abbas, vel Sacerdos faciens officium, venit in sacrarium, & deponit ibi Abbas cappam, vel Sacerdos Casulam, & assumunt aliam casulam cum stola, & manipulo; si Abbas, cum baculo pastorali, & mitra alba; quibus indutis redit in chorum ad altare cum quatuor Sacerdotibus, qui cantaverunt, *Popule meus*, & *Agios o theos*, qui omnes induti sunt albis, quorum duo juniores deferunt candelabra, tertius thuribulum, quartus calicem cum vino, & aqua, & accedit Abbas ad locum, in quo repositum est Corpus Dominicum; deinde ipsum cum reverentia incensatum, vel thurificatum accipit, & reportat super majus altare, postea unus Sacerdotum infundat vinum, & aquam in calicem. Hoc facto, Abbas, vel Sacerdos, qui facit officium accipit hostiam pridie sacratam, & ponit super corporale displicatum, postea cooperit calicem de corporali. Hoc facto, dicit, *Confiteor Deo &c.*, omnibus audientibus, & respondentibus, *Misereatur vestri*, Dicto *Confiteor*, incipit Domnus Abbas, vel Sacerdos, *Oremus præceptis*.) Aliis referendis supersedeo, unum hic observo; nimirum eos, qui candelabra ante Eucharistiam deferrent fuisse Sacerdotes, quod patet tum ex supra dictis, tum ex Ordinario S. Petri supra Divam, Rituali Corbejensi, consuetudinibus S. Germani a Pratis, denique ex Floriac. in quibus hæc lego: „(Duo Sacerdotes candelabra deferunt, & unus vestitus casula incensum, quando defertur ad altare sacra Eucharistia.) In vetustissimo Corbejensi Ordine pro Majori hebdomada, dum peragitur crucis adoratio, a duobus Sacerdotibus, qui ex primis adoraverant, Eucharistia ad altare afferenda præscribitur.

XLII. Collocato super altare Christi corpore, Sacerdos alta voce dicebat: *Oremus, præceptis salutaribus moniti*, cum oratione: *Libera nos*; deinde misso in calice de Christi corpore, seipsum primo sub silentio; deinde alios communicabat. Ita vetustissimus Ordo Corbejensis pro Majori hebdomada: „(Descendat, *inquit*, Sacerdos ante altare, & dicat, *Oremus, præceptis salutaribus: Pater noster qui es in cælis*. Sequatur *Libera nos quæsumus Domine*; cum dixerint: *Amen*, sumat de sancta; & ponat in calice nihil dicens, & communicant omnes cum silentio, & expleta sunt verba: „(Tunc *scilicet posita super altare Eucharistia*, Sacerdos dicat, *Oremus, præceptis*; deinde, *Libera nos*, in modum orationis; post hæc tollat particulam de Corpore Domini, & immittat in calicem nihil dicens, & sic communicent omnes cum silentio.) Idem videre est in Concordia Dunstani, in consuetudinibus Cluniacensis monasterii apud Udalr. l. 1. c. 13., & in manuscriptis, in Ordinario Corbejensi, & in consuetud. S. Benigni Divionensis, in quibus cap. 61., sic lego: (Subsequitur Sacerdos, & dicit alta voce, *Præceptis salutaribus moniti*, cum oratione Dominica, & sequenti collecta; *Libera nos*; cum vero dixerit, *Per omnia sæcula sæculorum*, sumit de sancta, & dimittit in calicem, sanctificaturque vinum non consecratum per panem sanctificatum. *Pax Domini sit semper vobiscum*, non dicitur, quia nec signum pacis eo die

da-

datur; deinde communicat primus Sacerdos de sanctis; ac postmodum cunctis per ordinem distribuit. Quidquid de Corpore Domini superfuerit, a Sacerdotibus, de quibus hac die omne ministerium in Ecclesia impletur, diligenter suscipitur, atque sumitur.) Notat Udalricus idem olim in monasterio Cluniacensi observatum fuisse; sed suo tempore, si quid ea Eucharistia remansisset, reservatum fuisse. In MS. Germaniæ consuetud. præscribitur, ut „ (postquam Presbyter dixerit, *Præceptis salutaribus moniti*, & *Libera nos quæsumus, Domine*; silenter subjungat, *Pax Domini*, de Corpore Domini mittentes in calicem;) sed hoc contra morem aliorum monasteriorum. In Dionysianis etiam consuetudinibus solitæ orationes, *Domine sancte, Pater*, & alia, *Domine Jesu Christe* in Ordinario Bursfeld. orationem *Domine Jesu Christe fili Dei vivi* Sacerdos sub silentio ante communionem dicere jubetur. Nonnulli orationem, *Libera nos quæsumus*, post orationem Dominicam sub *silentio* dicebant, ita ex Lanfranci Statutis, libro Usuum Beccensium, consuetudinibus Lyræ. His etiam omnibus nonnulla præmittit Lanfrancus in Statutis „ (Collocato, *inquit*, super altare Christi corpore, facta in calice vini, & aquæ commixtione, dicta a Sacerdote cum Diacono *confessione*, facta suppliciter a Sacerdote ad aliam oratione, incenset Sacerdos Corpus Christi, & calicem; deinde dicat mediocri voce; *Oremus, Præceptis salutaribus moniti* &c.) Quidam confessionem, antequam Christi Corpus ad altare deferretur, præmittebant; et Parisienses S. Germani. Alii alios ritus observabant, ex quibus hic Tullensia describo: Christi corpore „ *deposito super altare*, misso in calice vino cum aqua, ipsum calicem cooperit Abbas, conversusque ad conventum dicit, *Confiteor Deo*, & respondetur ab omnibus, *Misereatur tui*; iterum dicunt: *Confiteor*, Sacerdos respondet, *Per Passionem Domini*, & *Indulgentiam*, & responso ab omnibus, *Amen*, dicat: *Adjutorium nostrum*, & accedat ad altare dicens: *Aufer a nobis*, ipsum altare osculando; deinde accepto thuribulo e Diacono, calicem incenset; postea inclinans se dicat, *In spiritu humilitatis*; quo dicto, erigens se, dicat alta voce, & festive, *Oremus præc. salut. mon.* & *Pater noster*, & chorus respondeat, *Sed libera nos a malo*: deinde dicat Sacerdos: *Amen. Oremus Libera nos quæsumus*, & cum dicit: *Per eundem Dominum*, Corpus Domini more solito in tres partes dividat, ac deinde dicat alta voce, *Per omnia sæcula sæculorum*, & respondente choro, *Amen*, ipse unam partem Corporis Dominici in calicem mittat, nihil dicens, *Pax Domini* non dicetur, nec *Agnus Dei*, nec pax dabitur, & antequam Sacerdos sumat Corpus Christi, dicat orationes solitas. Interim qui primus est in choro, dicat *Confiteor* & fratres similiter, ut in feria v. jam dictum est; quo dicto omnes accedant ad sacram communionem eo modo, & ordine, quo dictum est in feria v. præcedenti.) In MS. Sancti Germani a Pratis consuetudinibus, post orationem Dominicam hæc præscribuntur.

XLIII. „ (Quando *Pater noster*, erit dictum, Dominus Abbas dicet suas orationes tales, quales Deus ipsum docuerit, & dicet: *Libera nos quæsumus*; postea incipiet, *Per omnia*, alte, non cantando ulterius; postea communicabit se, & Diaconum, & conventum; quando Diaconus communicaverit, ipse accipiet calicem, & feret super altare matutinale, & conventus ibit illuc potum cum tugurio argenteo, secundum quod ipsi communicaverint; quando ibidem potaverint, ipsi ibunt potum in uno calice, qui erit ad alium angulum altaris. Quando conventus prædicta adimpleverit, unus vinum portabit Domno Abbati ad sumendum in calice, inter digitos suos, & conventus ascendet dormitorium, & revertetur in claustrum lotum pedes suos, & debent calciare novos sotulares, & debent reddere veteres pro dando pauperibus.) In Rituali Corbejensis monasterii etiam præscribitur, ut antequam Sacerdos communicet, dicant; *Summe Sacerdos*, ac si deberent dicere Missam. Illud autem notandum, quod in Floriacensis monasterii consuetudinibus legitur his verbis: „ (Illud vero corporale, ubi corpus Dominicum reconditum fuit, debet Capicerius servare, & abluere, antequam in eo cantetur.)

XLIV. Peracta communione, Vesperas cantabant „ (sub silentio, *sive ut loquuntur Duacenses*, privatim in loco suo; *aut Cassinenses, lenta voce, & quidem eum eisdem*, sicut in quinta feria, psalmis, antiphonis, precibus collectis; nisi quod pro psalmo: *Voce mea*, qui dictus est quinta feria, hac die dicitur psalmus, *Benedictus Dominus Deus meus*, inquit Lanfrancus in Statutis, cui fere accedunt consuetudines Lyræ decernentes, ut „ (quatuor psalmi, qui dicti sunt feria v. ad Vesperas, dicantur iterum, quinta antiphona *De manu filiorum*, Psal. *Benedictus Dominus Deus*, ad *Magnificat*, antiphona, *Si male locutus*. Oratio, *Deus qui pro nobis*,) & Udalricus: „ (Vesperi decantantur sub silentio, & cum iisdem psalmis prioris diei; nisi primus aufertur, & pro eo ponitur in novissimo psalmus centesimus quadragesimus tertius.) Idem habent Laudunenses S. Vincentii consuetudines, in quibus ad mutatos psalmos ipsæ etiam antiphonæ mutantur. In Ordinario Cassinensi hi tres posteriores psalmi ad Vesperas adnotantur: *Voce mea: Benedictus Deus: Exaltabo te Deus meus*. Antiphona ad *Magnificat*: *Velum templi*.

XLV. „ (Cum silentio cantatis Vesperis, *inquiunt Germaniæ consuetudines* n. 25. jam vicina nocte eant in refectorium, refecturi tantummodo pane calido, cum crudis herbis, & aqua; quod autem juxta Regulam eis dandum esset, pauperibus a Cellerario, & Coquinariis exhibeatur,) quibus accedit codex Cassinensis circa Bertarii Abbatis tempora scriptus: „ (Acta Vespera, reficiant panem, & aquam tantum, & legumen infusum;) Et hæc erat generalis omnium monasteriorum consuetudo; licet in consuetudinibus, & Rituali Corbejensis monasterii, *Vinum, & pisces*, pueris, & infirmis indulgeantur. Abstinentiores etiam exstiterunt Majores nostri, quibus ex Concilio Aquisgr. præscribebatur, *ut in Parasceve non aliud, nisi panis, & aqua sumatur*; quod diu retinuerunt nostri Laudunenses S. Vincentii: Immo nonnulli ab omni cibo, & potu hac die abstinebant, hinc Regula Magistri c. 58. „ (Extra infirmos, infantes, & senio pervinctos, quicumque de fratribus reficere voluerit, sine accepta benedictione, & non signata refectione reficiat, ut a gula sua, vel a semetipsis communicati erubescant, cum aliis superponentibus, pro Dei speranda mercede unum diem non posse jejunium voluntate pertransire, cum aliis ab invito interdum per triduana transire jejunia indigentiæ imponet necessitas;) & Theodorus S. Pachomii discipulus in epist. Ammonii Episcopi ad Theophilum, apud Boll. 14. Maji: „ (Qui imbecilliore utuntur valetudine circa Vesperam, tota Parasceve excepta, cibo se recreent.) „ (Accedentibus vero ad mensam fratribus, *ita loquuntur Divionenses S. Benigni consuetudines* c. 61. Magister Sacrista aliquot in Ecclesia de honestioribus retinet Sacerdotibus, qui cuncta altaria, aqua, & vino diligentius abluant; qui tamen non calceati, sed nudis hoc pedibus explent: quidquid autem liquoris in majori altare fusum fuerit, spongia colligitur, indeque expressum in sacrarius reconditur.) Idem habetur in Statutis Lanfranci, apud Udalricum l. 1. c. 13., & in MS conf. Cluniac. monasterii. In Rituali etiam Corbejensi hæc lego: „ (Interim quando conventus erit in refectorio in prandio, Sacrista cum tribus suis Presbyteris indutis in albis cum stolis palmarum, ibunt ad majus altare, & omnia altaria, in quibus consuetum est quotidie celebrare Missas in Ecclesias nostras; lavabunt ea, ad quodlibet altare cantando ℟. *Circumdederunt me*, usque ad versum;) quibus accedunt liber Usuum Beccensium, & consuetudines Lyræ, decernentes, ut dum fratres reficiunt „ (Secretarius abluat omnia altaria, prius aqua, & post vino, cum hysopo, vel buxo; capsæ, & coronæ discooperiantur, & monasterium paretur:) Denique Laudunenses S. Vincentii Consuet. „ (Postea itur comestum panem, & bibendum aquam solum. Iterum Secretarii camisiis induti lavant altaria de vino, & aqua, & ad quodlibet altare cantatur hoc ℟. *Circumdederunt*. Post refectionem sedent in claustro &c.) Cistercienses, lib. Usuum c. 22. vero dumtaxat volunt, ut „ (laici fratres refectionis hora Ecclesiam mundent.)

XLVI. Peracta cœna apud Floriacenses Abbas duodecim pauperibus pedes lavabat: „ (Post mensam, *inquiunt Consf. Floriac.*, eat Domnus Abbas cum sociis suis in eleemosynam ad Mandatum, ut duodecim pauperibus pedes, & manus abluat; deinde ipse singulis, singulos offerat denarios, similiter & in crastino faciet.)

XLVII. „ (Post prandium servitorum, *addunt Consuet. S. Benigni c. 61., quibus etiam aliæ consentiunt*, sicut aliis diebus, itur in refectorium quasi bibendi caussa, cum nihil ibi, nisi qui voluerint, aquam bibant; de collatione itur ad caritatem in refectorium, & de vino, quod tunc propinatur, nullus præsumere debet abstinere, ut non quantulumcumque gustet;) sed Laudunenses nullam caritatis ad collationem faciunt mentionem. Denique tum Benignianæ Cons., quam Corbejense Ordinarium „ (Ipsa etiam die, *inquiunt*, fit eleemosyna de pane, & vino, omnibus, qui volunt;) & liber

Usuum

Usuum Cisterc. c. 12. „ (Fratres laici post Completorium claustrum, & capitulum mundant.]

XLVIII. Unus superest ritus, quem duobus tantum in locis offendi, scilicet in Concordia Dunstani, post Crucis adorationem, & in Tullensi Ordinario statim post Vesperas. Hunc prout ibidem describitur, propriis eorum verbis hic refero; & ut a Dunstani Concordia incipiam: „ (Quia, *inquit*, ea die depositionem Corporis Salvatoris nostri celebramus, usum quorumdam Religiosorum imitabilem, ad fidem indocti vulgi, & neophytorum corroborandam, aequiparando sequi, si ita cui visum fuerit, vel sibi taliter placuerit, hoc modo decrevimus: sit autem in una parte altaris, qua vacuum fuerit, quaedam assimulatio sepulchri, velamenque quoddam in gyro tensum; in quod, dum sancta Crux adorata fuerit, deponatur hoc ordine: Veniant Diaconi, qui prius portaverunt eam, & involvant eam sindone in loco, ubi adorata est; tunc reportent eam cantantes antiphonas, *In pace in idipsum*; *Habitabit*. Item, *Caro mea requiescet in spe*, donec veniant ad locum monumenti; depositaque Cruce, ac si Domini nostri J. C. corpore sepulto, dicant antiphonam, *Sepulto Domino signatum est monumentum*, *ponentes milites*, *qui custodirent eum*. In eodem loco, sancta Crux cum omni reverentia custodiatur, usque Dominicam noctem Resurrectionis; nocte vero ordinentur duo fratres, aut tres, aut plures, si tanta fuerit congregatio, qui ibidem psalmos decantando excubias fideles exerceant.) Tullense vero S. Apri Ordinarium: „ (Finitis igitur Vesperis, & Sacerdote casula tantum deposita, Diaconoque in alba, stola, & fanulo, & Thuribulario, & Ceroferariis in albis existentibus, accipiatur Crux ab ipso Sacerdote super altare S. Petri, & fiat processio ad sepulchrum; in qua processione ille ordo servetur: Primo, procedant Ceroferarii, subsequatur Thuribularius, & post ipsum Diaconus, corporale gestans involutum; si vero Domnus Abbas faciat officium, Presbyter, qui ei servivit ad Missam, crucem portabit, & Abbas post crucem ibit; deinde seniores in ordine, & postmodum juniores, dicentes septem psalmos poenitentiales .... *Gloria Patri*. Ii autem, qui portant cereos, thuribulum, corporale, & Crucem, faciant stationem ad ostium sepulchri, versus portellas claustri, ad ultimum vero pueri; portetur crux in sepulchro a Sacerdote, qui fecit officium in Missa, sive sit Abbas, vel alius; ipsumque praecedant ceroferarii, thuribularii, & Diaconus; & collocet ipsam Crucem super altare, ponatque corporale involutum super aspectum crucifixi, & alium pannum super ipsum corporale, incipiendo has antiphonas alta voce, & chorus prosequatur antiphonam, *In pace*, antiphonam, *Habitabit*, antiphonam, *Caro mea*, antiphonam, *In pace factus est*. Iis finitis, egrediatur per aliud ostium sepulchri, eo ordine, quo per primum sunt ingressi. Tunc Sacerdos, qui facit officium, sive sit Abbas, sive alius, claudat ostium sepulcri, incipiens hoc ℟. *Sepulto Domino*, & chorus prosequatur, finitaque repetitione post ℣. a loco recedit processio, & ostium sepulcri firmetur a Sacrista.)

C A P U T XV.

De Sabbato sancto.

I. SAbbato sancto septem potissimum investiganda sunt. 1. Ornatus altarium, 2. Ignis novi benedictio, 3. Cerei Paschalis item benedictio, 4. Prophetarum lectio, 5. Aquae lustralis benedictio cum sua litania, 6. Missa, 7. Denique Vesperae. Nam reliqua pene omnia, eodem modo, & ritu, quo die praecedenti, peragebant. Ita nocturnas vigilias cum novem dumtaxat psalmis, totidemque lectionibus celebrabant, tribus scilicet ex Lamentatione Hieremiae Prophetae, tribus ex S. Augustino super psal., tribus denique ex Epistola ad Haebreos, *Christus assistens Pontifex*, pro quibus Dionysianae consuetudines assignant *tres Lectiones de Evangelio*; *quod sic incipitur*, *Vespere sabbati*, *quae lucescit*: Compendienses notant simpliciter homiliam, lib. Usuum Beccensium sermonem *S. Hieronymi de Vespere Sabbati*.

II. Matutini, Prima, Tertia, Sexta, & Nona, ut pridie: nisi quod Cessinenses, qui pridie ad Primam psalmum, *Deus Deus meus*, cantaverant, Sabbato, *Deus in nomine tuo* &c. dicebant. Post Primam septem psalmos cum litania omittebant Compendienses nostri, quod ipsis solis forte fuerit singulare. Alii finita Prima sedebant in claustro, & tunc, ut loquuntur cons. S. Germani a Pratis, juvenes homines cantabant historiam paschalem. „ (Ad initium capituli, *inquiunt Floriacenses S. Benedicti consuetudines*, debent omnes congregari, ut dum pronunciatum fuerit, *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi*, petant omnes veniam, & dicant sub silentio, *Gloria tibi Domine*, *qui surrexisti*. Post quae fit sermo.) Sermonem praetermittebant Parisienses S. Germani. Praeterea *Sabbato Paschae*, inquiunt Lyrenses con. *leguntur praecepta in capitulo*, *ibique sunt Abbas*, *& Baillivi*, *& omnes alii*. Post capitulum, & post Sextam sedebant in claustro *ad Colloquium*, eodemque die fiebat rasura, ex Lyrensium consuetudinibus. Haec minutiora adnotare libuit, ne quid forte praetermisisse videremur.

III. Ornatus altarium non uno apud omnes fiebat tempore, Cluniacenses ex Udalrico lib. 1. c. 14., Floriacenses, Divionenses, Laudunenses, Corbejenses, & Parisienses S. Germani, finitis statim Matutinis id praestabant. Idem praescribunt Germaniae consuetudines, & Dionysianae, post Primam; Statuta Lanfranci ante, & post capitulum; Cassinense Ordinarium post Sextam; Tullense ante officium. Circa hunc altarium ornatum notandum maxime quod in consuetudinibus Germaniae num. 26. praescribitur his verbis: „ (Post Primam vero ornetur Ecclesia tabulis, cortinis, coronis, lampadibus, candelabris, cereis. Dum autem hoc agitur, obseratae sint januae Ecclesiae; cum vero absides, & altaria ornanda fuerint linteaminibus, palliis, capsis, & diversis reliquiarum crucibus, & philacteriis, buxis quoque, & pixidibus, & textis; seu cum protendendae fuerint meliores cortinae, albis sint induti Custodes; quod etiam in summis festis eodem modo servatur. A famulis, ut adsolet, nihil hujusmodi tractetur; sed si expedit, dentur custodibus fratrum solatia, quorum adjutorio expediatur, & diligentius id perficient. Altare majus sit coopertum linteis usque ad Missas, & a Missis usque ad Vesperas, & a Vespera usque ad Evangelium tertii nocturni.) His adde, quod in Dionysianis lego consuetudinibus. „ (Interim, [idest post Primam.) Domnus Abbas, & Priores, & socii Abbatis succincti mundent infra Sancta sanctorum.)

IV. Ad officium, quod, dicta Nona, ab ignis novi benedictione incipiebat, conveniebant omnes *albis* induti ex consuetudinibus Germaniae, S. Dionysii Fontanellae, B. M. de Lyra, atque Ordinario Tullensi, & S. Petri supra Divam; quamvis ex lib. Usuum Becc., & Cons. S. Germani a Pratis, ii soli induerentur, qui servituri, lecturi, aut cantaturi erant ad Missam, & officium. Quia vero prolixius erat hoc die servitium, ideo hora diei septima conveniebant, ut discimus ex vetustissimo Ordine Corbejensi pro Majori hebdomada, cujus haec verba: „ (Sabbato sancto hora VII. veniunt omnes in Ecclesia, & excutiunt ignem super portam, & illuminetur candela, & ab Abbate portetur, prosequente eum populo cum silentio.)

V. Quamvis in omnibus communiter Ordinis nostri monasteriis tribus, ante Pascha diebus, hoc est Coena Domini, Parasceve, & Sabbato sancto, fieret ignis novi benedictio; nonnullis tamen in locis, ut apud Laudunenses, Cistercienses, Bursfeldenses, Casalinos, immo, & eos, qui Lanfranci statuta observabant, solo Sabbato sancto; apud Cassinenses sola feria quinta peragebatur, unde in vetari nostrum Ordinario ad feriam quintam in Coena Domini praescribitur „ (ut de hoc igne, statim ut excussus, & benedictus fuerit, lampas una accensa servetur in secretario ad illuminandum cereum, qui Sabbato benedicendus est.) Cartusienses vero ignis novi, uti & Paschalis cerei benedictionem omnino praetermittebant. S. Lanfrancus, qui solo Sabbato sancto novum ignem benedici statuit, rem hoc ordine celebrari jubet: „ (Post Nonam, *inquit*, induantur, qui officium sunt celebraturi, & ad officium specialiter servituri, & infantes omnes, Sacerdos alba, & stola; ceteri albis induti in choro resideant. Dehinc procedant ad sacrandum ignem, canentes psalmum L. Primus omnium Secretarius, qui hastam portat, in qua sacratum ignem reportet; dehinc portitor aquae benedictae, post hos, qui portant crucem, & thuribulum; dehinc Sacerdos, qui ignem sacraturus est, post quem infantes, dehinc reliqui induti, post quos alii fratres, sicut procedunt Dominicis diebus. Sacrato igne projiciat Sacerdos aquam benedictam super eum, & postea ex carbonibus ipsius ignis impleatur thuribulum, quo impleto, imponat Sacerdos thus, & incenset ignem. Tunc accendatur cereus, quem portare in hasta debet Secretarius; accendatur, & candela in laterna, ut si forte in eundo extinguetur cereus, ex ea accendatur; hanc laternam portare debet unus de Magistris puerorum. Ad hanc processionem can-

candelebra non portantur. Eumdem ordinem fervent in redeundo, quem hebuerunt in eundo. Revertentes dicant hos pfelmos, *Deus in nomine tuo*, *Miserere mei Deus*, *miserere mei; Deus in adjutorium*; in fedu Episcopali cenatur a duobus pueris hymnus: *Inventor Rutili*. Ignis fanctificetus, qui in claustro remansit, a famulis Cellerarii colligatur, & ex hoc igne omnes foci in omnibus officinis prius extincti accendantur.) Quod de focis monasterii ex igne benedicto accendendis hic dicitur, in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus continetur, atque de omnibus omnino monasteriis, ut existimo, observabatur. Cistercienses, & Bursfeldenses in ipsa Ecclesia ad gradum Presbyterii ignem benedicebant. Notandum vero, quod ex benedicto olim in Laudunensi S. Vincentii monasterio igne in Cathedrali B. Mariæ Ecclesia deferebatur, unde nec Abbas ignem benedicebat, quim delaturus ad prædictam Ecclesiam ignem nuntius a Canonicis missus advenisset.

VI. Ad ignis novi benedictionem in Ordinario Tullensi adjicitur etiam incensi benedictio statim facienda: „ (Hac die, *inquit*, post Nonam eant ad benedicendum novum ignem, sicut in feria v., omnes famus in albis, Diaconus indutus alba, stola, fanulo, & dalmatica, portet lanceam cum candela; unus puer portet bacinum cum incenso. Facta benedictione ignis, fiat benedictio incensi in hunc modum: *Oremus*, *Veniat omnipotens Deus*. Postea aspergatur aqua benedicta super incensum; Diaconus vero candelam de igne novo accendat.) Sed hoc Tullensi Sancti Apri Monasterio videtur fuisse singulare, utpote de quo altum ubique silentium, tam in Ordinariis, seu Consuetudinariis, quam in Collectaneis, quæ mihi videre licuit; licet in Floriacensis Monasterii consuetudinibus legamus: „(Sabbato Sancto quidquid incensi habetur, juxta Diaconum benedicentem cereum Paschalem defertur, ut ab eo benedicatur;) quod in aliis utique Monasteriis etiam observabatur, ut colligi facile negotio potest ex Ordinario Corbejensi, consuet. S. Benigni Divionensis, & Sancti Germani a Pratis, in quibus idem præscribitur, verum hoc non in ignis novi, sed in cerei Paschalis benedictione, neque a Sacerdote, sed a Diacono, quod certe faciebat cum ad hæc benedictionis verba pervenisset, *Curvet imperia*: „ (Et dicto usque ad hunc locum, *Curvet imperia*, (inquiunt Laudunenses consuetudines,) sequitur benedictio super incensum dicende a Diacono, & legenda, cunctis audientibus: *Dominus vobiscum: Oremus: Veniat omnipotens Deus*, Finita oratione, Diaconus ponit incensum in thuribulo & incensat cereum cantando, sicut prius: *In hujus igitur*, &c.)

VII. Peracta ignis novi benedictione, Diaconus indutus amictu aurato, & albe, stola etiam, & dalmatica, ut loquuntur S. Benigni consuetudines, cereum Paschalem, petita prius benedictione, ex Statutis Lanfranci, benedicebat; hanc orationem quasi voce legentis proferens: *Exultet jam angelica turba cælorum*; postea voce sublimiore, *Sursum corda*, &c. inquit Dunstanus in Concordia, cui concinunt Germaniæ consuetudines hæc in verba; „ (Primam benedictionem compleat in modum legentis, deinde illuminato de igne novo, secundam decantet in modum præfationis.) „ (In hac benedictione cum ventum fuerit ad illum locum: *Suscipe sancte Pater incensi hujus*, Armarius in eo, foraminibus ante præcavatis, crucem facit cum v. granis incensi,) inquiunt Divionenses S. Benigni consuetudines, adduntque „ (ipse etiam cereus per manum Diaconi ejusdem incensi fumo perfunditur;) hinc Statuta Lanfranci c. 62. „ (Unus autem ex Conversis, cum tempus fuerit, indicente Centore deferat Abbati ignitis carbonibus plenum thuribulum, in quo thure injecto, accedat ad Diaconum, & juxta eum sit, ut cum tempus fuerit, accipiat ab eo thuribulum, & incenset cereum.) Modum autem seu ritum cerei thurificandi, discimus ex consuetudinibus S. Germani a Pratis, in quibus hæc extant; „ (Quando Diaconus erit ad versum, qui est ante istum: *In hujus agitur*, ipse ponet thus in suo thoribulo; quando ipse incipiet *In hujus igitur*, ipse ibit incensetum cereum in gyro.) Ad hæc verba: *Rutilans ignis accendit*, tunc primum Diaconus cereum benedictum accendebat; quo tempore reliquos cereos matricularius accendebat, ut existimere fas est ex Benignianis consuetudinibus. In Laudunensibus consuet. præscribitur, ut cerei ante Corpus Christi ardentes extinguantur, & ex novo igne rursum accendantur. In Parisiensi S. Germani Monasterio præpositus de Domno Martino cereum accendebat. Sed nonnullis in locis prius accendebatur cereus Paschalis, quam benedictio inciperetur; ita eidem est in vetustissimo Ordine Corbejensi pro Majori hebdomada, in quo Paschalis cerei benedictio post lectionem Prophetarum præscribitur in hunc modum: „ (Expletis lectionibus, regrediuntur foras, præcedentibus cum duobus Notariis, cereos tenentes, & induantur Sacerdotes, & Diaconi, & Ministri, & Clerici dalmaticis, & stolis, & omni ornamento, & *illuminetur cereus*, qui eodem die benedicendus est, de igne, qui v. feria excussus est, & intrent in ecclesiam, & benedicatur a Diacono, sicut in Sacramentorum continetur;) & in Concordia Dunstani c. 5. „ (Posito vero cereo ante altare, ex illo *accendatur* igne [scilicet benedicto), quem Diaconus more solito benedicens, hanc orationem quasi voce legentis proferens dicat: *Exultet jam*, &c.] Circa hanc orationem, seu benedictionem, cui septenam litaniam præmittebant Dionysiani, & Compendienses, notandum maxime, quod refert Udalricus lib. 1. c. 15. „(In cujus quodam loco cum aliquando non bene haberetur *O felix culpa*, & quod peccatum Adæ necessarium esset, ante hos annos Domnus Abbas optime fecit, quod fecit abradi, & ne amplius legeretur, interdixit.) Interim vero dum dulci modulatione caneretur, fratres in choro stabant, ex Ordinario Corbejensi, & Benignianis consuetudinibus, sed in Ordinario Tullensi „ [ad benedictionem cerei cum Diaconus incipit præfationem sedent fratres; cum vero dicit: *Oramus te D.*, capita inclinant aliquantulum surgendo; cum autem dicit; *Precamur ergo te*, surgunt omnes.]

VIII. Cereo Paschali, qui ex libro Usuum Cisterciensium c. 23. *pondus trium librarum panis regularis* excedere non debebat, annum Dominicæ Incarnationis, Indictionem, & currentem Epactam inscribebat Armarius. Hanc inscriptionem ita nobis exhibent Floriacensis Monasterii consuetudines.

Hæc est notitia scriptura brevis, quam debet Armarius deponere in cereo Paschali.

„ *In nomine individuæ Trinitatis. Amen.*
„ *Ad honorem Dei omnipotentis, & S. Matris Ecclesiæ, & B. Mariæ semper Virginis, & B. Patris Benedicti, & Sanctorum, quorum reliquiæ continentur, & nomina venerantur in præsenti ecclesia, & omnium Sanctorum, in glorificanda Resurrectione Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei, cereus iste sanctificatus est, & accensus.* Deinde qualis sit annus Dominicæ Incarnationis, quot anni sunt ab obitu Patris Benedicti, & a Translatione in hoc Floriacense Cœnobium, & a relevatione ejus; quota est Indictio, Epacta currens a bisexto, circulus Lunæ, terminus Paschæ, littera Dominicalis, dies Dominicus Paschæ, Luna ipsius diei, & aureus numerus; Pontificante N. Papa, & quot anni sunt Pontificatus ejus: Regnante Illustrissimo Rege Francorum N. & quot anni sunt regni ejus, & a Nativitate ejusdem.)

IX. Accensus autem cereus, ex Lanfranci Statutis, ardebat usque in crastinum post Vesperas, ex lib. Us. Cist. usque post Completorium sequentis etiam diei; quoties vero deberet accendi, tradit Tullense S. Apri Ordinarium his verbis: „ [Cantore autem ardeat usque post Nonam sequentis diei, & in die ad Vesperas, omnibus etiam Dominicis diebus, ac etiam in festis, in quibus festive legitur ad Matutinam usque ad Ascensionem Domini, ad magnam Missam, & in vigilia Ascensionis ad Vesperas, & in die ad Missam, & ad Nonam ardeat similiter: die vero Ascensionis post xx. a Sacrista de loco suo auferatur;] & Bursfeldense: „ [Cereus autem continuo ardeat usque post Completorium in crastinum, & insuper tribus diebus proxime sequentibus, necnon omnibus diebus Dominicis, & festis xii. Lect. usque ad diem Pentecostes inclusive, & in Vesperis, Laudibus, & Missa dumtaxat.]

X. Hactenus de benedictione cerei Paschalis, prout in omnibus communiter Monasteriis peragebatur; ubi de Cassinensibus nullam fecimus mentionem, quorum cum speciales fuerint hujus benedictionis ritus; hos hic, prout in vetusto eorum Ordinario extant, referre visum est operæ pretium; tales autem sunt: „ (Hora Nona ingrediantur secretarium Sacerdotes, & Ministri, & induant se vestimentis solemnibus, & antecedente Acolytho cum accensa candela in arundine, procedant de more in ecclesiam cum silentio, & inclinati ad altare vadant sedere; qui autem Lectiones legere, & tractus debent cantare, omnes induti pluvialibus sint in capite utriusque chori per ordinem. Tunc Diaconus postulare benedictione a Sacerdote, tollat benedictionem cerei desuper altare, & egrediens per medium chori inclinato capite dicat fratribus: *Orate pro me*, quem præcedant duo

„ Sub-

„ Subdiaconi, & prædictus Acolythus ferens cereum in „ arundine. Diaconus ascendens in ambonem dicit tribus „ vicibus alta voce: *Lumen Christi*; respondeant omnes: „ *Deo gratias*, similiter tribus vicibus. Interim Acolythus illuminet cereum magnum, qui benedicendus est; „ & post hæc Diaconus incipiat benedictionem ipsam: „ *Exultet*; qua expleta, revertatur ad altare, & tunc accendantur ad altare in duobus candelabris duo cerei, & „ de ipso igne accendatur in omni domo, quia omnis i- „ gnis interius extingui debet.) Ita Cassinense Ordinarium, ubi, quod prius ex vetusto Ordine Corbejensi, & Concordia Dunstani observavimus, cereus Paschalis ante accendendus dicitur, quam benedictio incipiatur, quod etiam in Ordine Romano præscribitur; quare quod ex aliis diximus, recentioris videtur instituti.

XI. Cerei benedictionem excipiebat Prophetiarum lectio, quæ tamen, & ex antiquo Ordine divini Officii in Domo Benedicti ante Pascha Tom. 4. Analect., & ex vetusto Ordine Corbejensi pro Majori hebdomada, præmitti debebat, accensis prius duobus cereis, quos tenebant Acolythi duo, unus a dextris altaris, & alter a sinistris, ex prædicto Ordine Corbejensi, Concordia Dunstani, & Ordinario Cassinensi; & præmissa confessione, ex consuetudinibus Grandimontensium c. 16. „ (Cerei benedictione expleta, statimque facta confessione, legitur prima „ lectio,) quod ipsis, & Cartusiensibus videtur nativisse singulare.

XII. Primam lectionem, ex Dunstani Concordia, incipiebat *Subdiaconus*, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, Ordin. Sancti Petri supra Divam, *Prior*, ex Consuet. Germaniæ *Abbas*; sed ex libro consuet. S. Benigni Divionensi, Corbejensi, Tullensique Ordinariis omnes Lectiones a Prioribus cantabantur, quibus consentiebant hac in re Cistercienses in libro Usuum ita decernentes: „ (Et sciendum est, quia ordo fratrem has lectiones legentium incipitur a Prioribus; in Sabbatis vero quatuor „ Temporum a minoribus;) & Cartusienses, apud quos „ (Lectio prima legitur a Priore, vel eo absente, ab „ antiquiore, & sic successive per ordinem.) In libro Usuum Beccensium: „ (ad primam lectionem scribitur „ Prior, deinde Cantor, & alii de majoribus; Presbyteri tamen, vel Diaconi;) & in Lyrensi Monasterio „ (legebat primam Prior, secundam Cantor, ceteras majores, prout Cantor in tabella illos disposuerat.) Denique ex consuetudinibus S. Vincentii Laud. „ (Omnes „ Cantores tam in tractibus, quam in lectionibus debent „ esse Sacerdotes, & induti albis:) lectionemque non pronunciabant, nisi accepto prius manipulo.)

XIII. Has autem sine titulo legebant, ascendentes in *ambonem*, ut præscribunt & vetustissimus Ordo Corbejensis, & Dunstani Concordia, vel *ad gradus*, ut loquitur Cassinense Ordin.

XIV. Lectiones dumtaxat tres adsignat Dunstani Concordia, nimirum: 1. *In principio creavit*. 2. *Factum est in vigilia*. 3. *Hæc est hereditas*. Primæ lectioni subjungit orationem: *Deus qui mirabiliter*; secundæ tractum: *Cantemus Domino*; & orationem: *Deus cujus antiqua miracula*; tertiæ orat. *Deus qui Ecclesiam tuam*; tract. *Sicut cervus*; orat. *Concede quæsumus omnipotens Deus*. Quartam lectionem addunt Germaniæ consuetudines, Udalricus lib. 1. cap. 15., Corbejense Ordinarium, Laudunenses, Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines, Cartusiensesque, & Casalini, scilicet: *Apprehendent*, quæ apud nos est tertia; huic tractum: *Vinea facta*; & orat. *Deus qui nos ad celebrandum*, quartæ vero tractum: *Attende cælum*; oret. *Deus qui Ecclesiam tuam*; tract. *Sicut cervus*; orat. *Concede quæsumus*, seu *omnipotens sempiterne Deus*. Subjiciunt Germaniæ consuet. Laudunenses, & Cluniacenses apud Udalricum, atque Ordinarium Corbejense, sed Cartusienses post quartam lectionem tractum: *Sicut cervus*, cum orat. *Deus qui Ecclesiam* dumtaxat dicunt; Casalini; orat. *Deus qui Ecclesiam*; tract. *Sicut cervus*, & orat. *Concede*. Quintam lectionem superaddunt liber Usuum Beccensium, Tullense S. Apri, & S. Petri supra Divam Ordinarium, cum quatuor tractibus; scilicet post secundam lectionem: *Cantemus Domino*, a duobus Presbyteris *superioris gradus*; post tertiam: *Vinea facta*, a duobus Presbyteris *mediocris gradus*; post quartam: *Attende cælum*, a duobus Presbyteris *inferioris gradus*, cui orationem: *Deus humilium celsitudo*, subjiciebant; post quintam, quæ incipiebat: *Nabuchodonosor*, tract. *Sicut cervus*, a duobus *juvenibus*, ex Tullensi Ordin.

XV. Duodecim lectiones præscribit vetus Cassinense Ordinarium, easque fere easdem, quas modo legimus cum quatuor tractibus: uno post quartam, altero post octavam, tertio post decimam, ultimo post ultimam lectionem. Duodecim etiam lectiones notat antiquus Ordo officii in Domo Benedicti ante Pascha: „ (Sabbato, *inquit Tom. 4. Analect.*, post horam Nonam pulsato signo intrent in oratorio; dicta oratione, incipiunt Lectiones XII., cum „ XX. orationibus, totidemque gradalibus, & sequuntur „ benedictiones, & benedictio cerei, & aquæ;) sed Ordo Romanus quatuor tantum adsignat. Has porro lectiones, ex vetusto Ordine Corbejensi pro Majori hebdomada, *plane*, ex Ordinario Tullensi, *festive media nota subtracta*, cantabant.

XVI. Circa orationes vero illud notandum, quod absque salutatione, & sine *Flectamus genua*, in omnibus communiter Monasteriis dicebantur; licet contrarium doceat vetustissimus Ordo Corbejensis pro Majori hebdomada, præscribens, ut prima prophetia „ (perlecta, dicat Sacerdos, *Oremus*, & Diaconus, *Flectamus genua*, & orent, quousque Diaconus dicat, *Levate*. Instituti sui rationem reddere videntur inferius nostri Corbejenses his verbis: „ (Et „ interrogavimus nihilominus Domnum Apostolicum Adrianum, secundum mandata vestra, si in Paschali Sabbato debent flecti genua, dum lectiones recitantur; & „ ipse respondit, hoc debere omnimodis fieri; cui cum „ diceremus, & quomodo Sacerdotes, vel Ministri, seu „ Clerus cum stolis, & planetis possit in terram prosterni? Ille adjecit, non debere * Sacerdos, Ministros, „ vel Clerum stolis prius, planetisque vestiri, nisi tunc „ demum, cum novum lumen introducitur, ut cereus benedicatur.)

XVII. Sequebatur litania, & quidem *tripla*, ex Lanfranco, Udalrico, & quibusdam aliis; *trina*, *quina*, vel *septena* ad nutum Prioris, ex consuetud. Germaniæ, „ (quod „ sic intelligo, ut singulæ invocationes, aut ter, aut quinquies, aut septies repetantur,) & quidem a duobus in cappis incipienda. De hac litania audiendus est in primis Lanfrancus in Statutis: („ Ultima oratione dicta, „ Cantor, & alter frater, quem voluerit, induti cappis „ incipiant in choro litaniam ternam hoc modo: Cantores, „ *Kyrie eleison*; dexter chorus similiter respondeat, *Kyrie eleison*; deinde sinister, & cetera eodem modo usque ad „ finem litaniæ, ternos sanctos de unoquoque ordine dicant. Ad singula Sanctorum nomina uterque chorus inclines, Cantores ad nullum: incepta litania fratres accedant ad formas, sicut in XII. lect. ad tertiam, Sacerdos „ revertatur in secretariam, & deposita casula, & stola, „ redeat in chorum, Cum dixerint Cantores, *Omnes Sancti orate pro nobis*, exeant de choro Sacerdos, Levita, „ Subdiaconus, tres Conversi; & induat se Sacerdos casula, Levita dalmatica, Subdiaconus tunica. Finita litania pronuncient Cantores tribus vicibus alta voce: *Accendite*; & tunc primum accendantur candelabra, & cetera luminaria, quæ ante altare, & circa altare sunt.) Atque ita in omnibus communiter monasteriis Ordinis nostri observabatur. Præterea ad verba, *Peccatores*, deponebantur chordæ signorum, ut *sint paratiora*, ajunt Beniguianæ consuetudines, & Corbejense Ordinarium, „ (pulsari, pronunciato *Accendite*, & incipiente *Kyrie eleison*; „ pulsari vero cessant, antequam *Gloria in excelsis* incipiatur.) In monasterio S. Germani de Pratis duo Domini cantabant ipsam letaniam *Gallice en Greble*, ut loquuntur ejusdem monasterii consuetudines MS.

XVIII. In Dionysiano, Compendiensique monasteriis benedicebantur fontes, atque ideo duplex litania dicebatur: „ (Postea, *inquiunt Dionysianæ consuetudines*, eant ad fontes canentes quinam letaniam, & benedicantur fontes; „ Capicarius autem accipiat aquam benedictam de fontibus in uno vase, antequam crisma mittatur, & servet „ illam usque in crastinum; quia tunc non fit aqua benedicta. Post benedictionem fontium incipiat Cantor „ versum, *Tibi laus*. Post redeant in choro cantantes „ ternam letaniam, & cum dixerint, *Accendite ignem* „ *Dei* accendantur omnes lampades, & cerei.) Idem habent Compendienses, quibus concordat Dunstanus præscribens, ut „ (finita oratione inchoentur litaniæ septenæ „ ad Introitum ante altare. Postea descendat Abbas cum „ scholis, canentes litanias quinas ad fontes benedicendos. „ Sequitur, *Omnipotens sempiterne Deus*, & præfatio: his „ expletis, redeant ad altare cum letania terna, & antequam cantatur *Gloria in excelsis Deo*, magister scholæ „ dicat alta voce: *Accendite*, & tunc illuminentur omnia „ luminaria ecclesiæ.

XIX. In Ordine Romano præscribitur, ut in monasteriis, ubi baptismus non fit, „ (aquæ benedicatur a Sacerdote, & spargatur in omni Domo;) atque ita Cassinense Ordinarium „ Lectionibus expletis, *inquit*, revertatur

* Lege Sacerdotes.

,, tatur Sacerdos in secretarium, dehinc benedicatur aqua a Sacerdote privatim, & aspergatur in omni domo; deinde illuminentur candelæ, & pergant tres Clerici ante altare, & incipiant canere litanias, & unus chorus respondeat similiter, & alter id ipsum subsequatur.)

XX. Finita letania Missam solemni ritu cantabant, pro qua ,, (cum dicitur: *Agnus Dei*, ait Cassinense Ordinarium procedat Sacerdos de secretario, antecedentibus se ministris, ritu solemni. Finitis letaniis, & *Kyrie*, sonent omnia signa, & dicat Sacerdos: *Gloria in excelsis Deo*.)

XXI. Hæc Missa solita antiphona ad introitum carebat incipiebatque a solemni *Kyrie eleison*, quod dum imponebat Cantor in choro, Sacerdos accedens ad altare, solita confessione præmissa, atque altari thurificato, ex Tullensi S. Apri Ordinario, lib. Us. Becc., consuet. Lyræ, lib. Us. Cisterc., consuetudinibusque Grandimontensium, *Gloria in excelsis Deo*, incipiebat; & quidem *Cantus si deferente*, ex Tullensi Ordinario; licet ex lib. Us. Becc., & consuet. Lyræ, *sine annunciatione Cantoris*. Chorus autem respondens, *Et in terra pax*, flectebat genua, ex lib. Us. Becc., & cons. Fontanellæ, & Lyræ. Interim omnia pulsabantur signa usque ad finem hymni, apud Cistercienses, usque ad *Domine Deus Rex cœlestis*, quibusdam tamen in cœnobiis ante pulsabantur signa, quam *Gloria* inciperetur.

XVII. Hymnum Angelicum excipiebat collecta, collectam Epistolæ *in pulpito*, ex Dionysianis consuetudinibus Epistolam *alleluja*; *Confitemini*, quod ex Dionysianis, Compendiens., Laudunensibusque consuetudinibus cantabatur a tribus, ex aliis quibusdam a duobus; apud Cassinenses vero hoc modo: Epistola ,, (expleta, Sacerdos cum ministris ad altare *alleluja*, & chorus respondeat *alleluja*; illi ab altari dicant ℣. *Confitemini Domino*. Deinde cantent in choro tractum, *Laudate Dominum*.) In Germaniæ consuetudinibus cum alleluja jungitur sequentia quam sequitur tractus, scilicet: *Laudate Dominum omnes gentes*. Post hæc Evangelium, ,, (ad quod non portetur nisi thymiama tantum,) inquiunt consuetudines Germaniæ, ac proinde sine candelabris, quibus concordant vetustissimus Ordo Corbejensis pro Majori hebdomada, Cassinense Ordinarium, & Corbejense, Dunstani Concordia, Lanfranci Statuta, Udalricus, consuet. S. Benigni Divionensis, S. Vincentii Laudunensis, Tullense Ordinarium; ubi etiam notandum est, quod ait Lanfrancus: ,, (Quando legitur Evangelium, non teneantur candelabra; sed solum thuribulum. In hac consuetudine concordant omnes fere principales monachorum Ecclesiæ, quæ nostro tempore majoris auctoritatis sunt, sicut & in eo, quod offerenda, & *Agnus Dei*, & communio ad hanc Missam non dicuntur, licet cetera festive dicantur. In quibusdam quoque non improbandæ authoritatis cœnobiis, nec ante Sacerdotem ad altare procedentem hac die candelabra portantur.) Inter hujusmodi non improbandæ authoritatis cœnobia recenseri debet Cluniacense, Divionense S. Benigni, Corbejense S. Petri, &c.

XXIII. Dicto Evangelio ,, (si quis Sacerdotum privatim Missam cantare voluerit, *inquit Udalricus*, licentiam accipere potest, & similiter incipiat a *Kyrie eleison*.) Idem habent Benignianæ, Laudunensesque consuetudines, & Ordinarium Corbejense, sed hæc forte intelligenda sunt eo modo, quo loquuntur Comp. S. Cornelii consuetudines, cum dicunt: ,, (Hac die nullus debet cantare, nisi magna necessitate cogente, & tunc etiam per certam licentiam, & hora idonea;) nam ut ex liber Us. Cisterciens. c. 23. ,, (In hac die nulla Missa privata ab aliquo est dicenda,) generalisque Ordinis extitit consuetudo, ut omnes in Missa communicarent; licet aliquibus in locis licentiam factam legamus Sacerdotibus post Evangelium, sive post letaniam, Missam celebrandi.

XXIV. Post Evangelium, quod ex Compendiensibus S. Cornelii consuetudinibus, *in lectorium* cantabatur, Sacerdos dicto *Dominus vobiscum*, subjungebat *Oremus*; sed offertorium, *Agnus Dei*, & communionem non dicebat. Unus post Evangelium offerebat *Prior*, ex lib. cons. S. Benigni Divionensis c. 62.; ad pacem omnes accedebant, ex eodem libro, cons. Germaniæ, Udalrico l. 1. c. 19. Ordinario Corbejensi, consuet. S. Dionysii, missalique Cartusiensium; sed ex Concordia Dunstani, ,, (pacem non debent data, nisi iis, qui communicant:) apud Cassinenses vero, Compendienses, Beccenses, atque Lyrenses nulla pax dabatur.

XXV. Sumpto pretioso Corpore, & Sanguine Domini, Sacerdos fratres omnes communicabat, ex cons. Germaniæ, Udalrico, cons. S. Benigni, Corbejensi, & Tullensi Ordinariis, lib. Us. Beccensium, &c. Diaconum primum & Subdiaconum, deinde ministros altaris, tum eos, qui chorum in cappis tenebant, postea revestitos ceteros, ac tandem reliquum conventum.

XXVI. ,, (Dum vero communicantur, *ait Cassinense Ordinarium*, cantent pro Vespere antiphonam, *Alleluja*, *alleluja: In velamento*, & psalmum, *Laudate Dominum omnes gentes*. Lect. hymnus, aut ℣. non dicatur; sed tantum antiphona, *Vespere autem Sabbati*, Psal. *Magnificat*; post hæc dicat Sacerdos orationem ad complendum.)

XXVII. Ita nimirum Cassinenses vespertinam hac die synaxim breci absolvebant, quibus concordant Dunstanus in Concordia, lib. Usuum Beccensium, consuetudines Lyræ, S. Dionysii, & Compendienses, S. Petri supra Divam Ordinarium, consuetudines Grandimontensium, Missale Casalinorum: licet ad *Alleluja*, antiphonam *In velamento* subjunxisse non videantur, pro quo Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines, cum Ordinario S. Petri supra Divam, habent ant. *Crucifixus*. Antiphonam. *Vespere autem Sabbati*, ad *Magnificat* ter cantabant Dionysiani, & Compendienses, quam sine neumate dicebant Beccenses, Lyrenses, & in monasterio S. Petri supra Divam in cujus Ordinario hæc superaddunt: ,, (Facta interim benedictione incensi ab Abbate, dicat idem ipsas Vesperas, stans ante altare cum ministris; postea dicat solemniter: *Dominus vobiscum*, & postcommunionem *Spiritum nobis Domine*, & a Diacono consequenter: *Ite Missa est*, decantetur.) Sic illi Vesperas cum Missa cantabant, in qua ,, (post Sanctus, *inquiunt Dionysianæ cons.* sonent Vesperæ, & dum conventus communicatur, sonent omnes campanæ in choro & in turribus.)

XXVIII. Sed aliter in multis aliis monasteriis, in quibus Vesperæ monastico more solemniter dicebantur. Ita consuet. Germaniæ n. 26. ,, (Dicto ite Missa est, *inquiunt* pulsetur signum ad Vesperas, & oratione præmissa, exuti quoque albis, signis etiam ex more datis, cantent Vesperam secundum Regulam S. Benedicti, deinde de omnibus Sanctis.) Lanfrancus in Statutis c. 1. §. 4. ,, Celebrata fere Missa, Sacerdote incipiente: *Per Dominum nostrum*, incipiant pulsari duæ squillæ ad Vesperas ut mos est in maximis festivitatibus. Responso *Deo gratias* ad *Ite Missa est*; fiat oratio Vespertina; qua facta, vadant sitientes in refectorium, si aliqui adeo parvi sunt, ut usque post Vesperas expectare non possint. Interim pulsentur majora signa duo & duo, ad extremum pulsatis omnibus signis, canantur Vesperæ, ut decet, solemniter. Hebdomadarius Cantor incipiat, *Alleluja*; ex aliqua antiphona, ex qua Cantor præceperit: Psalmi *Confiteantur*, Capitulum, *Si consurrexistis*, ℟. *Angelus Domini locutus est*, hymnus, *Ad Cœnam agni providi* ℟. *Resurrexit Dominus*, ad *Magnificat*: *Vespere autem Sabbati*, Collecta: *Deus qui hanc sacratissimam noctem*, post Vesperas procedunt ad Crucifixum.) Idem habet Udalricus l. 1. c. 14. & Corbejense Ordinarium ,, (Missa celebrata peracta, *inquit*, statim, ut mos est, in hujusmodi solemnitatibus, duæ scillæ pulsantur ad Vesperos, sicut & signa sequentia bina, & bina pulsantur: fit oratio, & tunc demum discooperitur altare; Dominus Abbas, si vult, non divestitur; sed indutus cappa venit ad Vesperos, & sedes ejus cortinis lineis a Secretariis propter cappam ornatur, consueti psalmi cantantur; idest, *Confiteantur tibi*; cum alleluja, quæ est secundum melodiam antiph. *Crucifixus*; Capitulum: *Si consurrexistis*, &c. . . . . ad *Magnif.* antiphona: *Vespere autem*, quæ ter repetitur, & ad ultimum melodiæ ipsius antiphonæ cum *alleluja* iteratur; Collecta: *Deus qui hanc sacratissimam noctem*, suffragia SS., quorum prima antiphona ait: *Alleluja, Sancta Dei Genetrix alleluja*, & psalmi familiares non omittuntur, processio, quæ ad B. Mariam fieri solebat, mutatur ad Crucifixum;) quæ totidem pene verbis extant in lib. consuet. S. Benigni c. 62. Denique Cartusiense Ordinarium cap. 49 ,, (post complendam, & *Ite Missa est*, cum duplici *alleluja*, sineque responso, Sacerdos statim Vesperam incipit dicens: *Deus in adjutorium*, &c.)

XXIX. ,, (Finita Missa, acta Vespera, *ait vetustissimæ codex Cassinensis tempore Bertharii Abbatis scriptus*, pergunt ad refectorium antiphonam cantantes: *Vespere Sabbati*, & dicta ibidem oratione, exeuntes Presbyteri, & Diaconi, exuent se vestimenta Sacerdotalia; post hæc faciunt refectionem; inde cantant Completorium.)

XXX. Ad refectionem hujus diei quod spectat, paucis Floriacensis Monasterii consuetudines: ,, (In refectorio, *inquiunt*, generale piscium a Cellerario procuretur, & pittantia vini cum phialis propinetur.) Subdit Cassinense

nense Ordinarium: inde „ (surgentes cantent psalmum: *Confitemini Domino*, usque in octavam Pentecosten;) & consuetudines Grandimontensium: „ (Post prandium, finito psalmo *Miserere mei Deus*, cum *Gloria Patri*, statim cantatur ℟. *Hæc dies*, sine versu, quo finito dicitur *Dominus vobiscum*, & sequitur oratio: *Retribuere dignare*; *Dominus vobiscum*, & *Benedicamus Domino*, *alleluja*: *Deo gratias*, *alleluja*.)

XXXI. „ (Post refectionem, *inquiunt Cistercienses in lib. Usuum*, more solito faciant Mandatum.) Istud Mandatum ad solam manuum ablutionem restringit Dunstanus in Concordia: „ (Eadem vero die, *infit*, tempore Mandati aqua manibus tantum data e Ministro caritatis officio præbeatur;) sed ex MS. Germaniæ consuet. Mandatum in Paschæ vigilia omnino prætermittebatur, uti apud Cluniacenses, ex instituto S. Odilonis, teste Udalrico l. 1. c. 14., idque communis Monasteriorum usus habuit, unde Dionysianæ consuetudines, nulla Mandati facta mentione „ (Post refectionem, *ajunt*, sedeant in claustro usque ad collationem, & ad collationem eant in refectorium ad caritatem. Completorium eodem ordine celebretur, quo & post octavam Paschæ, scilicet psal. *Cum invocarem*; *Qui habitat*: *Ecce nunc*; hymnus: *Te lucis*, & dicatur ℣. *Quæsumus author*; *Gloria tibi Domine*, *qui surrexisti*; Capitul. *Tu in nobis es*; ℟. *Custodis nos*; Oratio: *Visita*.] Et tamen ex Dunstano Completorium Canonicorum more erat dicendum.

XXXII. Unum hic addere oportet ex Floriacensis Monasterii consuet., ut mirem „ (Post Completorium mittat Capicerius ante unumquodque altare cereos, qui accensi possint sufficere, donec diescat.]

CAPUT XVI.

De Resurrectione Dominica.

I. VEnerandam cunctis Christi fidelibus Dominicæ Resurrectionis solemnitatem, quanta devotione celebraverint veteres Monachi, nec lingua disserere, nec calamus scribere sufficiunt; maxime cum legamus, eos pluribus ex Monasteriis simul in unum hac die convenisse, ut Divinis Mysteriis una participantes, Dominicæ Resurrectionis solemnitatem tam ex numero fratrum, quam ex mutua devotione amplificarent, ut de Tabennensibus, sive Pachomianis narrat in primis Sanctus Hieronymus [Præf. ad Reg. S. Pach. num. 7.) his verbis: „ (Omnium Monasteriorum Principes unum habetur caput, qui habitat in Monasterio; diebus Paschæ, exceptis his, qui in Monasterio necessarii sunt, ad illum omnes congregantur, ut quinquaginta millia fere hominum Passionis Dominicæ simul celebrent festivitatem.) Extat hac de re in codice Regul. p. 59. S. Pachomii epistola „ (ad universa Monasteria, ut cuncti fratres congregentur in Monasterium majus, quod vocatur Baum, in diebus Paschæ, & sit omnium una solemnitas;) & pag. 66. Theodori „ (Epistola ad omnia Monasteria de Pascha,) qua Præpositos hortatur, ne quem absque gravi necessitate ab hac lege dispensent.

II. S. Cæsarius, & S. Aurelianensis Arelatenses Episcopi, ex omnibus tam Sanctorum festivitatibus, quam Christi Domini solemnitatibus unius Dominicæ Resurrectionis officium singulari studio instituerunt, cujus ordinem in ipsorum regulis scilicet S. Cæsarii ad Virgines apud Bollandum, S. Aureliani vero & ad monachos, & ad Virgines videre licet. Ad nostros quod spectat, nullam certe prætermiserunt operam, quominus tantæ festivitati congrua devotione, & solemnitate responderent. Idcirco Fontanellenses consuetudines præscribunt, ut „ (hac nocte ante vigilias Secretarius convocatis ex majoribus fratribus sex vel octo, induantur albis, & levent Crucifixum de Sepulcro, & ponant eum in loco suo, cantantes suppressa voce ℟. *Christus resurgens*. Dehinc sonentur matutinæ.) Floriacenses „ (in ipsa nocte, *inquiunt in consu.* prius ceteris Sacrista surgat ad Matutinas, & accensis cereis super altare S. Benedicti, cuncta altaria thurificet.) Et nostri Beccenses in lib. Usuum Beccensium: „ (Dominico sancto ad vigilias classicum sonat ad excitandos fratres, qui post orationes eant omnes lavare manus, & loti induantur albis, tam priores, quam juniores. Interim sonent signa duo, & duo per intervalla, ut solent, & paratis omnibus sonent classicum, & vigilias; & matutinas more Canonicorum agant.) Idem habent cons. Lyræ, Ordinarium S. Petri supra Divam, & S. Apri Tullensis. Solemnius & adhuc aliquid agebant Corbejenses monachi, apud quos „ (Dominica in festo Resurrectionis Domini ad Matutinas a principio usque in finem totus conventus erit indutus in cappa rubea,) ut loquitur Rituale Corbejense.

III. In monasterio S. Petri supra Divam ante vigilias dicebat „ (unusquisque quindecim psalmos cum collectis assuetis,) ex Ordinario ejusdem monasterii, in quo & illud additur: „ (Servitium quoque sanctæ Mariæ non obliviscatur, omittat quilibet.) Tullenses etiam S. Apri quindenos ante nocturnos recitabant psalmos.

IV. Porro licet in Concilio Aquisgranensi, Episcopis volentibus monachos, relicto S. Benedicti officio, ad horas Clericorum Canonicas in die S. Paschæ adstringere, fortiter restiterint Abbates, ut auctor est Hildemarus in Commentario super Regulam S. Benedicti; ipsi tamen postea plurimum cessisse ultro fatendum; sive enim nonnulli, ex reverentia Sedis Romanæ, ita agere consuevissent, sive plures, post hæc desidia breviorem Romanum cursum prolixiori S. Benedicti officio præferre persuaserit. Ita Cassinenses, ex veteri Ordinario, Dunstanus, ex Concordia, Beccenses, ex libro Usuum, Lyrenses, Dionysiani, Compendienses, ex suis consuetudinariis, Corbejenses ex consuetudinibus, & Rituali Corbejensi, & in monasterio S. Petri supra Divam, officium hac die totum Canonicorum more celebrabant; sed hoc non statim, sed sensim, nunc apud illos, nunc apud illos receptum est. Nam perplures, ex illustrioribus Ordinis nostri monasteriis monachi institutum a S. Benedicto officium constanter retinuerunt: Ita Einsidlenses, aliique Alemanni, ex consuetudinibus Germaniæ, Cluniacenses, ex Udalrico l. 1. c. 15. Divionenses, ex libro consuetudinum ejusdem monasterii c. 63., Corbejenses, ex veteri Ordin.; Lanfrancus, ex Statutis, Parisienses S. Germani a Pratis, ex cons. ejusdem monasterii, denique Casalini, & alii perplures Regulare S. Benedicti officium hac die persolvebant: quod autem alios postea moverit ad Romanum suscipiendum cursum, certe aut reverentia erga sedem Apostolicam, aut negligentiæ torpor fuit. Ad primum respexit S. Dunstanus in sua Concordia ita scribens: „ (In die S. Paschæ, septem canonicæ horæ a monachis, in Ecclesia Dei, more canonicorum, propter authoritatem B. Gregorii Papæ Sedis Apostolicæ, quam ipse antiphonario dictavit, celebrandæ sunt.] Ad posterius forte nonnulli, licet antiquos maxime proclives ad prolixam psalmodiam fuisse constet; ubi sane venit in mentem, quod scribit Bertrandus monachus in tripartito libro Mir. S. Roberti Abbatis Casæ Dei dist. 3. n. 4. „ (Vir Domini Robertus mutato habitu Canonicorum, divinum tamen officium in vigiliis S. Paschæ, & Pentecostes mutare noluit. Ille autem ad æthereas sedes evecto, ejus discipuli quia, inquiunt, monachi sumus, in tam excellentibus festivitatibus XII. lect. monachorum more, non tres ut Canonicorum exequi debemus. Quo cum ab omnibus statutum fuisset, contigit, ut sequenti die Sancto Paschæ, non sine nutu divino, ut creditur, nullus e tanta multitudine evigilaret, donec aurora clarescere. Non valentes itaque XII. lectiones, tres more paterno divinitus correcti, & hinc deinceps gratanter cœperunt recolere.)

V. Qui horas Canonicas more Clericorum persolvebant hi ad nocturnas vigilias præmisso in primis ℣. *Domine labia mea aperies*; quem sequebatur ℣. *Deus in adjutorium*, deinde invitatorium a quatuor in *cappis* canendum, vel a septem in cappis, scilicet Cantore, duobus Hebdom., & aliis quatuor in tabella notatis, ut in Tullensi monasterio, totum officium tribus psalmis, cum tribus antiphonis, tribus lectionibus, cum tribus responsoriis, ad memoriam triduanæ Domini sepulturæ, ut ajunt consuet. Grandim. c. 17. & hymno *Te Deum laudamus*, consummabant.

VI. Quatuor invitatorii Cantores, qui in monasterio S. Petri supra Divam erant *quatuor Ballivi*, ex Dionysianis consuet. atque ex Compendiensibus in choro remanebant, post cantatum *inter duo altaria*, apud Dionysianos, invitatorium; statimque *unus ex quatuor* indutis, incipiat antiphonam: *Ego sum*, inquiunt Compendienses S. Cornelii consuetudines, quam apud Dionysianos imponebat Hebdomadarius, hymno apud omnes prætermisso. Apud Lyrenses, etiam primam antiphonam: „ (Hebdomadarius, secundam, & tertiam Abbas, & Prior alterius chori) incipiebant. Omnes antiphonæ bis dicebantur, ex lib. Usuum Beccens., & cons. Lyræ, idque sine neumate.

VII. Primam lectionem ubique canebat Diaconus Hebdomadarius, secundam, ex Ordinario Tullensi, libro Us. Beccens., & cons. Lyræ, Prior, tertiam Abbas; vel si Episcopus vigiliis interesset, secundam Abbas, tertiam Episcopus: „ . Cum autem Episcopus; *addunt consuetudines Lyræ*, dixerit: *Jube Domne benedicere*, conventus respondeat: *Ora pro nobis Pater*; tunc data ab ipso benedictione, leget lectionem.)

N VIII.

VIII. Suam porro lectionem Diaconus cum magno apparatu, & solemniter cantabat. Ritum nobis exhibent Dionysianæ consuetudines his verbis: „ (Prima lectio a Diacono, alba, & dalmatica induto, qui veniens stet ante Abbatem, & Abbas benedicat incensum, & sic cum ministris, qui ferant candelabra, & thuribulum, eat ad aquilam, & cum dixerit Abbas: *Et ne nos*, statim dicat Diaconus: *Jube Domne*, & legat lectionem; post lectionem exuatur dalmatica, & indutus cappa redeat in chorum;) & Compendienses: „ (Diaconus indutus festiva dalmatica veniat in chorum cum cereo, & thuribulo; Diaconus ponat thus in thuribulo; & Abbas benedicat; postquam Diaconus thurificaverit altaria; redeat in chorum; tunc dicat Abbas: *Et ne nos*, quo dicto Diaconus dicat; *Jube Domne*;) Et lib. Usuum Beccensium: „ (Cum tertius psalmus incipitur, exeat Diaconus cum tribus Conversis, & induat dalmaticam, stolam, manipulum: Diaconus ipse ponat incensum, & cum finitus fuerit psalmus, cum antiphona, & versu: *Surrexit Dominus vere*, intret, Conversis candelabra, & thuribulum præferentibus. Positum sit analogium ante cereum, quod incendet Conversus. Diaconus non faciat ante, & retro in principio; sed in fine: alii vero, qui lecturi sunt, ad utrumque; ad Evangelium accendentur luminaria. Post primam lectionem duo candelabra, quæ Conversi tenuerunt, deponantur ante altare.) Idem habent consuetudines Lyræ, quibus concinit S. Petri supra Divam Ordinarium. *Aliæ duæ lectiones*, addunt Dionysianæ cons. *in cappis legantur*. In Tullensi Cœnobio tres legebantur in cappis.

IX. *Præterea* „ [In Resurrectione Domini, ad quamcumque lectionem thurificantur altaria simul, & chorus,) inquiunt Floriacenses S. Benedicti consuetudines; & Dionysianæ „ (ad unamquamque lectionem deferantur duo thuribula, & thurificentur altaria, & conventus ex integro.) Similiter Tullense S. Apri ord. „ (ad quamlibet lectionem debet incensum portari a duobus Presbyteris, in albis, & cappis, quibus Sacrista injunxerit, qui Sacrista a junioribus Presbyteris incipiat gradatim ascendendo,) sed liber Usuum Beccensium præscribit tantum, quod „ (ad secundam lectionem duo Sacerdotes incensabunt, & majus, & minus altare, ac deinde totum conventum incensabunt.) Idem statuunt consuetudines Lyræ; sed ab uno tantum Sacerdote faciendum, adduntque: „ [Hoc facto, statim exeat, & cappa exutus redeat in chorum in alba.)

X. Ad responsoria quod spectat: primum in Dionysiano monasterio a quatuor, qui chorum tenebant, secundum a quinque in cappis, tertium a septem etiam in cappis concinebatur. In Compendiensi S. Cornelii primum a quatuor in cappis, a quinque secundum in froccis, a quinque similiter & tertium. In Lyrensi vero, primum duo Hebdomadarii, secundum tres monachi, tertium quatuor item monachi. Addunt Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines, unumquodque respons. cum *Gloria Patri* dicatur, & post gloriam reincipiatur. Tullense vero S. Apri Ordinarium ita decernit; „ (Primum ℟. *Angelus Domini*, cantetur a duobus inferioribus Presbyteris: mox autem ut ipsum inceptum fuerit, Cantor aliquantulum altius reincipiat ipsum ℟., & chorus prosequatur. Secundum ℟. *Angelus Domini*, cantetur a duobus mediocribus Presbyteris. Tertium vero ℟. cantetur a tribus in cappis candidis, scilicet a Cantore, & duobus aliis, & post unumquodque ℟. dicatur *Gloria Patri*.]

XI. Post tertium Responsorium singularem ritum præscribit in Concordia Dunstanus his verbis: „ (Dum tertia recitatur lectio, quatuor fratres induant se, quorum unus alba indutus ac si ad aliud agendum ingrediatur, atque latenter sepulcri locum adeat; ibique manu tenens palmam quietus sedeat; dumque tertium percelebratur ℟., residui tres succedant, omnes quidem cappis induti, thuribula cum incenso manibus gestantes, ac pedetentim ad similitudinem quærentium quid, veniant ad locum sepulcri; aguntur enim hæc ad imitationem Angeli sedentis in monumento, atque mulierum cum aromatibus venientium, ut ungerent Corpus Jesu. Cum ergo ille residens tres velut erraneos, ac aliquid quærentes, viderit sibi approximare, incipiat mediocri voce dulcisone cantare: *Quem quæritis?* Quo decantato fine tenus, respondeant hi tres uno ore: *Jesum Nazarenum*; quibus ille: *Non est hic, surrexit, sicut prædixerat, ita, nunciate, quia surrexit a mortuis*. Cujus jussionis voce vertant se illi tres ad chorum dicentes: *Alleluja, surrexit Dominus*. Dicto hoc, rursus ille residens, velut revocans illos, dicat antiphonam: *Venite, & videte locum*: Hæc vero dicens surgat, & erigat velum, ostendatque eis locum cruce nudatum; sed tantum linteamina posita, quibus crux involuta erat. Quo viso deponant thuribula, quæ gestaverunt in eodem sepulcro, sumantque linteum, & extendant contra clerum, ac veluti ostendentes, quod surrexit Dominus, & jam non sit illo involutus, hanc canant antiphonam: *Surrexit Dominus de sepulcro*; superponantque linteum altari. Finita antiphona, Prior congaudens pro triumpho Regis nostri, quod devicta morte surrexit, incipiat hymnum: *Te Deum laudamus*, quo incepto, una pulsantur omnia signa, post cujus finem dicat Sacerdos versum: *In Resurrectione tua Christe*, verbo tenus, & initiat matutinas dicens: *Deus in adjutorium*:) His affine est, quod in Tullensi S. Apri Ordinario legitur his verbis: „ [In tertio ℟. dum dicti tres Cantores cantant ℣. primum, quatuor eant ad majus altare, & sumant ibi duas cruces, & duo candelabra cum cereis, redeantque in chorum cum Thuribulario, & stent ad gradum chori expectantes ibi reiterationem ℟. post *Gloria Patri* faciendam: finita vero reiteratione, post *Gloria Patri*, reincipiatur idem ℟. a Cantoribus, & chorus prosequitur, vaduntque omnes cantando cum processione ante altare S. Crucis, præcedentibus, crucibus, Thuribulario, & Ceroferariis: tres vero Cantores, qui & *Mariæ* dicuntur, vadant ad altare S. Apri, & accipiant vascula ibi posita; finitoque ℟. eant ad sepulcrum capitibus velatis amictibus suis, & cantent: *O Deus quis*: Puer vero, qui Angelum repræsentat, stans in sepulcro palmam manu tenens, & in capite fanulum largum habens, respondeat; *Quem quæritis?* Mariæ: *Jesum Nazarenum*. Angelus: *Non est hic*. Interim respondeant Mariæ: *Alleluja*; *Resurrexit Dominus*. Angelus: *Venite, & videte*. Finita hac antiphona, exeat Angelus de sepulcro per ostium ante; Mariæ vero intrent per ostium retro, & offerant vascula sua osculantes altare; postea exeant de sepulcro per ostium, per quod Angelus exivit, capitibus denudatis, & stantes ante crucifixum conversæ ad populum incipiant hanc antiphonam: *Surrexit*, & chorus prosequatur: *Dominus de sepulcro*, & residuum antiphonæ. Interim duo socii Cantoris ad loca sua revertantur, & cum aliis stent fratribus, solo Cantore in medio remanente. Finita vero prædicta antiphona, incipiatur a Cantore: *Angelus Domini*, & chorus prosequatur, & cantetur similiter: *Respondens autem*, & in fine dicatur *Alleluja*. Interim, dum hæc cantantur, portetur ab Abbate incensum in sepulcrum, duobus Ceroferariis ipsum præcedentibus. Finito autem *alleluja* prædicto, incipiatur ab Abbate, Cantore, sibi innuente: *Te Deum laudamus*: quo cantato usque, post *Sanctus*, revertantur omnes in chorum, residuum prædicti hymni cantando. Finito hymno, pronuntietur Abbati a Cantore ℣. *Surrexit Dominus vere*, vel *Resurrexit Dominus*; postea incipiantur Laudes ab Abbate.) Ejusdem etiam ritus meminisse videntur Bursfeldenses in Ordinario suo c. 39. scribentes: „ (Quoniam secundum consuetudinem, quæ inolevit in sæcularibus maxime Ecclesiis, ut finito officio in Parasceve, crux in sepulcro, quasi sepeliendo recondi, & in nocte Resurrectionis Dominicæ, ante pulsum campanarum, silenter inde sustolli, ac per circuitum Ecclesiæ, aut cimeterii deferri solet cum cantu convenienti submissa voce: ubi hujusmodi consuetudo in nostris monasteriis hactenus servata fuerit, præsertim si populum habeat; deinceps servari poterit, ut est moris.)

XII. In aliis vero monasteriis, finito tertio ℟., Abbas hymnum *Te Deum* imponebat, ad quem „ (duo de signis majoribus sonent, inquit lib. Us. Becc., Cum inceperint: *Per singulos dies*, sonent classicum ad Laudes usque ad finem; deinde dicto versu; *Surrexit Dominus de sepulcro*, Sacerdos incipiat Laudes:) pro hoc versu Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines habent ℣. *Surrexit Dominus vere*. Paullo aliter Cassinenses, quorum in Ordinario sic lego: „ (Finita tertia lectione, incipiat Abbas hymnum: *Te Deum laudamus*; tunc pergat cum ministris, & induti pluvialibus pergant in chorum; finito hymno, dicatur, *Te decet laus*, & sonentur signa, & incipiat Sacerdos: *Deus in adjutorium*.) Laudes porro canebant cum quinque antiphonis, totidemque psalmis, sine capitulo, hymno, *Kyrie*, *Pater noster*; sed post *Benedictus*, dicta antiphona, Sacerdos subjungebat: *Dominus vobiscum*, tum orationem; quam sequebantur matutini omnium SS. In aliis tamen monasteriis, ut in Dionysiano, Compendiensi, & Lyrensi dicebatur capit.: *Expurgate*, quod sequebatur versus, *Surrexit Dominus de sepulcro*, vel alius ab uno, vel duobus pueris decantandus; post quem Abbas anti-

antiphonam ad Benedictus imponebat. Primam Matutinorum, sive Laudum antiphonam, ex Dionysianis, & Compend. consuetudinibus, imponebat Hebdomadarius, reliquas Priores; antiphonam ad *Benedictus* Abbas, & haec ter dicebatur. In Beccensi monasterio, post orationem fiebat comm. de cruce, & de Beata Maria tantum; in Lyrensi de festo XII., vel III. lect. si evenisset, deinde de Cruce, & de sancta Maria; „ (Postea, *inquiunt*, dicat puer *Benedicamus Domino*, & revertantur ad strata;) praetermissis Matutinis de omnibus SS., & processione ad crucem, ex lib. Us. Beccens. Dionysiani nullam faciebant commemorationem; sed finitis cum una collecta Laudibus, & impertita coquinae servitoribus benedictione, Matutinos de omnibus Sanctis cantabant.

XIII. Qui vero Regulare S. Benedicti officium constanter retinuerant, pulsatis, ut mos est in praecipuis sollemnitatibus, signis, cantatoque a quatuor in cappis invitatorio tres percurrebant nocturnos, cum duodecim psalmis, & tribus canticis juxta Regulam; Ad singulos nocturnos unam dumtaxat praemittebant antiphonam, ex Udalrico l. 1. c. 15., & Ordinario Corbejensi; nimirum ad primos sex psalmos: *Ego sum, qui sum*, ad sex subsequentes; *Postulavi*, & ad cantica: *Ego dormivi*; licet ex consuetudinibus Germaniae, psalmi in utroque nocturno, sicut & cantica, *sub prima alleluja* intonarentur. Psalmos autem non alios cantabant, quam institutos a S. Benedicto ad diem Dominicam, scilicet, *Dominus in virtute tua*, ut patet, ex Statutis Lanfranci c. 1. §. 5., & Ordinario Corbejensi. Cantica: *Qui est iste, qui venit de Edom*, quae ex libro consuet. S. Benigni, & Ord. Corbejensi dicebantur „ (in omnibus Dominicis, usque ad octavam Pentecosten, & etiam in ipsis octavis, & in Ascensione Domini.) De R. haec habent Germaniae consuetudines c. 27. „ (Bini, & bini R. cantent & a Cantore, si expedit, aliive, aut mitius a capite unumquodque incipiatur; quartum vero post gloriam repetitum tractius totum cantetur.) Cetera omnia, ut in praecipuis sollemnitatibus fieri solebant, peragantur; de quibus vide superius dicta c. 4. de Nativitate Domini, & inferius dicenda libro sequenti de festis. Tam pro nocturnis, quam pro Matutinis, de quibus haec tantum adnotanda sunt, ex cons. Sancti Benigni, & Ordinario Corbejensi; „ (Ad Matut. omnes antiphonae, postquam psalmis, ante quos incipiuntur, finitis cantatae fuerint, melodiam earum cum *alleluja* reincipiunt sicut & illius melodia de *Benedictus*. Capit. *Expurgate, vetus*. R. *Surrexit Dominus de sepulcro*.) Hymnus: *Aurora*: V. *Haec dies quam fecit* qui exceptis nocturnis, Prima, & Completorio, ad omnes horas dicebatur.

XIV. De Prima ita Concordia Dunstani „ (Ad Primam quatuor psalmi: *Deus in nomine tuo*, & *Confitemini Domino* prima tantum feria; *Beati Retribue*, cum *alleluja*, & capitulo, & versu: *Haec dies* directo a puero prolato; deinde *Kyrie eleison*, & oratio Dominica, cum symbolo, nec non & preces, solito ritu subsequente collecta.) Et consuetudines Sancti Dionysii: „ (Ad primam non dicatur hymnus, nec per totam hebdomadam, nec ad alias Horas; sed psalmi in directum absque antiphona dicantur; *Deus in nomine* cum *Gloria*: *Confitemini* & alii cum *Gloria Patri*, & *Beati immaculati*; *Retribue*; quibus dictis, dicatur R. *Haec dies*, post quod dicat Sacerdos: *Dominus vobiscum*, & *Oremus*; *Concede quaesumus omnipotens Deus*. In ipsa die, & tribus sequentibus non dicantur psalmi familiares.) Atque ita fere alii Clericorum more canonicas horas celebrantes. Tertiam vero, Sextam, & Nonam cum tribus psalmis, seu tribus binis octonariis, ex psalmo 118., versu, & oratione; sine hymno, antiphona, & capitulo cantabant. Sed Tullenses S. Apri Romanum ad soles vigilias, & Laudes officium recepisse videntur; nam & Horas diurnas cum hymnis, & capitulis cantabant; & Vesperas sub una antiphona cum quatuor psalmis: *Laudate pueri*; *Laudate Dominum omnes gentes*, *Laudate Dominum quoniam*: *Lauda Jerusalem*, capitulo, hymno, &c. more monachorum.

XV. Missae matutinalis nulla fit mentio in Concordia Dunstani, nec in MS. Germaniae consuetudinibus; immo expresse Dunstanus ait; „ (His septem diebus non canimus: *clarius vero Germaniae consuetudines*: Missa quoque non celebrabitur, praeter publicam;) & revera solebant omnes ad majorem Missam communicare. In omnibus tamen communiter Monasteriis cum Missa majori dicebatur saltem Missa matutinalis, quam cum unica tantum collecta dicendam decernit Lanfrancus in Statutis, cum commemorat. de Cruce, de B. Maria, de Reliquiis, de omnibus Sanctis, & de festo hac die contingente, cujus ad Laudes facienda esset memoria Ordinarium Sancti Petri supra Divam. In Dionysiano vero Monasterio *omnia*, *ut ad magnam Missam*, dicebantur ex consuet. ejusdem Monasterii, in quibus additur: „ (Et ad ipsam Missam matutinalem communicarent pueri;) & similiter in Floriacensis Monasterii consuet. „ (Ad Missam matutinalem debent pueri communicari, & ceteri, qui voluerint,) ut nimirum aliquid indigentes praegustare valerent; unde ibidem consequenter subjungitur: „ (Expleta Missa, illico pueri reficiunt, & a Cellerario singuli duo ova suscipiunt.)

XVI. „ (Hanc post Missam, *inquiunt Compendienses S. Cornelii consuetud.*, sint omnes in albis, & fiat aqua benedicta, deinde Tertia cantatur.) Idem innuere videtur Ordinarium Sancti Petri supra Divam, in quo praescribitur etiam, ut ad aquae benedictae aspersionem cantetur R. *Vidi aquam*, licet in Parisiensi S. Germani Monasterio cantaretur: *Asperges*, & a Bursfeldensibus antiphona: *In die Resurrectionis*, Cassinenses autem hac die aquam lustralem non conficiebant, sed tantum dicta Tertia aspergatur, *inquiunt in Ordinario*, per fratres aqua, quae alia die benedicta fuit; neque Dionysiani forte, qui in suis consuetud. volunt dumtaxat, „ (dum cantatur Tertia, Sacerdos eat per officinas cum Cruce, & aqua benedicta.) Hanc ad processionem respicit haud dubium Ordo officii in Domo S. Benedicti ante Pascha, Tom. 4. Analect. dum ait: „ Dominico die, *Resurrectionis scilicet*, vadunt cum antiphona, & aqua sancta per singulas mansiones;) de qua etiam liber consuetud. S. Benigni Divionensis: „ (Processio vero per omnes officinas eodem modo fit, quo in aliis Dominicis; nec etiam oratio: *Via sanctorum*, remanet, sicut alibi dictum est, sicut nec in qualibet Dominica, quaecumque solemnitas accidat;) quod idem habet vetus Corbejense Ordinarium.

XVII. Post Tertiam solemnis fiebat processio, & quidem *in cappis*, & ex Statutis Lanfranci, *ut in Natali Domini* inquiunt consuetudines S. Dionysii. Canenda hac in processione praescribit vetus Cassinensium Ordinarium his verbis: „ (Antiphonae ad processionem: *Sedit Angelus*: *Ego sum α, & ω*: *Dicant nunc*, *Post passionem*: *Crucifixum*; in introitu ecclesiae antiphona: *Christus resurgens*.) Consuetudines vero S. Benigni: „ (Ad processionem post aquam benedictam antiphona: *Vidi aquam*; deinde itur ad S. Mariam cum antiphona: *Tota pulchra*, quae non finitur absque *alleluja*; & ibi dicto versu, & collecta de eadem S. Maria, idest *Post partum*, & *Gratiam tuam Domine*, sequitur antiphona: *In die Resurrectionis*. Alia: *Sedit Angelus*, Ad stationem dicunt quatuor, sex Cantores V. *Crucifixum*, ipso die tantum, ad introitum antiphona: *Christus resurgens*: ante Crucem dicit Sacerdos versum, & collectam, qui modus processionis, & cantus in omnibus Dominicis tenetur usque Pentecosten, excepto quod solo die Paschae ad introitum chori incipitur R. *Et valde*, aliis vero Dominicis R. vel antiphona dicitur de Sanctis, in quorum honore fundata est ecclesia.) Idem habet Corbejense Ordinarium. Vide Udalricum; denique cons. S. Dionysii in Francia: „ (Post Tertiam fiat processio per claustrum, ut in Natali Domini, & cantetur antiphona: *Vidi aquam*: *Sedit Angelus*, & *Crucifixum*: ascendendo in capitio R. *Stirps Jesse*, cum *Alleluja*, V. *Post partum Virgo*: Orat. *Gratiam tuam*, vel *Famulorum*, descendendo de capitio R. *Et valde mane*, in navi, *Christus resurgens*, V. *Dicant nunc*, a tribus, post dicat Sacerdos V. *Surrexit Dominus vere*, vel alium quemlibet de Resurrectione, Orat. *Concede quaesumus omnipotens Deus*, *ut qui festa Paschalia*. Ad introitum chori: *Salve festa dies*: *Ecce renascentis*: *namque triumphantis legibus inferni*.) Quod spectat ad hanc processionem notandum maxime, quod in Pratensi S. Germani consuetudinibus legitur: „ (Existente vero conventu in capella B. M. Abbas incensabit altare B. Mariae, postea tumbas Abbatum, post dicet versiculum, &c.)

XVIII. „ (Post processionem, *addunt Dionysianae consuet.*, ascendant juxta Sancta Sanctorum quidam bene cantantes, alii in dextro latere, alii in sinistro latere assistentes, bene & honorifice tropas scilicet: *Quem quaeritis*; conjubilantes, & sibi invicem respondentes; & cum intonuerint, *Quia surrexit*, dicens, *Petri*, mox Archicantor, & duo socii ejus assistentes in choro regiae virgas in manibus tenentes, incipiunt officium.) Hunc ritum accepisse videntur a Cassinensibus, quorum Ordinarium haec habet: „ (Processione finita, vadat Sacerdos post altare, & versus ad chorum dicat alta voce, *Quem quaeritis?* & duo alii Clerici stantes in medio chori respondeant: *Jesum Nazarenum*; & Sacerdos: *Non est hic*: illi vero conversi ad chorum dicant: *Alleluja*. Post

„ hæc alii quatuor cantant tropos, & agatur Missa ordine suo.) Aliquid hujusmodi præstant etiam nunc nostri Remigiani Remenses.

XIX. Missa sequebatur sollemniter *in cappis*, ex Ordin. Cass., consuet. Germaniæ, Sancti Germani a Pratis, & aliis; cujus Introitum cum duplici versu; *Domine probasti me* & *Hæc dies, quam fecit*, & cum *Gloria*, ex Udalrico l. 1. c. 15., Ordinario Corb., & Benignianis consuetud. *ter* repetebatur. Postea cum jubilaverint *Gloria Patri*, loquitur Dionysianæ consuet. „ (Domnus Abbas festivis „ indutus vestimentis, cum septem Diaconibus, totidemque „ Subdiaconibus textus deferentibus, & Conversis antece„ dentibus cum thuribulo, & candelabris duobus, cui „ obviam ex capitio fratres usque ad altare Sanctæ Tri„ nitatis cum Cruce Domini Karoli Imperatoris retro al„ tare, & candelabris cristallinis adveniunt, Crucem Do„ mini Karoli inter alias duas ponentes, desuper quoque „ candelabra cristallina. Domnus namque Abbas per cho„ rum veniens subtus campanas ante principale altare cum „ suo comitatu assistat, dicens ibi: *Confiteor*. Post *Con*„ *fiteor* autem offerantur ei convenienter textus a Sub„ diaconibus, quos omnes in ordine osculetur; postea cum „ tremore, & reverentia ad altare accedat.)

XX. „ (Post orationem, *pergunt eadem consuetud.*, ascen„ dant fratres, quos præviderit Archicantor infra Sancta „ Sanctorum, ante Corpora Beatorum Martyrum, qui „ honorifice conjubilant *Christus vincit*, *Christus regnat*, „ *Christus imperat*, & conjubilantibus illis, respondeat „ hæc eadem chorus similiter.) Eodem modo Compendienses Sancti Cornelii: „ (Dum dicitur oratio, tres „ bene cantantes, quibus tamen jusserit Cantor, adscen„ dant ad oratorium Sanctæ Trinitatis, & stantes re„ tro Martyres, cantent ibi: *Christus vincit*. Post hæc „ legatur Epistola;) & Rituale Corbejensis Monasterii: „ (Eodem die ad magnam Missam post collectam dicitur „ *Christus vincit*, per duos Presbyteros.)

XXI. Interim ita prosequuntur Dionysianæ consuetud. „ (Subdiaconus regia tunica indutus, sceptrum tenens in „ manu, pulpitum ascendat, & Epistolam legat: *Expur*„ *gate vetus*. Post Epistolam canitur a tribus in pretio„ sissimis tabulis eburneis ℟. *Hæc dies*. ℣. *Confitemini* „ & quatuor personæ cantent: *Alleluia: Pascha nostrum*, „ & *Epulemur*. Deinde incipiat Archicantor sequentiam: „ *Fulgens præclara*, ad finem, cujus transmittat Cantor „ quemdam bene cantantem in capitio ante Martyres, qui „ honeste ante Evangelium intonet antiphonam; *Crucem* „ *sanctam subiit*, quam dum inceperit, teneat crucem in „ manu; deinde Conversus accipiat crucem de manu e„ jus, qui antiphonam intonuit, & antecedat Diaconum „ & Conversi alii cum candelabris, & thuribulo, & a„ scendant pulpitum, & legatur Evangelium, *Maria Mag*„ *dalene*.)

XXII. Paucis Compendienses consuetudines: „ (Post „ hæc legatur Epistola. *Expurgate*, ℟. *Hæc dies*, a tri„ bus *alleluia*, *Pascha*. *Epulemur* a quatuor, sequentia „ *Fulgens*, antiphona ante Evangelium; *Crucem sanctam*, „ Evangelium: *Maria Magdalene*.) In Monasterio S. Germani a Pratis tres Monachi etiam cantabant ℟., seu graduale *in cappis*, quatuor *alleluia*. In Beccensi „ (℣. „ quatuor, ℟. quinque, alleluja octo in albis cappis canta„ bant), ex Rituali ejusdem Monasterii. Apud Cluniacenses ex Udalrico l. 1. c. 15., Divionenses S. Benigni ex lib. consuet. hujus Monasterii, & Corbejenses ex eorum veteri Ordinario: *Duo possunt canere hinc & inde*, vel si videbatur, plures statuebantur ad prosam concinendam; quibus alternatim *per neumas* respondebat, ex consuet. Benignianis, & Ord. Corb.

XXIII. „ (Post dicatur Credo, *inquiunt consuetudines* „ *Dionysianæ*, quo dum cantatur, afferatur a senioribus „ Regalis offerenda per chorum usque inter duo altaria, „ a dextris, & a sinistris stent in ordine, quousque Domnus Abbas dicat: *Oremus*: tunc fiat offerenda;) deinde de offertorio: „ (Interim offertorium canetur ita: duo „ cantent: *Ab increpatione*, *& ira*, dicto ℣. incipiat „ Cantor: *Terra tremuit*;) nimirum tropos ad offertorium cantabant, sicut & ad *Agnus Dei*; & ad communionem: „ (ad *Agnus Dei* tropi quidem adjiciuntur, & com„ munio post versum suum iteratur, *inquit Udalricus l. 1.* „ *c. 15.*) & Corbejense Ordin. „ (Ante ultimum *Agnus Dei*, „ & ante communionem, quæ post *Gloria Patri* repeti„ tur, cantatur antiphona: *Venite populi*, ad quam cum „ venitur, ad ipsum locum; *Adoremus*, omnes petant „ veniam usque in terra, quemadmodum in Natali Do„ mini;) sed de his audiendæ sunt iterum consuetudines S. Dionysii; „ (Ante communionem duo cantent prosam „ ante altare: *Laus, honor, virtus*, & Cantor respondeat „ *Pascha nostrum*; quo dicto ascendant fratres, quos jus„ serit Cantor, ante Martyres, & ibi jubilant: *Emitte* „ *Domine benignitatis Angelum*, in quo tantum deprecatur, „ ut illo die sancta digne mereantur tractare; postea di„ catur postcommunio; *Spiritum nobis*:) & Compendienses: „ (Ad offerendam canetur tropa a duobus: *Ab in*„ *crepatione*, . . . ad communionem canetur tropa a duo„ bus: *Laus*, *honor*.)

XXIV. Hæc Missa præfationem propriam, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, habebat; in ea omnes communicabant etiam Presbyteri, ut supra observavimus, quod etiam faciunt Monachi Cartusienses, ex Rubricis Missalis Cartusiensis an. 1531. editi, in quibus hæc lego: „ (In die san„ cto Paschæ primam Missam cantat Hebdomadarius, in qua „ dicitur Kyrie Dominicale, ... & communicant Dia„ conus, & fratres Laici . . . Missa major sollemnissime „ a Præsidente cantatur, & Diaconus cum toto conventu „ communicat;) & in eorum Ordinario c. 50. decernitur Episcopo Missam vice Prioris celebrante, Prior ipse „ (cum „ aliis ab Episcopo communionem recipiat;) sed ab hac se lege sensim exuerunt Monachi, unde in Tullensi S. Apri Ordinario hæc lego: „ (Die sancto Paschæ a mane „ usque ad Tertiam fratres, qui privatas Missas voluerint „ celebrare, cantare possunt, ut Tertiæ cum ceteris pos„ sint interesse;) & infra: „ (Hac die Diaconus tot ho„ stias consecrandas apponat, ut in ipsa die fratribus, qui „ non celebraverunt, Conversis, & sororibus sacra com„ munio sufficiat, exceptis pueris, qui mane communi„ cant de manu Magistri.) Obiter hic notaverim, plures olim ab uno Sacerdote, quibusdam in ecclesiis, sacro Paschatis die Missas celebratas fuisse, qua de re extat Decretum Concilii Lambethensis anno 1206. cap. 1. apud Spelm. Tom. 2. Concil. Angl. „ (Bis in diem Missam nullus ce„ lebrare præsumat, nisi in diebus Nativitatis, & Resur„ rectionis Dominicæ.) Immo etiam aliis diebus, ut patet ex libro de gestis S. Aldrici Episcopi Cenomanensis sæculo IX., si bene memini, To. 3. Misc. Baluz. p. 51. ubi instituisse dicitur, ut in die suæ consecrationis unusquisque Presbyter Missas decantaret, & clerici psalterium; similiter pro se mortuo in die suæ depositionis: hæc per transennam dicta sint. Ad propositum revertor.

XXV. „ (Post Missam, *inquiunt consuetudines Com*„ *pendienses*, omnes campanæ pulsentur, & fiat benedictio „ de cruce Karoli;) & antea MS. Germaniæ consuetudines; „ (Post Missas omnia pulsentur signa per totam hebdo„ madam.)

XXVI. Post Missam, Sextam, & post Meridianam Nonam eodem ritu cantabant, quo supra diximus, Tertiam.

XXVII. Vesperas omnes sacris vestibus induti sollemniter decantabant, cujus rei luculentum habemus testimonium in historia Translationis SS. Martyrum Crisanti, & Dariæ ad Monasterium Prumiense, ab authore sæculi IX. descripta n. 17. refertur in vit. S. Marc. Abb. Prum. sæc. 4. part. 1. p. 617. „ (Est consuetudo loci, ut die „ sollemnitatis Paschalis, Clerici, (idest Monachi,) ves„ pertinum celebrantes officium, ita sacris induantur, ut „ in Missarum agitur celebratione. Factum est igitur, ut „ custos de more cum aliis indutus, lampades accensurus „ ecclesiæ procederet; sed dum incaute progrederetur pa„ ssibus sub lampadibus, oleum lampadis cecidit, atque „ partem planetæ, qua forte indutus erat, non absque „ deformitate infecit;) cappas, non planetas deferebant nostri Sandionysiani, quorum in consuet. hæc lego: „ (Ad Ves„ peras sint omnes in cappis, tres Cantores assistant in „ choro cappis induti.) Compendienses tantum habent: „ (Ad Vesperas sint omnes in albis, tres Cantores sint „ in cappis.) Hactenus Rotomagensis nostri S. Audoeni, „ (Vesperas cantent albis induti.]

XXVIII. Quomodo autem Vesperas cantarent ii, qui cursum Romanum receperant, discendum ex Dunstani Concordia: „ (Ad Vesperam: *Dixit Dominus: Confitebor: Bea*„ *tus vir*, cum antiphona, sine capitulo: graduale idest „ ℟. *Hæc dies*, sine ℣. *alleluia* cum versu, & sequentia. „ Post inchoetur antiphona in Evangelio, & collecta;) quibus concordant saltem fere in omnibus Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines, in quibus antiphona super tres præfatos psalmos notatur: *Alleluia*, & *Cognoverunt* cum capitulo: *Expurgate*, ℟. *Hæc dies*, cum ℣. *Confitemini*, a conventu dicendo, *Alleluia Pascha nostrum*, *Epulemur* a quatuor vel tribus in cappis, sequentia *Victimæ Paschali*, ℣. *In resurrectione* a duobus pueris, antiphona ad *Magnificat*; *Et respicientes*, ex Dionysianis consuet. dicenda, ex Comp. *bis* Addit Dunstanus: „ (Dehinc „ eatur ad fontes, psalmum: *Laudate pueri*, cum antiphona „ canentes, quam sequatur collecta. Inde vero revertentes „ chorum, vel oratorium, quod eis competens videbitur „ adeant,

„ ardeant, psalmum: *In exitu* decantantes, quem propria „ sequatur collecta.) Vesperis præmittebant Dionysiani Vesperas omnium Sanctorum.

XXIX. De Completorio rursum Dionysianæ, Compendiensesque cons. „ (Ad Completorium tres psalmi: *Cum* „ *invocarem*; *In te Domine speravi*, usque *in manus: Ecce* „ *nunc*; post psalmos: *Alleluja*; *Hæc dies*; deinde *Dominus* „ *vobiscum*, & orat. *Præsta quæsumus omnipotens*, *& mi*-„ *sericors Deus*, ut in resurr:ct.) sed Concordia Dunstani psalmos subsequitur „ (capitulum, & ℞. exhinc: *Nunc* „ *dimittis* cum antiphona concinitur, consequentibus horæ „ precibus, cum collecta, & benedictione.)

XXX. Qui vero Regulare S. Benedicti officium retinnebant, Vesperas, & Completorium solito more cantabant excepto quod „ (cum ad omnes alias horas antiphonæ di-„ cantur, ad solos Vesperos super psalmos non antipho-„ næ, sed *alleluja* cantatur de melodia antiphonæ: *Scio* „ *quod Jesum*,) inquit Corbejense Ordinarium. Et hæc quoad divinum officium. Ad reliquas consuetudines quod attinet, pauca omnino ad nostram pervenerunt notitiam.

XXXI. In primis illud notandum, quod ex antiqua ordinis consuetudine, in Natali Domini, & Paschali ejus Resurrectione, Abbas coquinæ officium exerceret, ut supra vidimus capite 4. hujus libri; hinc S. Petri supra Divam Ordinarium ad diem sanctum Paschæ præscribit, ut data ab Abbate egredientibus coquinæ hebdomadariis benedictione, „ (idem Abbas cum ceteris ingredientibus a Priore be-„ nedictionem recipiat;) similiter & Tullense „ (Abbas „ Præpositus, & duo Hebdomadarii coquinæ ingredientes „ accipiant benedictionem;) & tamen in manuscriptis Germaniæ consuetudinibus lego, ut in die Resurrectionis Dominicæ „ (in coquina fratrum nihil præparetur, usque „ in quinta feria;) quod maxime notandum.

XXXII. Deinde ex præscripto Concilii Aquisgranensis statuto, poterant monachi ut in octava Natalis Domini, & in Paschali Resurrectionis ejus, volatilibus vesci; qua de re vide supra c. 5., & testamentum Ansegisi Abbatis Fontanellensis sæc. 4. part. 1.; sed hoc privilegio non gaudebant nostri Floriacenses, quorum antiquæ consuetudines victum monachorum in die Paschæ, & infra octavam ita constituunt: „ (Ad prandium debemus habere tria fercu-„ la: primum ova farsa, secundum pisces, tertium se-„ pias, & porrectam ab Hortolano, & Pistinario bracel-„ los, & pittantiam de optimo vino a Custode vini, & „ furo gastellos. Fer. 2. 3. & 4. & in octava flrutas „ debemus habere, & in Ascensione quoque, ac Inven-„ tione Crucis . . . . . Feria 2. Paschæ ad prandium de-„ bemus habere rosoellas, & per totam hebdomadam pi-„ tantiam vini. Fer. 3. ad prandium debemus habere ova „ fars. Fer. 4. ad prandium flrutas. Fer. 5. ova frixa, „ Fer. 6. ad prandium ova elixa, & in Sabbato similiter „ cum sapore.) Ubi nulla omnino volatilium fit mentio.

XXXIII. Hic adjungendum est, quod in Germaniæ consuetudinibus his verbis continetur: „ [Mensæ fratrum „ provolutæ sint mantilibus, prædictis quoque quatuor „ diebus pane scaldato utatur, ternisque potionibus, pri-„ mam misceant pueri, secundam Diaconi; tertiam Pres-„ byteri.)

XXXIV. Tertio, notanda est illa laudabilis Floriacensium consuetudo, qua „ (expleta cœna, ut *ajunt veteres* „ *cons. Flor.*, Abbas vadit cum omnibus pueris in elee-„ mosinam ad Mandatum XII. pauperibus.)

XXXV. Hi erant fortassis duodecim illi pauperes, de quibus Aimoinus monachus Floriacensis in libro 1. de Miraculis S. Benedicti c. 12. sæc. 4. part. 2., ubi refert quemdam contractum a sancto Patre sanatum, & Richardum Abbatem „ (in numero duodecim egenorum eum „ haberi instituisse, quem diligens boni antiquorum cura „ Patrum in hoc nostro Floriacensi cœnobio, ob duode-„ cim Apostolorum numerum, communibus stipendiis „ diatim ali, ac vestiri sancivit;) de quibus etiam agere videtur antiquus author in vita S. Osvvaldi n. 21. apud Boll. 29. Feb.

XXXVI. Quarto, denique „ (hodie, *inquiunt eædem* „ *Floriacenses consuetudines*, debet Thesaurarius centum „ pauperes in eleemosynam introducere, & singulis singu-„ los denarios distribuere.)

CAPUT XVII.

De Septimana Resurrectionis Dominicæ.

I. SEptimana Resurrectionis Dominicæ, quam *Septimanam majorem* vocat Udalric. l. 1. cap. 16. solemnissimos olim apud monachos habuit quatuor priores dies, in quibus tam ex Statutis Lanfranci, quam ex libro cons. S. Benigni Divionensis, Ordinario Corbejensi, Udalrico, consuetudinibus S. Dionysii, Missa cantabatur in cappis, vel minimum in albis, ut in Tullensi S. Apri Ordinario, & consuetudinibus S. Germani a Pratis constituitur. Hinc Cistercienses in libro Usuum „ (tribus, *inquiunt c.* 25., die-„ bus, qui Paschæ diem sequuntur, erunt fratres in le-„ ctione, nec laborabunt; quia hos tres dies pro venera-„ tione S. Resurrectionis solemnes habemus, sicut festum „ alicujus Apostoli;) & Cartusienses in Ordinario c. 50. n. 5., de Paschate, & ejus octava: „ (Totos priores quatuor „ dies celeberrimos ducimus, quemadmodum de Domini „ Nativitate dictum est;) quamvis Cassinenses videantur tres tantum primos dies solemniter celebrasse. Primum diem superiori capite investigavimus, reliquos præsenti discutiemus.

II. Quo ritu veteres monachi tres post Pascha dies celebrarent, ex Lanfranci Statutis c. 1. §. 5. potissimum requirendum est, in quibus totam hebdomadam ita disponit: „ (Tribus sequentibus diebus ante vigilias pulsentur „ signa duo & duo; ad Invitatorium tres in cappis; psal-„ mi feriales dicantur, sex sub una antiphona, & sex sub „ alia. Duo & duo primum, & secundum ℞. tertium „ tres. Laudes sub una antiphona; ad thuribula duo Sa-„ cerdotes cappis induti ad Laudes, & ad Vesperas. Mis-„ sa matutinalis cum una collecta; ad majorem omnes „ sint cappis induti: ad Vesperas per totam hebdomadam „ sub una antiphona dicantur psalmi, qui in die Paschæ „ ad Vesperas dicti sunt.) De reliquis vero diebus ita subjungit: „ (Tribus sequentibus diebus ad Invitatorium „ duo in froccis: ad nocturna psalmi feriales, tres le-„ ctiones de pronunciato Evangelio. Major Missa, & ce-„ tera, sicut in XII. Lectionibus. In hac hebdomada non „ loquantur in claustro. Missa matutinalis: *Resurrexi*: „ omnes horæ cum antiphonis canantur.) Paullo fusius, & paullo aliter Divionenses S. Benigni consuetudines c. 63. „ (Feria secunda, sicut in aliis noctibus ejusdem „ septimanæ duo tantum signa ante nocturnorum ince-„ ptionem, sicut in privatis noctibus, pulsantur, quam-„ vis alia sint; alia enim signa pulsantur in hac hebdomada, „ & in hebdomada Pentecostes, & Natalis Domini, quam „ in privatis noctibus. Nocturni cum duodecim psalmis, „ sicut sunt per ferias, ordinate aguntur, puer unus in-„ vitatorium cantat, tres lectiones ex Evangeliis fiunt. „ Ad extremos psalmos nocturni secundi cerei de cibo-„ rio accenduntur: ad preces nocturnorum altare disco-„ peritur, & quatuor cerei de septem ante altare accen-„ duntur, tres enim accensi erant. Collectæ habentur „ in collectaneo, quæ per singulos dies tam ad VI., „ quam IX., & ad nocturnos dicuntur: deinde pulsan-„ tur omnia signa, de cetero omnia festive fiunt. Sacer-„ dos ipsa die, & duobus sequentibus cum cappa ad Laudes „ incensat altaria; ceteris autem tribus cum cappa. An-„ tiphonæ quæ in Dominica ad Laudes cantatæ sunt, po-„ stea singulæ per ordinem ad singulos Matutinos ab Heb-„ domadario inceptæ cantantur usque ad Sabbatum, ad a-„ lias Horas habentur antiphonæ de Evangelio. Ad so-„ los nocturnos, & Vesperos super psalmos non nisi *alle*-„ *luja* cantatur ad melodiam quarumlibet antiphonarum „ formata, quæ ita cantantur, sicut in alio loco dicitur, „ ℞. vv. quæ in prima die, & secunda ad Laudes, & „ Vesperas dicuntur, ita deinceps toto Paschali tempore va-„ riantur, ut duo in una die, & alia duo in alia dican-„ tur. Sabbato invitatorium *Alleluja alleluja alleluja*. „ Deinceps tam ad nocturnos, quam ad Laudes, & ce-„ teras Horas, excepto ad cantica de Evangelio, *alleluja*, „ dicitur usque ad Ascensionem Domini, quod quo ordi-„ ne fiat, alibi disponetur, versiculi etiam horarum, & „ Vesperorum in hac die incepti usque ad Ascensionem „ tenentur. Missa matutinalis per totam hebdomadam: „ *Resurrexi*; ad crucifixum cantatur, ad quam vicissim „ *Alleluja*; *Pascha nostrum*, & *Epulemur* dicitur; ad alias „ vero Missas matutinales Dominicarum ad arbitrium Ar-„ marii dicuntur *alleluja*, una tantum collecta per quatuor „ dies, per alios vero omnes, quæ solent, dicantur; per „ quatuor etiam dies major Missa in cappis agitur „ psalmi quoque per totam hebdomadam ad Vespera, „ sunt: *Dixit Dominus*, & tres sequentes. In Sabbato „ vero: *Confiteantur*, in quo ad Missam duæ *alleluja* dicun-

tur, idest: *Hæc dies*, & *Laudate*.) His per omnia conforme est vetus Corbeiensis monasterii Ordinarium, & Udalricus l. 1. c. 16. Idem fere in aliis peragebatur monasteriis.

III. Ex Ordinario S. Petri supra Divam, feria II. III. & IV. *in cappis*, V. VI. VII. *quasi in albis* celebrabantur: Prædictis autem tribus primis feriis, inquit, „(surgentes ad Matutinas facta una oratione, dicant communiter utrimque XV. psalmos. Invitatorium cantent tres in cappis.) Simili prorsus modo invitatorium in Beccensi monasterio cantabatur. In Dionysiano vero, & Tullensi S. Apri, a duobus *in cappis*; in Compendiensi S. Cornelii a duobus in *frocis*; in Parisiensi S. Germani ab uno dumtaxat puero. Hymnus ex Ordinario Tullensi: *Aurora lucis*, usque *Claro Paschali*, atque ita per totam hebdomadam.

IV. Duos dumtaxat ad vigilias nocturnos faciebant cum psalmis de feria, ex quibus sex sub una antiphona cum tribus lectionibus, sex alios cum altera antiphona, capitulo, ℣. oratione Dominica, & collecta decurrebant. Sed qui cursum Romanum die Dominica receperant, illum etiam infra hebdomadam quotidie retinebant (a) ut patet ex Concordia Dunstani, & Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus: non tamen omnes; nam v. g. in Cassinensi monasterio, S. Petri supra Divam, & Tullensi S. Benedicti officium infra hebdomadam persolvebatur, teste tribus eorum ordinariis, in quibus ad vigilias duo nocturni cum psalmis de feria assignantur, idem de Beccensi cœnobio credere licet.

V. Ab hac porro „(nocte ait *Tullense ordin.*, usque ad crastinum Trinitatis inter nocturnos, & Laudes non dicuntur psalmi familiares.)

VI. Laudes cum antiphona super omnes psalmos decantabant, has „(Hebdomadarius Missæ incipiet, inquiunt *Parisienses S. Germani consuet.* & post psalmum: *Deus misereatur*, induet se alba parata, & veniet in chorum cum manipulo.)

VII. Post capitulum de Laudibus, duo monachi cantabunt ℟ de Laudibus in frocis, addunt eædem consuetudines, quibus concinit Ordinarium S. Petri supra Divam; quamvis ex Tullensi id præstarent *duo pueri* tantum. Hymnus ex eodem Ordinario: „(*Claro Paschali*. Post hymnum, *ita pergunt consuetudines S. Germani*, Hebdomadarius Missæ induet cappam de serico, & amoto manipulo thurificabit majus altare, & sacrarium, & Priorem; sequetur autem juvenis indutus alba, qui conventum postea incensabit.) His concordant Tullense, & S. Petri supra Divam Ordinaria.

VIII. Finitis Laudibus fiebat processio *ad Crucifixum*, & quidem tribus primis diebus *cum incenso*, ex Tullensi Ord., aliis vero tribus sequentibus sine incenso; & *cum duobus accensis cereis* per totam hebdomadam, ex consf. S. Germani.

IX. Post versum, & collectam de cruce, in monasterio S. Petri supra Divam imposita a Cantore antiphona de B. M., omnes eandem cantando prosequentes in chorum redibant, & Sacerdos in alto gradu, ℣. & Collectam, *Gratiam tuam*, dicebat. „(Qua Finita, *inquit Ordinarium ejusdem monasterii*, mox incipiant Matutinas sanctæ Mariæ, cujus servitium non mutetur, præter in Sabbatis, excepto quod ad antiphonas, & ℟., *alleluja* adjungatur; quibus rite cantatis, fiat memoria de reliquiis, cum *Gloria Patri*, deinde de omnibus SS., & sic finis fiat.)

X. „(Die jam clara, *pergit idem Ord.* pulsata ad Missam S. Mariæ, celebretur solemniter Officium: *Salve sancta parens* &c.) Hæc Missa cum prefatione, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, de Resurrectione per totam cantabatur hebdomadam.

XI. Præter hanc Missam celebrabatur & altera matutinalis solemniter de Resurrectione: *Resurrexi*; dicebaturque ad *altare S. Crucis* per totam hebdomadam, ex Ord. Tullensi, cum præfatione, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, de Resurrectione.

XII. Ad Primam, III. VI. & IX. antiphonæ propriæ ex Evangeliis propriis cujusque diei desumtæ, cum psalmis Regularibus, reliqua pro more, nisi quod „(VII. psalmi pœnitentiales cum letania non dicantur ad Primam usque ad crastinum octavarum Paschæ) inquit Tullense Ordinarium.

XIII. De majori Missa vero Cassinenses in Ordinario: „(Ad Missam vero pluvialibus omnes induti chorum ingredimur,) inquiunt, idem aliis in monasteriis pluribus observabatur, ut supra notavimus, vel minimum *in albis*; sed Cassinenses secunda, & tertia tantum feria, alii etiam quarta hoc præstabant: hac in Missa duo apud Dionysianos *procedentes* adsistebant, ℟. a duobus, *alleluja* a tribus cantabatur: ex Rituali vero Beccensis monasterii, ℟. a quatuor, *alleluja* a quinque. Sequentia singulis diebus propria, *Credo*, præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, de Resurrectione.

XIV. Huic Missæ solemnem olim processionem feria secunda præmittebant, ut discimus ex vetusto Ordine officii in Domo S. Benedicti tom. 4. Analect., ubi de eadem feria hæc leguntur: „(Secunda feria eunt cum cruce, & patrociniis, *idest reliquiis*, & aqua sancta per singulos labores, redeuntes agunt Missam in S. Petro;) sive, ut habet codex Cassinensis circa tempus Bertharii Abbatis scriptus: „(Sequenti feria secunda eunt mane cum cruce, & codicibus sacris, & aqua benedicta, per singulas domus dantes orationes, & benedictiones; & redeuntes ad ecclesiam cum letania; peracta Missa reficiunt.) De eadem processione ita scribit Anonymus in lib. 2. Mir. S. Bertini Abbatis Sithivensis cap. 11. „(Quamobrem Patrum sancivit industria, fratres omni anno vestitos secunda Feria Paschæ cum reliquiis, & psallentes, sicut mos est per totam illam hebdomadam, per diversas officinas facere, idest pomarium visitare, & in ipso monticulo completa oratione ad publica solemnia reverti.) Quibus ex verbis declaratur non tantum secunda feria, sed per totam hebdomadam per diversas monasterii officinas celebratam fuisse hujusmodi processionem: eam, quæ tertia feria agebatur, fuse prosequitur præfatus codex Cassinensis in hæc verba: „(Feria III. in albis, quando monachis major festivitas est, descendunt omnes e sursum cum thesauro, ceroferariis, crucibus, cantantes, & psallentes. Eo quidem die magnum eis exhibetur apulum a Præposito majore. Et deorsum similiter exeunt cum ornatu, & thesauro ecclesiastico, cantantes, & psallentes, & sic se pariter conjungunt ad S. Petrum in civitate. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi omnes vestimenta sacerdotalia, & ante pectus alii cruces aureas, alii capsas habentes, & salutant se invicem omnes; & incipiunt illi deorsum: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & subsequantur ipsi desursum similiter: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Quo finito, dicit Sacerdos excelsa voce orationem. Iis expletis veniunt omnes ad unum ad Dominum Abbatem, & ad reliquos deorsum salutantes, & pacem dantes, in primis Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, postea seniores, & reliqui fratres; incipiunt litaniam illi desursum, & intrant omnes in S. Petrum, & data oratione a Presbytero, cantant Tertiam, & legunt Lectionem secundum consuetudinem; inde incipiunt *Miserere*. Incipiunt Missam: Introitus: *Venite benedicti Patris mei*, & lectio quæ feria VI. Item sonus Alleluja, *psalmus tuus David* ℟. Prosa communis, in gradali alleluja; ℣. *Cœli enarrant gloriam Dei*, ℣. *Expectans expectavi Dominum*, & ipsi versi plane in græcum; Evangelium quod in feria VI. Presbyter vero personat Missam. Reliqui autem egrediuntur foras cantantes, & psallentes, ac deorsum pergentes. Mox igitur ut appropinquaverint prope monasterium ... quin non longe ab ipso negotiantum foro incipiunt litaniam, cum qua egrediantur in ecclesiam Domini Salvatoris, & expleant eam; qua expleta, pausent modicum, & lotis manibus, induunt se omnes pariter Sacerdotes, & Levitæ .... sacris, optimisque vestimentis, & procedunt caute, & ordinate in atriis Beati Principis Michaelis Archangeli, expectantes venerabilem virum, & Sacerdotem, nec dubium, quin Bertharium Abbatem; at ubi stipatus adeo coelestis exsequia iisdem pervenerit, mox simul omnes pariter tebo-ent campanæ, & fiat processio cum signis, & faculis, cereis, crucibus, ceroferariis, codicibus ordinatis; & Domnus Abbas illum ante pectus codicem, quem Bertharius mirifice Domino, Beatoque construxit Benedicto. Et introeundo ad ædem post sonum incipiant introitum: *Aqua sapientiæ potavit eos*; & omnia ordine suo complebuntur, ut mos est. Post Sextam vero eunt decantando in refectorium, ubi & canunt: *Te Deum Laudamus*, gratias agentes omnipotenti Deo, qui eos ab adversis eripuit, & cœnobium cum inhabitantibus incolume custodivit; post datam orationem exeunt ad expolrandum, & post modicum revertuntur ad refectionem. Hoc bonello completo, post refectionem assumentes vestimenta sua, & deposito ornatu, valedicentes Patri, fratribusque, redeunt sursum.)

XV. Vesperæ sub una antiphona cum iisdem psalmis,

(a) Et tamen in vetusto Ordin. Divini officii in Domo S. Benedicti tom. 4. Anal. hæc leguntur: *Secunda, & tertia Feria faciunt octo lectiones; reliquis diebus usque in octaba sexta, & usque in Pentecosten omni nocte tres lectiones.*

mis, qui die Dominica dicti fuerant, decantabantur, pro cujusque monasterii consuetudine; sed Beccenses per totam hebdomadam hos psalmos persolvebant: *Dixit Dominus: Laudate pueri: Laudate Dominum omnes gentes: Lauda Jerusalem*, ex lib. Usuum Becc. capitul. ex Ordinario Tullensi: *Facta est vox*. ℟. *Surrexit Dominus de sepulcro*, ex eodem a duobus pueris decantandum; vel a duobus Hebdomadariis *in cappis sericis* ex Ord. S. Petri supra Divam. Hymnus: *Jam Pascha*, ad quem ex eodem Ordin. „(revestiantur duo „ Sacerdotes in cappis cum duobus ministris in albis, de „ incenso motum solitum facientes.)

XVI. Post Vesperas fiebat processio ad crucem, ut supra ad Laudes, cum ℟., ℣., & collecta. Qua dicta, in monasterio S. Petri supra Divam, comm. de S. Maria, de reliquiis, & de omnibus Sanctis sequebatur, quibus Hebdomadarii: *Benedicamus Domino*, iterum subjungebant.

XVII. Et hic erat ritum Pascha proxime sequentium dierum ordo, quamvis apud Dionysianos feria quarta cæteris amplius aliquid solemnitatis haberet ad utrasque Vesperes, & ad Missam, in qua quatuor procedentes cum duobus Cantoribus adsistebant; ℟. tres, *alleluja* quatuor decantabant. E contra vero in monasterio S. Petri supra Divam secundæ Vesperæ quartæ feriæ minus erant solemnes, nam duo Hebdomadarii cantabant ℟. *in cappis non sericis* tantum, & unus dumtaxat Sacerdos in cappa cum uno ministro in alba incensum faciebat, & ℟. de Cruce ad processionem sine ℣. *Dicant nunc*, cantabatur.

XVIII. De reliquis tribus sequentibus diebus vix aliquid dicendum occurrit. Idem in iis ordo, qui in præcedentibus; sed non eadem solemnitas servabatur. Invitatorium tantum in frocis cantabatur, in Laudibus, & Vesperis non portabatur incensum, saltem apud Tullenses. Major Missa propria sicut aliis diebus; sed ad instar festorum XII. Lectionum simplicium tantum celebrabatur, cum præfatione, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, de Resurrectione, sed sine *Credo*. *Benedicamus* ad Vesperas sine duplici *alleluja*; In solo S. Petri supra Divam Ordinario sollemnius aliquid lego; „ (Duo Hebdomadarii in albis cantent Invitato- „ rium, ad Laudes, & ad Vesperas induat Sacerdos al- „ bam, & manipulum, ℟. & *Benedicamus Domino*, can- „ tetur a duobus, & de processione venientes cantent an- „ tiphonam de S. Maria: *Paradisi porta*, dictoque ℣., & „ collecta a Sacerdote in choro, incipiat idem mox Matuti- „ nas Virginis gloriosæ, quas sequantur Laudes omnium „ Sanctorum .... ad Vesperas fiat processio, dictoque ℟. „ *Christus resurgens*, sine versu redeant in chorum cantan- „ tes antiphonam de S. Maria, ubi Vesp. omnium Sancto- „ rum dicant &c.) Hic nulla fit mentio officii mortuorum; & revera „ (*Placebo*, & *Dirige* per hebdomadam „ Paschalem non dicitur, nisi fortasse corpus defuncti præ- „ sens fuerit in conventu.)

XIX. Sabbatum omnino nihil diversitatis habebat, ut patet ex Ordin. S. Petri supra Divam, & ex Tullensi S. Apri, in quo ad vigilias hymnus: *Rex æterne*, ad Laudes: *Aurora lucis* totus notatur ad officium de tempore usque ad Ascensionem cantandus; in Missa vero ℟. seu graduale non dicebatur; sed *alleluja* duplex.

XX. De festis infra hanc septimanam contingentibus audiendæ sunt Lyrensis monasterii consuetudines; „ (Si fe- „ stum XII. Lectionum, vel trium infra octabas Paschæ „ evenerit, vel etiam in albis, ad utrasque Vesp., & ad „ Laudes, & ad Missam matutinalem commemorationem „ tantum habebit, & non plus.) De solis ergo festis in cappis solemnitas agebatur: Ita feria VI. Inventionem S. Clavi celebrabant olim nostri Dionysiani, ut discimus ex antiquis eorum consuetudinibus, in quibus prædicti festi officium hoc ritu ordinatur: „ (Ad Vesperas super psalmos „ antiphona: *Alleluja mane nobiscum*. Psalmi de Pascha. „ Capitulum: *Christus factus est pro nobis*. ℟. *Hæc dies* „ *quam fecit*. ℣. *Lapidem quem*. *Alleluja*. *Dulce lignum* „ a quatuor in cappis. Sequentia: *Victimæ*. ℣. *Nos autem* „ *gloriari*. Ad *Magnificat* antiphona: *O Crux splendidior* „ ter. Oratio: *Deus qui præclara sacri Clavi Dominici* „ *inventione*. *Benedicamus*, ut *Clementiam*. Post fiat com- „ memoratio de Pascha; antiphona: *Tulerunt Dominum*. „ Oratio: *Deus qui diversitatem*.) Hæc de primis Vesperis, in quibus partim de Resurrectione, partim de Inventione S. Clavi officium fiebat. Ad nocturnum, matutinas Laudes, totumque officium diei eumdem ordinem, quem supra in Pascha vidimus, observabant; sed totum de Inventione S. Clavi officium celebrabant, Invitatorium a quatuor in cappis, unica super tres psalmos antiphona, tres lectiones de Evangelio: *Simile est regnum cælorum thesauro*, tria ℟., ex quibus primum a quatuor, de quibus duo remanebant in choro, secundum a quinque, tertium a septem cantabatur, hymnus: *Te Deum*, cum ℣. *Adoramus te Christe*. In Laudibus commemoratio de Resurrectione. Ad I. III. VI., & IX. psalmi, & antiphonæ de Resurrectione cum duabus orationibus, una de Inventione S. Clavi, quæ prima erat ad III. VI., & IX.; posterior ad I.; altera de Resurrectione, quæ ad I. erat prima, ad alias horas posterior. Missa matutinalis propria de Resurrectione: *Educit eos*; Major de Inventione S. Clavi antequam fiat „ (processio in capitio in cappis, *inquiunt* „ *Dionysianæ cons.* sex procedentes cum Diacono, & toti- „ dem cum Subdiacono, & deferantur Clavus, & corona, „ & brachium S. Simeonis: & cantatur ℟. *Stirps Jesse*, „ deinde ℣. *Post partum*, a duobus pueris. Post dicat Sa- „ cerdos orat. *Famulorum tuorum*, descendendo de capitio. „ Incipiat Cantor ℟. *Dulce lignum*. ℣. *Hoc signum*, & „ ℣. *Crux fidelis*, si opus fuerit; & eant in navi, & can- „ tetur ibi ℟. *Clavus refulgens*, ℣. *Dicant nunc ignari*, „ e tribus, ad introitum chori antiphona: *O Crux splen-* „ *didior*.)

XXI. Ad Missam tres Cantores, ℟. *Hæc dies*; ℣. *Benedictus qui venit*, a tribus alleluja, *Dulce lignum* a quatuor, sequentia: *Victimæ Paschali laudes*, Præfatio *Te quidem Domine omni tempore*, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, &c. Vesperæ ut pridie.

XXII. Hæc sunt potissimum, quæ pertinent ad Paschalem Resurrectionis Dominicæ hebdomadam, in qua perpetuum servabant silentium, ut discimus ex Statutis Lanfranci, cui consentit liber Usuum Beccensium his verbis: *in illa hebdomada non loquantur in claustro*; & Concilium Aquisgran. in canone quarto ex quinque additis a Centuriatoribus ad receptos Concilii Aquisg. Canones. Item Corbejense Ordinarium, cujus verba maxime sunt notanda: „(Per octo dies „ Paschæ, & Pentecostes, & Natalis Domini, & in Ro- „ gationibus, & in omni secunda, & quarta, & sexta feria „ XL., & in omnibus XII. lectionibus nulla fit locutio in „ claustro;) quæ totidem verbis præscribit lib. cons. S. Benigni Divionensis c. 64.

XXIII. In hac etiam septimana Cassinenses post nocturnos, juxta Regulam, intervallum faciebant usque ad Matutinos, quos cum Matutinis de omnibus SS. ad earumdem dicebant; sed 2., & 3. feria Matutinos cum nocturnis eodem tenore cantabant, & intervallum e Laudibus ad Primam, quæ orto jam sole persolvebatur, custodiebant.

CAPUT XVIII.

De tempore Paschali.

I. TEmpus Paschale totos quinquaginta dies complectitur, qui a Pascha ad Pentecosten intercipiuntur; sed quia jam septem primos discussimus, & tres Rogationum, Ascensionisque cum ejus octava, & vigilia Pentecostes, propria merentur capitula; hic Paschalis temporis nomine eos dumtaxat intelligemus dies, qui a Dominica in albis ad Rogationes reperiuntur, quos hoc capitulo examinabimus. Itaque ut e Dominica *in albis* dicta incipiamus, Sabbato ad primas Vesperas psalmi de feria, hoc est: *Confiteantur* &c. sub una antiphona dicebantur. Hoc modo: *alleluja*, *& rupernos* &c. ut apud Dionysianos & Compendienses; vel *alleluja surrexit*, ut apud Tullenses; vel *alleluja crucifixus*, ut apud Parisienses S. Germani. Capitulum in veteri Corbejensi Ordinario, & collectaneo S. Germani a Pratis: *Omne quod natum est*; in Dionysianis, & Compendiensibus consuet. *Si consurrexistis*. In rituali Beccensi, & cons. Lyræ: *Expurgate*, omnibus Sabbatis usque ad Ascensionem dicendum. ℟. *Expurgate*, ex præfatis consuetudinibus Dionysianis, & Comp. a duobus *in cappis*; *Surrexit Dominus*, apud Sangermanenses e duobus *in frocis*; *mane nobiscum*, apud Tullenses *a duobus pueris*.

II. Hymnus, *Ad cœnam agni*. ℣. *In resurrectione*, vel alius, Antiphona ad *Magnificat*, ex Tullensi Ordinario: *Currebant duo*; ex Dionysianis, & Comp. consuet. atque Corbejensi Ordinario: *Cum esset sero*, & quidem bis dicenda, hoc est, ante, & post *Magnificat*, ut explicant Dionysianæ consuetudines. Hæc antiphona omnibus Sabbatis ad Ascensionem usque ad *Magnificat* dicebatur, ex cons. Compendiensibus.

III. Ad *Magnificat* duo deferebantur thuribula, ex Dionysianis consuetudinibus; sed apud Parisienses S. Germani, & Tullenses S. Apri, id præstabat solus Missæ Hebdomadarius *alba*, & *cappa* indutus, & quidem *rubea*, ex consuet. S. Germani, cum juvene Thuribulario alba induto. Commemoratio festi XII., vel III. lect. si occurrisset; deinde de S. Trinitate, de S. Maria, & de S. loci, & non plus, ajunt rituale Beccensis monasterii, & consuetudines Lyræ, in quibus tamen omittitur ultima. Finitis Vesperis fiebat processio ad crucem; & quidem cum incenso, apud Tullen-

Tullense S. Apri; sed & in omnibus communiter Ordinis nostri monasteriis usus obtinuerat, ut post Vesperas, & Laudes processio ageretur ad Crucem; cujus ritus meminisse videtur t. 2. Mirac. S. Benedicti c. 4. sæc. 3. & tamen consuetudines S. Germani a Pratis ad hanc diem „ (post Vesperas, *sequuntur*, post incipitur: *alleluja sancta Dei genetrix*, & conventus ibit in cappellam cum duobus cereis, post antiphonam, ℣. *Post partum Virgo*. Oratio: „ *Gratiam tuam*.)

IV. Completorium monastico more jam ubique cantabatur, cujus ad hymnum hæ duæ addebantur strophæ. *Quæsumus author omnium*, & *Gloria tibi Domine*.

V. Hic vero non prætereundum est, quod in veteri Cassinensium Ordinario legitur: „ [Sabbato post Mandatum, „ dicta *Gloria* cantetur: *Resurrexit Dominus a mortuis*, usque in Ascensionem.)

VI. Ad nocturnos Invitatorium a duobus *in cappis*, ex Dionysianis, Compendiensibus, & S. Germani consuetudinibus, atque ex Tullensi Ordinario; vel etiam a tribus, item *in cappis*, ex Lanfranci Statutis, & Ordinario S. Petri supra Divam.

VII. Hymnus: *Te lucis ante*, ex Dionys. Compendiensibusque consf.; vel: *Rex æterne Domine*, ex Tullensi Ordinario: in fine vero hymnorum, tam ad nocturnos, quam ad Horas addebantur hæ duæ strophæ: *Quæsumus author omnium*, & *Gloria tibi Domine*, atque usque ad Ascensionem.

VIII. Unica super sex psalmos, vel tria cantica, in singulis nocturnis antiphona; quæ incipiebat a voce *alleluja*. Lectiones in primo, & secundo nocturno, in vetusto Cassin. Ordinario notantur ex Epistola Johannis: *Quod fuit ab*, ex Ordinario Corbejensi, libro consf. S. Benigni Divionensis, lib. Usuum Beccens.; & ex Breviario Casalis Benedicti, ex Actibus Apostolorum: *Primum quidem*, quæ ex prædicto Ord. Corbejensi ad hæc verba: *Et erit quicumque invocaverit*, finem accipiebant, & inde per hebdomadam, ex eisdem item Ord. & consuet. legebantur; sed ex Statutis Lanfranci, lib. Usuum Becc., & Ordinario Tullensi ad utriusque nocturni Lectiones assumebantur: Sermones Paschales; ex Dionysianis vero Compendiensibusque, & Grandimontensium consf. liber Apocalypsis, qui infra tres hebdomadas ex toto percurri debebat. In tertio vero nocturno homil. in Evangelium: *Cum sero esset*.

IX. Responsoria eadem, quæ in die Paschæ, ex Udalrico l. 1. c. 17. lib. consf. S. Benigni c. 64., & Corbejensi Ordinario; quæ quidem omnia, ex Ord. S. Petri supra Divam, a duobus cantabantur, excepto duodecimo, qui a tribus; apud Dionysianos a quatuor. Hic notandum, quod in Tullensi S. Apri Ordinario legitur: „ (Ab hac Dominica, usque ad diem Pentecostes, & a Dominica post „ Trinitatem, usque ad Dominicam, qua cantatur: *Si „ bona*, omnibus Dominicis diebus ad Matutinum in quarto loco cujusque nocturni parva ℟. cantantur, & e „ pueris debent cantari. Idem fiat in festis xii. lect. propria „ responsoria non habentibus Dominica præcedenti, usque „ ad decollationem Sancti Joannis Bapt. Et notandum, „ quod quotiens ℟. parva ad nocturnos dicuntur, tertium ℟. „ a Priore debet cantari, septimum ab Abbate, & undecimum a Cantore.)

X. Laudes sub antiphona unica ad omnes psalmos. Psalmi usque ad Pentecosten: *Dominus regnavit*: *Jubilate*: *Deus Deus meus*, &c. Capitulum: *Omne, quod natum est*, ex rituali Beccensi, consuet. Lyræ, Breviario S. Germani a Pratis, & Casalis Benedicti; *Benedictio, & claritas*, ex Dionysiana, & Comp. consf.; *Christus resurgens*, ex Tullensi Ordinario. ℟. ex eodem: *Surrexit Dominus vere*, a duobus pueris; ex Dionys. consf.: *Surrexit Dominus de sepulcro*. Hymnus: *Aurora lucis*, vel: *Jesu nostra redemptio*, pro locorum consuetudine Antiphona, ad *Benedictus* bis dicenda, ex Compend. consuet. hic incensum portabatur ab uno Sacerdote. Post collectam nulla commemoratio, ex Dionys. consf. Finitis Laudibus, ad crucem solito more procedebant; *Redeuntesque in chorum*, inquit Ord. Sancti Petri supra Divam, dicant antiphonam: *Paradisi porta*; deinde dicant Matutinas Virginis gloriosæ, in quibus, tam ad *Benedictus*, quam in Vesperis ad *Magnificat*, antiphonam: *alleluja sancta Dei genetrix*, cum collecta: *Gratiam tuam*, usque in crastinum S. Trinitatis, ex Rituali Corbejensi dicebant, & omnibus, sive parvis, sive prolixis ℟. *alleluja* addebant.

XI. Ad primam, aliasque diei Horas canonicas propriæ antiphonæ, quæ ab *alleluja* incipiebant.

XII. Missa matutinalis in veteri Cassinensium Ordinario assignatur de Resurrectione, major haud dubium erat de Dominica, *Quasi modo geniti*. Cassinenses imitati sunt Cistercienses monachi in libro Usuum cap. 26. ita scribentes: „ (Dominica in octavis Paschæ, prima Missa erit: „ *Resurrexit*: & secunda: *Quasi modo geniti*.) E contra Lanfrancus in Statutis Missam matutinalem de Dominica: *Quasi modo geniti*, majorem de octava: *Resurrexi*, designat. Lanfrancum, ut opinor, explicant Udalricus l. 1. c. 17. Vetus Corbejense Ord., & liber consuetudinum Sancti Benigni Divion., cum ad Missam matutinalem notant officium: *Quasi modo*, ad majorem vero idem „ (præter, „ quod solus Introitus cum introitu: *Resurrexi*, mutatur, „ & prius *alleluja* est: *Post dies octo*.) Quamvis omnes alii Missam matutinalem de Dominica: *Quasi modo geniti*, majorem vero de octava, ut in die Paschæ, *Resurrexi*, ex integro, aut saltem paucis mutatis, cantarent. Ita præscribunt liber Usuum Becc., consf. Lyræ, S. Dionysii, S. Cornelii, Tullense Ordin., & S. Petri supra Divam.

XIII. Hanc ad Missam, unicam dumtaxat orationem dicebant Compendienses nostri: plures vero Beccenses, Lyrenses que monachi; nimirum de die, de oct. Resurrectionis, de festo, si occurrisset, de Trinitate, & reliquas, præter *Sanctorum tuorum*.

XIV. Hi etiam communem præfationem, uti & Tullenses S. Apri cantabant; sed in Ordinario S. Petri supra Divam, consuetudinibus S. Dionysii in Francia, & in libro Usuum Cistercensium, ad utramque Missam æqualiter notantur præfatio: *Te quidem Domine omni tempore*, & *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem*. De Missa majori ita liber Usuum Cisterciensium c. 26. „ (Secunda hujus diei Missa ea veneratione agatur, qua fit in festo „ unius Apostoli.) Hæc ex Lanfranci Statutis, consf. Dionysianis, & Ordinario S. Petri supra Divam, *in cappis*; ex Tullensi *in albis* celebrabatur. In ea duo procedentes apud Dionysianos assistebant: Vestimenta vero in Parisiensi S. Germani monasterio, erant *rubea*. Sequentiam autem: *Victimæ Paschali*, quæ hac die dicebatur, etiam aliis diebus Dominicis, usque ad Ascensionem cantabant Dionysiani, & Compendienses nostri. Ante hanc Missam processio fiebat *in albis*, ex Lanfranco.

XV. Vesperæ sub unica antiphona, *alleluja* cum psalmis Dominicæ, eodem pene ritu, quo pridie celebrabantur, de quibus aliud nihil singulariter occurrit.

XVI. Infra hebdomadam totum officium de Resurrectione, ad nocturnos Invitatorium, *alleluja, alleluja, alleluja*, sex utriusque nocturni psalmi sub unica antiphona, quæ incipiebat ab *alleluja*. Has excipiebant tres Lectiones, cum totidem ℟. de Dominica præcedenti. Atque ita in omni feriali officio toto tempore Paschali; hoc est, usque ad Pentecosten, tam apud Cassinenses, quam alios; hinc S. Petri supra Divam Ordinarium: „ (Et notandum, *in„ quit*, quod non agimus festum trium Lectionum de ali„ quo sancto a Pascha, usque ad Pentecosten; sed tantum „ memoriam, & Missam matutinalem, si vacat; sed in „ ipsis feriis agimus tres lect. de sollemnitate Paschali;) qua in re derogabant haud dubium Regulæ S. Benedicti, quæ unicam dumtaxat, eamque brevem lectionem præscribit a Pascha ad Calendas Novembris. Idem faciebant olim Cassinenses non solum Paschali, sed toto æstatis tempore, ut discimus ex Epistola Theodemari ad Carolum Magnum: „ [Qua de re, *inquit*, Majores nostri instituerunt, ut „ hic in sacro nostro Cœnobio, quod juxta sanctum illius „ corpus institutum est, tres quotidianis diebus æstivo in „ tempore, ex Veteri Testamento lectiones in codice le„ gantur, ne a sancta Romana Ecclesia discrepare videan„ tur.)

XVII. Hasce tres Lectiones ex lib. Actuum Apostolorum infra hanc hebdomadam desumebant Cassinenses, Corbejenses, & Tullenses, ex veteri eorum Ordinario, & Divionenses, ex libro consf. S. Benigni, & qui Lanfranci Statuta sequebantur: ex Apocalypsi vero Dionysiani, & Compendienses, ex suis consuetudinibus, ad Laudes psalmi: *Dominus regnavit* &c. ex veteri ordinario Domo S. Benedicti tom. 4. Anel., & aliis; quos sub una propria antiphona, sicut alias Horas diurnas cantabant; quæ quidem antiphona initium, & finem habebat ab alleluja.

XVIII. Laudes nullo servato intervallo nocturnis, olim saltem tempore Paschali, conjungebant, ut dicimus tum ex Udalrico lib. 1. cap. 18, tum ex Ordinario Corbejensi, tum denique ex lib. consf. S. Benigni Divionensis: „ [Nocturnos, *inquiunt*, Matutinæ sequuntur nullo psal„ mo interposito, vel oratione præmissa; sed cum dicitur: „ *Per Dominum*, de collecta, incipit Secretarius pulsare „ signum ad matutinas Laudes:] e contra Cassinenses in Ordinario. „ (Ab hac die, *ajunt*, usque ad Domini„ cam Pentecosten, finito nocturno, cantetur Matutinum „ pro defunctis, dehinc facto parvissimo intervallo can„ tent Matutinum; deinde Matutinum omnium SS., & „ facto intervallo cantetur Prima, et Missa pro defun-

ctis,

„ ctis, & sic solvant silentium.) Quod de defunctorum officio hic dicitur, monet me oppositi apud Dunstanum Statuti: „ (Vesperæ, *inquit*, & Matutinæ de omnibus Sanctis, ab octavis Paschæ una cantantur antiphona, usque „ octavam Pentecostes, vigiliaque pro defunctis, & psalmi pro benefactoribus non solent cani, & litaniæ ante „ Missam; quoniam a genuflectione ordo Ecclesiasticus declinari admonet, omnimodo intermittantur.) Nimirum hoc expetebat communis Resurrectionis Dominicæ lætitia, quæ luctus ullum tristitiæque signum non solet admittere. Et tamen communis ordinis usus obtinebat, ut etiam tempore Paschali, officium pro defunctis diceretur; licet alia hora. Immo Missam matutinalem de defunctis cantabant Cassinenses, ut modo audiebamus, uti & Cluniacenses, ex Udal. l. 1. c. 21.

XIX. Major Missa de Dominica præcedenti: *Quasi modo geniti*, cujus Evangelium duas dividebatur in partes, quæ alternis diebus recitabantur; scilicet feria secunda: *Cum esset sero*, usque *Thomas unus ex duodecim*; feria vero tertia, inde usque in finem, & sic aliis diebus. Sed ex Ordinario S. Petri supra Divam, omni tertia, & quinta feria, usque ad Ascensionem major Missa de Resurrectione: *Resurrexi*, cum unico *alleluja*, in *die Resurrectionis*, cantabatur. Unicum etiam *alleluja* in privatis missis, & matutinali dicebant Cistercienses toto tempore Paschali, ex lib. Usuum c. 27.

XX. Ad Vesperas, sicut ad reliquas diurnas Horas, psalmi feriales sub unica antiphona, reliqua omnia de Resurrectione cum antiphonia ad *Magnificat*, ex Evangelio desumptis; iisque finitis Cassinenses memoriam de Cruce per antiphonam: *Crucifixus*, de S. Maria, de SS. Angelis, de S. Johanne, de SS. Apostolis, de S. Benedicto, & de S. Scolastica, faciebant.

XXI. Ad psalmos familiares quod spectat, toto Paschali tempore, aut eos obmittebant omnino, aut saltem duos ex solitis detrahebant, ut patet ex Udalrico l. 1. c. 4., & 18., ex Ord. Corb., consuet. S. Benigni, & Ordinario Tullensi; sicut & psalmum L. *Miserere mei Deus*, quem iosse preces extra tempus Paschale, dicere consueverant.

XXII. De festivitatibus vero SS. infra Paschale tempus evenientibus, sequentes regulas, ex lib. consuetudinum Sancti Benigni Divionensis c. 65. accipe: „ (Quæcumque „ Sanctorum festivitas a Pascha usque ad Pentecosten evenerit, quamtumlibet reverenda, & colenda, tamen ad „ nocturnos non plures cantantur antiphonæ, quam una „ *alleluja* supra psalmos senos, & alia super alios senos, „ excepta Beatæ Mariæ Annunciatione, & transitu B. „ Benedicti, quorum sollemnitas cum inter Paschalem hebdomadam agitur, similiter ad nocturnos, & per omnes horas, antiphonæ canuntur, etiam ad Vesperos, sicut in alio tempore; quod scilicet non fit de B. Ambrosio, vel Sancto Marco, eo quod careant proprietate cantus; quorum scilicet festivitas si in eadem Paschali hebdomada evenerit, super omnia celebrabitur, veluti si eveniret in sequentibus diebus, excepto quod ad Missam „ loco primi allelujæ canitur ℟. eidem festivitati convenien- „ ens. Cæterum ad nocturnos, ad Laudes, vel ad reliquas Horas non antiphona, sed *alleluja* canitur, quod „ non agereiur, nisi propter ipsam festivitatem. Si talis „ est festivitas, quæ proprias habeat antiphonas, ut SS. „ Apostolorum Philippi, & Jacobi, vel S. Crucis ad Matutinum; hæ non omittuntur cantari ad Matutinum, „ & ad reliquas horas: ut si non habet, nisi quæ communes sunt de quibuslibet SS., ut antiphona: *In cælestibus regnis*, & similes; hæ nec ad Matutinum, nec „ ad ullam Horam regularem cantantur; sed tantum *alleluja*, & eo modo, quo earumdem antiphonarum est „ melodia: si autem propriæ habentur antiphonæ, ut de „ SS. Apostolis Philippo, & Jacobo, tunc super cantica, „ non *alleluja*; sed antiphona *alleluja*: *Ego sum vitis*, „ cantatur. Ipsæ antiphonæ de Sanctis quotidie in Paschali tempore cantantur ad suffragia SS., & ad Matutinum, „ & ad Vesperos de omnibus SS. & in festis ad cantica, „ de evangelio ad Vesp., & ad Matutinum. Notandum „ autem, quod toto Paschali tempore, in natali unius „ Martyris, vel Confessoris est Evangelium; *Ego sum vitis vera*; de pluribus Martyribus: *Hoc est præceptum meum*, &: *Hæc mando vobis*. Hoc etiam toto tempore non „ dicitur. Ad Vesp. ℟. *Sancti tui Domine benedicent te*: „ sed in loco ipsius: *Justorum animæ in manu Dei sunt*.) Hactenus Divionenses S. Benigni cons., quibus concinit vetus Ordin. Corbejense, & Udalricus l. 1. c. 20. His adde, quod paucis addit Cassinense Ord. „ (In festivitatibus SS., quæ a Pascha, usque in octavam „ Pentecostes, ad Vesperas *alleluja*, & psalmi de ipso die. „ Lectio vero ad ipsam festivitatem pertinens dicatur. „ *Alleluja*, ℣. *Pretiosa*. *Alleluja*, ℣. *Confitebuntur*. Istæ „ tantum *alleluja* cantentur ad Vesperas in vigilia, sive in „ die; & ad Missam. Antiphona ad *Magnificat*: *Filiæ* „ *Jerusalem*.)

XXIII. Dominica prima post octavas Paschæ eundem prorsus ordinem in divinis officiis observabant, ad cujus primas Vesperas, hoc est ad Vesperas Sabbati, collectam de Dominica præcedenti dicebant Cassinenses, Dionysiani, & Compendienses; de sequenti Corbejenses, atque Tullenses; quam regulam in aliis etiam Sabbatis retinebant.

XXIV. In nocturnis ad Invitatorium, apud Cassinenses, antiphonam unus chorus: *Surrexit Dominus*, alius tantum *alleluja* cantabat. Dionysiani, Compendienses, & Tullenses aliud Invitatorium dicebant.

XXV. In primo, secundoque nocturno, octo Lectiones de Epistola prima S. Petri Apostoli, quatuor de homilia, scilicet in Evangelium: *Ego sum Pastor bonus*, desumebant Cassinenses nostri; sed in Ordinario Corbejensi, libro cons. S. Benigni, S. Dionysii, S. Cornelii, Ordinario Tullensi, octo primæ Lectiones notantur, ex libro Apocalypsis, *quæ sic incipiunt*: *Johannes Apostolus, & Evangelista*, inquit Tullense S. Apri Ordin.; & inde legebant, usque ad hæc verba: *Et dabo unicuique vestrum, secundum opera vestra*.

XXVI. Si qua XII. Lect. festivitas hac die evenisset, de ea celebrabatur officium; & Missa matutinalis erat de Dominica: si vero trium lection.; tertium nocturnum obtinebat, cum sola comm. de Resurrectione: Ita ex Dionys. consuet.

XXVII. Dominica 2. post octavas Paschæ, eundem in omnibus ordinem habebat, Ad nocturnos, octo primas Lectiones, ex Epistola secunda S. Petri Apostoli: *Simon Petrus*, signant Cassinenses in Ordinario; alii, ex libro Apocalypsis, ab eo scilicet loco: *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo*, usque *interficere gladio, & morte, & bestiis terræ*, ut habet Corb. Ord. Lectiones tertii nocturni, ex homil. in Evangelium.

XXVIII. Dominica tertia post octavas Paschæ, tum apud Cassinenses, quam apud alios, octo primæ Lectiones erant ex Epistola Canonica S. Jacobi Apostoli, de qua legebant ad hæc usque verba; *superexaltet autem misericordia judicium*, ut præscribitur in Ordinario Corbejensi.

XXIX. „ (Dominica quarta, in prima vigilia legantur „ Epistolæ S. Johannis: *Senior electæ*, &: *Senior Gajo*. In „ secunda Epistola S. Judæ: *Judas Jesu Christi servus*:) inquiunt Cassinenses in Ordinario; sed in Corbejensi notatur Epistola prima S. Petri Apostoli: *Petrus Apostolus Jesu Christi*, usque *Conversi estis nunc*: In Dionysianis vero consuetudinibus Epistola S. Johannis: *Quod fuit ab initio*, alii Epistolas canonicas generatim designant.

CAPUT XIX.

De Rogationibus.

I. SOlemnes triduo ante Ascensionem Rogationes, quarum institutionem Mamerto Viennensi Episcopo referunt Avitus Viennensis item Episcopus, Greg. Turon. l. 2. hist. c. 34., Sidonius Apollinaris l. 1. c. 7., & alii; celebres non solum apud Clericos, sed etiam apud veteres Monachos semper exstiterunt, qui etiam Clericorum ad instar solemnes extra proprium Monasterium processiones his diebus facere consueverant, ut patet ex vit. S. Gildasii Abbatis Ruyensis n. 31. sæc. 1. Bened. „ (Igitur cum dies Rogationum essent, & ipsi (S. Gildasii discipuli) orationis „ gratia ad quoddam oratoriolum, quod ipse in honore Sanctæ Crucis construxerat, venisset, invenerunt navem „ ..... cum sancto corpore integro, &c.) Idem videre est in libro Mir. S. Bercharii Abbatis Dervensis n. 19. sæc. 2. p. 853., in vit. S. Winoci cap. 13. sæc. 3. part. 1. p. 309., & in Epistola Cuthberti, quæ extat in vita Venerabilis Bedæ ibid. p. 538. & quia propter hujusmodi processiones solitum tempore meridiano somnum capere non poterant, dictis post Regulares Matutinos, omnium SS., & defunctorum Laudibus; solito diutius ad strata reversi dormiebant, scilicet ad ortum usque Solis; & tunc non consueto sonitu excitabantur; sed „ [Prior primus surgens tripudio pedum, & incessu duriori incedens expergefaciebat soporatos,] ut loquuntur Floriacenses S. Benedicti consuet., quibus concinunt Dionysianæ, & Compendienses. Pueros vero prius excitabant ipsi eorum Magistri, idque virga, & *quam quietius* poterant, ut cum Ordinario Corbejensi præscribunt Divionenses S. Benigni consuetudines cap. 65.

II. Post Primam psalmosque, qui sequuntur familiares omissam post Matutinas psalmodiam, idest: *Deus auribus*, „ (& si cujus defuncti tricenarius ageretur.) *Verba mea*,

dice-

dicebant, ex Udalrico l. 1. c. 2. Corbejenses, & Divionenses *Deus auribus*, &c. proxime ante Vesperas reservato, *Verba mea*, &c. tantummodo hoc tempore cantabant, quod Dionysiani, & Compendienses, defunctorum Matutinis omissis, post Regulares Laudes dicebant.

III. Hanc psalmodiam, quæ quinque psalmorum decantatione absolvebatur, excipiebant septem pœnitentiales psalmi cum letania, statimque matutinalis Missa consequebatur; sed Dionysiani, & Compendienses & psalmos pœnitentiales cum letania dimittebant, & Missam matutinalem solito more non dicebant, nisi quis dicere velit, hanc eos ad Tertiam usque distulisse.

IV. Hæc in omnibus aut saltem fere omnibus Ordinis nostri Monasteriis, ad altare majus celebrabatur, ut patet ex Statutis Lanfranci, libro consuet. S. Benigni c. 65., Ordin. Corbejensi, lib. Usuum Beccens. in primo exemplari, & aliis; & quidem *de Jejunio*, idque cum *nigra casula*, ex Benignianis consuet., & Ord. Corbejensi; „ (cum „ uno Converso revestito, & Diacono, & Subdiacono,) inquit Rituale Beccensis Monasterii, „ (& fiat *per omnia*, sicut fieri solet ad majorem Missam super septimanam.) Introitus Missæ, *Exaudivit*; post collectam de jejunio, prima comm. de festo III. Lect., si forte tunc evenisset, secunda de S. Maria, tertia de SS. loci, quarta de omnibus Sanctis, nec amplius, inquit prædictum Rituale Beccense, cui suffragantur consuetudines Lyræ, in quibus pro collecta de SS. loci, habetur collecta de Sanctis Reliquiis. Udalric., Benignianæ consuet., Corb. Ordin. solitas orationes assignant, & in fine: *Sanctorum tuorum*.

V. In hac Missa omnes quidem offerebant sed una dumtaxat consecrabatur Hostia, ut discimus ex Lanfranci Statutis, Udalrico lib. 1. cap. 21., lib. consuet. S. Benigni c. 65. & Ordin. Corb.; in Beccensi vero Monasterio duo; in Lyrensi unus dumtaxat offerebat, ex Rituali Beccens., & consuet. Lyræ.

VI. Ad pacem vero unus accedebat. Hic ex Lanfranci Statutis, Benignianis consuetudinibus, Corbejensique Ordinario, erat *Prior*; sed in Rituali Monasterii Beccensis, duo perinde ad pacem, ut ad offertorium, notantur.

VII. Missam matutinalem sequebatur capitulum, in quo Regula S. Benedicti solito more legebatur, & ordo in processione servandus recitabatur, omisso solito versu: *Deus in adjutorium*, &c. & loqutione in claustro. Dionysiani, & Compendienses statim post Primam suum tenebant capitulum, & post Tertiam ad majus altare Missam cantabant, & quidem festive, pulsato prius classico, cum unica tantum oratione, & unico alleluja, a duobus juvenibus cantando, ut præscribitur in Dionys. consuet.

VIII. Post Tertiam pueri accipiebant mixtum; Statuta Lanfranci addunt: *Et infirmi, qui jejunare non possunt*; caseumque a Cellerario accipere debebant, ex Flor. cons.

IX. Dicta Sexta, dormitorium ascendebant quasi meridianam simulaturi; sed statim nudis pedibus, lota facie rasisque capitibus, ad ecclesiam pro processione descensuri. Antequam vero inciperetur processio, omnibus in choro congregatis, & terminata oratione, *infit Lanfrancus*: „ (Incipiat infans antiphonam: *Exurge Domine*. Interim pulsentur duo signa. Cantata antiphona, hæc est repetita „ post versum, & *Gloria*, ut habent alii, dicat Sacer- „ dos: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, sequatur „ *Kyrie eleison*. *Pater noster*. Psalmus: *Deus misereatur* „ *nostri*; in crastino: *Deus in adjutorium meum*: dehinc „ Sacerdos: *Et veniat super nos*, collectam pro peccatis, „ idest, *Mentem familiæ*, ut alii scribunt.) Atque ita in omnibus Monasteriis usus obtinebat, nisi quod in Parisiensi S. Germani, & in Tullensi S. Apri, non *puer*, sed *Cantor* imponebat antiphonam: *Exurge*; & in Dionysiano dicta prædicta antiphona cum versu: *Deus auribus*, statim sequebatur oratio: *Mentem familiæ*.

X. Imposita autem antiphona: *Exurge*, omnes in genua procumbebant, eam prosequentes; idemque in ejus repetitione præstabant. Ad orationem Dominicam super formas jacebant, ex Tullensi Ordinario.

XI. Iis finitis precibus „ (duo Secretariorum, alter „ in dextro choro, alter in sinistro, in scutellis tenent Phy- „ lacteria, ministrantes ipsa duobus aliis, qui dividunt ea „ fratribus. Infantibus vero, & his, quibus tale quid in „ nocte contigerit, minime dantur. Interim vero dum „ hoc totum fit taceatur in choro ab omnibus, deinde „ priusquam exeant, pulsantur omnia signa.) Ita Divionenses S. Benigni consuetudines cum Corbejensi S. Petri Ordinario. Phylacteriorum autem nomine hic sacræ intelligendæ sunt Reliquiæ, quas his in processionibus deferebant Majores nostri, ut patet ex vit. S. Winoci Abbatis cap. 13. sæc. 3. part. 1. „ (Dies Rogationum advenerat, po- „ pulus cum crucibus, & *reliquiis*, & *cambuca* Sancti longius processerat; sed tardius solito Monasterium repedave- „ rat, &c.) & ex epist. Cuthberti ad Cuthwinum de obitu Venerabilis Bedæ, (extat in vit. Bed. sæc. 3. part. 1.) qui accidit in vigilia Ascensionis, hoc est feria quarta Rogationum: „ (Mane illucescente, idest quarta feria, præce- „ pit diligenter scribi, quæ cœperamus, & hoc facto, „ usque ad tertiam horam ambulavimus; deinde cum „ Reliquiis Sanctorum, ut consuetudo illius diei poscebat;) & ex libro Mir. S. Trudperti nu. 16. apud Boll. 26. April. „ (Occurrerunt Rogationum dies, in quibus Sanctorum Reliquias, & imagines moris est circumferri.) De Reliquiis, quas deferebant Floriacenses nostri, audiendæ sunt veteres eorum consuetudines: „ [Conventus erectis subselliis, misericordiis assidebit, & oratio terminabitur. Tunc Abbas, vel si defuerit, Sacerdos Hebdomadarius albatus thurificat altare, & Reliquias; thurificatione autem facta, Sacerdos cum Diacono, & duobus Subdiaconis, duobusque Conversis, qui omnes antea, dum duo signa pulsabuntur, revestiti sunt, tollent Reliquias, cereos, & textum; ita ut Sacerdos spongiam, Levita a dextris, & Subdiaconus a sinistris ejus alias Sanctorum Reliquias, & alter Subdiaconus textum, duoque Conversi hinc & inde duos cereos bajulant, & in chorum redeunt.) De Dionysianis vero hæc habent eorum consuetudines: „ (Postea fit processio hoc modo: „ Clerici processionem præcedant, post hos unus de matricularis indutus alba ferat aquam benedictam, & alter in alba ferat Crucem magnam, quæ est retro altare Sanctæ Trinitatis, & alter in alba Lanceam Regis Dagoberti, & unus Monachus ferat crucem, quæ in Dominicis diebus solet deferri ad processionem; post hunc alter Monachus in alba ferat baculum B. Dionysii, quos sequuntur duo Clerici in cappis, qui ferant feretrum S. Firmini; post hos quidam Monachus ferat Lanternam cum cereo accenso juxta feretrum, & alii duo cum candelabris, & alter cum thuribulo; Sacerdos vero, & Diaconus induti albis ferant in collis suis duo phylacteria, & Subdiaconus indutus ferat parvum textum; & ita fiat processio.) Aliquando Monachorum reliquias deferebant Clerici, ut vocant, sæculares, ut patet ex his Dionysianis consuetudinibus, ex quibus dum Clericos S. Firmini feretrum detulisse discimus, & ex Ordinario Tullensi præscribente, ut „ (socius Sacristæ, & Presbyter „ S. Maximini induti albis, & cappis portent feretrum.) Remis etiamnum in nostro Sancti Remigii Archimonasterio ad processiones Rogationum parvam S. Gibriani capsam deferunt Clerici, seu Canonici vicinæ S. Timothei ecclesiæ, si bene memini.

XII. Processionis ordinem ita prosequuntur veteres Floriacensis Monasterii consuetudines: „ (Egreditur primo portitor aquæ benedictæ, postea crucifer, dein portitor textus, duobus ceroferariis comitantibus, subinde Sacerdos, hinc inde coambulantibus Levita, & Subdiacono; istos subsequatur Schola cum Magistris, dehinc conventus novitiis perambulantibus, & ceteris ordine suo subsequentibus; Abbate vero novissimo.)

XIII. Eundem pene ordinem præscribit Lanfrancus in Statutis: „ (Postea, inquit, sonantibus signis, exeant processuri canentes, incipiente Cantore, quæ ad processionem pertinent. Præcedant famuli cum vexillis, sequatur Conversus cum aqua, post quem alius cum cruce, dehinc Subdiaconus ferens textum, post quem fratres Laici, dehinc infantes cum Magistris, post quos Cantores, extremis prioribus, & præcedentibus junioribus, sicut est ordo eorum.) Lanfranco consentiunt Udalricus l. 1. c. 21., Corbejense Ord., & Divionenses S. Benigni consuet. c. 65. his verbis: „ (Priusquam exeant pulsantur omnia signa, postea Armarius incipit antiphonam: „ *De Jerusalem*; famuli vexilla præferunt, sequuntur duo Conversi, unus qui portat crucem, alius aquam benedictam, sed iste ante crucem, post quos Subdiaconus ferens textum, deinde Conversi, quos pueri sequuntur, & deinde Cantores, sicut est ordo eorum, novitiis præcedentibus.) Corbejenses cruci appendebant phylacterium. Apud Udalricum vero nulla fit mentio vexillorum; communis tamen usus Ordinis nostri obtinuit, ut his diebus ad processionem deferrentur, ut patet ex citatis locis, ex lib. Usuum Beccensium, ex consuetudinibus Lyræ, & ex Odilone Monacho S. Medardi Suessionensis in historia Transl. SS. Sebastiani, & Gregorii c. 44. sæc. 4. part. 1., ubi Ludovicus Pius Imperator in Medardensi Monasterio incarceratus loquitur de hastis „ (quibus vexilla tempore litaniarum ferenda aptantur.) Hic etiam obiter observare licet, eos, quos Lanfrancus *fratres laicos* vocat, qui etiam ante pueros, & novitios ad processionem incedebant, ab Udalrico libro 1. cap. 21., libro cons.

S. Be-

S. Benigni Divionensis, & Ord. Corbejensi, appellari *Conversos*.

XIV. „ (Ad egressum vero ecclesiæ, (ita prosequuntur Floriacensis Monasterii antiquæ consuetudines,) parati sunt duo clientes Eleemosynarii hinc inde cum baculis, egredientibus singulis singulos baculos porrecturi; & cum ad ecclesiam, quo pergitur, ventum fuerit, eodem modo ab singulis recepturi; & denuo cum exierint reddituri, & cum ad majorem ecclesiam reditum fuerit, eosdem, & eodem modo recepturi.) Idem habent Statuta Lanfranci, Udalric. lib. 1. cap. 21., liber consuet. S. Benigni cap. 65. & Corbejense Ord. Addunt Floriacenses consuetudines: „ (Notandum, quod quotiens baculos accipimus, totiens capatie capitibus imponimus; nec licet reducere, donec baculos reponimus.) Ratio autem propter quam baculos accipiebant, hæc erat; quia nudis pedibus hac in processione incedebant, quo casu semper baculos deferebant, ut discimus ex consuet. Floriacensis Monasterii: „ (Quoties fratres nudis pedibus muros castri egrediuntur, similiter de baculis fiat;) & ex Ordinario Corbejensi: „ (Ad ostium Galileæ Monasterii sunt præparati duo famuli Eleemosynarii, hinc & inde cum gemino fasce baculorum, quos consuetudinaliter fratres portant, quotiescumque nudis pedibus exeunt extra Monasterium ad processionem.) Baculos, seu virgas deferunt etiam nunc Divionenses nostri ad processionem; sed nudi pedibus non procedunt; idem præstant etiam Majoris Monasterii Monachi, cum ad Cathedralem, & ad S. Martini ecclesias procedunt; ub hac etiam lege olim dispensari permittebant consuet. S. Dionysii in Francia; dispensabantque de facto Lyrenses Sacerdotem, Diaconum, & Subdiaconum; Beccenses insuper aquæ, & feretri bajulos, qui calceatis pedibus procedebant.

XV. Procedentes, antiphonas, responsoria, psalmos, & hymnos decantabant. Ad ingressum ecclesiarum, ad quas pergebant, antiphonas, vel responsoria de SS. Ecclesiarum Patronis imponebant, quibus finitis, versum, & orationem subjungebat Sacerdos, quibusdam in locis cum *Dominus vobiscum*, in aliis sine. Ex Statutis Lanfranci addebat infans: *Benedicamus Domino*. Dionysianæ consuet. psal. *Miserere*, vel *Lauda anima*, cum ℣., & oratione de defunctis subjungebant.

XVI. Ad introitum vero ecclesiæ *quisque sicut intrat*, inquiunt Divionenses S. Benigni consuetudines c. 65. „ (ponit suum phylactarium super altare, & posito petit veniam: dexter chorus ad dextrum cornu, & sinister ad sinistrum; & illi, qui ea distribuerunt, aptant ea super altare, & cum post finem Missæ eadem repetant fratres, non debet quis nisi suum accipere, & tunc non petitur venia.] Idem habet Corbejense Ordinarium, in quo, sicut & in eisdem Benignianis consuet. & apud Udalric. lib. 1. cap. 21. hoc additur: „ (Cantata autem antiphona, vel ℟. ad introitum ecclesiæ de SS., in quorum honore fundatus est locus, collectaque præmissa versiculo subjecta cum sono, faciunt orationem cum inclinatione consuete, cantatur Nona; cantanda quoque in majori ecclesia, signo pulsato ad horam competentem a Custode ecclesiæ, ab infirmis, qui ad processionem exire non potuerunt; qua incepta Hebdomadarius Sacerdos, & Diaconus, & Subdiaconus euntes in Presbyterium revestiuntur, ibique Sacerdos revestitus finit eam.) Ex Statutis Lanfranci, & ex libro Usuum Beccensium in primo exemplari, Nonam non cantabant; sed tantum inclinati orationem faciebant, atque interim Sacerdos, & Ministri sacras vestes ad Missam induebant; ex secundo vero exemplari, & consuetudinibus Lyræ approximantes ecclesiæ, ad quam pergebant, Sacerdos, & Diaconus *antecedebant se revestiri*, ut dicta de SS. ecclesiæ patronis collecta, ad quam flectebant genua, statim Missa sequeretur.

XVII. Hanc porro ad Missam omnia necessarie ornamenta prius a Sacrista eo deferebantur, quo processionem faciebant, ut discimus tum ex Statutis Lanfranci, tum ex Ordinario Corbejensi, tum denique ex libro cons. S. Benigni c. 65., in quibus hæc legimus: „ (Secretarius antea per famulos suos præmisit vestimenta, vinum, & aquam, & calicem, & quidquid necessarium est ad Missam; hoc est thuribulum, duos cereos, qui ponuntur ad cornua altaris, offertorium, pallas altari superponendas librosque necessarios.) Immo non solum præmittebat, sed ea ipse aptabat, ex Lanfranci Statutis.

XVIII Missa dicebatur de jejunio: *Exaudivit*, cum unica commemoratione de SS. loci; ita ex Statutis Lanfranci, Udalrico, Ord. Corbejens., & Benignianis consuet.; Lyrenses tres faciebant commemorationes: 1. de S. Maria, 2. de SS. loci, 3. de omnibus SS.: totidem notat liber Usuum Beccens. in primo exemplari; in secundo autem additur, & quarta: *Deus, a quo sancta desideria*. & ad cappellam decuria quinta: *Deus cujus miseratione*; immo, si necessa esset, & sexta pro pluvia, vel pro serenitate. Dionysiani, & Compendienses aliam Missam cantabant, scilicet: *Salus populi*, cujus prima oratio erat: *Ineffabilem misericordiam tuam*, secunda de Sancto: *Da quæsumus omnipotens Deus*, tertia de omnibus SS. *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio*. Epistola: *Si iniquitates*. *Alleluja: Ostende nobis*, Evangelium ex Missa de jejunio: *Petite, & accipietis*. Offertorium: *Sicut in holocaustum*. Communio: *Amen dico vobis*.

XIX. Notandum quod habent Divionenses S. Benigni consuetudines: „ (Cum lectum fuerit evangelium, *inquiunt c. 65.*, coci, & ceteri, quorum est ad mensam fratrum servire, accipientes licentiam revertuntur; simulque duo fratres, qui cappis induti, nudis tamen pedibus, processionem ad introitum ecclesiæ sunt recepturi in redeundo, cantantes mediocriter litaniam, quam conventus rediens cantaturus est.) Idem videre est in Ordinar. Corbejensi, & apud Udalricum, nisi quod ex Udalrico „ (letaniam breviter in choro iterato sunt cantaturi, ea melodia, & his versiculis, qui ad hoc sunt inventi.) Idem etiam habet Lanfrancus, sed de fratribus tantum, qui processionem recepturi erant: „ (celebrata fere Missa, *inquit*, duo fratres, qui cappis induti debent dicere *Agnus Dei*, ad portas Monasterii inclinantes se ante & retro regrediantur, formantes secum aliquos & famulis, quibus jussum fuerit, & dicentes inter se letaniam, quam conventus in reditu cantaturus est.

XX. Subdit Lanfrancus: „ [Expleta Missa, accedant statim fratres, quibus jussum fuerit, & stantes in medio pronuncient litaniam. Interim Sacerdos, & qui ad Missam servierunt, expediant se; & sic revertuntur in chorum; post *S. Johannem*, & *Omnis chorus Prophetarum*, pronuncient illum Sanctum duabus vicibus, in cujus nomen est ecclesia dedicata. Postea inclinantes se omnes ante & retro, regrediantur eo ordine, quo venerunt: Cantores litaniæ producent, aut brevient ipsam litaniam; secundum quantitatem itineris, qui in redeundo pergere debent post infantes, ante reliquum conventum cantorum.] Idem habent Benignianæ consuetudines, & Corbejense Ordinarium, ex quibus etiam phylacteria resumenda erant, antequam inciperetur litania, quæ quod dicitur esse brevianda, aut producenda, tribus modis potest intelligi, vel de resecandis, seu dimittendis, aut addendis SS. Invocationibus, vel de inferendis, aut non inferendis certis precibus ad SS. Invocationes, ut, *Exaudi, exaudi*, &c. vel de brevianda, aut producenda ipsa melodia invocationum.

XXI. Pergit Lanfrancus: „ (Cum autem processio rediens ante Monasterii introitum venerit, statione facta, litaniam finiant; qua finita, Cantores ejus in ordinem suum redeant, & prædicti duo Cantores, qui præcesserant cappis induti, nudis pedibus, ante portas Monasterii stantes dicant: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis*; Chorus similiter respondeat. Cantores: *Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dextram patris*; Chorus: *Agnus* Dei, sicut supra. Cantores: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, amen*. Interim præcedentibus, qui vexillum portant, & cetera, quæ superius dicta sunt, sequantur Cantores, & reliquus conventus. Dicta *Gloria*, respondeat conventus, *Agnus Dei*, ut supra. Convento intrante Monasterium, pulsentur signa. Cantores: *Exaudi Deus*; conventus; *Orationem populi tui*. Cunctis fratribus chorum ingressis, collocata cruce, & reliquis, quæ portata sunt, in locis suis, prædicti duo Cantores in medio chori stantes, pronuncient litaniam: *Sancte Sanctorum Deus miserere nobis*; Priores a parte altaris sint, reliqui post eos, sicut est ordo eorum.) Lanfranco consentiunt Divionenses S. Benigni consuetudines, & Corbejense Ordinarium, nisi quod repetito post *Gloria*, *Agnus Dei*, omnino sileri volunt, donec omnibus chorum ingressis, incipiatur altera litania; sic quippe loquuntur: „ (Finito *Agnus Dei* siletur, donec secunda letania in choro incipiatur; & Cantoribus, sicut dictum est, præcedentibus, sequitur totus conventus in chorum, & omnia signa pulsantur, donec tota processio in chorum tractim sit ingressa. Omnes autem, sicut intrant, portant phylacteria sua super altare, & quisque postquam posuerit, veniam ante altare petit. Prædicti vero duo Cantores cum cappis in choro, ubi Archichori stare solent, expectant signorum cessationem; illis enim cessantibus, incipiunt letaniam, quæ

quæ solet dici post hujusmodi processionem, ad quam Armarius debet esse juxta illos, ne fallantur, sicut & ad priorem letaniam; coci & ceteri, qui post Evangelium accipientes licentiam reversi sunt, omnes debent esse. Cantores letaniæ non inclinant ad ipsam, ceteri ad quodcumque *Sancte Sanctorum*, inclinant super scabella considendo, & ad nomina SS. præter Angelorum.)

XXII. Hactenus Benignianæ consuetudines totam letaniarum processionisque seriem prosequentes. Dionysiani, Compendienses, Beccenses, atque Lyrenses nullam ad portam Monasterii, seu ecclesiæ stationem faciebant: „ (sed reversi ad proprium Monasterium, *inquiunt consuet. Lyræ*, finiant Cantores, quod cantant, & tunc Cantor incipiat antiphonam ad introitum,) scilicet de B. Maria, quam sequebatur versus, & oratio a Sacerdote dicenda *cum genuflectione*. Dionysiani cantabant ℟. *O constantia Martyrum*; Compend. antiphonam de omnibus Sanctis

XXIII. Paulo aliter nostri Cassinenses; nam processionem a letania incipientes, Missam in loco, seu ecclesie, ad quam pergebant, cantabant: „ (Inde egredientes, *inquit vetus eorum Ordinarium*, veniant ante portam majorem & interim cantantibus antiphonam: *Pro pace* & ℟. *Civitatem*, & *Tu universorum*; deinde antiphonam: *Signum salutis* ponantur a Sacerdote cruces tres cereæ insuper liminari portæ ejusdem, & aqua sanctificata respergantur, & data ibi oratione: *Mæstorum refugium*, revertantur cantando antiphonam: *Salvator mundi*, & sic ingrediantur ecclesiam S. Benedicti cum antiphona, & oratione, sicut consuetudo est.)

XXIV. Tandem his omnibus peractis, „) Expleta letania, *inquit Lanfrancus*, pulsetur signum ad Nonam, factaque oratione Nonæ, vadant in claustrum lavare pedes, quibus lotis revertentes in chorum, pulsato alio signo, cantent Nonam.) Beccenses ex suo Rituali, & Lyrenses ex suis consuet. lotis pedibus accipiebant mixtum: „ [Terminata oratione, eant ad Mandatum, & ad mixtum,] inquiunt, adduntque: „ (Istis tribus diebus, si processio exierit in refectorium, e junioribus incipiuntur.) Dionysiani, & Compendienses terminata oratione, Nonam consequenter cantabant, ad quam ex Compendiensis Monasterii consuetudinibus sedebant fatigati processionis labore; eaque finita, lotis, calceatisque pedibus, ad cœnam in refectorium pergebant.

XXV. Cum vero propter ingruentem pluviam foras prodire non poterant, Missa matutinalis erat de defunctis, & processio nudis pedibus fiebat in claustro; ita ex libro Usuum Beccensium. Cistercienses nullas faciebant processiones; sed „ (post Tertiam pulsato signo, sicut ad Missam pulsari solet, *sic habet lib. Us. c.* 28., duo fratres ante gradum Presbyterii stantes, cantent litaniam, fratribus in utroque choro insimul respondentibus; & stantibus ad invicem versis vultibus, sicut ad Missam solent. Cartusienses & processionem, & letanias omnino omisisse videntur, saltem nulla earum fit mentio eorum in Ordinario.

XXVI. De refectione horum dierum hæc lego in Benignianis consuetudinibus: „ (Deinde pulsato cymbalo; cum videtur Priori, versus finem lavationis pedum, in refectorium pergunt: his tribus diebus sunt bancalia in capitulo, generale in refectorio (*recentiori manu* de flatonibus) caritas de meliori vino in fialis portata, lac in pulmento, herbæ crudæ post pulmentum, idest lactucæ, vel hujusmodi.) Idem iisdem verbis in Ordinario Corbejensi continetur, hoc addito: *hostiæ non portantur in refectorio*; a quibus non multum recedunt Floriacenses S. Benedicti consuetudines, in quibus hæc habentur: „ (His tribus diebus, post cymbali pulsationem, qui voluerit sine licentia, bibet de absinthio melle confecto, quod Refectorarius ante præparavit, & posuit in scyphis singulorum; & habemus generale piscium in refectorio, & flacones, qui ad initium prandii apponi debent, & herbæ crudæ, & lactucæ vel hujusmodi.

XXVII. „ (Post refectionem vero, *inquiunt Dionys. consuet.*, sedeant in claustro quousque Prior det licentiam eis dormiendi; *consuet. Compendienses habent*, nisi Prior jusserit, ut eant dormitum.)

XXVIII. Ad Regulare vero horum dierum officium quod spectat, audiendus est hic Lanfrancus: „ (His tribus diebus, *inquit in Statutis*, ad nocturna, capitula, & collectæ de Resurrectione, & ad Vesp. secundæ, & tertiæ feriæ: ad matutinas vero Laudes, & ad Tertiam, & ad Sextam, & ad Nonam capitulum, & collectæ de jejuniis.) Liber autem Usuum Beccensium: „) Diebus Rogationum ad nocturnas legant sermones ad ipsos dies pertinentes, capitula, & oratio duobus diebus ad Nocturnos, & ad Laudes, diurnisque Horis, usque ad processionem, & ad Missam de jejunio; deinceps, idest ad Nonam, & ad Vesperas de Resurrectione. Vigilia Ascensionis totum de Resurrectione usque ad Vesperas.)

XXIX. Quia vero longior processionis via fatigatos nonnumquam fratres reddebat, ad nonnullas Regularis officii Horas sedendi concedebatur indulgentia, ut jam vidimus ex consuet. Compendiensibus ad IX.; declarantque id amplius Floriacenses in quibus hæc lego: „ [Et propter laborem processionum, & jejuniorum, qui voluerit, incustodito sedendi ordine, ad Vesperas, Completorium, & nocturnas vigilias residebit.) Eadem ratione consuetum defunctorum officium omittebant, solis Vesperi, post Vesperas, & Laudibus post Laudes contenti, ut videre est apud Lanfrancum, Udalricum in Ord. Corbejens. in Benignianis consuet., lib. Us. Beccensium, & aliis. Lanfranci verba hic sufficiant: „ (Ad Vesperas secunda, & tertia feria, pulsentur signa, sicut privatis diebus; inter signa dicantur psalmi: *Deus auribus nostris*; post Vesperas de omnibus Sanctis, dicantur Vesperæ mortuorum: vigilia mortuorum his diebus non agatur, si processio extra claustrum perrexerit; alioquin agatur, sicut solet. (Unum hic addendum est de benedictione revertentium de via, ex Benignianis consuetud., & Ordin. Corbejensi: „ (Si quilibet frater deforis his tribus diebus venerit, ad alias horas, quæ in Monasterio dicuntur, benedictionem suscipiet; ad solam Nonam, quæ ad ecclesiam illam, ad quam ad processionem itur, dicitur, benedictionem non habebit.)

XXX. Quæret aliquis, quid de festis his tribus contingentibus fieret. Huic quæstioni satisfecit Lanfrancus his verbis: „ (Si in his tribus diebus festivitas XII. Lect. evenerit, totum servitium noctis, & diei de ipsa festivitate agatur. Dicta Tertia, & pulsatis omnibus signis Missa ipsius festivitatis, sicut alio tempore, solemniter celebretur; processio vadat, sicut aliis diebus, excepto quod calceati, & sine bachulis ibunt: Missa jejunii ad Monasterium, quo processerint, celebretur. Si autem festivitas trium Lect. evenerit, commemoratio ipsius tantummodo fiat ad Vesperas, & ad Matutinas Laudes, & ad priorem Missam de jejunio.) Lanfranco consentit Rituale Beccensis Monasterii, ex quo ne quidem commemoratio jejunii ad Missam de festo agenda erat; sed ab eo discrepabant omnino nostri Dionysiani, quorum antiquæ consuetudines hæc ferunt: „) Si festivitas XII. Lect. evenerit in his tribus diebus, nihil fiat de ea; sed si potest fieri, post Ascensionem restituatur, de festo trium Lect. nec commemoratio fiat.) Mediam viam ineunt Compendienses consuetudines: „ (Si aliquod festum trium evenerit Lect., *inquiunt*, infra hos tres dies, nihil fiet de eo; si vero aliqua festivitas XII. Lect., vel octava Dedicationis infra hos dies evenerit, omnia fiant de festo, vel de octava Dedicationis. Ad Vesperas & Matut. fiat commemoratio tantummodo de die. Prima Missa de festo ad altare majus cantabitur, qualecumque fuerit illud festum, ultima Missa de die.)

XXXI. Hactenus de Rogationibus satis, in quibus idem ordo singulis diebus servabatur, si pauca forte excipias, quæ minimi omnino sunt momenti. Unum hic addo Brunonis Episcopi Lingonensis statutum in gratiam Besuensium nostrorum, quod refert Johannes Monachus in Chronico Besuensi Spicil. Tom. 1. p. 536. his verbis: „ (Inter cetera igitur, quæ huic loco contulit, statuit, ut de ecclesiis a sex leugis, vel infra a Besua, tempore Rogationum, omnes tam viri, quam mulieres cum oblationibus ad SS. Apostolorum Petri, & Pauli limina convenirent:) idest ad Monasterium Besuense SS. Apostolis Petro, & Paulo sacrum: deinde refert ejusdem Brunonis Episcopi Chartam ea de re datam an. 1008., ex qua & illud notandum plane discimus, quod Rogationum tempore ex prædictis locis fideles olim Lingones peccatorum remissionem accepturi convenirent, quod ille commutavit, Monachis Besuensibus dicto tempore facultatem tribuens, confessiones prædictorum audiendi.

CAPUT XX.

De Ascensione Domini, ceterisque diebus usque ad Pentecosten.

I. AScensionem Domini nostri Jesu Christi, eodem prorsus modo, ac ritu celebrabant olim Divionenses, Corbejenses, & Parisienses nostri, atque ejus Epiphaniam, paucis forte exceptis, quæ ad tempus Paschale potissimum spectabant: unde nec in describendo ordine in eo servando plurimum morantur, cum ex dictis supra de Epiphania Domini res obvia cuique, & manifesta fieri possit.

Si quid

Si quid ergo apud alios singulare, aut forte fusius, & distinctius expressum exsistat, aliunde prorsus repetendum est. Atque ut a primis Vesperis, unde ipsa festivitas incipiebat, ducamus exordium. „ (In Ascensione Domini, *inquit Tullense S. Apri Ordinarium*, ad primas Vesperas Domnus Abbas e principio Vesperarum indutus alba, & cappa, faciat officium, & in ejus absentia Prior. Idem faciant in secundis Vesperis. Ad primas Vesperas super psalmos antiphona: *alleluja. Sicut veniet*, incipiatur ab Hebdomadario. Psalmi: *Laudate pueri: Laudate Dominum omnes gentes: Laudate Dominum quoniam bonus: Lauda Jerusalem.*) Alii sub uno *alleluja*, vel una antiphona, quæ incipiebat ab *alleluja*, psalmos feriales dicebant; nisi aliqua festivitas alicujus Sancti eo die accidisset: tunc enim psalmos de festo, sub una de eo antiphona decantabant, reliquumque officium de Ascensione celebrabant.

II. Capitulum, seu lectio, ex Actibus Apostolorum: *Primum quidem* &c. in omnibus fere monasteriis, pro quo in Dionysiano, & Compendiensi dicebatur: *Unicuique nostrum data est gratia* &c. Responsorium: *Omnis pleritudo*, a quatuor in cappis cantandum, ex Dionys. Compendiensibusque consuetudinibus, idem notatur in Ord. Corb.; sed in Tullensi ejus loco habetur ℟. *Exaltare, a Cantore & alio fratre in albis, & cappis candidis* cantandum. Hymnus, ex Corb., Tullensi Ordin.: *Hymnum canamus*; ex Dionysianis, & Comp. consuet. *Æterne Rex*. ℣. a duobus pueris dicendus, ex Tullensi Ord. Ad *Magnificat*. „ (Portetur incensum a Domno Abbate, & duobus Cantoribus ℟., (prosequitur Tullense Ord.) si vero Prior faciat officium: a Priore portetur, & uno Cantore; duo quoque thuribularii sint in albis.) Et Dionys. consuet.: „ (Deferantur duo candelabra, ante Sacerdotes deferentes thuribula.) Antiphona vero ad *Magnificat* ex Dionys. cons. ter dicenda erat.

III. „ (Post *Pater noster*, loco precum *inquit Tullense Ord.*, dicatur ℣. *Ascendens Christus in altum*, vel alius de festo.) Dicta collecta, nulla fiebat comm., ex Dionys. cons., sed *Benedicamus Domino*, cum alleluja cantabatur, ex Ordinario Tullensi, ac postea cum incenso processio fiebat ad S. Crucem.

IV. Ab his porro Vesperis Cistercienses Paschalem cereum usque in integrum diem sequentem continuo arsurum accendebant, ut discimus, ex libro Usuum c. 29., cujus hæc verba. „ (In Ascensione Domini ad Vesperas cereus Paschalis accensus non extinguatur usque in crastinum, post Completorium. Tunc vero ab Ecclesia sublevetur.) Ad hos proxime accedebant Parisienses nostri S. Germani, qui cereum Paschalem omnibus horis canonicis, exceptis nocturnis, usque ad coenam, & ad Missam accendebant; extra vero divini tempora officii alium in capella B. Mariæ cereum incessanter arsurum, usque post diei Completorium, qui & ipse, cum ardebat cereus Paschalis, ad horas canonicas extinguebatur.

V. Ad Nocturnos, Invitatorium a quatuor *in cappis*, ex quibus duo remanebant in choro, apud Dionysianos; cantabatur apud Tullens. a Cantore, & duobus Hebdomadariis in albis, item & cappis. Hymnus in Ord. Tullensi: *Jesu nostra redemptio*, in Dionys. cons.: *Te lucis author*. Singuli psalmi, sub singulis antiphonis. Lectiones ad primum, secundumque nocturnum assignant Dionysianæ cons. „ (octo de homilia: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*: ad tertium vero nocturnum, quatuor lectiones de Evangelio; *Euntes in mundum universum.*) In veteri autem Corbejensi Ordinario simpliciter notantur ad nocturnos lectiones de expositione S. Gregorii Papæ: *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis*: at vero in tribus nocturnis dicerentur, ubi non exprimitur. Singula Responsoria, post Lectiones a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque cantabatur. Ita ex Dionys. cons. In Laudibus singulis psalmis singulæ præmittebantur antiphonæ, quæ etiam excepta quarta, ad horas dicebantur. Capitulum, apud Dionys.: *Primum quidem*. Hymnus: *Jesu nostra redemtio*; apud Tullenses cap. *Convescens*, Hymnus: *Æterne Rex altissime*. Antiphona ad *Benedictus*, ex Dionys. cons. bis dicenda; hic duo deferebantur thuribula, apud Tullenses tamen unicum, ex quorum Ordinario, post orationem Dominicam, pro precibus ℣. de Ascensione, & post collectam: *Benedicamus Domino*, cum *alleluja* dicebatur. Post Laudes processio cum incenso, ad altare S. Crucis, in quo post antiphonam de cruce, ℟. & collecta de præsenti festo sequebatur. Addit idem Ordinarium: „ (Verba mea, & familiares psalmi, hac die more solito dicuntur, sed post Nonam non dicuntur.)

VI. Ad Primam, aliasque horas antiphonæ de Laudibus, ut diximus. In fine hymni cujusque horæ addebantur hæ duæ strophæ: *Da nobis illuc sedula devotione tendere*, & *Gloria tibi Domine, qui scandis*. Ita ex Udalrico l. 1. c. 22. Corb. Ord. Benigni cons. &c. Missa matutinalis de Ascensione eadem cum majori, nisi quod Dionysiani in ea Symbolum omittebant, & Lyrenses propriam præfationem, quod utrumque Tullenses dicebant.

VII. Ad Tertiam omnes erant in albis, ex Dionysianis cons.: Tertiam sequebatur processio, quam in claustro tantummodo faciebant Cluniacenses, Divionenses, & Corbejenses, sed in omnibus communiter Ordinis nostri monasteriis magno cum apparatu, & populi frequentia extra monasterium fiebat; testes sunt hanc in rem omnes pene, quotquot sunt monasteriorum consuetudines, ex quibus nonnullas hic referimus. In primis Floriacenses: „ (In die Ascensionis Christi, *inquiunt*, ad finem Tertiæ, reliquiæ, & ornamenta super altare ponuntur, post Tertiam ab Abbate, & altero Sacerdote, qui bajulaturus est dexteram, cappis indutis, thurificantur cum duobus thuribulis. Deinde porrigit Sacrista cruces Conversis; & Armarius textus Subdiaconis. Omnes cruces tam aureæ, quam argenteæ portantur; & tres aurei textus. Præeuntibus autem vexillis, & dracone, sequitur bajulus aquæ benedictæ. Post istos Ceroferarii. In singulis crucibus quatuor phylacteria portantur; novissime portatur maxima crux aurea cum sex phylacteriis, & spongia in medio ponatur; deinde capsa S. Mauri a duobus Sacerdotibus, postea thuribula, deinde textuum bajuli, deinde bajulus dextræ amictus cappa, cum Ceroferariis, post illos pueri cum magistris, inde novicii, & ceteri ordine suo, Abbate vero novissimo. Et ad processionem totum castrum circumeunt, & famuli præpositi a turba undique conventum custodiunt, atque in navi ad stationem sedes antea conventui præparant.)

VIII. Consuetudines S. Dionysii. „ (Post Tertiam fiat processio circa muros; & sciendum est, quod in ipsa processione debent deferri clavus, & corona, & reliqua omnia, quæ in tribus diebus præcedentibus deferenda prædiximus. Ante processionem dicatur oratio: *Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam*. Mox incipiatur a duobus bene cantantibus: *Salve festa dies* & ℣. *Ecce renascentis*, & alii, qui sequuntur; ad unumquemque ℣. conventus respondeat: *Salve festa dies* &c.)

IX. Hanc processionem faciunt etiam nunc nostri Dionysiani, huicque interesse debent omnes, ne uno quidem excepto, Canonici Ecclesiæ S. Pauli; sed prædictas reliquias ad eam non deferunt.

X. Tullense S. Apri Ordinarium: „ (Dum cantatur matutinalis Missa, præparetur feretrum S. Apri; finita matutinali Missa, cantetur Tertia, qua finita significet Sacrista quatuor Presbyteris, qui portent feretrum B. Apri in albis tantum, & stolis. Idem vero Sacrista portet caput ipsius. Præparatis igitur ministris, qui portaturi sunt cruces, textus, caput, & feretrum B. Apri, duo fratres a Cantore præmoniti in medio stantes cantent ℣. *Salve festa dies: Qua Deus ad cælos*, & cum dixerint duos primos ℣., chorus ipsum reiteret exeundo per januam templi, & fiat processio per prata, & campos; & Decanus de vico præcedat aquam benedictam, duoque pueri portent cereos, thuribulumque portetur: prædictique duo fratres, qui cantant: *Salve festa* cantent alios versus, & post duos quosque ℣., chorus respondeat: *Salve festa*; finitisque versibus Cantor incipiat ℟. *Viri Galilæi*. . . . . Reversisque fratribus, non fit statio in media Ecclesia; sed statim ingrediantur fratres chorum, & incipiatur a Cantore: *O Rex gloriæ*, chorusque prosequatur; qua finita, statim sequatur Missa.) Denique recentius Rituale Corbejensis monasterii: „ (Die Ascensionis Domini processio erit valde solemnis, totus clerus villæ debet interesse cum superpelliceis, & cappis sericis. Portantur ad processionem corpora B. Gentiani Martyris, cum corpore B. Adalardi Abbatis, & ejus caput, cum brachiis, & aliis reliquiis, vexillis præcedentibus &c.) Præterea Rituale Beccensis monasterii, & cons. Lyræ. Processionem statim sequebatur Missa; sed in Parisiensi S. Germani monasterio, post processionem immediate debebat esse sermo in choro, ex MS. cons. ejusdem monasterii.

XI. Hæc Missa erat valde solemnis, ut tantam decebat festivitatem. De ea cons. S. Dionys. in Francia: „ (Cantetur Missa festive, & sint omnes in cappis, sex procedentes, tres Cantores. Officium: *Viri Galilæi* &c.) ad hanc procedebat „ (Sacerdos cum ministris e vestiario ad altare per medium chori, dexteram auream

„ bajulans, benedictionem dans conventui ad dextram, & „ ad sinistram;) ut loquuntur Floriacenses S. Benedicti conf. Ad introitum duo dicebantur versiculi, ut discimus ex Benigniano consuet., scilicet: *Omnes gentes*, & *cumque intuerentur*. Primum *alleluja* tres monachi, secundum quinque cantabant, ex Lyrensis monasterii conf.; sed ex Rituali Beccensi primum quatuor, posterius sex in quibuslibet cappis cantabant. Præfatio, & *Communicantes*, propria.

XII. Ad refectionem tam propter præsentis festi solemnitatem, quam propter processionis laborem, solito paullo lautius excipiebantur; hinc Floriacenses S. Benedicti consuetudines; „ (Ipso die, *inquiunt*, in refectorio ad prandium morteas, generale piscium, mortariola, pitantiam de optimo vino debemus habere, & ad cœnam tortas.)

XIII. Officium Nonæ singulari modo ac ritu celebrabant hac die nostri Tullenses S. Apri, quem ita describunt in „ suo Ordinario. „ (Hac die Nona cantetur in albis, „ fratres vero non mutabunt loca sua in choro. Si Domnus „ Abbas faciat officium in Nona, a principio Nonæ cappa induatur; si vero Prior, vel alius officium faciat, „ remanebit in alba tantum, ut ceteri fratres, donec incensum portabit. Ad III. antiphona: *Videntibus illis*. „ Cap. *Igitur qui convenerant*. ℣. *Dominus in cælo*; post „ ℣. vero Cantor in medio choro stans, indutus cappa „ candida, incipiat *Kyrie fons, & origo*; deinde incipiatur „ a Cantore: *alleluja: Ascendens*, & chorus prosequatur; postea cantetur sequentia: *Rex omnipotens Dominus*. Interim portatur incensum ab illo, qui facit officium, induto cappa candida. Si vero Domnus Abbas „ faciat officium, Hebdomadarius Missæ indutus cappa „ candida cum eo procedat. Cappa vero, quam portat „ Abbas, poterit alterius coloris esse, quam candida, thuribularius vero sit in alba, ut alii fratres. Finita „ sequentia, non dicitur: *Pater noster*, nec ℣.; sed immediate post sequentiam dicatur: *Dominus vobiscum* alta „ voce, ut in Vesperis. Collecta: *Da quæsumus omnipotens Deus illius tuorum*: deinde dicatur a duobus pue„ ris: *Benedicamus Domino*, *alleluja*, *alleluja*. Ad „ hanc Nonam quinque lampades in lampario accendantur, „ & septem cerei in castro, & cereus Paschalis, qui post „ ea debet auferri a Sacrista. Post III. eant fratres in refectorium potaturi.)

XIV. Ad Vesperam in eodem Ordinario sub unica antiphona notantur psalmi: *Dixit Dominus*: *Laudate pueri*: *Laudate Dominum quoniam bonus*, & *Lauda Jerusalem*; pro quibus Dionysianæ, Compendiensesque conf. habent psalmos de Dominica, sine comm. nisi forte sequentis festi, si evenerit.

XV. Infra octavam Ascensionis ad nocturnos psalmi feriales in utroque nocturno sub unica antiphona, tres lectiones de Actibus Apostolorum, quæ a capite incipiebantur, & legebantur usque ad Pentecosten; licet jam inde ad nocturnos proxima post octavam Paschæ hebdomada lectum fuisset, ut patet tum ex Corbejensi Ord., tum ex Benignianis conf. tum ex Dionysianis; sed Tullense de Inceptis canonicis Epistolis infra hanc octavam legebant contra communem, ut videtur, ordinis morem. Ad Laudes omnes psalmi de tempore Paschali, hoc est: *Dominus regnavit* &c. sub unica antiphona. Similiter ad Vesperas psalmi feriales sub unica item antiphona. Missa de Ascensione, sine *Gloria in excelsis*, sine *Credo*, sine *sequentia*, sine *Communicantes* proprio, cum unico *alleluja*; ita Tullenses S. Apri, qui & in crastino Ascensionis Evangelio; *Recumbentibus*, addebant aliud Evangelium: *Ego mittam promissum*. Apud Dionysianos, & Compendienses eadem Missa, quæ in festo, cum unico *alleluja*, in qua etiam, ex Compendiensibus conf. Introitum, & communionem alternis diebus mutabant, scilicet hodie Introitus: *Ascendit Deus*; Communio: *Pater cum essem*; cras vero Introitus: *Viri Galilæi*; Communio: *Psallite*; & sine præfatione propria, quæ ex Benignianis conf. „ (amplius non dicitur, quam in primo die ad utramque Missam, & in octavo ad majorem.) In Lyrensi vero monasterio feria sexta major Missa de Dominica dicebatur: *Vocem jucunditatis*, cum commemoratione de Ascensione. Idem & in Beccensi.

XVI. Sabbato, ex communi monasteriorum consuetudine officium cum tribus lectionibus de B. Maria: Ita in Dionysiano, Compendiensi, Lyrensi, Beccensi, & S. Petri supra Divam, quod in isto ita tenaciter observabatur, ut Sabbato majori aliquo festo impedito, officium B. Mariæ feria VI. celebraretur: ita quippe in Ordinario hujus monasterii: „ (Sabbato quidem fiat principaliter servitium „ Virginis gloriosæ, nisi festum evenerit XII. lect.; nam „ tunc præcedenti feria VI. quod non est in consuetudine „ nostra, agendum est; vel si melius decreverint, in fer. „ III. Rogationum; hoc tamen observato, quod de jeju„ nio, & processione ordinatum est.)

XVII. Dominica infra octavam Ascensionis, ad nocturnos octo lectiones ex libro Actuum Apostolorum notantur in Ordinario Cassinensi, quatuor postremas de homilia. In Compendiensibus etiam Sancti Cornelii consuetudinibus adsignantur Lectiones ex Actibus Apostolorum; in Tullensi vero Ordinario, ex Epistola Sancti Johannis: *Quod fuit ab initio*. Commemoratio de octava Ascensionis, in utrisque Vesperis, & Laudibus in quibus psalmi sub unica dicebantur antiphona. Missa matutinalis de Ascensione, major de Dominica; sed Dionysiani Dominica infra octavam Ascensionis solemne de Sanctorum Reliquiis officium celebrabant cum proprio officio; sequenti vero feria secunda pro defunctis fratribus, & benefactoribus Missam, & officium defunctorum cantabant, qua de re alias.

XVIII. Octava Ascensionis ad primas Vesperas psalmi feriales sub unica antiphona, cum commemoratione, apud Dionysianos, de Beato Dionysio. Ad nocturnos psalmi, ut in die, cum unica in singulis nocturnis antiphona. Duodecim lectiones, octo quidem de speciali aliquo sermone, quatuor de homilia. Ita Dionysiani, Compendienses, & Tullenses; at Cassinenses psalmos feriales cum tribus dumtaxat lectionibus, sicut aliis diebus, recitabant. Missa matutinalis, apud Dionysianos de B. Dionysio, major de octava. Ad Vesperas psalmi, ut in die sed sub unica antiphona. Denique ante collationem, propter sequentis Sabbati solemnitatem, mandatum hac die fiebat, ex Ordinario Corbejensi, Tullensi, Benignianis consuetudinibus, & Compendiensibus.

XIX. Eveniens autem hanc in octavam festum XII. Lectionum, in sequentem feriam VI. rejiciebant, ex Ordinario Sancti Petri supra Divam.

XX. De sequentibus duobus diebus pauca Divionenses S. Benigni consuetudines: „ (Duobus diebus, qui inter „ octavam Ascensionis, & S. Pentecosten interpositi sunt, „ ita agendum est: Invitatorium: *alleluja*, *alleluja*, *al„ leluja*. Capitula, & hymni, & ℟., & versiculi, & „ collectæ, excepta: *Concede*,) omnia sicut in octava dicenda sunt. Missa, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus sexta feria de Dominica; ex Ordinario Tullensi de Spiritu sancto. Ad Vesperas vero ejusdem feriæ sonabat classicum, ex Dionysianis conf. ex quibus etiam, & ex Compendiensibus Sacerdos induebatur ad thuribulum, neque ulla fiebat commemoratio.

CAPUT XXI.

De Vigilia Pentecostes.

I. Vigilia Pentecostes tantam cum Sabbato sancto affinitatem habet, ut si pauca forte excipias, eosdem omnino ritus, easdem consuetudines habere videatur. Solum Regulare officium prorsus diversum erat, de quo proinde, antequam ritus ad Missam pertinentes investigemus, aliqua præmittenda sunt.

II. Et primo quidem Invitatorium a duobus *in albis* cantabatur, tam ex Dionysianis Compendiensibusque consuetudinibus, quam ex Ordinario S. Petri supra Divam.

III. Tres dumtaxat lectiones cum totidem Responsoriis: Lectiones autem erant de Evangelio: *Si diligitis me*; ex quibus „ (prima a Diacono, secunda ab aliqua perso„ na, tertia ab Abbate, vel a Priore) legebatur, saltem ita apud Dionysianos, quibus accedunt Compendienses. In Beccensi, Lyrensique monasterio Lectiones ita incipiebant: *Quia hodie S. Spiritus*, quibus nec Evangelium præmittebatur, licet ipsæ Lectiones essent de Evangelio. Idem in Tullensi S. Apri observatum fuisse suadet ejusdem monasterii Ordinarium, cujus hæc verba: „ (Ad Matutinum „ Lectiones de Evangelio: *Si diligitis me*, sine titulo „ legantur, & ferialiter puer legat primam Lectionem.) Primum ℟. ab Hebdomadario, secundum a quolibet, tertium a Cantore ex Dionysianis consuetud. cantabatur, ex Comp. tertium etiam a Cantore dicebatur.

IV. Ad Laudes pulsabatur classicum, duo deferebantur thuribula, nullaque fiebat commemoratio: Ita apud Dionysianos, qui nequidem de festo XII. lectionum hac die faciebant aliquid: „ (Si autem in hoc Sabbato, *inquiunt* „ *in suis conf.*, XII. Lectiones evenerint, nihil omnino „ fiat, nec restaurentur, nisi fuerit de S. Barnaba Aposto„ lo, & de detectione Beatorum Mart. Dionysii, Rustici, „ & Eleuterii; & tunc in providentia Cantoris sit restitutio.) In Cod. Colbertino additur: *Et de B. Peregrino*, post:

Et

Et Eleuteri. Paulo aliter nostri Beccenses, quorum in libro Usuum hæc lego: „ (Quæcumque festivitas in Vigilia Pentecostes evenerit XII. Lectionum, feria sexta Vesperas habebit; ad Matutinum de festo tertium responsorium; & lectiones, quæ inscribuntur ipsi Sabbato. Ad Laudes, & ad Primam *alleluja* dicuntur. Missa matutinalis de festo; post I. collectam; *Inclina Domine*; post Missam nihil penitus de festo.) His suffragatur consuet. Lyræ ita decernentes: „ (Quæcumque festivitas trium lect. vel XII. lect. in vigilia Pentecostes evenerit, Missam matutinalem habebit, ad Matutinum tertium ℟. de festo lect. quæ inscribitur ipso Sabbato, scilicet: *Quia hodie sancti Spiritus*: Evangelium non pronuntiatur, licet Lectiones sint de Evangelio. Feria VI. de festo erunt Vesperæ; post Missam matutinalem nihil penitus fiet de festo.) Tullenses vero sub distinctione hæc sanciunt: „ (Si festum XII. lect. in quo festo ad Matut. sit festive legendum, eveniat in Vigilia Pentecostes, totum officium usque ad Vesperas de festo dicatur, de vigilia non fiet commemoratio, nec ad Vesperas, nec ad Laudes: Si vero fest. XII. lect. in quo festo ad Matutines sit ferialiter legendum, cadat in Vigiliam Pentecostes, duo primi nocturni, & horæ diei de festo dicantur, tertius vero nocturnus, & Laudes de Vigilia erunt in hunc modum; Ad Cant.: *alleluja: Sic veniet*. Cantica: *Quis est iste: Venite: Expecta me*. ℣. *Excitare Domine*. Lectiones de Evangelio: *Si diligitis me* &c.) In Laudibus commemoratio de festo: „ (Si vero festum trium lectionum cadat in vigiliam Pentecostes, fiet de illo festo commemoratio tantum ad primas Vesperas & ad Laudes; reliquum officium de vigilia dicetur.) Missa matutinalis in Dionysianis consuet. consignatur: *Sicut oculi*; in lib. Usuum Becc. *De defunctis*; in Ordinario S. Petri supra Divam, & Comp. Sancti Cornelii consuetudinibus *de Beata Maria*.

V. Post Missam matutinalem, exeuntibus e capitulo locutio permissa erat in claustro; post Tertiam indictum ibidem silentium: Ita Udal. l. I. c. 23., Corb. Ord., cons. S. Benigni c. 66., & S. Dionysii in Francia: Eodem tempore, hoc est post Tertiam, ex Benignianis consuet. *infantes ibant in refectorio*.

VI. Post Sextam ascendebant dormitorium eodem modo, quo in Rogationibus, pulsabantque in lectis suis, donec audito ad officium signo vocarentur. Pulsabatur autem, ex veteri Cassinensium Ordinario, *octava hora mediante*; sed Corbejenses nostri Adrianum Papam „ (percuntati, qua hora in Sabbato Pentecostes conveniens sit ad Lectionum officium ingredi? Respondit ille, *hora sexta hoc fieri oportere*,) uti scribunt ipsi in pervetusto ordine pro majori hebdomada: & hanc fuisse communem aliorum monasteriorum consuetudinem existimo, nam quod post Sextam lectos petere jubentur, hoc penitus omittebant nostri Dionysiani, eratque apud alios potius meridianæ simulatio, quam vera dormitio; unde statim lotis manibus, & facie, pexisque capitibus, in chorum descendebant, ut colligitur ex prolixitate officii, & cœna, quæ Vesperas præcedebat.

VII. Audito ergo ad officium signo, conveniebant in chorum, ubi præmissa oratione, omnes albis induebantur ut legimus in Lyrensibus, Dionysianis, Compendiensibus, & Fontanellæ consuetudinibus, in utroque Tullensi, & S. Petri supra Divam Ordinario, & in Rituali Corbejensi; quamvis ex Statutis Lanfranci, & libro Usuum Beccensium ii soli albis essent induti, qui ministraturi, cantaturi, vel lecturi essent aliquid. Fontanellæ consuetudines addunt; „ (Cereus ante altare accendatur, & ardeat usque post Missam.)

VIII. „ (Deinde veniente Sacerdote cum ministris, *inquit Cassinense Ordin.*, indutis solemnibus indumentis, & sedentibus in locis suis ad altare, legatur in gradu Lectio prima absque pronuntiatione libri Genesis qui autem debent Lectiones legere, vel tractus cantare, induti albis lineis sicut in capite utriusque chori; & tractus ita canantur sicut in Sabbato sancto.) Ut ergo primum accessisset Sacerdos ad altare, nulla alia præmissa oratione, suam sedem petebat; quod præter Cassin. Ordinarium docent nos liber Usuum Becc., Rituale ejusdem monasterii, & cons. Lyræ, quæ Sacerdotis ad altare ingressum ita describunt: Fratres „ (revertentes per ablutorium in chorum, faciant orationem, & post induantur omnes albis paratis, Sacerdos indutus casula, XII. lect. cum Diacono tantum stola & manipulo, & duobus Conversis candelabra deferentibus, ingrediatur: Tunc non faciat orationem, nec confessionem; sed inclinet tantum ad altare, & sic eat sedere; & Conversi deponant candelabra.) Quibus suffragatur Missale Casalis Benedicti, cujus Rubricæ in vigilia Pentecostes hæc habent: (Post Sextam „ (Sacerdos indutus casula, ministri vero stola, & manipulo: absque luminaribus, & incenso, e sacrario prodeunt, factaque reverentia ante altare, in locis suis sedent;) sed ex Ord. S. Petri supra Divam „ (Abbas Sacerdotalibus vestimentis ornatus veniebat ad altare dicens orationem: *Deus qui Sacramento*.) Cartusienses vero ex Ordinario suo c. 52., & Grandimontenses ex consuet. Guillelmi Pellicerii primi Abbatis Grand. c. 22. Lectionibus confessionem præmittebant.

IX. Lectiones dumtaxat quatuor legebant; & quidem ubique easdem, scilicet 1. *Tentavit Deus*, 2. *Scripsit Moyses*, 3. *Apprehendent septem mulieres*, 4. *Audi Israel*. In Concordia Dunstani secunda, & tertia Lectio notantur, *Apprehendent*; sed esse Typographi errorem mihi dubium non est. In solo S. Petri supra Divam Ordinario quinque Lectiones assignatas deprehendi, easque ab aliis diversas scilicet, 1. *Tentavit Deus*, 2. *Mense tertio*, 3. *Nunciavit*, 4. *Apprehendet*, 5. *Hæc est hebdomada*; ex quibus primam legebat Prior, alias alii ordine antiquiores. Eumdem ordinem in legendis Lect. observabant nostri Tullenses, & Cartusienses. Ast in consuetudinibus Lyræ ad primam Lectionem inscribitur Prior, ad secundam Cantor, ad tertiam quilibet ex senioribus. Modum autem Lectiones legendi ita describit Tullense Ordinarium, scilicet *sine titulo, & festive, media nota subtracta*. Ex eodem Ordinario prima Lectione incepta, Sacerdos ingrediebatur ad altare *sine aliquo processionis apparatu*.

X. Singulas Lectiones sequebantur singulæ collectæ, quibus post secundam, tertiamque Lectionem præmittebatur tractus cantandus e duobus; post quartam vero Lectionem duæ dicebantur collectæ, quibus interserebatur tractus. *Sicut cervus*. Has collectas sine salutatione, seu sine *Dominus vobiscum*, & sine *Flectamus genua* dicebant. Primus vero tractus: *Attende cælum*, ex Tullensi Ordin. „ (a duobus Presbyteris superioris gradus cantabatur, secundus; *Vinea facta*, item a duobus Presbyteris mediocris gradus, tertius: *Sicut cervus*, tandem a duobus juvenibus.)

XI. Ultimam collectam excipiebat letania trina, seu tripla, ut in Vigilia Paschæ, & quidem a duobus *in cappis* cantanda, ex Lanfranci Statutis, & lib. Usuum Becc. Quid autem esset letania *tripla*, docet nos Tullense S. Apri Ordinarium ita decernens: „ (Cantetur letania puerilis a duobus, qui cantaverant: *Sicut cervus*, & fit trina in hunc modum: Illi duo, qui cantant, primo pronunciant, dexter chorus respondet eis, dextroque sinister.) Itaque tripla letania hæc erat, cujus singulæ Sanctorum invocationes ter pronunciabantur. Addit idem Ordinarium: „ (Cumque dictum fuerit: *Per sanctam Resurrectionem tuam*, dicatur: *Per Adventum Spiritus sancti Paracliti, libera. In die judicii, libera*, & cum dictum fuerit; *Ut fructus terræ dare, & conservare digneris*, dicitur: *Ut gratiam Spiritus sancti cordibus nostris clementer infundas, Te rog. Ut nostri misereri digneris*.)

XII. Dionysiani, & Compendienses duas cantabant letanias, unam quinam procedendo ad fontes, alteram ternam inde revertendo; quod ita describunt in suis consuetudinibus: „ (Post orationem eant ad fontes cantantes quinam letaniam, & Acolythus ferat crisma, & alius crucem, & alii duo ferant candelabra; & benedicantur fontes ordine ipso, quo & in Vigilia Paschæ, & antequam crisma mittatur in fontibus, accipiat Capicerius aquam in uno vase, & servet eam usque in crastinum; quia in die Pentecostes non fit aqua benedicta. Post incipiat Cantor ℣. *Tibi laus*; deinde redeuntes in choro, incipiatur a duobus terna letania.) Hactenus Dionysianæ cons. Idem habent Compendienses.

XIII. His duobus letaniis tertiam septenam præmittebat Dunstanus, cujus Concordia hæc habet: „ (Finita oratione, inchoantur letaniæ septenæ ad introitum ante altare: Postea descendat Abbas cum schola canente letanias quinas ad fontes benedicendos, sequitur oratio, & præfatio. His expletis, redeunt ad altare cum letania terna.) Tres etiam letanias dicebant nostri Corbejenses, ut discimus ex eorum Rituali: „ (Finitis tractibus, *inquit*, dicetur prima letania, & secunda sicut in Vigilia Paschæ, & erit Domnus Abbas indutus de cappa rubea, & ibimus omnes ad fontes benedicendos ad Ecclesiam S. Leonardi cum processione decenti, sicut fecimus in Vigilia Paschæ; & fontibus benedictis, tertia litania dicetur; & quando dicetur *Per gratiam sancti Spiritus paracliti*, revertemus omnes in choro.)

XIV. Sub finem litaniæ, dicto *Accendite*, ut supra Sabbato sancto accendebatur cereus benedictus, & alia altaris luminaria, nam prius „ (unus cereus solummodo ante illam

„ horam debet esse accensus ante altare,) ut notat Lanfrancus, omniaque monasterii signa pulsabantur; sive tunc ut habent cons. S. Benigni, sive imposito *Kyrie eleison*, ut praescribit Lanfrancus: sive ad *Gloria in excelsis*, ut aliis mos fuit.

XV. „ (Interim vero venit Sacerdos praecedentibus „ ministris, cum thuribulo, & candelabris, & texto; „ positoque texto super altare, facta oratione, dataque „ confessione, cessantique signis, dicitur *Gloria in excelsis*.) Ita Benigniense consuet. Imponebat autem hymnum angelicum, *deferente et Cantore*, ex Ord. Tull., vel *sine annuntiatione Cantoris*, ut habet lib. Usuum Beccensium.

XVI. Hæc Missa, cui apud Dionysianos assistebant *duo procedentes*, omnino festive cantabatur, ut in vigilia Paschæ, cum unica collecta. Post Epistolam: *Alleluja*, *Confitemini* a duobus, qui post versum repetebant *alleluja*. „ (Postea, *inquit Tullense Ord.*, Cantor incipiat tractum „ *Laudate Dominum omnes*; primum ℣. cantat chorus „ dexter, & similiter alium, & in fine dicat uterque cho„ rus; *Et veritas Domini*. Interim eat Diaconus ad le„ gendum Evangelium, & cum eo Subdiaconus, cum „ Thuribulario, & Ceroferariis.) Cantabatur porro Evangelium *in lectorio*, ex cons. Comp.

XVII. „ (Finito Evangelio, *pergunt Benigniana cons.* „ infirmi audiunt in oratorio suo Missam a *Kyrie*, incep„ tam; & postea Nonam, & reficiunt. Eodem modo „ in Sabbato sancto audiant Missam, & reficiunt.) Idem habet Corbejense Ord. Ad pacem ibant omnes, qui poterant, *Agnus Dei*, simul cum communione dicebant, & non generaliter communicabant. „ (Denique ad finem Mis„ sæ, *inquiunt Benigniana cons.* pulsatur signum quotidia„ num ad t a., fit oratio super genua, exuitur Sacerdos „ cum ministris, cantatur Nona, itur in refectorium.) Atque ita communiter in aliis monasteriis; sed Cassinenses Missæ Nonam præmisisse videntur. Post prandium, seu potius cœnam sedebant in claustro: Dionysiani vero dormiebant usque ad Vesperas.

CAPUT XXII.

De Pentecoste, & ejus septimana.

I. UT Vigiliæ Paschæ pene per omnia similis erat Vigilia Pentecostes; ita & inter utrasque reverendissimas has solemnitates nulla, aut certe via ulla, reperire erat discrepantia; neque enim Adventui Spiritus sancti minus deferendum putarunt antiqui, quam Dominicæ Resurrectioni; unde & eosdem pene ubique ritus, & observantias advertere licet. Primas Vesperas omnes *albis* indutis cantabant nostri Dionysiani, & Compendienses, quod in aliis multis monasteriis observatum fuisse mihi dubium non est. Omnes *psalmi feriales* sub unica antiphona ex Udalrico, Ord. Corb., cons. S. Benigni, S. Dionysii, & S. Cornelii: sed ex Ordinario Tullensi, & Fontanellensi, hi dicebantur psalmi: *Laudate pueri*; *Laudate Dominum omnes gentes*; *Lauda anima mea Dominum quoniam*; *Lauda Jerusalem*: ℟. a quatuor *in cappis*: Reliqua omnia ut moris erat in hujusmodi solemnitatibus. Preces solitæ non dicebantur, sed pro eis unus de festo versiculus: ita ex Ord. Tullensi, quod cum *alleluja*, *Benedicamus Domino* dici præscribit; & infra addit: „ (Hac etiam nocte post „ Completorium portet Sacrista incensum, sicut ordinatum „ est in Ordinario de officiis Sacristæ.)

II. Nocturnas vigilias eodem ritu celebrabant, quo in Resurrectione Dominica; hoc est in albis, vel cappis, præmissa altarium thurificatione, &c. Iis pene dumtaxat exceptis, quæ ad utramque solemnitatem specialius pertinebant; hinc nonnulli Regularem Sancti Benedicti ordinem in psalmis, Lectionibus, Responsoriis, alii Clericorum observabant: Ita S. Dunstanus „ (illa Dominica, „ est, nocte tribus psalmis, totidemque Lectionibus, „ cum ℟. agitur nocturna laus.) Idem videre est in Ordinario Tullensi, & Dionys. Compendiensibusque consuetudinibus: Dionysianæ hæc scribunt: „ (Ad initium „ Matutinarum sonet classicum, & non dicantur quindecim „ psalmi. Matutinæ eodem ordine celebrentur, quo & „ in die Paschæ. Primitus incipiatur: *Domine labia*, & „ post, *Deus in adjutorium*. Post *Gloria Patri* cantent „ inter duo altaria a quatuor in cappis Invitatorium: „ *alleluja: Spiritus Domini*. Illi quatuor, qui cantave„ rint, in choro remaneant, & non cantetur hymnus; sed „ incipiat Hebdomadarius super psalmos antiphonam: „ *Factus est repente*. Psal. *Magnus*. Antiphona *Confirma* „ Psal. *Exurgat Deus*. Antiphona: *Emitte spiritum* „ *tuum*. Psal. *Benedic* 11. ℣. *Confirma*. Tres Lectiones „ de Evangelio: *Si quis diligit*; a Diacono, ut in die „ Paschæ, aliæ duæ lectionem in cappis legantur. ℟. *Dum complerentur* a quatuor, qui chorum tenent, ℣ *Repleti sunt*, non dicatur *Gloria Patri*. Ad unamquamque lectionem deferantur duo thuribula. Secundum „ ℟. a quinque prioribus in cappis. *Repleti sunt*. ℣. *Loquebantur variis*, non dicatur *Gloria Patri*. Tertium „ ℟. *Advenit ignis*, ℣. *Invenit eos*, a septem in cappis, „ & dicatur *Gloria Patri*, & post gloriam repetatur: *Te* „ *Deum laudamus*. ℣. *Repleti sunt*. Omnes legentes, & „ cantantes remaneant in cappis in choro usque post Ma„ tutinum.) Ex Tullensi etiam S. Apri Ordinario, Abbas indutus cappa nocturnum officium incipiebat a ℣. *Domine labia*: „ (Invitatorium cantabatur a septem in al„ bis, & cappis, scilicet a Cantore, & duobus Hebdoma„ dariis, & aliis quatuor in tabella nominatis.) Primam Lectionem Diaconus, secundam Prior, tertiam Abbas, omnes in cappis, similiter & ℟. in cappis cantabantur, „ (& ad quamlibet Lectionem, *inquit*, debet incensum „ portari a duobus Presbyteris albis, & cappis indutis, „ quibus Sacrista injunxerit; qui Sacrista a junioribus „ Presbyteris incipiat gradatim ascendendo.) Primum ℟. a duobus inferioribus Presbyteris, secundum a duobus Presbyteris mediocribus, tertium a tribus, scilicet a Cantore, & aliis duobus fratribus, & ad unumquodque *Gloria Patri* dicebatur, qua dicta in tertio ℟., a Cantoribus iterum imponebatur idem ℟., illudque chorus prosequebatur.

III. Ad Laudes singulis psalmis singulæ permittebantur antiphonæ; primam imponebat Hebdomadarius, reliquas Priores; sive ut loquitur Tullense Ordinarium, Domini, quibus Cantor prænuntiaverit. Psalmus *Deus misereatur*, psalmo *Deus Deus meus* subjungebatur. Capitulum *Cum complerentur*. ℣. *Spiritus Domini replevit*, omisso hymno & ℟., sed Tullenses & capitulum, & ℟., & hymnum & ℣. prætermittebant; statimque finita quinta antiphona, incipiebatur „ (ab Abbate prænuntiata sibi a Can„ tore antiphona, ad *Benedictus*,) quæ ex Dionysianis cons. *ter* dicebatur; eaque finita, omissa oratione Dominica, statim dicto *Dominus vobiscum*, subjungebatur collecta; deinde *Benedicamus Domino* cum *alleluja*. Addit Tullense Ordinarium: „ (Deinde hebdomadarii coquinæ „ egredientes accipiant benedictionem, Hebdomadarius „ Missæ dicat collectam; ita tamen si Abbas faciat offi„ cium: qua dicta Domnus Abbas, Præpositus, duo Heb„ domadarii coquinæ ingredientes, accipiant benedictio„ nem; Hebdomadarius Missæ dicat collectam, si Ab„ bas faciat officium, & sic finiuntur Matutinæ.) Nimirum ut in Natali, & Resurrectione Domini, ita & in Pentecoste Abbas coquinæ officium exercebat. Tandem ita concludit: „ (Nulla fiat comm. nec Matutinæ B. Ma„ riæ in conventu hac nocte dicuntur. *Verba mea* post „ Laudes non dicimus, nec post capitulum, nec psalmos „ familiares ad Horas usque ad feriam v. sequentem.)

IV. Qui vero regularem S. Benedicti cursum sequebantur, ut præscribunt Lanfrancus, Udalricus, cons. S. Benigni, & Corbejense Ord. ii singulos nocturnos sub singulis antiphonis cantabant, quarum tamen melodia cum alleluja non iterabatur. Psalmi erant de Dominica. Octo Lectiones *de expositione Beati Augustini super Evangelium: Si diligitis*, ut præscribit Corbejense Ordinarium. Reliqua omnia ut in Pascha.

V. Ad Primam, aliasque diurnas horas jam Regularem S. Benedicti ordinem omnes ubique observabant, ut patet ex Dunstano, & aliis; eundemque per totam Hebdomadam tam nocte, quam die sequebantur: Duas vero strophas de festo ad hymnum cujusque Horæ tam in die, quam infra ejus octavam addebant, excepto forte ad Tertiam.

VI. Porro ad Primam debebat Thesaurarius „ (centum „ pauperes procurare de pane, & vino, & carne, aut „ tres minutas singulis dare, *ex consuet. S. Benedicti Floriacensis*.) Similiter ex antiquo Corbejensi Ordinario, „ (Secretarius in ipso die Pentecostes pascit de pane, & „ vino, & carne tot pauperes, quot fratres fuerint in „ monasterio, & pro eo dicitur ad majorem Missam „ sub silentio collecta: *Omnipotens sempiterne Deus miserere famuli*, post primam collectam,) (e) cons. Floriacenses addunt: „ (In capitulo fit absolutio, & omnes „ debent esse.)

VII. Capitulum autem præcedebat Missa matutinalis de die cum ℣. ad Introitum ex Rit. Corb., & unico *Alleluja*, ex Ord. Tullensi: In ea pueri communicabant ex cons. S. Dionysii.

VIII. Ad Missas privatim quod attinet, hæc lego in præfato Corbejensi Rituali: „ (In Vigilia Pentecostes, & „ in

(e) Vide Statuta S. Hugonis Abbatis Cluniac. in Bibliotheca Cluniac., vel ejus vitam auct. Anonym. n. 16. apud Boll. 29. Apr.

„ in die omnes Presbyteri debent dicere Missas suas, &
„ in die pueri, & infirmi debent se communicare;) &
in Ordinario Tullensi: „ (Die sancto Pentecostes e ma-
„ ne usque ad processionem fratres, qui privatas Missas ce-
„ lebrare voluerint, possunt cantare, ut processioni cum
„ ceteris possint interesse.)

IX. Ex eodem Ordinario Tullensi, post Missam matutinalem Hebdomadarius Missæ faciebat aquam benedictam, quam dum benediceret, Cantor dividebat cappas, & dalmaticas. Benedicta aqua per chorum aspergebatur, & ut Dominicis mos erat, per claustrum, aliasque officinas deferebatur. Interim præparabant se pueri, & ministri, qui cruces, textusque delaturi erant, quibus præparatis, solemnis per claustrum fiebat processio, quam sequebatur Tertia. Dionysiani hac die aquam non consecrabant, sed ex benedicta pridie omnes monasterii officinas, dum cantabatur Tertia, per unum Sacerdotem aspergebant.

X. Ut autem Tullensium eims prosequamur „ (finita
„ processione, *inquiunt in suo Ordinario*, & reversis in cho-
„ rum fratribus, significet Cantor septem Cantoribus
„ cappis rubeis indutis, qui eant ad gradum ante al-
„ tare, & accipiant cereos ardentes ad gradum sub lampa-
„ sio e Sacrista positos, & incepta Tertia incipiatur ab ipsis
„ hymnus *Veni creator*, cereosque ardentes in manibus
„ teneant, & cantent vicissim dictum hymnum; ipsi
„ unum ℣., & chorus alium. Cantor autem chorum
„ regat, finitoque hymno prædicto prædicti septem Can-
„ tores deponant cereos in loco, quo eos prius accepe-
„ rent, & revertatur quisque eorum ad stallum suum in
„ choro; Cantor autem in medio choro stans, de quocum-
„ que choro sit hebdomada, incipiat hanc antiphonam:
„ *Non vos relinquam*,) &c.

XI. Ad hymnum: *Veni creator*, (a) qui ex Benignianis consuetudinibus, & Ordinario Corbejensi ad solam Tertiam per quatuor dumtaxat dies cantabatur; omnes petebant veniam, „ (& thus multum accendatur ante altaria,
„ *inquiunt Dionysiana conf.* ut ante fumo odorifero replea-
„ tur ecclesia.) Similiter & Compendienses: „ (Tantum
„ thuris ante majus altare, & minus, & ante Crucifi-
„ xum accendatur, ut tota repleatur ecclesia.) Apud Corbejenses autem projiciebatur ignis cum aqua de campanili, quamdiu conventus prædictum hymnum decantaret, ex Rituali monasterii Corbejensis. Hic maxime notandum id, quod in MS. Fontanellensis Cœnobii consuetudinibus legitur: „ (His quatuor diebus, accensis septem cereis in
„ candelabro, domnus Abbas monitu cantoris incipiat hym-
„ num *Veni creator*; ad cujus invocationem tam claustrales,
„ & præpositi, & etiam infirmi, exceptis omnino debili-
„ bus, sine excusatione omnes convenient.)

XII. Processio solemnis eodem modo, quo in die Paschæ, sicuti & Missa, cujus Introitus ex Ordinario Tullensi ter cantabatur, unde & versus ad eum duo dicebantur, ut discimus ex Benignianis conf. & Ord. Corbejensi, scilicet: *Exurgat Deus*, & *Confirma hoc Deus*. Antiphona ante Evangelium apud Dionysianos, & Compendienses: *Hodie completi sunt*. Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria. Denique „ (hac die Diaconus tot hostias conse-
„ crandas apponat, *inquit Tullense Ordinarium*, ut in ipso
„ die fratribus, qui non celebraverint, Conversisque, &
„ sororibus sacra communio sufficiat.)

XIII. Vesperas, ut pridie in *albis*, ex Dionysianis, & Comp. conf. cantabant; psalmos omnes Dominicales sub una antiphona; sed Tullenses eos repetebant, quos in primis Vesperis cantaverant; reliqua omnia, ut in solemnioribus festis.

XIV. Infra hebdomadam omnia, ut in hebdomada Paschali, nisi quod regularem S. Benedicti cursum omnes ubique observabant. Tribus sequentibus diebus, hoc est fer. 2., 3. & 4., Invitatorium ad Nocturnos a duobus in cappis, ex Dionys., & Ord. Tullensi. Psalmi utriusque nocturni de feria sub unica antiphona. Tres Lectiones, quarum primam legebat Diaconus, de Evangelio cum tribus ℟. ex quibus primum cantabat Hebdomadarius. Missa matutinalis de die *Spiritus*; major propria in cappis, vel saltem, ut præscribit Tullense Ordin. cum Parisiensibus S. Germani consuetudinibus, in albis: ad Vesperas psalmi de die Pentecostes sub unica antiphona, cetera ut in hebdomada Paschæ. Cassinenses infra hanc hebdomadam Missam matutinalem non cantabant.

XV. Ceterum sicut in hebdomada Paschali ita & in hac, qua de agimus, solemnes extra monasterium processiones agebant, cujus rei exemplum videre est in vita S. Winoci Abbatis c. 17. sæc. 3. part. 1., cujus corpus quotannis ad locum pristinæ quietis deferebatur, cum Adventum Spiritus sancti celebrat Ecclesia: aliud nobis suppeditat Anonymus in vit. Aldrici Episcopi Senonensis sæc. 4. part. 1. p. 575. his verbis: „ (Erat autem consuetu-
„ do, quod Ferrariensis cœnobii congregatio finita festivitate
„ Pentecostes cum solemni pompa singulis annis castrum
„ Nantonis peteret, obsequia devotionis redditura, &
„ suffragia SS. petitura.] Sed & in monasterio S. Theoderici unus ex monachis feria 3. post Pentecosten sacras ejusdem Sancti reliquias ad solemnem processionem Remos deferebat; ut videre est in historia MS. illius monasterii ad an. 1289.

XVI. Feria quarta, item sexta, & Sabbato solemne jejunium celebrare solemus. Istud jejunium, quod Quatuor temporum appellamus, celebrabant olim nostri Cassinenses hebdomada secunda mensis Junii usque ad Nonam, ut discimus ex antiquo Ordin. Cassinensi circa Bertharii Abbatis tempora descripto, hoc est circa finem sæculi IX. Eodem tempore etiam observandum præscribunt Concilium Moguntinum sub Carolo Magno Imperatore, cui 30. Episcopi, Abbates 25. interfuerunt, can. 34. Aliud Concilium item Moguntinum sub Henrico secundo Imperatore, cui interfuere Episcopi duodecim, quod citat Micrologus in libro de observationibus ecclesiasticis c. 25., & Concilium Rothomagense anno 1072. ut refert Odericus l. 4. hist.

XVII. Alii statim post Dominicam Ascensionem istud jejunium celebrabant, ut patet ex S. Isidoro lib. 1. de eccl. offic. c. 37., cujus hæc verba: „ (Secundum jeju-
„ nium est, quod juxta canones post Pentecosten alio die
„ inchoatur, secundum quod & Moyses ait: Initio men-
„ sis Hordearii facietis vobis hebdomadas septem. Hoc
„ jejunium a plerisque ex authoritate Evangelii post Domi-
„ ni Ascensionem completur, testimonium illud Do-
„ minicum historialiter accipientibus, ubi dicit: *Numquid*
„ *possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus,*
„ *venient autem dies, quando auferetur ab illis sponsus, &*
„ *tunc jejunabunt* &c.) Sed Gregorius Papa septimus, teste Micrologo in libro de observationibus ecclesiasticis c. 25. istud jejunium Apostolica authoritate ad hebdomadam Pentecostes revocavit, cujus decreto statim paruerunt omnes passim monachi, inprimis Cassinenses, qui ex Ordinario temporibus Oderisii Abbatis descripto, *intra ipsas octavas* Pentecostes jejunabant. Similiter & Divionenses S. Benigni, quorum ex consuetudinibus cap. 66.
„ (numquam ante Pentecosten, vel post octavas ipsius ...
„ sed in ipsa hebdomada Pentecostes secundum authorita-
„ tem doctorum) fiebat hoc jejunium; sed & Micrologus loco supra citato probat authoritate S. Leonis Papæ, S. Gregorii Magni, & S. Hieronymi æstivale Quatuor temporum jejunium ab antiquis infra hebdomadam Pentecostes celebratum fuisse: & certe hoc exigebat ipsius officium, quod ad Pentecosten omnino pertinebat, ut patet ex Udalrico l. 1. c. 27., & Ordin. Corbejensi, ubi præscribitur, ut hoc jejunium, „ (si contigerit extra Pente-
„ costen, non alia tamen officia, quam & ad Pentecosten
„ pertinentia, ex more cantentur.)

XVIII. Quod spectat ad ritus hoc in jejunio observari solitos, Feria quarta Missa matutinalis de die, hoc est *Spiritus*, solemniter omnino cantabatur, quapropter audito ad Tertiam signo omnes conveniebant in chorum ubi facta oratione, albis induebantur; tum cantata Tertia omnes cappas accipiebant: Ita ex Udalrico l. 1. c. 27., Dionysianis conf., & Rituali Beccensis monasterii. Idem præscribunt Divionenses S. Benigni consuetudines, & Corbejense Ordinarium; sed solis dumtaxat *Cantoribus*, quo nomine intelligo non solum eos, qui chorum ex officio regebant; sed omnem cantantium chorum, hoc est omnes qui canebant in choro. Ex consuetudinibus autem S. Germani e Pratis, & B. Mariæ de Lyra, atque Tullensi S. Apri Ord. hæc Missa solum cantabatur in albis, eratque eadem, quæ in festo Pentecostes, excepta epistola, quæ ex Actibus Apostolorum, sicut & Evangelium, de præsenti feria legebatur. Post Sextam cantabatur Missa de jejunio, de qua hæc vetus Cassinense Ordinarium: „ (In quibus
„ videlicet jejuniis extra aliorum consuetudinem jejuniorum,
„ & hymnus Angelicus, & symbolum, & præfatio
„ canantur; ministri quoque altaris non planetis, sed dal-
„ maticis, & tunicis induantur; neque genua ad oratio-
„ nes flectantur;) & tamen Dunstani Concordia: „ (Il-
„ la, *ait*, hebdomada Pentecostes solemniter celebra-
„ tur, sicut Paschalis; excepto quod jejuniorum diebus
„ *Gloria in excelsis Deo* non canitur, & *Alleluja* pro gra-
„ dualibus canitur, & Vesperæ de omnibus SS. dicuntur;)
& Dio-

(a) Hymnus, *Veni creator*, ad Tertiam non canebatur ante S. Hugonem, qui illum hanc ad horam in die Pentecoste dicendum instituit, si credimus Anonymo in ejus vita n. 16. apud Boll. 29. April.

& Dionysianæ consuetudines „ (ad hanc Missam non di„ catur *Gloria in excelsis*.) Idem habet. lib. Usuum Cisterc.

XIX. Hanc porro Missam celebrabat Hebdomadarius præteritæ hebdomadæ, in qua duæ Collectæ, duæque Lectiones dicebantur. Primæ Collectæ præmittebant *Dominus vobiscum*, sine *Flectamus genua*. Oratio: *Mentes nostras*, quam sequebatur prima lectio „ (ab uno puero in „ alba, & cum titulo cantanda, *ex Ordinario Tullensi*, „ postea *alleluja*, & ℣., secunda oratio sine *Dominus vo-* „ *biscum*, sed tantum: Oremus *Præsta quæsumus omnipo-* „ *tens Deus*.) Denique „ (nec offertur, nec pax recipi„ tur nisi ab uno, & non tantum hostia, *inquit Corbejensis* „ *Ordin.*,) cui consentit Udalricus l. 1. c. 27. Cistercienses Missam matutinalem de jejunio, post Tertiam Missam de die solemniter decantabant, ex lib. Usuum c. 32.

XX. Ad refectionem, quam ad sx. agebant, solitæ non offerebantur, oblatæ, atque ab adipe abstinebant. Ita Cluniacenses ex Udalrico lib. 2. c. 27., & Corbejenses ex Ordinario.

XXI. Hæc potissimum ad feriam IV. pertinent; de VI. vero, & Sabbato ita scribit Udalricus: „ (In diebus „ jejunii secularis, nihil est aliter agendum, excepto „ quod nec cappis, nec albis generaliter induuntur, & „ collectæ, quæ dicuntur in privatis diebus ad Missam „ majorem, non ommittuntur... & in Sabbato post offeren„ dam, qui ℟. cantaverit, & Lectionem legerit, „ præter epistolam, cum albis esset indutus, solet se exuere. „ Cantor qui tenet chorum in cappa, aliis ad orationem „ procumbentibus, non procumbit; & ad illam orationem, „ quæ fit ante Nonam, exit de choro.) Idem fere habent Benignianæ cons. c. 66., & Corb. Ord. Præterea Sabbato major Missa non præveniebatur litania, ex eodem Udalrico. Insuper omnes Lectiones *in albis cum titulo* legebantur a pueris, ex Ord. Tullensi, easque non ℟. sed *alleluja* sequebantur, quas *de ipsis feriis* ex Ord. Cassinensi repetebantur. Finita Nona Paschale tempus finiebat. At Cistercienses feria post Pentecosten secunda alleluja dimittebant, ex l. Us. c. 31. De silentio tota hac hebdomada servando nihil hic præter ea, quæ diximus, ubi de oct. Natalis Domini, & de septimana Paschali.

CAPUT XXIII.

De festo SS. Trinitatis.

I. ETsi Sanctissimæ Trinitatis festum apud veteres monachos passim celebratum fuisse non videatur, ut patet ex Bernona Abbate Augiensi in lib. de quibusdam rebus ad Missam spectantibus c. 3., ubi probat octavam Pentecostes hac die celebrandam esse; ex Micrologo in lib. de ecclesiasticis observationibus, ubi negat, improbatque hac die festum SS. Trinitatis celebrari debere; quia Dominici dies ejus honori deputati sunt; ex Statutis Lanfranci c. 60., in quibus *ad utramque Missam* assignatur Introitus: *Spiritus Domini*, ut in die Pentecostes, non de Trinitate; ex veteri Cassinensium Ordinario tempore Oderisii Abbatis descripto, in quo præscribitur, ut „ (Do„ minica octava Pentecostes antiphona ad Invitatorium, „ hymnus sicut in die; Lect. 7. fiant de sermone S. Au„ gustini: *Erat homo*, octava de libro Regum, cum ℟. „ *Præparate*. In tertia vigilia legatur de homilia ... Ad „ Primam antiphona, *Spiritus Sanctus*.... Antiphona ad „ Vesperas, sicut in die.) Denique ex Radulpho Tungrensi, qui sub finem sæc. decimi quarti florebat, in libro de observantia Canonum, propositione 16. ubi sic loquitur: „ (Super octava vero Pentecostes magna est adhuc diversi„ tas. Cum enim Romani in hac Dominica imponerent „ historiam Regum, nec servarent festum Trinitatis; a„ liquæ nationes, ut Alemanni, eadem die servant octavas „ Pentecostes in hebdomada, & Dominica sequenti, ser„ vantes officium Trinitatis. Alii, ut Gallici, plures illo „ die plenum faciunt festum Trinitatis cum octavis ma„ joribus. Hodiernis vero temporibus Romæ, & in curia „ Romana solemnis habetur festivitas S. Trinitatis in octa„ va supra dicta, quod etiam plures Alemanni ceperunt „ sequi postea.)

II. Constat tamen, festum SS. Trinitatis esse antiquissimum, ejus officium cuidam Stephano Leodiensi attribuit Micrologus loco citato (not. in l. 11. p. 163.) immo reperitur ejus Missa in libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ, unde Menardus, „ (non est dubium, *inquit*, quin „ fuerit olim celebratum; sed postea intermissum, tan„ demque a Romanis Pontificibus instauratum.) Certe aliqualem ejus solemnitatem factam fuisse Dominica ante Adventum ostendimus in 2. hujus libri capite; an vero etiam hac Dominica? Quidquid sit, certissimum est, multis jam abhinc sæculis debitum SS. Trinitati honorem hac die apud monachos speciali festo redditum fuisse, quod probat in primis Concordia Dunstani: „ (Rursus in octa„ vis, Dominica non repetitur: *Spiritus Domini*, eo „ quod septem tantum colimus dona Spiritus sancti, sed „ agitur illa hebdomada de sancta Trinitate;) Drogo Bergensis monachus in libro Mirac. S. Winoci Abbatis c. 4. sæc. 3. par. 1. „ (Mos habetur mortalibus Bergen„ sis pagi, ut octavis Pentecostes, die scilicet, qua SS. „ Trinitatis unius ac veri Dei commemoratio recolendo „ celebratur, seu celebrando recolitur, deportari ossa Ve„ nerabilis Patris Winoci, utriusque sexus sequente multi„ tudine &c.) Udalricus l. 1. c. 25. „ (octavus dies Pen„ tecostes non tam pro octavo, quam pro commemoratio„ ne sanctæ Trinitatis celebratur.) Liber consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 66., & Ord. Corbejense, in quibus eadem verba leguntur, liber Usuum Cisterciensium c. 32., ubi de Sabbato post Pentecosten, „ (in quo „ Sabbato nihil est ad Vesperas cantandum de festo Pen„ tecostes, sed de sancta Trinitate.) Denique omnes nostri codices Ordinariorum aut consuetudinum. Ac demum ubique tam apud Clericos, quam apud monachos generaliter receptum fuit. Extat hac de re bulla Benedicti Papæ XIII. in qua per universam ecclesiam festum SS. Trinitatis celebrari præcipit eodem ritu, & solemnitate, quibus festa Nativitatis, Resurrectionisque Dominicæ, pareisque indulgentias concedit, atque in festo Corporis Christi.

III. Quod spectat ad ritus hac in die observari solitos, erant certe solemnissimi; saltem in præcipuis, & omnibus passim monasteriis. Hinc S. Petri supra Divam Ordinarium: „ (In octava Pentecostes celebretur annualiter „ solemnitas sanctæ, & individuæ Trinitatis.) „ (Ad cujus „ priores Vesperas, *inquit Udalricus*, quod alias raro fieri „ solet, super singulos psalmos singulæ cantantur antiphonæ „ de sancta Trinitate;) quæ verba denotant magnam omnino festivitatem. Istæ antiphonæ, ut discimus ex Ordinario Tullensi, & Compendiensibus S. Cornelii consuetud. erant *Gloria tibi Trinitas*: *Laus & perennis*: *Gloria laudis*; *Laus Deo Patri*: quæ etiam modo cantamus, & videre est in MS. Breviario S. Germani a Pratis, & in edito Casalis Benedicti. Primam ex Ordinario Tullensi, & cons. Lyræ imponebat Hebdomadarius; reliquas, seniores, seu primi ex fratribus, quibus consentire videntur Compendienses S. Cornelii consuet. Ex vetusto tamen Corbejensi Ordinario illas imponebant *Infantes*; sed hoc fieri prohibent Divionenses S. Benigni cons. c. 66. In regali S. Dionysii prope Parisios monasterio unica super psalmos dicebatur antiphona: *Gloria tibi Trinitas*; Psalmi autem tum ex prædictis cons. quam ex Compendiensibus, Ordinario, Tullensi, & Breviario MS. S. Germani a Pratis erant de feria: *Confiteantur* &c.

IV. Capitulum apud Udalricum l. 1. c. 25. in Ordinario Corbejensi, & Breviario S. Germani a Pratis notatur: *Benedictio & claritas*; in Ordinario Tullensi, Dionysianis, Compendiensibus cons. *Benedictus Deus & Pater*; in Lyrensis monasterii cons. *Gratia Domini*, denique in Ordinario S. Petri supra Divam, & Breviario Casalis Benedicti: *O altitudo divitiarum*.

V. Responsorium: *Benedictus Dominus*, pro quo in Ordin. S. Petri supra Divam; *Honor virtus*; & in Breviario S. Germani; *Magnus Dominus*, ex Dionysianis, Compendiensibusque cons. a quatuor in *cappis* cantabatur ex Ord. Tullensi „ (a duobus Hebdomadariis in albis & „ cappis.)

VI. Hymnus: *O lux Beata Trinitas*, pro quo cons. Lyræ, & Ordin. S. Petri supra Divam; *Adesto Sancta Trinitas*. ℣. sequens ex Ordin. Corbejensi, & Tullensi, Breviariis S. Germani, & Casalis Benedicti; *Verbo Domini cœli* &c., sed Dionysianæ, Compendiensesque cons. habent: *Benedicamus Patrem*. Antiphona ad *Magnificat*: *Gratias tibi Deus*, quæ ex Dionysianis cons. duplicari debebat. Hic duo deferebantur thuribula, ex dictis consuet., unicum ab Hebdomadario Missæ albe, & cappa induto ex Ord. Tullensi. Collecta *Omnipotens* &c., *Benedicamus Domino*, sine *alleluja*, & sine comm., oct. Pentecostes, Consuet. Lyræ assignant primam comm. de festo, si occurrerat; secundam de S. Maria. Post quam fiebat processio ad Crucifixum cum antiphona: *O Crux*, pro qua Benignianæ cons., Corb. Ordinarium, sicut & Tullense assignat ℟., versum, & collectam de Trinitate. Compendienses procedebant ad altare SS. Trinitatis, cum ℟. *Summæ Trinitati* cujus versus, *Benedictus es Domine*, cantabatur a quatuor.

VII. De nocturnis pauca hæc habent Divionenses S. Benigni consuetudines: „ (Ad nocturnos omnia signa „ pro scilla pulsantur, & omnia in ipsa festivitate fiunt

quæ-

„ quæcumque in quinque præcipuis aguntur; excepto quod „ ad nocturnos tria pallia super altare non ponuntur, & „ octavum ℞. non repetitur, & ornamentorum apparatus „ in processione non defertur.) Idem habet Corbejense Ordinarium, additque: „ (& quod sequentia ad Missam non „ dicitur; sed neuma de *Benedicta semper*; item & quod „ hercia non illuminatur) ad nocturnos, sed res paullo superius repetenda est.

VIII. Itaque Invitatorium *a quatuor* cantabatur, & quidem *in cappis*, ex Dionysianis, & Comp. cons. sed ex Tullensi Ordinario tantum „ (a duobus Hebdomadariis in „ albis, & cappa.) Hymnus ex Udalrico, Ordinario Corbejensi, Breviariis S. Germani, & Casalis Benedicti: *Tu Trinitatis unitas*; ex Ordinario Tullensi, & Compendiensium consuetudinibus: *Nocte surgentes*; ex Dionysianis cons. *Jam Christus*. Psalmi de Dominica sub unica in singulis nocturnis antiphona, ex Dionysianis cons., scilicet in primo noct. antiphona: *Adesto Deus unus*, in secundo: *Caritas Pater*; in tertio: *Ex quo*; sed alii proprias antiphonas, singulas ad singulos proprios psalmos habuisse videntur.

IX. Lectiones primi, secundique nocturni octo de sermone S. Leonis Papæ assignat vetus Corbejense Ordinarium. Octo de sermone: *Credimus S. Trinitatem*, Dionysianæ cons. & Breviarium Catalaunum, ubi prædictus sermo Alcuino adscribitur. In tertio vero nocturno „ (Evangelio, „ *Erat homo ex Pharisæis*, pronunciato, nulla tamen ejus „ homilia legitur; sed sermo S. Gregorii Nazianzeni, scilicet *De solemnitate hodierna*,) inquit Udalricus, & eum eo Corb. Ordinarium. At Dionysianæ consuet. assignant „ (quatuor Lectiones de Evangelio: *Erat homo*,] hoc est ex homilia de dicto Evangelio. Lectiones primi, secundique nocturni solita clausula: *Tu autem Domine*, non terminabantur; sed ex consuetudinibus S. Cornelii, ista: *Una, & vera Deitas* &c., quam solum in fine tertiæ Lectionis dici volunt Dionysianæ cons. Ex iisdem consuetudinibus singula Responsoria cantabantur a duobus, quartum vero a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque. In iisdem etiam cantica *Quis est iste* &c. ponuntur, pro quibus Comp. cons., & Tullense Ord. habent: *Domine miserere: Audite qui. Miserere.*

X. In Laudibus psalmos omnes sub una antiphona: *O beata, & benedicta*, cantabant nostri Dionysiani; sed alii singulis psalmis singulas præmittebant antiphonas, quibus unum addebant versiculum, hoc modo: Antiphona: *O beata, & benedicta, & gloriosa Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* ℣. *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio.* Psalmus: *Dominus regnavit.* Antiphona: *O beata, & benedicta unitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* ℣. *Miserere, miserere, miserere nobis.* Antiphona: *O vera, summa, sempiterna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* ℣. *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio.* Antiphona: *O vera, summa, sempiterna unitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* ℣. *Miserere, miserere, miserere nobis.* Antiphona: *Te jure laudant, te adorant, te glorificant omnes creaturæ tuæ, o beata Trinitas.* ℣. *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio.*

XI. Ita ex Breviario Catalino, easdem antiphonas cum suis ℣. habet Breviarium MS. S. Germani a Pratis, idem observabant Compendienses, & Tullenses nostri; sed Tullenses post psalmos antiphonis versiculos praeponebant. Capitulum *Benedictio, & claritas*, pro quo Dionysianæ consuetudines habent: *Benedictus Deus & Pater*, Casalinum Breviarium: *O altitudo*. ℞. in singulis fere monasteriis diversum cantabatur, *a duobus* ex Dionys., & Comp. cons., ex Tullensi Ordin. Hymnus ex Udalrico, Breviario S. Germani, & Casalino: *Splendor paternæ gloriæ*; ex Ordinario Corb. *Te laudat*; ex Dionys. cons. *Impleta gaudent*; ex Comp., & Ord. Tullensi: *Ecce jam noctis*. Reliqua, ut mos erat in hujusmodi solemnitatibus. Ad horas diei, antiphonæ de Laudibus, quarta prætermissa; sed sine versiculis.

XII. Missa matutinalis ex Udalrico, cons. S. Benigni, Ordinario Corbejensi, Tullensi, S. Petri supra Divam, Comp. consuetudinibus, & Dionysianis, in codice Colbertino de Spiritu sancto: *Spiritus Domini*: major de Trinitate. Ex codice vero Dionysiano matutinalis de Trinitate, major de Spiritu sancto; quamquam in margine inferiori legatur: „ (Missa matutinalis de Spiritu sancto, magna „ Missa de Trinitate;) quæ verba rubra linea expuncta sunt, & alia manu hæc substituta: „ (utraque Missa sit „ de Trinitate, ad magnam Missam sequentia: *Veni sancte* „ *Spiritus*.] Ex Rituali autem Beccensi, matutinalis Missa de Trinitate, major partim de Spiritu sancto, partim de Trinitate cantabatur. Denique ex Lyr. cons. utraque Missa de Trinitate.

XIII. De Missa matutinali nihil specialius; qui eam de Spiritu sancto cantabant, Missam de die repetebant, excepto graduali, seu ℞. *Beata gens*, pro primo alleluja, quod sequebatur *Alleluja, Veni sancte*, sine prosa; licet in Dionysianis cons. codicis Colbertini, duo etiam habeantur alleluja. Qui autem Missam de Trinitate dicebant, ad Introitum assumebant: *Benedicta sit sancta*, post collectam comm. de festo, si contigisset, deinde de B. Maria in Lyrensium cons.; quibus Beccensis monasterii Rituale addit de SS. loci, de omnibus SS., & omnes alias, præter *Sanctorum tuorum*. Epistola in eodem Rituali, & cons. Lyræ: *Gratia Domini*; in Dionysianis: *Scitis, quoniam cum gentes essetis*. ℞. *Benedictus es*. *Alleluja, Benedictus es*. Evangelium in Rituali Becc., & cons. Lyræ: *Cum venerit Paraclitus*; in Dionysianis: *Erat homo*. Offert. *Benedictus sit*. Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, ex Dionys. cons. de Spiritu sancto; sed Rituale Beccense, & cons. Lyræ „ (Præfatio, *inquiunt*, non dicitur ad hanc „ Missam, quia de Trinitate est. Communio: *Benedicimus*.)

XIV. „ (Post *Sanctus* Missæ matutinalis, *addunt Dionysianæ cons. in utroque codice*, induantur omnes albis, „ & fiat aqua benedicta, & deferatur per officinas, sicut „ in aliis Dominicis, & priusquam eat processio, incipiat Cantor antiphonam: *Ego sum alpha* &c.) Hanc etiam processionem faciebant nostri Tullenses S. Apri in *albis*; Compendienses *in cappis*, de qua hæc scribit Udalricus: „ (Ad processionem per claustrum, & ad stationem in vestibulo Ecclesiæ, id ipsum cantatur, quod in „ priore Dominica; ad sanctam Crucem, & in chorum „ cum Responsoriis, quæ sint de sancta Trinitate, redi„ mus;] quibus fere similia erant in Benignianis cons., & in Ord. Corbejensi. Processionem, sive Tertiam, sequebatur Missa, & quidem solemnissime, *sicut in die Natalis Domini*, inquiunt cons. Lyræ, omnibus assistantibus *in cappis*, ex Dionysianis, & Compendiensibus consuet., tribus Cantoribus chorum regentibus, ex Compendiensibus, cum quatuor procedentibus, ex Dionysianis. Hæc Missa, ut diximus, fere ubique erat de Trinitate; sed ex Udalrico, Benignianis cons., & Ord. Corb. sine graduali, cum duplici alleluja, 1. de Trinitate: *Benedictus es*, 2. de Spiritu sancto: *Veni sancte Spiritus*. In Dionysianis tamen consuet. codicis Colbertini notatur graduale: *Benedictus es Domine*, a tribus cantandum, & unicum *alleluja*, *Benedictus es Domine*, a quatuor, & post sequentia, *Proficiente unitatem*. Ex Rituali Beccensi ad hujus Missæ Introitum cantabatur: *Spiritus Domini*, Epistola *Vidi ostium*, *alleluja*, *Paraclitus* a quatuor, 2. *Libera nos* a quinque, prosa: *Benedicta sit*, Evang. *Erat homo*, Offert. *Confirma*, Postcommunio, *Factus est*.

XV. Vesperæ non erant adeo solemnes; nam 1. ex Ordinario Tullensi antiphonas imponebant infantes, licet ex consuetudinibus Lyræ, prima ab Hebdomadario, reliquæ a senioribus inciperentur: Deinde ℞. a duobus tantum cantabatur; ex Dionysianis cons. *in cappis*, ex Comp. *in froccis*. Præterea antiphona ad Magnificat semel dumtaxat dicebatur, ubicumque a Sacerdote deferebatur thuribulum. In codice tamen Colbertino præscribitur, ut „ (deferantur duo „ thuribula a duobus Sacerdotibus in cappis.) Tandem post Vesperas fiebat commemoratio, 1. de *Spiritu sancto* cum antiphona: *Hodie completi sunt*, deinde de Resurrectione cum antiphona: *Christus resurgens*: Ita ex Udalrico, Benignianis cons., & Ord. Corbejensi; Collectam quidem de Spiritu sancto dicebat Hebdomadarius; de Resurrectione is, qui Sanctorum suffragia faciebat. In cons. Lyræ, 1. commemoratio de festo, si sit, secunda de Cruce sine genuflexione, tertia de sancta Maria. „ (Post cœnam ca„ natur psalmus *Miserere mei Deus*,] inquit Cassin. Ordinarium.

XVI. Denique „ (per totam hebdomadam, *addunt Benignianæ cons.*, quamvis octavæ de sancta Trinitate non „ agantur, tamen nisi propter aliquam festivitatem rema„ neat, major Missa inde cantatur, excepta sexta feria, „ & Sabbato, & antiphona ad Vesperas ad *Magnificat*.) Idem habet Corb. Ordinarium. Feria IV. in Ord. Tullensi ad Missam assignatur Epistola: *Si Christus prædicatur*, & Evangelium: *Cum inducerent vos*; feria VI. Evang. *Accesserunt quidam*.

CA-

CAPUT XXIV.

De annua commemoratione Fratrum & Benefactorum defunctorum, aliisque anniversariis, deque jejuniis post Pentecosten.

I. Duo mihi hoc capitulo tractanda propono; Primum est de generali, & annua fratrum, & benefactorum defunctorum commemoratione, aliisque anniversariis; alterum de jejuniis olim apud Monachos post Pentecosten observari solitis. Quod de fratrum, benefactorumque defunctorum annuis precibus hoc loco agam, facit maxime antiqua apud monachos consuetudo, altera post octavas Pentecostes die fratrum defunctorum memoriam celebrandi, quam videre est in primis in Regula S. Isidori c. 23. statuentis, ut „ (pro spiritibus defunctorum altera „ die post Pentecosten sacrificium Deo offeratur, ut beatæ „ vitæ participes facti, purgatiores corpora sua in die „ resurrectionis recipiant;) & apud nostros in antiquis S. Benigni Divionensis consuetudinibus c. 66. „ (Est & „ aliud, quod constitutum est apud nos, ut in secunda fe„ria hujus hebdomadæ, nempe SS. Trinitatis, semper a„gatur; scilicet, ut pro cunctis in cymiterio nostri mo„nasterii quiescentibus specialiter ac studiose memoria fiat; „ quod etiam per omnia loca nostra fit.) Deinde exponentes, quo pacto ageretur: „ (Post Vesperos regulares, „ *inquiunt*, & suffragia SS., priusquam procedatur ad Ec„clesiam S. Mariæ, pulsatis omnibus signis, sicut in fe„sto omnium SS., in choro aguntur Vesperi pro defun„ctis, & post cœnam officium, & in sequenti die Missa „ matutinalis, ad quam tractus a duobus albatis Cantori„bus dicitur, cunctique Sacerdotes, qui ipsa die Missam „ cantaverint, specialiter pro eis cantant; & alii septem „ psalmos. Verum & ad Missas, & ad Vesperos, & ad „ officium, & Matutinum, primo dicenda est collecta: „ *Deus, cujus miseratione*. Duodecim quoque pauperes de pane, vino, & carne reficiuntur, & cunctis aliis paupe„ribus supervenientibus misericordia de pane, & vino im„pendatur.)

II. Hactenus Divionenses S. Benigni consuetudines, quibus consentiunt Udalricus l. 3. c. 26., & Corbejense Ordinarium, in quo istius instituti author perhibetur S. Hugo Abbas Cluniacensis, cujus temporibus videtur scriptus codex Corbejensis; sicut & apud Udalricum loco citato, & c. 42.; sed in Ordinario Corbejensi fer. III.; apud Udalricum vero II. ut in Benignianis consuet.; & certe inter Statuta S. Hugonis, quæ referuntur in Bibliotheca Cluniacensi, istud continetur; sed feria v.: „ (Decretum „ est etiam ab eodem Patre cum consensu fratrum, ge„nerale officium fieri singulis annis feria v. post octavas „ Pentecostes, pro cunctis in cimiterio hujus loci quie„scentibus, ita ut, sicut in festivitatem omnium SS. agitur, „ dicto Vespere, omnia signa pulsentur pro Vesperis, & „ post cœnam pro officio, & in sequenti die pro Missa, „ in qua tractus, *De profundis*, a duobus Cantoribus ca„natur, cunctique Sacerdotes, qui illo die cantaverint „ Missam, *Deus, cujus miseratione*, specialiter pro eis can„tent, & alii psalmos VII.: ac XII. pauperes reficiantur, „ & quidquid ea die de refectione remanserit, eleemosy„næ tribuatur. Sed & per omnia loca huic loco sub„jecta, hoc idem agi pro cujusque loci cimiterii defun„ctis sancitum est; videlicet, ut in monasteriis, ubi „ congregatio fratrum est, nec minus hoc perficiatur; sed „ in cellis, ubi non plusquam v. aut III. commorantur, „ si tot pauperes reficere nequeunt, saltem vel quot iunt „ fratres, tot pascantur.) An vero diu perseveraverit apud Cluniacenses pia istæc institutio, certe inter Petri Venerabilis Statuta octavum ita concipitur: „ [Statutum est, „ ut omnium monachorum Cluniacensium defunctorum „ anniversaria dies ab universis Congregationis fratribus „ vigiliis S. Michaelis Archangeli more anniversariorum „ solemnium fiat, & vigilia Conversionis S. Pauli aliud „ eodem modo anniversarium pro omnibus utriusque se„xus parentibus universorum fratrum congregationis no„stræ.) Circa eadem tempora „ (Domnus Abbas Tho„baldus *Parisiensis S. Germani monasterii*, communi assensu „ capituli statuit, ut omni anno feria tertia post octavas „ Pentecostes agatur anniversarium in conventu pro his, „ qui in cimiterio requiescunt, *ut legitur in Necrologio* „ *ejusdem monasterii codic. 640. fol. 12.*) Eandem diem observabant nostri Beccenses, ut discimus ex eorum usibus, & Rituali, in quo hæc habentur: „ (Singulis annis fe„ria tertia post oct. Pentecostes, si dies vacuus fuerit de „ festo XII. lect. vel festivo anniversario, vel officio nu„per mortui; commemoratio fratrum nostrorum, qui in „ cimiterio requiescunt, & omnium fidelium defunctorum „ fiat. Unusquisque Sacerdos unam Missam, alii VII. „ psalmos, alii L. *Pater noster* dicant. Oratio ad *Place*„*bo*, *Dirige*, *Exultabunt*, & ad Missam matutinalem O„rat.: *Deus, cujus miseratione*; deinde: *Inclina Domine* „ cum ceteris. Tractus: *Qui Lazarum*. *Voce mea* dicitur „ ad psalmos familiares. Si vero pro aliquo festo primum „ *Placebo* non habuit, habeat in die.) Lyrenses sequen„ti hebdomada idem faciebant, nimirum post oct. SS. Trinitatis, in qua „ (Cantor debet pronunciare in capitulum „ quod unusquisque Sacerdos tenetur decantare unam Mis„sam pro his, qui nostro in cimiterio requiescunt; ce„teri psalmos. Orat.; *Deus, cujus miseratione*, classicum „ sonat ad vigiliam, & ad Missam tantum, (ut loquentur eorum consuetudines, quamvis in altero codice anniversarium istud feria 3. post oct. Pentecostes notetur, & qui Missam non cantant, L. psalmos recitare jubentur. Alii alios dies observabant; sed ex omnibus celeberrimum est illud, quod in Foldensi monasterio ab Eigile Abbate institutum est. Hic nimirum, teste Candido ejus discipulo in ejus vita n. 25. sæc. 4. part. 1. „ (Anniversarium Sty„mis primi Abbatis, & fundatoris monasterii Fuldæ, & „ memoriam omnium fratrum nostrorum de hac luce de„functorum in natale S. Ignatii, idest XVI. Cal. Januarii, ... „ in Missarum celebratione, psalmodiis, & oratione sancta „ celebrare sancivit.) Anno 880. hoc apud Fuldenses statutum prodiit: „ (*Singulis annis generaliter omnium* „ *defunctorum in IV. feriæ, quæ consistit ante palmas, me*„*moriam habeant, & celebrent jejuniis, psalmodiis, mis*„*sis, & eleemosynis*.

III. In Regali S. Dionysii in Francia monasterio illusmodi anniversarium celebrabant feria II. infra octavam Ascensionis Dominicæ, quo die in MS. cons. hujus Cœnobii præscribitur, ut pridie „ (Post Vesperas fiat vigilia pro „ fratribus, & benefactoribus, & pro cunctis fidelibus de„functis. Ad Vesperas ℟. *Quomodo confitebor*, a quatuor „ in cappis, Oratio: *Deus veniæ largitor*: *Inclina Domine* „ *aurem tuam*, & *Deus, cujus miseratione*. Ad vigilias In„vitatorium *Regem, cui omnia*, a quatuor in cappis. No„vem psalmi, novem lectiones. *Audistis fratres carissimi*, „ in Lectione Evangelica;) novem ℟., ex quibus tertium a duobus, sextum a tribus, nonum a quatuor cantabatur. Ad Laudes orat: *Beatorum Martyrum tuorum Dionysii*: *Annue nobis Domine*, et *animæ famulorum*: *Deus fidelium lumen animarum*. Major Missa festive, quatuor cum procedentibus, tribus Cantoribus, tribus orat. sicut supra ad Vesperas, ℟. *Si ambulem* a quatuor, tractus *De profundis* a toto conventu &c.

IV. In collectaneo, & Ordinario S. Petri supra Divam infra octavam Translationis S. Benedicti inscribitur solemne Anniversarium pro benefactoribus, in quo, præter officium defunctorum, quod solemniter cantabatur, & eleemosynas, quæ pauperibus post exhibitum ipsis jejunis mandatum distribuebantur, matutinalis Missa solemniter in albis celebrabatur pro defunctis. Major vero pro vivis, cujus Introitus: *Salus populi*, de octava autem Sancti Benedicti privata ab aliquo Sacerdote.

V. Cistercienses ex Statuto capituli Generalis an. 1250. Libell. antiq. defin. dist. 5. c. 6. *In unoquoque mense per annum* unum anniversarium in singulis totius Ordinis domibus celebrabant, de quo, salvis fundatorum anniversariis, præter Missarum hebdomadarios, quicumque ea die Missam cantarent, celebrare tenebantur.

VI. Denique in literis Abbatum Mosomensis, & Marchianensis monasterii ad Abbates S. Theoderici, & S. Crispini (Hist. MS. S. Theod. ad an. 1279.) quibus eos monasteriorum suæ Provinciæ Visitatores constituunt, inter alia capituli Generalis Statuta, quæ volunt observari, generale illud habetur „ (quolibet anno celebrentur tres Missæ in conventu, una videlicet de Spiritu sancto, una de B. Virgi„ne pro statu totius Ordinis nostri; & tertia pro defun„ctis fratribus.)

VII. Præter generalia hæc anniversaria, particularia nonnulla pro Regibus, Principibus, aliisque Illustribus Personis in die depositionis illorum multis in monasteriis celebrabantur, ut Childeberti Regis in Parisiensi S. Germani monasterio, Dagoberti in Dionysiano, Caroli Calvi in Compendiensi. Plura hujusmodi anniversariorum addecia exempla noster Mabilonius in præf. ad sæc. 3. Bened. part. 1. n. 105. pag. 78. quo eorum probet antiquitatem, quibus aliqua licet addere, scilicet Witlafii Regis Merciorum in monasterio Croylandensi apud Ingulfum ann. 833. S. Aldrici Episcopi Cœnomanensis apud Cœnomanos in ejus vit. n. 21. & seq. Tom. 3. Miscel. Baluz. circa medium sæculum nonum. Frotarii Episc. Bituricensis in Bellilocensi Cœnobio, ex vit. S. Rodulfi sæc. 4. Bened. part.

2. p.

2. p. 163. sub finem ejusdem sæcul. Wernerii Episcopi Lingonensis in monasterio S. Benigni, ineunte sæculo x., ex Chronico S. Benigni an. 912. to. 1. Spicil. Henrici cujusdam in monasterio Besuensi, ineunte sæculo xi. ex Chronic. hujus monasterii tom. 1. Spic. p. 548. Willelmi Ducis Aquitaniæ in monasterio S. Launomari de Magentiaco apud Arvernos anno 1064., ex Chronico hujus monasterii. Denique apud Cistercienses Honorii Papæ, 15. Cal. Aprilis, Regis Philippi, 2. Idus Julii, Regis Ludovici, 6. Idus Novembris, Regis Richardi, feria 3. post oct. Paschæ, ex lib. Institution. cap. CIII. dist. 3. cap. 14.

VIII. Sed quæret aliquis, quonam ritu particularia isthæc anniversaria celebrarent; rem exemplis demonstramus; primum erit de Childeberto Rege Christianissimo in Ecclesia S. Germani Parisiensis Episcopi; cujus anniversarium ita describitur in MS. cons. hujus Asceterii: „ (In vigilia anniversarii Childeberti Regis, Ecclesiæ nostræ fundatoris, debet ejus anniversarium in capitulo solemniter commendari, Ecclesie debet parari, & debet eleemosyna de triginta panibus, & triginta scopis vini post anniversarium prædicti Childeberti commendari. Puer, qui legit lectionem in capitulo, debet legere post lectionem: *Quindecim obierunt*. Sub-eleemosynarius debet eodem die in capitulo afferre brevia defunctorum, & debent absolvi, quando anniversarium commendabitur supra scriptum. Finito capitulo, debent dici duabus vicibus, *Verba mea*, & omnes campanæ omnium turrium debent pro tanto patrono solemniter propulsari. Tumbe dicti Regis debet parari, cereus debet accendi coram tumba, qui ardere debet statim incessanter a fine capituli usque ad crastinum post Completorium. Quando incipietur *Placebo*, Sacriste debet accendere cereos candelabri, & Angelorum, & debent accendi septem cerei ante corpora Sanctorum, & quatuor ante tumbam, cum illo, qui incessanter, sicut diximus, ardere debet. Quando incipietur *Placebo*, Prior, & Subprior induent se albis singulis, & accipient duas cappas purpureas cum thuribulis, & accipient benedictionem incensi ab Abbate, si in choro fuerit, postea incensabunt majus altare, & matutinale, & tumbam dicti Regis solemniter, duobus ministris ipsos sequentibus, qui conventum postea incensabunt: Similiter fiet ad *Benedictus*. Missa defuncti Regis debet ab Abbate, vel Priore, ad majus altare cum Diacono, & Subdiacono indutis tunica, & dalmatica de purpureo celebrari. Luminare erit simile ad Missam, quale fuit ad: *Placebo*, & *Dirige*; Cantor, qui chorum reget, habebit cappam purpuream; monachi vero, qui cantabunt ℟., & tractum, habebunt cappas purpureas; cantoris autem sit providentia, ut Missa privata ad altare matutinale submissa voce celebretur. In refectorio autem debent poni duplices mappæ, duplicem pitantiam; de cellario autem quilibet habebit unam justitiam, & duos gastellos, & ponetur ad Dasium pro Rege defuncto panem, vinum, pittantiam, claretum gastelli vini.)

IX. Longe solemnius est illud, quod pro Dagoberto Rege describitur in MS. Dionysii consuetudinibus ad diem Januarii 19. in hæc verba: „ (Ad Vesperas fiat duplex festum de Domno Dagoberto Rege hoc modo: Campanæ dupliciter sonantur; & cantantur Vesperæ de omnibus SS., & de S. Launomaro Abbate; ... deinde celebretur festive obsequium Regis: antiphona: *Placebo*, ... ℟. *Congregati sunt* a quatuor in cappis, & post ℣. repetatur, ℣. *Audivi vocem*, antiphona: *Ego sum resurrectio*, & dicatur tertio; & deferantur duo thuribula a duobus Sacerdotibus in cappis. *Pater noster* dicatur sub silentio, deinde dicatur a sacerdote psalm. *Lauda anima*, ℣. *a porta inferi*, Oratio: *Præsta Domine, quæsumus, ut anima famuli tui Dagoberti*. Oratio: *Quæsumus Domine pro tua pietate miserere animæ tuæ Nantildis*. Oratio: *Fidelium Deus*, & dicantur ad unum *Per Dominum* ... ad Matutinas dicentur xv. psalmi, dum campanæ dupliciter sonant, cantentur Matutinæ aliquantulum celeriter de S. Launomaro ... Post hoc celebretur vigilia regis: Inter duo altaria cantetur Invitatorium a quatuor in cappis: *Regem, cui cuncta*; quatuor Cantores in choro remaneant: Hebdomadarius incipiat antiphonam: *Dirige*, Psalm. *Verba mea*. Antiphonæ, psalmi, & ℣. sicut in vigiliis mortuorum, antiphonæ incipiendæ sunt a Prioribus. Sex primæ lectiones sint de expositione Evangelii, scilicet *Audistis fratres carissimi*. Primum ℟. *Absolve* a quatuor in cappis, qui cantaverunt Invitatorium; tertium, sextum, nonum ℟. sint in cappis, secundum ℟. *Manus tua* a duobus, tertium, *Quomodo confitebor* a tribus (in codice Colbertino a quatuor in cappis:) quartum ℟. *Cognoscimus Domine*, a duobus, quintum *Ne tradas Domine*, a tribus, sextum *Libera me*, a quinque; septimum ℟. *Regemus te*, a duobus, octavum ℟. *Deus æterne*, a tribus, ix. ℟. *Congregati*, a septem in cappis. Ad unumquemque nocturnum prævideat Thesaurarius duos Sacerdotes, qui thurificent altaria, & sepulturam Regis, & conventum. Tres extremæ Lectiones de vita ipsius. Nonum ℟. post ℣. recitetur, & dum cantatur, sonent quatuor campanæ a quatuor clericis, quasi *Te Deum laudamus*: Deinde intonet classicum, & incipiat Hebdomadarius antiphonam *Exultabunt* .... ℟. *Tuam Deus* a duobus (codex Colbert. a quatuor in cappis) ℣. *A porta inferi*, ad *Benedictus* antiphona, *Cognoscimus*, & dicatur ter, duo thuribula deferantur a duobus Sacerdotibus, ut ad Vesperas. *Pater noster* dicatur sub silentio, deinde duo psalmi *Ad Dominum cum tribularer*, & *De profundis*, ℣. *In memoria*. Orat. *Deus indulgentiarum*, alia Orat. *Inveniat quæsumus Domine*, alia: *Animabus quæsumus Domine*, & dicantur ad unum *Per Dominum* .... Prima festive sonet, psalm. *Confitemini* xv., *Beati immaculati* usque *Legem pone*, ℟. *Manus tua*, ℣. *Audivi vocem*, Orat. *Inclina Domine*, alia Orat. *Inveniat*, alia: *Animabus*. Post dicatur Prima de die, ... & non dicantur vii. psalmi; non dicatur in capitulo sententia; sed Evangelium: *Omne quod*. Ad Tertiam omnes sint in albis, psal. *Legem pone* usque *Defecit*, sine antiphona, absque *Deus in adjutorium*. ℟. *Quomodo*. ℣. *Ne tradas*. Orat. *Præsta Domine quæsumus*. Orat. *Quæsumus Domine pro tua pietate*. Orat. *Fidelium*. Post dicatur Tertia de die .... Missa matutinalis de S. Launomaro ... Ad magnam Missam sint omnes in cappis, tres Cantores assistent in choro in cappis nigris, vi. procedentes. *Kyrie eleison rector* a quatuor cantatur, orationes quæ ad Vesperas. Epistola: *Vir fortissimus*. ℟. *Si ambulem* a quatuor. Sequentia *De profundis exclamantes*. Ante Evangelium dicatur antiphona: *Salvator omnium*. Evangelium: *Omne quod dat*, & thurificetur sepultura ipsius Regis a duobus Sacerdotibus a principio Evangelii usque ad finem offerendæ. Offert. *Erue Domine*, & dum canitur, offerant omnes panem, & vinum, cum offertoriis, & ampullis pretiosis. Præfatio dicatur *Qui mortem nostram*. Communio: *Ego sum*. Ad Sextam psalm. *Defecit*, usque *Mirabilia*. ℟. *Ne tradas Domine* ℣. *a porta inferi*. Orat. *Absolve Domine*; Orat. *Quæsumus Domine*. *Fidelium* .... Ad ix. de Rege psal. *Mirabilia*, usque *Ad Dominum cum tribularer*. ℟. *Regemus te*. ℣. *In memoria*. Orat. *Annue nobis*: *Inveniat*: *Animabus*, ... Ad Vesperas campanæ dupliciter sonent, sicut pridie, & cantantur Vesperæ de omnibus SS., & de SS. Martyribus Fabiano, & Sebastiano ... Postea cantentur Vesp. de Rege, & celebrentur sicut pridie, excepto ℟. *Quomodo confitebor* a quatuor in cappis, & antiphona ad *Magnificat*: *O Christe precamur*. Per totum diem post horas Regis dicantur horæ diurnæ.) Ubi inter alia multa, illud singulariter notandum, quod vita Regis ad nocturnos legeretur, & horæ diurnæ pro eo de defunctis cantarentur.

X. Hæc de anniversariis maxime observanda fuerunt, pone de jejuniis.

XI. Intermissa toto tempore Paschali jejunia statim post celebratum S. Spiritus Adventum ab antiquis monachis observata esse constat ex omnibus, quotquot scriptæ sunt, monachorum regulis: sed hæc jejunia quibusdam erant quotidiana, quibusdam tantum interdiana.

XII. Quotidiana fuerunt maxime Orientalibus Monachis, ut patet ex Reg. S. Antonii n. 21. tom. 3. monum. Eccles. græc., ex Regula SS. Serapionis, Macharii, Paphnutii, & alterius Macharii c. 9., ex Anastasio Sinaita in tractatu de tribus quadragesimis, ubi redarguit eos, qui quadragesimas Apostolorum, & Natalis Domini, hoc est jejunium, quod a Pentecoste ad festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & quod quadraginta ante Natalem Domini diebus servaretur, inventum esse Monachorum ausu temerario affirmare non dubitarent. Occidentales vero Monachi interdiana, sive alternis diebus observanda jejunia susceperunt: ita S. Cæsarius, S. Benedictus, S. Donatus quarta & sexta tantum feria tota æstate jejunium præscribunt; S. Isidorus Reg. cap. 12. „ (Interdianum jejunium post Pentecosten aliis diebus inchoatum usque ad æquinoctium autumnale producit.) Similiter Fructuosus Episcopus *interdiana* post Pentecosten jejunia usque ad Calendas Octobris decernit, quotidiana tamen die xvii. Junii ad diem vi. Augusti, ut notat Menardus noster in notis ad Concord. Reg. c. 50. §. Regula Solitariorum c. 24.

Pen-

Pentecoste ad Calendas Octobris IV. VI. & VII. feria. Similiter & Regula MS. incerti authoris cap. 5., quæ etiam feriis II. III. & V. jejunium ad Abbatis relinquit arbitrium. Non defuere tamen ex Occidentalibus, qui celebrata semel Pentecoste quotidiani sibi jejunii legem imposuerint. Ita præscribunt Regula Tarnatensis cap. 9., Regula Cujusdam ad Monachos cap. II., Cujusdam ad Virgines cap. II., & Regula Magistri cap. 28. hic tamen feriam V. excipit: ita etiam primi S. Stephani Abbatis Obazinensis Discipuli ex ejus vitæ no. 15. tom. 4. Miscell. Baluz. In Concilio Turonensi secundo, ubi Monachorum ordinantur jejunia, decernitur, ut „ (post quinquagesimam, [idest tempus Paschale,] tota hebdomada exacte jejunent; postea usque ad Calendas Augusti ter in hebdomada jejunent, II. IV. & VI. feria, exceptis his, qui aliqua infirmitate constricti sunt.)

XIII. Nec certe mirum videri debet, Monachos post Pentecosten aliquos quotidianum observasse jejunium, cum idem etiam sæcularibus viris usque ad Assumtionem B. Mariæ impositum fuisse tradat Anastasius Sinaita loco citato, ubi contendit, jejunium illud ab Apostolis, & SS. Patribus institutum fuisse, licet postea per dispensationem fuerit intercisum; „ (partim, *inquit*, quia incurrabat in jejunia ethnica, seu Armeniorum, Jacobitarum, Nestorianorum, adhucque sæpe etiam Ismaelitarum; partim, mea quidem sententia, propter hominum negligentiam, animique relaxationem. Sancitum autem fuit, usque ad festum SS. Apostolorum jejunare, sicque postea solvere jejunium: deinde ab initio Augusti jejunare usque ad obitum Deiparæ.) De hoc jejunio in Constitutionibus Apostolorum lib. 5. cap. ult. sic lego: „ [Post Pentecosten celebrate hebdomadam unam, & post illam jejunate;) & in vetusto Corbejensi Calendario ab annis circiter 800. MS. „ [Calendis Junii denunciatio jejunii;) quod certe de jejunio Quatuor temporum nequit intelligi, quod aut in hebdomade Pentecostes, aut in secunda Junii septimana observabatur; alioquin alia Quatuor temporum jejunia denuncianda ibidem inscriberentur, quod tamen non reperitur, sed tantum „ (Calendis Martii denuntiatio jejunii ante Pascha, Calendis Decembris denuntiatio jejunii (ante Natale Domini,) & Calendas Junii denuntiatio jejunii hujus,] Apostolorum dicti, quæ tria sunt jejunia, de quibus Anastasius Sinaita.

XIV. Istud tamen Apostolorum jejunium non erat adeo solemne, ut existeret omnino inviolabile; unde inter Synodicos Canones Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani vigesimus ita habemus tom. 3. monum. Eccl. græc „ (In jejunio SS. Apostolorum, & jejunio S. Philippi (hoc est jejunium ante Natale Domini) oportet ut Monachi, qui in Monasterio resident, per ferias quartas, & sextas semel ad Vesperam cibum sumant; qui vero opera faciunt, post horam sextam edant, & gustent, ac vespere cœnent.) Et certe, si Micrologo credimus, hoc jejunium non omnium, sed pœnitentium dumtaxat erat: (Illa, *inquit lib. de eccles. obs. c.* 25., quadragesima post Pentecosten non omnibus, ut hoc jejunium Quatuor temporum, sed solis pœnitentibus observanda imponitur: nec in hoc tantum triduo, sed in omnibus triduis, vel etiam diebus sex hebdomadarum custodiri jubetur.)

XV. Ceterum, ut ad nostros redeamus, cum S. Benedictus jejunium post Pentecosten absolute præscribere non videatur, sed tantum, si labores agrorum non habuerint, aut æstatis nimius ardor non fuerit; hinc forte factum est, ut in pluribus Ordinis nostri Monasteriis, istud jejunium labore manuum commutaretur; excepta tamen prima hebdomada, in qua IV. & VI. feria jejunabatur. Ita videre est apud Udalricum lib. I. cap. 28., in Ordinario Corbejensi, in Consuetudinibus S. Benedicti Floriacensis, & S. Benigni Divionensis cap. 66.

XVI. Quibus autem jejunabant diebus, post Tertiam *pueri minuti sanguine, & infirmi*, quibus data erat licentia, accipiebat mixtum, & ante Missam nudis pedibus processio fiebat, nisi forte his diebus evenisset vigilia, cujus Missa solemniter celebraretur: tunc enim processio ex toto dimittebatur, ut præscribit Lanfrancus.

CAPUT XXV.

De festo Sacratissimi Corporis Christi.

I. FEstum Sacratissimi Corporis Christi ab Urbano Papa IV. anno 1262. institutum, concessis indulgentiis omnibus illud honore debito recolentibus, non videtur statim apud Monachos fuisse receptum, ac celebratum, utpote cujus nullam mentionem faciunt nostri codices etiam recentiores, ut sunt Compendienses Sancti Cornelii consuetudines, quæ vix trecentos superant annos, & S. Germani a Pratis, quas Guillelmus cognomento Episcopi Abbas pro suo Monasterio, describi curavit anno 1395. Primam hujus festi mentionem reperi in MS. consuetudinibus Monasterii Fontanellensis, in quibus lego: „ (Anno Domini MCCCXXIV. die Veneris ante nativitatem B. Johannis Baptistæ decretum est in capitulo a Domno Guillelmo Abbate in communi, quod festum Eucharistiæ fiet duplex solemne.) Deinde in editis a Guillelmo Pellicerii consuetudinibus pro Ordine Grandimontensi cap. 23. & 24., & in novis Cartusiensium Statutis a Guillelmo Rainaldi anno 1368. compilatis, postea in Breviario S. Germani a Pratis, & S. Dionysii in Francia annorum circiter 300. In recentioribus item S. Dionysii consuetudinibus ejusdem fere ætatis, in Rituali Corbejensis Monasterii anno 1411. a Stephano de Conty Monacho, & Officiali Corbejensi ordinato, in Ordinario Tullensi ad calcem, sed recenti omnino manu in Bursfeldensi, & Cartusiensi anno 1585. impresso Parisiis, ex quibus omnibus, quæ nobis de tanti festivitate Mysterii dicenda sunt, depromemus.

II. Quatuor potissimum de Sacratissimi Corporis Christi solemnitate hoc capite sunt inquirenda: 1. ejus officium: 2. processio: 3. expositio: 4. indulgentiæ hac die concessæ.

III. Officium de festo Corporis Christi integrum habetur in Breviario S. Germani a Pratis, idem omnino cum eo, quod modo recitamus; servato tamen Ecclesiæ Romanæ ordine pro regulari S. Benedicti, quem hac die non sequebantur; unde ad utrasque Vesperas quinque psalmos sub totidem antiphonis decantabant. Lectio, sive capitulum erat ex Epistola ad Corinthios; ℟. prolixum in primis Vesperis, *Homo quidam fecit cœnam magnam*, in secundis *Panem cæli dedit eis*; Hymnus *Pange lingua*; ℣. *Panem de cælo*, &c. antiphona ad *Magnificat*, in 1. Vesperis, *O quam suavis*, in 2. *O sacrum convivium*.

IV. Ad Nocturnos Invitatorium, *Christum Regem*; Hymnus, *Sacris sollemniis*. Ad singulos Nocturnos tres antiphonæ, tres psalmi, tres Lectiones, tria ℟. In 1. & 2. Nocturno Lectiones de sermone S. Thomæ Aquinatis sine titulo, in 3. Nocturno ex homilia in Evangelium: *Caro mea vere est cibus*. Post 12. ℟., Hymnus, *Te Deum*, quem sequebatur integrum de die Evangelium.

V. Ad Laudes, horasque diurnas cum nostro convenit prædictum Breviarium, nisi quod proprias ad VI., & IX. collectas assignat. Econtra Breviarium S. Dionysii in Francia juxta Regulam quaternos dumtaxat sub una antiphona: *Sacerdos in æternum*, in primis Vesperis, *Vincenti dabo*; in secundis, psalmos instituit; nempe *Dixit Dominus*: *Confitebor*: *Credidi*: *Lauda Jerusalem*. Nocturnos cum duodecim psalmis, duodecim Lectionibus, totidemque Responsoriis disponit; sex nimirum psalmos in primo Nocturno sub una antiphona: *Fructum salutiferum*, sex itemm in secundo sub sola antiphona: *Introibo ad altare Dei*. In tertio Nocturno Cantica: *Beatus vir, qui in sapientia*, &c. pro quibus in Breviario Vallisoletano anno 1600. impresso habentur ex Isaia: *Deus judicii Dominus*: *Et dabitur pluvia semini tuo*: *Juravit Dominus in dextera sua*; & in Breviario Casalis Benedicti: *Mandavit Dominus nubibus desuper*: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus*: *Lauda Jerusalem Dominum*. Lectiones in primo, secundoque Nocturno, tam in Dionysiano, quam in Casalino Breviario, de sermone Sancti Thomæ Aquinatis, sed in Dionysiano sine titulo: in tertio Nocturno homiliæ Sancti Augustini in Evangelium: *Caro mea vere est cibus*. Ad Laudes etiam in Dionysiano omnes psalmi sub una antiphona: *Sapientia*. Ad horas diurnas antiphonæ, quas nos in Laudibus cantamus, ex quibus quinta in omnes Vesperarum psalmos concinebatur; ad *Magnificat* vero antiphona: *O sacrum viaticum*: *O suavis animæ cibus*. Et hæc quoad officii dispositionem.

VI. Quod spectat ad solemnitatem, audiendum est Tullense S. Apri Ordinarium: „ (In eodem festo, *inquit*, ad utrasque Vesperas Domnus Abbas a principio Vesperarum indutus alba, & cappa faciet officium. Ad utrasque Vesperas antiphonæ, si sit in dextro, a Cantore incipitur, si in sinistro, ab Hebdomadario, & ceteræ a primis Dominis. Psalmi, ut in libro continetur. Capitul. *Dominus Jesus*. ℟. *Homo*, a Cantore, & Succentore. Hymnus: *Pange lingua*. ℣. *Panem de cælo*. Ad *Magnificat*: *O quam suavis*. Hic porretur incensum. Post *Pater noster*, loco precum dicitur versus: *Panem cæli*, vel alius de proprietate .... Post Vesperas non fit processio .... Ad Matut. Invitatorium: *Christum regem*, a septem Cantoribus .. „

Ad

„ Ad Laudes .... post *Pater noster*, loco precum ℣. *Panem de cælo*.

VIII. Processionem hujus diei ita describunt recentiores S. Dionysii consuetudines: „ [Post Tertiam fiat solemnis processio apud Stratam in cappis hoc modo: In primis proviso per Capicerium de competenti luminari, & honesto, deportatur Sacrosanctum Corpus Domini de loco suo super altare SS. Trinitatis, cantando devote, flexisque genibus antiphonam: *O sacrum viaticum*, qua finita, accipiatur Corpus Domini ab Abbate, & ab eo sub pallio serico, quod ligatum, & ensensum cum quatuor lanceis, quatuor Diaconi procedentes dalmaticis festivis induti portabunt, cum honore, & reverentia deferatur; assistentibus eidem hinc & inde Priore, & Subpriore, qui deferant Clavum Domini, & Coronam; vexillis ante, & Canonicis S. Pauli processionem præcedentibus. Ad exitum chori incipiat Cantor antiphonam: *Ego sum alpha*, deinde ℟. *Felix namque*. ℣. *Ora pro populo*; postea ℟. de Trinitate, quæ sequuntur, vel de ipsis, quantum opus fuerit, præter sextum, scilicet *Honor*, quod postea cantabitur in ecclesia de Strata: ℟. *Benedicat nos*. ℣. *Deus misereatur nostri*: ℟. *Benedictus Dominus*. ℣. *Replebitur*: ℟. *Quis Deus magnus*, ℣. *Notam fecisti*: ℟. *Magnus Dominus*, ℣. *Magnus Dominus*: ℟. *Gloria Patri*, ℣. *De gaudiorum*: ℟. *Honor virtus*. ℣. *Trinitati*; ℟. *Deum time*, ℣. *Timentibus Deum*: ℟. *Summæ Trinitati*, ℣. *Præstet nobis*: ℟. *Benedicamus*, ℣. *Benedictus es*. Cum autem venerit prope ecclesiam B. Martini, tunc incipiat Cantor antiphonam: *Martinus signipotens*. Qua finita, ad Introitum ecclesiæ de Strata: ℟. *Vir inclitus*, deinde ℟. *Honor*, *& virtus*: ℣. a tribus *Trinitati*: ℣. a Sacerdote: *Panem cæli dedit eis*. Oratio: *Deus, qui nobis sub Sacramento*. Postea incipiat Cantor antiphonam: *O Beate Dionysi*, qua finita, dicatur a Sacerdote ℣. *Mirabilis Deus*, & Oratio: *Benedictionis tuæ*. Deinde in reditu processionis ad exitum de choro incipiat Cantor ℟. *Beata es Virgo Maria Dei Genitrix*, ℣. *Ave Maria*; postea vero resumantur ℟. de Trinitate, ubi dimissum fuerat, usque videlicet ad Introitum Ecclesiæ B. Dionysii, non faciendo stationem aliquam ad portam Castelli, & si necesse fuerit, cantentur ℟. *Dum sacrum*: *Vir inclitus*: *Pretiosus*: *Hi Sancti*. Ad ingressum autem ecclesiæ incipiat Cantor antiphonam: *Ave Regina Cælorum*, & postea, si opus fuerit, antiphonam: *Salvator mundi*. Deinde reposito Corpore Domini honorifice in loco suo, cantatur solemniter magna missa. Quando autem propter pluviam non poterit processio fieri ad Ecclesiam de Strata, tunc fiet per claustrum in cappis, & deponatur, deferaturque Corpus Domini, sicut supra. Tunc autem primo cantabitur antiphona: *Ego sum alpha*; deinde ℟. *Cenantibus illis*, & postea fiat statio in navi, & cantetur ℟. *Paratum panem*, & ℣. a tribus, deinde ℣. & oratio, ut supra. Ad Introitum chori ℟. *Honor virtus*, Postea cantetur Missa.) In prolixa hac descriptione notandum: 1. nullam in ea fieri mentionem benedictionis cum Sanctissimo Sacramento super populum dandæ: 2. in processione vix aliquid de solemnitate Corporis Christi cantatum fuisse, sed omnia fere aut de SS. Trinitate, aut de B. Maria, aut de B. Dionysio. Idem advertere licet in Rituali Corbejensis Monasterii, hujus diei processionem ita describente: „ (Processio est major, & solemnior, & magis devota de toto anno, quia corpora SS. & alia omnia, quæ portantur in die Ascensionis Domini ad processionem, cum vexillis portantur similiter in illa processione, & cum prædictis portatur Corpus Domini consecratum reverenter per Prælatum, acsi diceret magnam Missam, cum torticis ardentibus, & cum toto Clero in superpelliceis, & cappis sericis; & populus consuevit habere cereos magnos de suis Confraternitatibus ardentes, cum aliquibus torticiis, quæ non fiunt in aliis processionibus. Item ad dictam processionem Cantor incipiet primum, & secundum ℟. de historia cum ℣., & tertium, si necesse fuerit; postea prosam: *Ave Maria*, & de Sancto Gentiano. ℟. *Sanctissimi Martyris Gentiani*; de S. Adalardo, *B. Adalardus*, de omnibus Sanctis, ℟. *Concede*; postea, *Gaude Maria* cum versu, si necesse fuerit, & cum prosa: *Inviolata*. Item ad stationem in nostra Domina antiphona: *Tota pulchra es*, ℣. *Post partum*: Collecta, *Famulorum*. Redeundo ad S. Petrum, ℟. *Accepit Jesus*, & ℟. *Ego sum* cum versu; & quando Prælatus portabit Corpus Christi ad majus altare, tunc faciet ibi de Corpore Christi, sicut fit in magna Missa, & pulsabitur una parva campana ad majus altare, & Cantor incipit alta voce communionem: *Hoc Corpus*, & reponetur Corpus Christi in vase, in quo consuevit poni super majus altare, & hoc facto incipietur magna Missa.) Brevius Cartusiensium Ordinarium c. 53. n. 13. „ (Post Tertiam cantatam ante Missam fiat processio, in qua venerabiliter deferatur a Priore sacris vestibus, etiam casula, induto, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, singulis personis Ordinis candelas accensas deferentibus (excepto Diacono crucem ferente), & Monachis cantantibus hymnum: *Pange lingua*, cum aliis ejusdem solemnitatis, si opus sit; donec peracta processione idem Sanctissimum Sacramentum super altare repositum fuerit.) Hæc una est apud Cartusianos processio, cujus ne quidem mentionem faciunt alia eorum statuta, etiam nova, immo tam ex Statutis Guigonis c. 6., quam ex antiquis 1. parte, cap. 2. n. 16. prohibetur omnino, ne *in ulla solemnitate processionem* faciant. Processionem sequebatur Missa solemnis, in qua apud Cartusianos, ex tertia statutorum compilatione cap. 3. nu. 31. fiebat „ (communio generalis pro non celebrantibus, Conversis, & Donatis, sicut in festo Nativitatis, Paschæ, & Pentecostes.) Poterant tamen Sacerdotes celebrare, nam paulo post additur: („ ob reverentiam tantæ solemnitatis celebrare, & communicare possumus, nocturna fragilitate non obstante; præmissa tamen confessione.) Hæc Missa habetur in Breviario S. Dionysii ad calcem, eadem omnino cum ea, quam modo cantamus, excepto Introitu; *Ego sum panis vivus*, ℣. *Panis enim verus est*; & Graduali: *Nisi manducaveritis*; sed infra octavam nostram cantabant, mutatis Offertorio, & Communione; ad Offertorium enim dicebant: *Portas cæli*; ad Communionem: *Qui manducat*.

VIII. Ad expositionem quod spectat, abstinuisse ab ea in principio Monachos inde colligimus, quod nullam ejus mentionem faciant Tullense S. Apri Ordinarium, consuetudines S. Dionysii, aut Rituale Corbejensis Monasterii; immo hic expressis præscribitur verbis; ut facta processione, „ (reponatur Corpus Christi in vase, in quo consuevit poni super majus altare, & hoc facto incipiatur magna Missa;) confirmaturque ex Chronico S. Benigni Divionensis ad annum 1513. Spicil. tom. 2., in quo Theobaldus quidam fundasse, & instituisse dicitur „ (luminare in die solemnitatis Corporis Christi, & per octavas; pro quo debent duo cerei ante *armariola lapidea*, *in quibus reconditur prædictum Sacramentum*, continuo die, noctuque lucere.)

IX. Primi, quos expositionis meminisse offendi, sunt Bursfeldenses; idque dumtaxat ad utrasque Vesperas, & ad Missam, nihilque amplius. Modum vero SS. Sacramenti exponendi, ita describunt in Ordinario: „ [Sacerdos Hebdomadarius in profesto hujus diei duas consecret hostias magnas, quarum altera recondatur in monstrantia ad hoc aptata cum vitro perspicuo, quæ post finem Missæ deportetur obvoluta linteo mundo, & includatur capellæ, in qua Corpus Dominicum pro infirmis conservari consuevit. Ad utrasque autem Vesperas hujus diei Abbas indutus, ut moris est in solemnitatibus, cum Ministris procedens mox in ipso introitu ad chorum, ascendit ad locum, in quo reconditum servatur hoc Venerabile Sacramentum; ac præmissa venia monstrantiam extrahat de capella, eam deferendo ad altare, præcedentibus se duobus Ceroferariis, & Thuribulario. In gradibus vero altaris sistat gressum versa facie ad chorum, tenensque monstrantiam utraque manu, Ceroferariis hinc & inde dextram, lævamque ante se collocatis, & Thuribulario in medio, incipit primo hunc ℣. *O salutaris hostia*, quo a conventu terminato; subsequatur & hunc: *Uni, trinoque Domino*, conventu eumdem similiter continuante, circa cujus finem facto signo Crucis ante se cum monstrantia, eaque reverenter collocata in altari, transit petita venia cum osculo altaris, ad sedem suam. Finitis autem Vesperis eodem ritu, quo allatum est hoc Venerabile Sacramentum, refertur in locum suum, nisi quod loco prædictorum versuum cantentur hi versus: *Tantum ergo Sacramentum*, & *Genitori Genitoque*. Post Tertiam regularem iterum modo præmisso Abbas monstrantiam afferens, ipsamque ante se reverenter tenens, ut præfertur, stet in gradibus altaris, & ante se Ministri, Ceroferarii, & Thuriferarius exitum processionis præstolantes, &c. Post processionem Abbas reponat Sacramentum in altari, ibique remaneat per totam Missam, post cujus finem, data benedictione cum Sacramento, ipsum recludat intra capellam suam.) Soli ergo Cartusienses, quod sciam, per continuum diem exponi Sacram Eucharistiam præscribunt in impresso anno 1582. Parisiis Ordinario, ubi sic loquuntur c. 53. n. 13. „ (Volumus illud omnibus

„ ado-

„ adorandum proponi per totas octavas, cum duobus cereis, quandiu ibidem aliquod a conventu officium persolvitur, ante altare jugiter ardentibus, aut certe extra divinum officium, cum uno cereo simul cum lampade ardente.) Sed tamen hæc verba non exstant in novis Cartusiensium Statutis, neque in tertia Statutorum compilatione.

X. Superest, ut de indulgentiis hoc festum debita cum reverentia celebrantibus concessis aliquid dicamus, quod sufficienter exprimunt in Ordinario Bursfeldenses cap. 40. his verbis „ (Dominica proxima præcedente hanc festivitatem, Præsidens in capitulo publicare debet indulgentias a Summis Pontificibus, interessentibus divinis, aut alias in ipso die festo, & per octavam ejus concessas; & exhortari omnes ad digne se præparandum, & divinis officiis tota devotione interessendum, ut tanti beneficii fieri mereantur participes. Indulgentiæ autem a Romanis Pontificibus pro Veneratione festi Corporis Christi concessæ Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis hæ sunt: Primo Urbanus Papa IV. institutor festi hujus concessit interessentibus primis Vesperis hujus festi, 100. dies, Matutinis, 100., Missæ, 100. secundis Vesperis, 100. & pro qualibet horarum reliquarum diei festi, idest Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio, 40.; necnon per octavam ejusdem festi pro qualibet die, 100. Summa totius numeri 1340. si bis Completorium numeres. Martinus Papa V. concessit in primis Vesperis diei festi, 200., in Matutinis, 200., in Missa, 200. in secundis Vesperis etiam 200.; in singulis vero horis, idest Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completoriis duobus, 80. Insuper per octavam ejusdem festi diebus singulis in Matutinis, 100., in Missa, 100., in Vesperis, 100.; & in qualibet ceterarum horarum, scilicet Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio, 40. Item, qui in ipsius Sacramenti profesto jejunium, vel aliud pium opus, juxta suorum confessorum consilium fecerint, 100., & qui processionem sequuntur, etiam 100. dies indulsit: Summa 4980. Et consequenter Eugenius Papa IV. similes per omnia indulgentias concessit, sicut Martinus prædecessor: Summa omnium indulgentiarum dictorum trium Pontificum simul dierum 11300.; & nihilominus uterque prædictorum, Martinus videlicet, & Eugenius, concessit celebrantibus pro pace Ecclesiæ, seu etiam communicantibus in die festo, sive etiam infra octavam pro qualibet vice 100. dies. Et qui sequuntur, aut præcedunt Sacramentum cum luminari, quando defertur infirmis communicandis, similiter 100.; qui autem sine luminari, 50. singulis vicibus.) Pro consequendis prædictis indulgentiis Cartusienses in novis Statutis 1. part. cap. 2. nu. 10. hæc habent: „ (Festum Corporis Christi feria v. post octavas Pentecostes solemniter celebretur, cujus octavæ fiunt eo ritu, & ea solemnitate, quibus fiunt octavæ Assumptionis Beatæ Mariæ, hoc adjuncto, quod ob præceptum Apostolicum, & indulgentiam consequendam, Missa diebus singulis per octavas de solemnitate cum nota cantetur in conventu, vel etiam sine nota post Missam conventualem festi XII. Lectionum, toto remanente conventu, & anniversaria reddantur in privato;) & infra nu. 29. „ (Per istas octavas dicendo horas in oratoriis infra cellas, gaudemus indulgentia, acsi in ecclesiis diceremus, quia sic Ordini a Domino nostro Papa Urbano V. misericorditer est indultum.)

XI. Ad vigiliam hujus festi quod spectat, „ (quando prædictum festum in vigilia B. Johannis Baptistæ occurrerit, *inquiunt præfata Statuta nu. 21.*, fiat abstinentia feria IV. præcedenti, & in ipso die Eucharistiæ jejunium sine lacticiniis, dicenturque duæ Missæ in conventu, prima de festo, secunda de vigilia ..... Quando vero ambæ solemnitates prædictæ, scilicet Corporis Christi, & Sancti Johannis Baptistæ, concurrent uno die, præcedenti fiat abstinentia similiter pro ambabus, & Missa de vigilia S. Johannis dicetur in conventu, & ad omnes Missas de vivis commemoratio de eodem.) De octava vero hæc scribit Corbejensis Monasterii Rituale: „ (A die Sancti Sacramenti altaris usque ad crastinum octavarum, si eveniant aliqua festa III. Lect., nihil faciemus de eis, nisi solum memoriam ad Vesperos post *Benedicamus* in die octavarum. Item in Dominica infra octaves dictæ solemnitatis faciemus memoriam ad Vesperos, & Laudes de Dominica, & Missa matutinalis erit de Dominica, & si festum alicujus Sancti trium Lect. eveniat in die dictæ solemnitatis, vel in aliis diebus per octavas, nos faciemus memoriam ad Vesperos, & Laudes de dicto Sancto, & in crastino Missam matutinalem de eo. Item per octavas dictæ solemnitatis non dicetur in conventu officium mortuorum, nec Missa, nec facimus horas nostras de nostra Domina, nec de SS. Apostolis Petro, & Paulo, nec de aliquo Sancto trium Lectionum. Item, si eveniat infra octavas vigilia Nativitatis B. Johannis Baptistæ, jejunabimus: & erit tunc magna Missa de jejunio, nisi in Dominica evenerit; quia tunc Missa matutinalis esset de jejunio, & magna Missa de Sacramento; sed in alia die ambæ Missæ dicuntur ad majus altare; & si dicta dies B. Johannis infra dictas octavas eveniret, facimus horas nostras de S. Johanne Baptista, & non de Sacramento;) & Rubricæ præmissæ Breviario Vallisoletano: „ (Infra octavam Corporis Christi fit tantum de festis quatuor capparum, cum commemoratione octavæ, inferiora transferuntur.) Similiter Rubricæ Breviarii Casalis Benedicti: „ (Infra octavam Corporis Christi quodcumque festum occurrens ob indulgentiarum beneficium, & reverentiam SS. Sacramenti transfertur, præter duplex majus, & summum.)

CAPUT XXVI.

De Dominicis post octavam Pentecostes usque ad Adventum.

I. HActenus omnes fere consuetudines anni pro modulo nostro prosequuti sumus; quæ forte etiam nunc supersunt, has brevi hoc capitulo investigare proponimus, reliquas usque in Domini Adventum Dominicas paucis percurrentes; de quibus generales hasce leges nobis repræsentant Divionenses S. Benigni consuetudines cap. 67., & Corbejense S. Petri Ordinarium: „ (Post commemorationem S. Trinitatis, in illa Dominica, quæ prima occurrerit, cantantur ℟. de Libro Regum, & tenentur usque ad Calendas Augusti, idest: *Deus omnium*. Dominica prima mensis Augusti inchoantur ℟. de Libro Salomonis, idest: *In principio*, & tenentur usque in Calendas Septembris; quibus semel cantatis, tertium, septimum, & undecimum in ceteris Dominicis ad nocturnos cantantur de S. Trinitate; quartum vero in tribus nocturnis non solum eo tempore, sed etiam a Pascha usque ad Calendas Septembris, Ambrosianum erit, nisi in albis festum fiat, aut in Dominica incepta historia nondum dicta: & ad ℟. & ad Vesperas: *Sicut erat*, & ad matutinas Laudes non dicitur: *Si bona suscepimus*, si incipit ante Calendas Septembris, *Sicut erat*, ad Vesperos dimittitur, & ad Matutinas Laudes dicitur. A Calendis autem Septembris usque in Passione Domini dimittitur in Vesperis, & dicitur ad Laudes: *Sicut erat*, & ad quartum ℟. in tribus nocturnis in XII. Lectionibus, nisi duplex fuerit, & ad tertium in tribus Lectionibus. Dominica prima mensis Septembris inchoantur ℟. *Si bona suscepimus*, & cantantur in duabus Dominicis ipsius mensis; aliis vero duabus in una canitur ℟. *Peto Domine*, & in alia, *Adonai Domine Deus*. Dominica prima mensis Octobris inchoantur ℟. *Adaperiat Dominus cor vestrum*, & tenentur usque ad Calendas Novembris; & hymnus: *Primo dierum*, & *Æterne rerum conditor*, hic incipiunt cantari durantes usque in Passione Domini. Dominica prima Novembris inchoantur ℟. *Vidi Dominum*, & tenentur usque in Adventum Domini.

II. „ De ordine quoque librorum supradictorum, supradicto tempore in Ecclesia, seu in refectorio legendorum breviter memorandum videtur. In prædicta Dominica, illa scilicet, quæ secunda post Pentecosten, & prima est post octavam, incipitur liber Regum, & Lectiones inde exceptæ leguntur in aliis Dominicis usque in Calendas Augusti. Libri Salomonis, & Ecclesiasticus, & libri Sapientiæ usque in Calendas Septembris. In Calendis Septembris Job per duas hebdomadas, deinde per alias duas Tobiæ, Judith, Ester, & Esdræ. In Calendis Octobris libri Machabæorum usque in Calendas Novembris. In Calendis Novembris ponitur ad legendum Ezechiel Propheta, Daniel, & XII. minores Prophetæ, usque ad Adventum Domini.

III. „ Et notandum, quoniam in omnis historiæ inceptione ab octavis Pentecostes, usque ad Adventum hoc considerandum est, ut si mensis citra v. feriam intraverit, in Dominica præcedenti historia incipiatur, nisi festivitas XII. Lect. in ea eveniat, pro qua usque in sequentem Dominicam perducatur ipsa inceptio, exceptis duobus solis, in quibus hoc aliquando observari non potest, idest: *Deus omnium*, & *Peto Domine*. Si vero in v. feria mensis intraverit, vel VI., vel Sabbato, in sequenti Dominica incipietur; nisi, ut dictum est, impediatur per festum XII. Lect.

IV.

IV. ,, De hac autem Dominica, quæ post octavam Pentecosten prima occurrit, & de hac septimana non abs re erit si plus aliquantulum dicatur, quam de aliis; quia nonnulla, quæ in istis tenentur ad obsequium divinum, tenentur etiam per omnes Dominicas, & septimanas usque ad Adventum Domini, nisi pro aliqua festivitate mutentur.

V. ,, Primo ad Vesperos in Sabbato capit. *Benedictus Deus*, quod etiam tam in Dominicis, quam in privatis diebus semper est idem. ℟. *Dominus, qui eripuit*. ℣. *Misit Deus*: Hymnus: *O lux*, ℣. *Vespertina oratio*. Antiphona de historia Regum. Collecta: *Deus in te sperantium fortitudo*.

VI. ,, Ad nocturnos quarum Invitatoria vicissim habentur, idest: *In manu tua Domine*: *Adoremus Dominum, quia ipse fecit nos*; de quibus alius ordo non servatur, nisi secundum quod Armario placuerit, tantum ante Adventum omnia cantata sint. In 1. nocturno ℣. *Memor fui nocte*; in 2. *Media nocte*; in 3. *Exaltare Domine*. Hymnus: *Nocte surgentes*; in Matutinis Laudibus: *Ecce jam solis*. Ad Cantica, quæ sunt: *Domine miserere nostri*: *Audite qui*: *Miserere Domine*, *Alleluja* dicitur, ut antiphona; *De Sion exibit lex*.

VII. ,, Ad Matutinas Laudes super tres psalmos: *Alleluja*, ut antiphona: *Dico vobis*; ad Hymnum trium puerorum propriæ habentur antiphonæ; ad *Laudate Dominum*, *Alleluja*, ut antiphona: *In Domino*. Capitulum: *Benedictio, & claritas*. ℟. *Hæc est dies*, ℣. *Dominus regnavit*. Antiphona in Evangelium: *Homo quidam erat dives*.

VIII. ,, Ad Primam *Alleluja*, ut antiphona, *Hortus conclusus es*. Capit. *Regi autem sæculorum*, quod tam in Dominicis, quam in omnibus duodecim Lect. dicitur, excepto Adventu, & Septuagesima. Collecta de S. Trinitate; *Omnipotens sempiterne Deus*, quæ ad hanc horam in omnibus Dominicis per totum annum est dicenda, nec pro aliqua vel præcipua festivitate mutanda.

IX. ,, Post consecrationem salis, & aquæ antiphona: *Asperges me*. Ad processionem in eundo ad S. Martium antiphona, vel ℟. de ipsa in omnibus Dominicis usque ad Adventum. Hæ duæ antiphonæ solæ cantantur ad processionem per claustrum vicissim, una in una Dominica, & alia in alia, idest: *Cum venerit*: *Oremus dilectissimi*. *Omnipotens Deus*; sed si opus fuerit quid addi, antiphona: *Dimitte nobis Domine*. Ad stationem in vestibulo Ecclesiæ ℟. aliquod de S. Trinitate. Ad Introitum antiphona, vel ℟. aliquod de Sanctis, in quorum honore locus præcipue consecratus est.

X. ,, Ad Tertiam *Alleluja*, ut antiphona: *Christi virgo*. Cap. *Deus caritas est*. ℣. *Ego dixi Domine*. Ad Sextam *Alleluja*, ut antiphona: *Inter natos*. Cap. *Alter alterius*. ℣. *Dominus regit me*. Ad Nonam *Alleluja*, ut antiphona: *Innuebant*. Capit. *Empti enim estis*. ℣. *Ab occultis*. Ad Vesp. ℟. *Quam magnificata sunt*; in privatis diebus: *Adjutorium nostrum*; in Sabbato: *Magnus Dominus noster*. ℣. *Dirigatur oratio*, excepto Sabbato, per totam hebdomadam.

XI. ,, In privatis noctibus cap. ad nocturnos: *Vigilate*; ad Matutinum: *Nox præcessit*; ad Primam cap. *Pacem & veritatem*. Collecta: *Domine Deus qui*, quæ duo in privatis diebus ita sunt conjuncta, ut nullo tempore ab invicem separentur ad Primam. Ad Tertiam Cap. *Sana me Domine*. ℣. *Adjutor meus*. Ad Sextam, & Nonam eadem sunt capitula, quæ in Dominicis, & iidem versus; & collectæ ad Tertiam, Sextam, & Nonam sunt de cotidianis, quascumque volueris; duabus primis exceptis, quæ in Dominicis ad Sextam, & Nonam dicuntur. Ad Completorium capitulum: *Tu autem in nobis es Domine*, & Collecta: *Visita quæsumus Domine*, ita sunt immobilia, ut sive sit dies privatus, sive solemnis, ipsa nequaquam moveantur. Quod si XII. Lect. fiunt, & non sit dies Dominica, ad Primam dicitur collecta: *In hac hora hujus diei*.

XII. ,, In Sabbatis ad Vesperos super canticum de Evangelio antiphona de historia dicitur, de qua ℟. in crastino dicuntur; ad Matutinos, & secundos Vesperos de Evangelio. In privatis noctibus ad Matutinos est antiphona de ipso cantico: ad Vesperos iterum de Evangelio.

XIII. ,, Eo quoque Sabbato, in cujus sequenti nocte sunt aliqua ℟. inchoanda, non dicitur ad Vesperos feriale ℟., sed unum de ipsis ℟. inchoandis. Collecta, quæ ad quamlibet Dominicam pertinet, est dicenda, & in Sabbato ad Vesperos, & post nocturnos ad Evangelium, & ad Matutinas Laudes, & ad matutinalem Missam, ad Tertiam, ad majorem Missam, & iterum ad Vesperos. Similiter fit in solemnitatibus XII. Lect., quibusdam exceptis, quas invenire potes aliquando habere collectam ad solam vigiliam, & aliam deinceps; aliquando ad vigiliam, & Evangelium unam tantum, & deinceps aliam. In privatis autem noctibus habentur in collectaneo, & hæ quæ dicendæ sunt ad nocturnos, & hæ quæ ad Matutinum, & quæ ad Vesperos.) Hactenus Divionenses Sancti Benigni consuetudines fuse de Lectionibus, Responsoriis, Versibus, Antiphonis, Collectisque in Dominicis post Pentecosten dicendis; ubi sub nomine libri Regum intelligendi sunt etiam libri Paralipomenon, qui ex Statutis Lanfranci usque ad Calendas Augusti una cum libris Regum ad nocturnos legebantur. Libri Esdræ nullam mentionem fecit Casinense Ordinarium; idem tamen hac in re decernunt cum Benignianis consuetudinibus Lanfrancus in Statutis, vetustissimus Ordo Corbejensis pro majori hebdomada, & consuetudines Dionysianæ. Hic unum desiderari posse videtur, ut scilicet Missarum officia, Epistolas, & Evangelia in Dominicis præfatis dicenda, de quibus omnino tacent Divionenses consuetudines, aliunde suppleamus, quod ex consuetudinibus S. Dionysii, Tullensi S. Apri Ordinario, Missalibusque Cartusiensium, & Cassinorum præstare tentabimus.

XIV. Itaque Dominica 1. post octavas Pentecostes Missæ officium: *Domine in tua misericordia*; Collecta: *Deus in te sperantium fortitudo*; Epistola: *Deus caritas est*; Evangelium: *Homo quidam erat dives*. Feria IV. ex Tullensi Ordinario Epistola: *Mortificate*; Evangelium; *Nolite putare*. Feria VI. Evangelium: *Impossibile est, ut non*.

XV. Dominica 2. post oct. Pentecostes officium Missæ: *Factus est*; Collecta: *Sancti nominis tui*: Epistola: *Nolite mirari*; Evangelium: *Homo quidam fecit cœnam magnam*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola, & Evangelium Dominicæ. Feria VI. si Missa sit de Cruce, Evangelium: *Assumsit Jesus XII. discipulos*.

XVI. Dominica 3. post oct. Pentecostes officium Missæ: *Respice in me*; Collecta: *Deprecationem nostram*; Epistola: *Humiliamini sub potenti*; Evangelium: *Erant appropinquantes*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Omne quodcumque*; Evangelium: *Esto consentiens*: Feria VI. Evangelium: *Introivit Jesus*.

XVII. Dominica 4. post oct. Pentec. officium Missæ: *Dominus illuminatio*; Collecta: *Protector in te sperantium*; Epistola: *Existimo, quod non sunt condigna*; Evangelium: *Estote misericordes*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Induite vos*; Evangelium: *Cum venisset Jesus*. Feria VI. Evangelium: *Interrogaverunt Jesum discipuli*.

XVIII. Dominica 5. post oct. Pentec. officium Missæ: *Exaudi Domine vocem*; Collecta: *Da nobis Domine*; Epistola: *Omnes unanimes*; Evangelium: *Cum turba irruerent in Jesum*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Obsecro primum*: Evangelium: *Confiteor tibi*. Feria VI. Evangelium: *Offerebant Jesu parvulos*.

XIX. Dominica 6. post oct. Pentec. officium Missæ: *Dominus fortitudo*; Collecta: *Deus qui diligentibus te*; Epistola: *Quicumque baptizati*, in Dionysianis vero consuetudinibus: *Sicut per unius Dei*; Evangelium: *Amen dico vobis, nisi abundaverit*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Habemus gratiam*; Evangelium: *Cum egressus esset*. Feria VI. Evangelium: *Venit Jesus in regionem*.

XX. Dominica 7. post oct. Pentec. officium Missæ: *Omnes gentes*; Collecta: *Deus virtutum*; Epistola: *Humanum dico*, pro qua Dionysianæ consuetudines habent: *Quicumque baptizati sumus*; Evangelium: *Cum turba multa*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Nihil damnationis est*; Evangelium: *Accesserunt ad Jesum*. Feria VI. Evangelium: *Abiit Jesus Sabbato per sata*.

XXI. Dominica 8. post oct. Pentecostes officium Missæ: *Suscepimus Deus*, Collecta: *Deus cujus providentia*; Epistola: *Debitores sumus*, pro qua Dionysianæ consuetudines: *Humanum dico*; Evangelium: *Attendite a falsis*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Cum adhuc peccatores*; Evangelium: *Dixit Johannes ad Jesum*: *Magister vidimus*. Feria VI. Evangelium: *Væ vobis scribæ*.

XXII. Dominica 9. post oct. Pentecostes officium Missæ: *Ecce Deus*; Collecta: *Largire nobis*; Epistola: *Non simus concupiscentes*, pro qua cons. Dionysianæ: *Debitores sumus*; Evangelium: *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi: *Nescitis, quoniam cui exhibuistis*; Evangelium: *Qui fidelis est in minimo*. Feria VI. Evangelium: *Rogabat Jesum*.

XXIII. Dominica 10. post oct. Pentec. officium Missæ: *Dum clamarem*; Collecta: *Pateant aures*; Epistola: *Scitis quoniam cum gentes essetis*, pro qua cons. Dionysianæ: *Non simus*; Evangelium: *Cum appropinquaret Jesus*

Jerusalem. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Non omnis caro*, Evangelium: *Cum videritis circumdari*. Feria VI. Evangelium: *Attendite vobis*.

XXIV. Dominica 11. post oct. Pentec. officium Missæ: *Deus in loco*; Collecta: *Deus qui omnipotentiam*; Epistola: *Notum vobis facio*, pro qua consuet. Dionysianæ: *Non omnis caro*; Evangelium: *Dicebat Jesus ad quosdam, qui in se confidebant*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi epistola: *Nescitis quoniam corpora vestra*; Evangelium: *Qui non est mecum*. Feria VI. Evangelium: *Interrogatus Jesus a Pharisæis*.

XXV. Dominica 12. post oct. Pentec. officium Missæ: *Deus in adjutorium*; Collecta *Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia*; Epistola: *Fiduciam talem habemus*, pro qua consuet. Dionysianæ: *Scimus quoniam si terrestris*; Evangelium: *Exiens Jesus de finibus Tyri*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Non prædicamus nosmet*; Evangelium: *Transeunte Jesu*. Feria VI. Evangelium: *Cœpit Jesus exprobrare*.

XXVI. Dominica 13. post oct. Pentecostes officium Missæ: *Respice Domine*; Collecta: *Omnipotens, & misericors*; Epistola: *Abrahæ dictæ sunt*; pro qua consuet. Dionysianæ: *Nolite jugum*; Evangelium: *Beati oculi*. Feria IV. epistola ex Ordinario Tullensi; *Scimus quoniam si terrestris*; Evangelium: *Abeuntes Pharisæi*. Feria VI. Evangelium: *Dum iret Jesus per civitates*.

XXVII. Dominica 14. post oct. Pentec. officium Missæ: *Protector noster*; Collecta: *Omnipotens sempiterne Deus da nobis*; Epistola: *Spiritu ambulate*, pro qua consuet. Dionysianæ: *Abrahæ dictæ*; Evangelium: *Dum iret Jesus in Jerusalem*. Feria IV. Epistola ex Ordinario Tullensi: *Nolite ducere jugum*; Evangelium: *Venit ad Jesum leprosus*. Feria VI. Evangelium: *Cum venisset Jesus ad turbam*.

XXVIII. Dominica 15. post oct. Pentec. officium Missæ. *Inclina Domine*; Collecta; *Custodi quæsumus Domine*; Epistola: *Si vivimus Spiritu*, pro qua consuet. Dionysianæ: *Spiritu ambulate*. Evangelium: *Nemo potest duobus*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Gratias agamus Deo*; Evangelium: *Audistis quia dictum est*. Feria VI. Evangelium: *Factum est in una dierum*.

XXIX. Dominica 16. post oct. Pentec. officium Missæ: *Miserere mihi Domine*. Collecta: *Ecclesiam tuam*; Epistola: *Obsecro vos ne deficiatis*, pro qua consuet. Dionysianæ; *Si Spiritu vivimus*; Evangelium: *Ibat Jesus in civitatem*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Videte ne quis vos seducat*; Evangelium; *Exiens Jesus de finibus*. Feria VI. Evangelium: *Venit Jesus de finibus*. Feria VI. Evangelium: *Venit Jesus Betsaidam*.

XXX. Dominica 17. post oct. Pentec. officium Missæ *Justus es Domine*; Collecta, *Tua nos Domine*, Epistola: *Obsecro vos ego vinctus*; Evangelium: *Cum intraret Jesus in domum cujusdam*. Feria IV. in jejuniis IV. temporum officium Missæ post Sextam: *Exultate Deo*; Collecta, præmisso: *Dominus vobiscum*, & quidem cum *Flectamus genua*, quod tamen non habent consuet. Dionysianæ, nec Missale Cartusiensium: *Misericordia tua*; Lectio: *Ecce dies veniunt*; ℟. *Propitius esto*; Collecta; *Præsta quæsumus Domine*; Epistola: *Congregatus est omnis*; Evangelium: *Respondens unus de turba dixit*; *Magister*. Feria VI. officium Missæ; *Lætetur cor*; Collecta sine *Flectamus genua*: *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut observationes*; Epistola: *Convertere Israel*; Evangelium: *Rogabat Jesum quidam Pharisæus*. Sabbato officium Missæ. *Venite adoremus*; Collecta sine *Dominus vobiscum* cum *Flectamus genua* ex Ordinario Tullensi; *Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam*. Lectiones a pueris in albis, & cum titulis canendæ; ℟. a conventu cantanda ex eodem Ordinario. Prima Lectio: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Decimo die*; ℟. *Propitius esto*; Collecta: *Da nobis quæsumus Domine*; Lectio secunda: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: quinto decimo*; ℟. *Protector noster*; Collecta: *Tuere quæsumus*; Lectio tertia: *Domine Deus noster pasce populum*; ℟. *Dirigatur*; Collecta: *Præsta quæsumus Domine sic nos*; Lectio quarta: *Factum est verbum Domini ad me*; ℟. *Convertere*, pro quo consuetudines Dionysianæ habent: *Salvum fac populum* a Sacerdote; Collecta: *Ut nobis Domine*; Lectio quinta: *Angelus Domini*, qua finita, inquit Tullense Ordinarium, „(duo fratres, qui Dominica præcedenti nominati fuerunt ad *Alleluja*, canent in albis hunc hymnum: *Omnipotentem*, & cum dixerint: *Semper adorent*, chorus respondet: *Omne per ævum*: deinde prædicti duo canent alios versus, & per unumquemque versum chorus respondet: *Et benedicant*; finitis versibus prædicti duo incipiunt: *Omnipotentem*, & chorus respondet: *Semper adorent*, & finit versum;) Sed in Dionysiano monasterio benedictionem; *Omnipotentem* cantabat aliquis *Sacerdos bene cantans*, Deinde Sacerdos, præmisso: *Dominus vobiscum*, dicebat collectam: *Deus qui tribus pueris*: Epistola: *Tabernaculum*; Tractus: *Laudate*, ex S. Dionysii consuetudinibus a duobus Sacerdotibus; Evangelium: *Arborem fici*. In hoc quatuor temporum jejunio comedebant ad Nonam, ut discimus ex Codice Cassinensi circa Bertharii Abbatis tempora descripto; si vero intra hanc hebdomadam jejunium non incidisset, tunc ex Ordinario Tullensi feria IV. Epistola, & Evangelium de Dominica desumebantur; Feria VI. si Missa esset de Cruce, Evangelium: *Assumsit Jesus duodecim discipulos*.

XXXI. Dominica 18. post oct. Pentec. officium Missæ: *Da pacem*; Collecta: *Da quæsumus Domine populo*, pro qua consuet. Dionysianæ: *Omnipotens sempiterne Deus misericordiam*; Epistola: *Gratias ago Deo meo*, cujus loco consuetudines Dionysianæ substituunt: *Obsecro vos ego vinctus in Domino*; Evangelium: *Accesserunt ad Jesum Pharisæi*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Mortificate membra*, Evangelium: *Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit*. Feria VI. Evangelium: *Simile est regnum cælorum grano sinapis*.

XXXII. Dominica 19. post oct. Pentec. officium Missæ: *Salus populi*; Collecta: *Dirigat corda nostra*, cujus loco consuet. Dionysianæ scribunt: *Fac nos quæsumus*; Epistola: *Renovamini spiritu*, pro qua Dionysianæ consuetudines: *Gratias ago Deo meo*; Evangelium: *Ascendens Jesus in naviculam*. Feria IV. ex Ord. Tullensi Epistola: *State, & tenete*; Evangelium; *Accesserunt ad Jesum discipuli ejus dicentes: Edissere*. Feria VI. Evangelium: *Interrogatur Jesus a discipulis de consummatione*.

XXXIII. Dominica 20. post oct. Pentec. officium Missæ: *Omnia quæ fecisti*. Collecta: *Omnipotens, & misericors Deus*, pro qua Dionysianæ consf. *Da quæsumus Domine populo tuo*; Epistola; *Videte quomodo caute*, cujus loco consuet. Dionysianæ: *Renovamini*; Evangelium: *Loquebatur Jesus cum discipulis suis in parabolis dicens: Simile factum est regnum cælorum homini Regi*. Feria IV. ex Ordin. Tullensi Epistola: *Denunciamus vobis*; Evangelium: *Dicebat Jesus cuidam Principi Pharisæorum; Cum facis prandium*. Feria VI. Evangelium: *Beati eritis cum vos oderint*.

XXXIV. Dominica 21. post oct. Pentec. officium Missæ; *In voluntate*; Collecta: *Largire quæsumus Domine*, pro qua consf. S. Dionysii; *Dirigat corda*: Epistola: *Confortamini in Domino*, cujus loco Dionysianæ consuetudines habent: *Videte quomodo*; Evangelium: *Erat quidam Regulus*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Finis præcepti*; Evangelium: *Cum intrasset Jesus in Synagogam*. Feria VI. Evangelium: *Cum venisset Jesus in domum Petri*.

XXXV. Dominica 22. post oct. Pentec. officium Missæ: *Si iniquitates*, Missale Cartusiensium habet: *Dicit Dominus*; Collecta: *Familiam tuam*, pro qua consf. Dionysianæ: *Omnipotens sempiterne Deus univers.* Epistola: *Confidimus in Domino Jesu*, cujus loco consuet. Dionysianæ scribunt: *Confortamini in Domino*; Evangelium: *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Obsecro primum omnium*; Evangelium: *Amen dico vobis, quia si quis dixerit*. Feria VI. Evangelium: *Videte quid audiatis*.

XXXVI. Dominica 23. post oct. Pentec. officium Missæ: *Dicit Dominus*, pro quo Missale Cartusianorum: *Si iniquitates*; Collecta: *Deus refugium*, Dionysianæ consuet. legunt: *Largire quæsumus*; Epistola: *Imitatores mei*; cujus loco consf. Dionysianæ: *Confidimus in Domino*; Evangelium: *Abeuntes Pharisæi*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Nolite erubescere*; Evangelium: *Cum venisset Jesus*. Feria VI. Evangelium: *Convenerunt ad Jesum*.

XXXVII. Dominica 24. post oct. Pentecostes officium Missæ ubique, ut in præcedenti Dominica; Collecta: *Excita Domine tuorum fidelium*, pro qua Dionysianæ consuetudines habent: *Familiam tuam*; Epistola: *Non cessamus pro vobis*, cujus loco Missale Casalinum exhibet: *Ecce dies veniunt*; Evangelium: *Loquente Jesu ad turbas*, pro quo Missale Casalinum: *Cum sublevasset oculos*. Feria IV. ex Ordinario Tullensi Epistola: *Nolo vos ignorare mysterium*; Evangelium: *Interrogavit Jesum unus de Scribis*. Feria VI. Evangelium: *Venit Jesus in*.

XXXVIII. Dominica 25. post oct. Pentec. officium Missæ in Ordinario Tullensi: *Benedicta sit*; Collecta: *Excita Domine*; Epistola: *Ecce dies veniunt*; Evangelium: *Cum sublevasset*. Eadem habet Missale Cartusianorum præter Introitum, cujus loco scribunt: *Si iniquitates*. Dionysianæ vero consuetudines officium Missæ ut in Dominica præcedenti; Collectam: *Deus refugium*; Epistolam: *Mortificate membra vestra*; Evangelium: *Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen*. Feria IV.

ex

et Ordinario Tullensi Missa de Spiritu sancto; Feria vi. de Cruce cum Evangelio: *Assumsit Jesus XII. Discipulos*.

XXXIX. Dominicam 26. post oct. Pentecostes solæ repræsentant S. Dionysii consuetudines cum officio Missæ, ut in Dominica præcedenti; Collecta: *Excita Domine quæsumus*; Epistola, *Imitatores Dei estote*; Evangel.: *Cum ingressus esset Jesus in via*.

XL. Hic notandum est. I. Non eamdem ubique seriem collectarum, Epistolarum, aut Evangeliorum observatam fuisse, ut patet ex Dionysianis consuetudinibus, quæ passim variant, atque ab aliis discrepant. II. Ferias iv. speciales habuisse epistolas, specialia Evangelia; ferias item vi. propria Evangelia hic ex Ordinario Tullensi relata, de quibus etiam in Rituali Beccensis monasterii has rubricas lego: „ [Epistolæ, & Evangelia de feria iv & vi. „ possunt dici feria ii., vel iii., vel v., vel Sabbato, „ quando non fit de S. Maria; ita tamen ut vi. feria non „ dicatur ante iv., nec iv. post vi.; sed ante legatur „ iv., & in loco ejus, si necesse sit, vi. sic vi. Sabbato, & in „ ejus loco iv. Item alio tempore feria vi. dicitur, de „ Cruce nisi sit festum, & Sabbato de S. Maria; feria „ vi. tunc dicitur aliis diebus etiam feria iv., & feria „ iv. ante dicatur. Si de Dominica fuerit Missa matutinalis, prima die vacua super septimanam dicatur Missa „ de Dominica, si fuerit vacua. Item si major Missa in „ die fuerit Dominica, de feriis supradictum teneat ordinem.) III. Viginti sex post octavam Pentecostes Dominicas numerant Dionysianæ consuetudines, viginti quinque Tullense Ordinarium, & Carnotensium Missale, viginti quatuor duntaxat Casinum. Totidem numerasse Cisterciensis docet liber Usuum Cister. c. 32. Cum vero supradictus numerus aut superaret, aut inferior esset, quid facto tunc opus esset, ibidem determitur his verbis: „ (Ab octavis Pentecostes usque ad primam Dominicam „ Adventus Domini sunt septimanæ viginti octo, quando prolixius est spatium temporis; quando vero brevius, „ viginti tres. Dominicalia officia sunt viginti quatuor; „ proinde in majori spatio temporis quatuor extrema officia singula per binas hebdomadas, idest: *Omnia quæ fecisti*, cum sua Collecta, Epistola, & Evangelio duabus dicentur hebdomadis: *In voluntate tua*, duabus: *Si iniquitates*, duabus: *Dixit Dominus ego cogito*, duabus. „ Si tres hebdomadæ numerum excesserint officiorum, similiter fiat de tribus ultimis officiis; si duæ, de duabus idem fiat; si una, *Dixit Dominus* bis dicatur. „ Cum vero hebdomadarum numerus minor fuerit numero „ officiorum, *In voluntate*, & *Si iniquitates*, in una dicentur hebdomada; *Dixit Dominus* bis in ultima, ita tamen quod in Dominica dicetur Collecta: *Deus refugium nostrum & virtus*, Epistola: *Imitatores mei*, Evangelium: *Abeuntes Pharisæi*: Infra hebdomadam collecta dicitur: *Excita Domine*, Epistola: *Ecce dies veniunt*, Evangelium: *Cum sublevasset*.

XLI. Quæret aliquis, quid faciendum erat, cum in Dominicam festum aliquod xii. Lectionum incidisset? Sed huic quæstioni fecit satis vetus Cassinense Ordinarium, cujus hæc verba: „ (Ab hac etiam Dominica (scilicet „ prima post octavam Pentecostes) usque in Adventum „ Domini, si venerint in eis (Dominicis) festa SS. unde xii. Lectiones fieri debeant, in prima, & secunda „ vigilia omnia fiunt de SS.; in tertia de Dominica, & „ ℟. de historia Evangelii de Dominica; Matutini de „ SS., deinde antiphona, *Benedictus*, & oratio de Dominica; ad Primam dicetur & Missa de SS.; ad Tertiam „ de Dominica, & reliqua de Sanctis, exceptis Nativitate, & Decollatione S. Johannis, & festivitate SS. Petri „ & Pauli, Transfiguratione Domini, Assumtione S. „ Mariæ, Exaltatione S. Crucis, Dedicatione S. Benedicti, & solemnitate omnium SS., in quibus festivitatibus nihil de Dominica fiat. Præterea in festivitatibus S. „ Laurentii, Nativitatis S. Mariæ, Dedicatione S. Angeli, „ S. Martini, si venerit in die Dominico, post orationem de Sancto dicatur antiphona, *Benedictus*, & oratio „ de Dominica, & antiphona, & Missa ad Primam; „ reliqua omnia de ipsa festivitate fiant.) His adde Petri Venerabilis Statutum 2. „ (Ne propter ullam xii. Lectionum festivitatem Dominicale officium intermittatur, „ illis festivitatibus exceptis, quæ ex more in cappis, vel „ albis fiunt, & quæ proprietatem nocturni cantus habent, „ hoc est integra ℟., & exceptis octavis Apostolorum Petri, & Pauli, & Assumtionis S. Mariæ: Præter ista, „ quæ excepta sunt, si xii. Lectionum festivitas die Dominico occurrerit, viii. primas Lectiones cum ℟. sula „ dies Dominica obtinebit, reliquas iv. cum Matutinis, „ Laudibus, & Missa tantum matutinalis, sibi Sancti illius commemoratio vindicabit;) & Statutum 3. „ (Nulla prorsus solemnitas die Dominico proveniens commemorationem Dominicæ diei ad Matutinos, & ad Vesperos impediat.)

XLII. Denique hoc caput claudant antiquæ Farfensis monasterii consuetudines „ (de Dominicis diebus, vel „ festis, seu quotidianis quot luminaria a Secretariis accendi in ecclesiis debentur Dominicis, vel omnibus festis, „ quibus xii. Lectiones faciunt omnibus temporibus; „ præter quando in cappis celebrent, hoc modo faciant. „ In prima vigilia accendantur, antequam signum sonet, „ quinque luminaria per loca constituta, videlicet unum „ ante altare majus, quod die noctuque ardeat, alterum „ in choro prope Abbatem ante analogium, tertium ante „ altare, seu extra chorum, quartum in brachio partis „ aquilonaris in secretario ante altare S. Benedicti, quintum australi parte extra chorum in introitu ecclesiæ. „ Expleto itaque cantico graduum adaugeantur duo ante „ altare majus. In tertio nocturno Diacono, Evangelio „ pronuntiato, *Et reliqua* dicente, statim duo Secretarii „ discooperiant tabulam, tertium accendant candelabrum, „ & analogium deferatur. Ad matutinas Laudes dicto: „ *Benedicamus Domino*, extinguantur. Ad Missam tribus „ duo adjungantur, quæ Conversi deferunt, & fiant quinque. Ad Vesperum tria sint ante altare. Feriatis diebus similiter faciant per loca destinata, præter illa, quæ „ junguntur in tertio nocturno. Duæ candelæ sint accensæ „ ante principale altare. Expleto cantico graduum, tertia „ est, quæ ibidem semper erit arsura, expletis duobus nocturnis extinguantur binæ candelæ, usque dum dicitur „ vigilia mortuorum, & Matutinum eorum; in Laudes „ iterum accendantur, priusquam sonetur. Ad Missam tres „ sint ante altare; ad Vesperum duæ; nam omnibus diebus „ Sabbatorum ad Vesperum semper sint tres lampades ante „ altare accensæ. Similiter cunctis diebus vigiliarum Sanctorum, sive Sanctarum, quibus xii. Lectiones efficiuntur in crastino.]

CAPUT XXVII.

De Capitulis Generalibus.

I. UT de Capitulis Generalibus ultimo hocce capite differam, facit eorum apud antiquos etiam monachos annua celebratio, quæ cum staretur, fixumque diem passim non haberet, visum est opportunum sub istius libri finem de illis tractationem rejicere. Est autem Capitulum generale multorum congregatio monasteriorum simul in unum convenientium, de mediis promovendæ virtutis, & tuendæ, resarciendæve disciplinæ regularis tractandi causa.

II. Capitulorum generalium antiquitatem ab ipsis vitæ cœnobiticæ primordiis repetere licet, utpote quorum mentionem facit Regula S. Pachomii primi monachorum in communi viventium Patris; sic enim n. 27. in cod. Reg. „ (Præpositus domus, qui implet hebdomadam, & alius, „ qui venturam suscipiet, Principesque monasterii habebunt curarum videndi, quid operis prætermissum sit, vel „ neglectum, & exeunti facient mattas, quæ super pavimentum in collecta expandi solent, numerantque funiculos, quos per singulas hebdomadas torserunt, & eorum summa describent in buxis, & servabunt usque „ ad tempus *annuæ congregationis*, quando reddenda est „ ratio, & peccata omnibus dimittuntur.) Hinc ejusdem S. Pachomii epistola *ad universa monasteria*, *in cod. Regul. pag. 62.* „ (ut congregentur omnes monasteriorum „ Principes, & domorum Præpositi in monasterium, quod „ vocatur Baum, vicesimo die mensis, qui apud Ægyptios „ appellatur Mesore, ut rite omnium peccatorum, atque „ operum remissio compleatur;) quo respiciens S. Hieronymus, & fusius exponens, quæ tractarentur in illa congregatione „ (mense, *inquit in præf.* ad *Reg. S. Pach.*, cui vocabulum est Mesore, idest Augusto, instar „ jubilæi remissionis dies exercentur, & peccata omnibus „ dimittuntur, reconciliianturque sibi, qui aliquam habent „ simultatem, & disponuntur monasteriorum capita, Dispensatores, Præpositi, Ministri, prout necessitas postularit.]

III. Apud Nostros aliquam Capituli generalis similitudinem nobis repræsentat congregatum in Aquisgranensi palatio, jussu Ludovici Pii Imperatoris, hortante Benedicto Abbate Anianensi, Concilium ex universis pene Ordinis nostri Abbatibus conflatum, in quo pertiles ad Regulæ S. P. Benedicti observationem leges conditæ sunt. Non multo post, idest sub medium sæculum Nonum, apud Cassinenses, „ (mos erat, ut pridie Calendas Septembris „ conventus ad hunc locum fieret, *inquit Leo Ostiensis in* „ *chr. lib. 1. c. 31. vel 32.* „ una cum Præpositis suis uni-

„ universorum hujus cœnobii in circuitu Monachorum,
„ docendi ab Abbate, quid facere, quid cavere, quidve
„ corrigere, seu qualiter sub Dei præsentia, & timore,
„ cum regulari observatione vivere debeant. Sequenti ve-
„ ro die ordinabantur, & describebantur, atque destina-
„ bantur in obedientias per singulas, prout opportunum erat,
„ providentes.) Postea sæculo XII. frequentior apud mo-
nachos esse cœpit Capitulorum generalium celebratio, ma-
xime apud Cisterc. Grandim., & Cartus., immo & apud Cano-
nicos Regul. Cistercienses ab ipsis Ordinis sui cunabulis Capi-
tula Generalia congregasse docet Charta caritatis, qua primum
tanquam constitutionibus usi sunt, auctore, ut creditur,
S. Stephano, qui S. Bernardum ad conversionem venien-
tem suscepit; in ea siquidem hæc inter alia c. 3. continen-
tur: „ (Omnes Abbates de Ordine nostro singulis annis
„ ad Cisterciense Capitulum generale omni postposita occa-
„ sione conveniant, illis solis exceptis, quos corporis in-
„ firmitas retinuerit; qui tamen idoneum nuntium delega-
„ re debebunt, per quem necessitas remorationis eorum va-
„ leat capitulo nuntiari, & illis item exceptis, qui in
„ remotioribus partibus habitantes, eo termino venerint,
„ qui eis fuerit a capitulo constitutus; quod si quis alia qua-
„ cumque de caussa a Capitulo generali nostro remanere
„ præsumserit, in sequentis anni capitulo pro culpa ve-
„ niam petat, nec sine gravi animadversione pertranseat,
„ In quo quidem Capitulo generali de salute animarum sua-
„ rum tractent, & in observatione S. Regulæ, & Ordinis,
„ si quid emendandum fuerit, vel agendum, ordinent, bo-
„ num pacis, & caritatis inter se reforment.)

IV. Quinam vero essent illi Abbates, qui quotannis Cistercium ad Capitulum convenire non tenebantur, declarat liber Institutionum Cisterc. dist. 5., his verbis:
„ (Abbates de Hybernia, Scotia, & Sicilia tribus annis
„ remaneant, & quarto anno veniant ad Capitulum gene-
„ rale. Abbates vero de Syria, & Palestina septimo anno
„ veniant. De Abbatibus qui sunt in Norvegia, Græcia,
„ & Livonia, provideant Patres Abbates, ut ad minus
„ tertio anno visitentur, & anno quinto veniant ad ca-
„ pitulum generale. Abbates vero de Hungaria duobus
„ annis remaneant a capitulo, & tertio anno veniant.
„ Abbas de *Quereb* quinto anno veniat.) Hæc ideo
referimus, ut inde pateat, quam copiosa, & ampla esset
apud Cistercienses Capituli generalis congregatio, ad quam
tot, tantarumque regionum Abbates convenirent. Cele-
brata etiam fuisse a monachis Grandimontensibus ab ipso
Ordinis sui exordio Capitula generalia discimus ex vita S.
Stephani institutoris Ordinis Grandimontensis, apud Lab-
beum tom. 2. Biblioth. novæ, ubi „ (tempore Domini
„ Bernardi V. Prioris Grandimontis coadunato in Grandi-
„ monte Capitulo generali, celebrata dicitur translatio
„ Corporis B. Stephani sequenti die Nativitatis Præcurso-
„ ris, ac præconis Domini Salvatoris.) (Bernardus au-
tem Prior successit Stephano de Liciaco, qui, ut scribit
Bernardus Guidonis, obiit anno 1165.) Inde est Petri
Cellensis Abbatis epistola 7. libri 8. Priori, & fratribus Gran-
dimontis, in qua inter alia: „ (Dies, *inquit*, Domini
„ Sanctus est, solemnitas S. Johannis Baptistæ, quando
„ ad matrem pulli Gallinæ revolant, & de singulis locis
„ vestris rivuli ad locum, unde exierant, refluunt, ut de
„ paternis instructione, & correctione repetito meatu
„ copiosius, & fortius iterum fluant. Servanda, & tenen-
„ da est hæc probabilis, & sancta consuetudo, quia non
„ tantum ab homine, & per hominem, sed etiam a le-
„ ge, & Deo hæc approbata est institutio. Clarius in
„ epistola 22. ejusdem libri ad eosdem: „ (Videtur mihi
„ meatus suos fluvius Paradisi, quasi ad sinum originalem
„ revocare, cum de singulis partibus vobis ad diem B.
„ Johannis Baptistæ solemnem contingit Priores vestros in
„ unum convenire &c.

V. Cartusienses vero sub Basilio post Guigonem Priore
tertio generalia capitula tenere cœperunt, quorum corre-
ctioni tam Cartusiæ Priorem, quam alios Ordinis supe-
riores subjecerunt, ut patet in antiquis eorum Statutis 2.
parte cap. 2., hinc Galterius Episcopus Lingonensis in
charta fundationis Cartusiæ Luvigniacensis anno 1177. a
se *factæ*, Spic. tom. 4. „ (eam exemtam ab omni juris-
„ dictione ordinaria tradit generali capitulo dictæ religionis
„ in perpetuum corrigendam.) De Canonicis Regularibus
luculentum habemus testimonium Jacobi de Vitriaco in Hi-
storia Occidentali cap. 23. ubi de Canonicis Regularibus
Aroasiæ in Belgio hæc habet: „ (Semel in anno sub pri-
„ mo, & principali Abbate generale concilium celebraturi
„ conveniunt, ut omnes unanimiter hujus Ordinis Abba-
„ tes, secundum quod religioni videtur expedire, corri-
„ gant corrigenda ... resecent superflua, instituant, &
„ addant, quæ fuerint superaddenda; vel secundum tem-
„ porum, aut rerum mutationem, quæ fuerint commu-
„ tanda, commutent, & novis supervenientibus ita vetera
„ rejiciantur, quod vetustissima veterum, primæ scilicet
„ antiquorum Patrum instituta firmiter, & inviolabiliter
„ observentur.) Congregata sunt insuper eodem sæculo
XII. alia monachorum Ordinis S. Benedicti Capitula ge-
neralia, ut patet ex epistola S. Bernardi 91. *ad Abbates
Suessione congregatos*. Postea vero anno 1215. Innocentius
Papa III. in Concilio Lateranensi generalem hac de re le-
gem pro monachis omnibus edidit, quæ continetur his
verbis c. 12. „ (In singulis regnis, sive provinciis, fiat
„ de triennio in triennium, salvo jure Diœcesanorum Pon-
„ tificum, commune capitulum Abbatum, atque Priorum,
„ Abbates proprios non habentium, qui non consueve-
„ runt tale capitulum celebrare; ad quod universi con-
„ veniant præpeditionem canonicam non habentes, apud
„ unum de monasteriis ad hoc aptum, hoc adhibito mo-
„ deramine, ut nullus eorum plus quam sex evectiones,
„ & octo personas adducat. Advocent autem caritative
„ in hujus novitatis primordiis duos Cisterciensis Ordinis
„ Abbates vicinos, ad præstandum sibi consilium, & au-
„ xilium opportunum, cum sint in hujusmodi capitulis
„ celebrandis ex longa consuetudine plenius informati;
„ qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent,
„ quos viderint expedire, ac ipsi quatuor præsint capitulo
„ universo, ita quod nullus eorum authoritatem præla-
„ tionis assumat, unde cum expedierit, provida possint
„ deliberatione mutari. Hujusmodi vero capitulum ali-
„ quot certis diebus continue juxta morem Cisterciensis
„ Ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de
„ reformatione Ordinis, & observatione regulari; &
„ quod statutum fuerit, illis quatuor approbantibus, ab
„ omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione, &
„ contradictione, ac appellatione remotis; proviso nihilo-
„ minus, ubi sequenti termino debeat capitulum celebrari:
„ Et qui convenerint, vitam ducant communem, & fa-
„ ciant proportionabiliter simul omnes communes expensas,
„ ita quod si non omnes potuerint in eisdem, saltem
„ plures simul in diversis domibus commorentur. Ordi-
„ nentur etiam in eodem capitulo religiosæ ac circumspectæ
„ personæ, quæ singulas Abbatias ejusdem regni, sive pro-
„ vinciæ, non solum monachorum, sed etiam monialium, se-
„ cundum formam sibi præfixam, vice nostra studeant vi-
„ sitare.)

VI. Non multo post Greg. Papa IX. in Bulla singu-
lari ad Cluniacenses decernit, ut „ (generale Capitulum
„ Abbatum, & Priorum, tam conventualium, quam mi-
„ norum Cluniacensis Ordinis, sive immediate, sive aliquo
„ medio sint subjecti, apud Cluniacum annis singulis ce-
„ lebretur;) cui quidem capitulo tres Priores Cartusiensis
Ordinis vult interesse, „ (non ut aliquam jurisdictionem
„ exerceant, sed ut ipsos, *inquit*, instruant, & dirigant,
„ diligentiam ipsorum, vel negligentiam rescribant Se-
„ di Apostolicæ annuatim.) Eamdem de capitulo an-
nuatim celebrando constitutionem postea renovavit Nicolaus
Papa IV. in Bulla item ad Cluniacenses. Cum autem
hujusmodi generalia Capitula negligerentur, Concilium Sal-
tzburgense anni 1274. inter alia primum hoc edidit Capi-
tulum: „ (Cum Abbates Ordinis S. Benedicti Saltzbur-
„ gensis Provinciæ Capitula sua Provincialia longis retro
„ temporibus non curaverint celebrare, propter quod cir-
„ ca regulares observantias idem Ordo non mediocriter est
„ collapsus; nos eisdem Abbatibus nostræ Provinciæ fir-
„ miter, & districte præcipiendo mandamus, ut Provin-
„ ciale capitulum suum infra festum Resurrectionis ven-
„ turum proximo celebrent, juxta formam a Sacris cano-
„ nibus eis datam, in quo de moribus corrigendis, tam
„ in seipsis, quam in suis subditis tractent, & ordinent
„ diligenter &c.,) & aliquot ante annis, hoc est anno
1260. inter alia de monachis decreta Concilium Coloniense
cap. 20. „ (Item statuimus, *inquit*, quod omnes Abbates
„ nigri habitus Ordinis S. Benedicti nostræ Diœcesis, sin-
„ gulis annis in Exaltatione S. Crucis capitula Coloniæ
„ teneant, vel apud Sanctum Pantaleonem, vel apud
„ Sanctum Martinum, ut ibidem observantiæ Regulæ cum
„ discretione teneantur.) Tandem Benedictus Papa XII.
in sua ad monachos Benedictinos constitutione, statuta de
convocandis Capitulis generalibus innovat, distinguitque
duo Capitulorum generalium genera; unum ex omnibus
Provinciæ Abbatibus, seu Prioribus proprios Abbates
non habentibus, quod Provinciale nuncupat: alterum ex
omnibus Abbatibus, Prioribus, aliisque Obedientiariis ab
aliquo majori monasterio dependentibus, quod generale
appellat: illud singulis trienniis celebrari decernit, istud
quotannis. Hæc duo Capitulorum generalium genera in
Chronico Beccensi licet advertere, in quo anno 1264. Idi-

bus

bus Maji Ecclesia Beccensis combusta dicitur: „ (Abbate „ Roberto tunc apud Lexovias ad Capitulum Abbatum „ generale existente,) & anno 1243. Henricus Abbas obiisse in vigilia Natalis sancti Johannis Baptistæ „ (præ„ sentibus ad hoc Prioribus omnibus Ordinis Beccensis, „ tam cismarinis, quam transmarinis, qui ad hoc ibi „ convenerant, et interessent Capitulo generali eodem die „ celebrando.) Denique Johannes Trithemius scribit, Capitulorum generalium celebrationem a Constantiensi Concilio fuisse instauratam. Nunc vero vix ullus Ordo monachorum, aut congregatio existit, quæ sua non habeat Capitula generalia.

VII. De tempore Capituli generalis celebrandi vix aliquid definiri potest, cum constet hac de re varias fuisse monachorum consuetudines; Pachomiani 20. die mensis Augusti, Cassinenses 1. Septembris, Cistercienses in festo Exaltationis sanctæ Crucis, cujus in vigilia ante Tertiam Cistercium ingressi, post Tertiam Missæ de Spiritu sancto intererant, alii aliis temporibus conveniebant, ut ex hactenus dictis facili negotio colligi potest. In historia MS. sancti Theoderici monasterii prope Remos, ad annum 1279. indictum reperio Capitulum in monasterio S. Quintini in Insula feria 6. post festum SS. Philippi, & Jacobi.

VII. De forma tenendi capituli, ritibusque in eo servandis consulendæ sunt eorumque congregationum constitutiones. Interim vide, si lubet Benedicti Papæ XII., aliorumque Pontificum hac de re decreta, acta capitulorum generalium monachorum Anglorum apud Raynerium Clementem in appendice, & apud Spelmannum.

LIBER QUARTUS, DE FESTIS.

CAPUT I.

Generales quædam de festis consuetudines.

QUem superiori libro perlustravimus anni circulum, hunc iterum ad describendas varias in festis consuetudines perennitere necesse est. Priusquam tamen de cunctis singulatim dicemus, generales quasdam de festis consuetudines ab antiquis traditas hic præmittere pretium operæ duximus.

Ex Statutis Lanfranci.

§. 1. *De quinque præcipuis festivitatibus.*

I. „ (Quinque sunt præcipuæ festivitates, idest Natale Domini, Resurrectionis ejus, Pentecostes, Assumtio S. Genetricis Dei Mariæ, Festivitas loci. Servatis omnibus, quæ de Sabbato sancto dicta sunt, in harum festivitatum vigiliis ornetur totum monasterium, & omnia altaria secundum facultatem loci, sicut honestius fieri potest; mundentur officinæ, & claustrum; sedilia refectorii, capituli, claustri tegantur, bancalibus sternatur juncus. Ad Missam jejunii induantur honeste, qui eam sunt celebraturi, Sacerdos honorifice, Diaconus dalmatica, Subdiaconus tunica, tres Conversi, Cantor Hebdomadarius cappa, duo fratres ad Responsoria. Ante Missam pulsentur signa, sicut in festis diebus, litania minima dicatur, *Kyrie eleison* festivum canatur, una tantum collecta dicatur. Si festivitas in hac die evenerit, Missa matutinalis de ea cantetur. Ad ra. duo majora signa pulsentur; ad Vesperas duo minima, dehinc gradatim duo, & duo ad extremum omnia. Inter signa luminaria monasterii omnia accendantur. Ante singula altaria, quæ extra Presbyterium sunt, singula luminaria ardeant; antiphonas super psalmos, quibus Cantor præceperit, incipiant; ℟. quatuor in cappis canant, antiphona ad *Magnificat* ter dicatur; Abbas, & Prior cappis induti incensent utraque Presbyterii altaria ante, & desuper, utrique simul, singuli singula latera. Parati sint duo alii Sacerdotes, Hebdomadarii scilicet majoris Missæ, & minoris, qui thuribula de eorum manibus accipiant; & hinc, & inde per altaria, quæ extra sunt, circumferant: Qui revertentes in chorum, Abbati prius, Priori postea ferant; post eos, qui ℟. cantaverunt, non ambo simul; sed unus hinc, & alter inde; dehinc duo Conversi in albis cetera fratribus. Alter de libro serviat, qui thuribulum accepit. In his vigiliis tabulæ refectorii debent esse coopertæ.

II. „ In crastino ante nocturnas vigilias ad excitandos fratres pulsentur omnia signa; dehinc gradatim duo, & duo ad extremum omnia. Ad Invitatorium quatuor in cappis. Terna Responsoria in tribus nocturnis duo & duo, quartum quatuor, octavum quinque, duodecimum sex canant. In tribus nocturnis, dum legitur tertia lectio, duo Sacerdotes cappis induti incensent altaria majus, & minus; dehinc ferant Abbati, & Priori & ceteris fratribus per ordinem. Octavum, & duodecimum ℟. post gloriam a capite repetantur. Pronunciato Evangelio, altare discooperitur, & omnia luminaria accendantur. *Ad Te Deum laudamus* duo majora signa pulsentur, lecto Evangelio collecta dicatur, pulsatis omnibus signis inchoet Sacerdos matutinas Laudes; dehinc in vestiarium rursus casulam, & stolam deponat; & sic in alba cum manipulo in chorum redeat; incepto hymno exeat, manipulum deponat, cappam induat, & cum alio fratre similiter cappa induto, sicut ad hesternas Vesperas, cum thuribulis per altaria vadat, duobus Conversis cum eis indutis in albis. Si Abbas Evangelium legerit, post Evangelium indutus cappa in chorum revertatur: antiphona ad *Benedictus* ter dicatur.

III. „ Ad Primam duo majora signa pulsentur, tres cerei ante altare accendantur, Similiter ad Tertiam, & Sextam, & Nonam Capitulum breviter peragatur. Missa matutinalis cum una collecta, & præfatione dicatur: dum Sacerdos in canone est; remanentibus infantibus cum magistris suis in choro, qui ante Missam debent esse induti, ceteri pergant induere se; qui accipientes a Secretario vestimenta extra secretariam se induant: Si vero parvus locus est, exeant aliqui in claustrum, vel capitulum, & ibi induant se: Meliores vero albæ tribuantur Prioribus, & honestioribus personis; unusquisque mox ut indutus fuerit, revertatur in chorum, Missa peracta, si dies Dominicus non fuerit, cessante majore signo, quod incepta ultima collecta Missæ pulsari cœpit, fiat oratio Tertiæ; post orationem pulsato alio signo cantetur Tertia: Si vero Dominicus fuerit, expleta matutinali Missa, non pulsato adhuc Tertiæ signo, fiat aqua benedicta, sicut aliis Dominicis diebus fieri solet: Dum cantatur: *Asperges me*, pulsetur majus signum ad Tertiam. Aspersa aqua benedicta, vadat Sacerdos per officinas cum portitoribus aquæ, & crucis: cessante signo fiat oratio Tertiæ; qua expleta pulsato alio signo canatur Tertia. Sacerdos interim, qui per officinas ivit, revertens ante introitum monasterii dicat orationem solitam; dehinc intrans ante unum de altaribus: *Via sanctorum*.

IV. „ Dicta Tertia, distributis cappis, dispositis in choro a Cantore, qui ea, quæ portanda sunt, portare debent; exeunt omnes hoc ordine processuri. Primum Conversus ferens situlam cum aqua benedicta, dehinc duo portantes duas cruces, post quos duo cum duobus candelabris accensis desuper cereis, alii duo ferentes duo thuribula igne, & thure plena; hos sequantur duo Subdiaconi tunicis induti, portantes duos Evangeliorum textus, post quos infantes cum magistris suis, extremi Abbas, & Priores, præcedentibus aliis binis, & binis, sicut est ordo eorum. Cum processio de choro incipit exire, pulsentur duo majora signa non cessatura, usque dum processio in chorum sit reversa, cessentque alia signa; procedentes per majores januas monasterium introeant, & ante crucifixum stationem faciant; qua facta, expleto cantu, quem inceperunt, incipiat Abbas, vel Cantor, quod ad ipsum idem pertineat, & sic sonantibus omnibus signis chorum introeant, eisque cessantibus Missam incipiant.

V. „ Ante Missæ Introitum sternatur unum, aut duo tapesia per transversum chori, ubi stare debeat Cantor, & ceteri, quos ad se vocaverit ad chorum regendum. Omnes cerei, qui in coronis sunt, & cetera luminaria, quæ in choro, & presbyterio, & ante crucifixum sunt, accendantur, Cantor provideat, quot, & qui, quæ singulariter cantanda sunt cantent. Ad sequentiam duo majora signa pulsentur. Communio, si opus fuerit, repetatur cum ℣. & *Gloria Patri*. Expleta Missa pulsentur omnia signa, unusquisque vestimentum suum, & cappam, utraque bene plicata, deferat Secretario ad arcem.

VI. „ Festivæ mappæ super tabulas refectorii sint extensæ, ita ut ante pendeant, sint & quotidianæ, intæ tamen, super quas manducent fratres; manutergia etiam candida, & honesta super tersoria quotidiane sint extensa; quæ manutergia post capitulum a Camerariis sunt extendenda; nullus tamen fratrum debet ibi manus tergere, nisi solummodo ad refectionem primam, & sero ad cœnam.

VII. „ Ad Nonam duo majora signa pulsentur. Ad Vesperas agatur de signis, & cereis, sicut actum est ad Vesperas præcedentis diei. Post cœnam, refectis servitoribus, colligant Refectorarii mappas festivas, & bene plicatas reddant Celerario conservandas; Camerarius vero honestiora tersoria accipiet, & custodiat.

§. 2. *De festivitatibus præcipuis secundæ classis.*

I. „ Sunt aliæ festivitates, quæ magnifice celebrantur, quamvis non æqualiter superioribus; sunt autem hæ: Epiphania, Purificatio S. Mariæ, festivitas S. Gregorii, Annunciatio Christi, octava dies Paschalis solemnitatis

estis, festivitas S. Alfegi Martyris, Ascensio Christi, festivitas S. Augustini Anglorum Archiepiscopi, Octava Pentecostes dies Nativitas S. Johannis Baptistæ, Passio Apostolorum Petri, & Pauli, Translatio S. Benedicti, Nativitas S. Mariæ, festivitas S. Michaelis, festivitas omnium SS., festivitas S. Andreæ, Dedicatio Ecclesiæ. Harum omnium festivitatum præcedentibus diebus ornentur altaria, Presbyterium, chorus membra monasterii, ex utraque parte chori pulsentur signa, sicut in præcipuis festivitatibus; accendantur duæ partes cereorum coronæ Presbyterii, & omnia luminaria, quæ circa majus altare sunt, & cereus ante crucifixum: Antiphonæ si propriæ habeantur, quibus Cantor præceperit, super psalmos imponant: sin autem cum una antiphona de festivitate canatur. Responsorium duo in cappis. Antiphona ad *Magnificat* bis dicatur; duo Sacerdotes cappis induti ad thuribula, sicut superius de præcipuis festivitatibus dictum est. Missæ vigiliarum Ascensionis Christi, Johannis Baptistæ, Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium SS. festive celebrentur: si quælibet harum vigiliarum, vel alia aliqua, quæ festive celebretur, Dominica die evenerit, totum servitium noctis, & Missa matutinalis de Dominica agetur; major vero Missa cum *alleluja* post Responsorium, de vigilia dicatur, excepta Dominicæ Nativitatis vigilia; in qua, si ita evenerit, in tertio nocturno de ipsa vigilia cantatur, & legitur: In crastino ante nocturnas vigilias pulsantur signa bina, & bina, dehinc simul omnia. Ad Invitatorium tres in cappis, tria Responsoria in tribus nocturnis, duo & duo cantant, quartum tres, octavum quatuor, duodecimum quinque, quod post Gloriam a capite repetatur. Pronunciato Evangelio, altare discooperiatur, luminaria, sicut ad Vesperas præcedentis diei, accendantur. Antiphona ad *Benedictus* bis dicatur, & thuribula similiter circumferantur.

II. „ [Ad Primam duo signa pulsentur, tres cerei accendantur: Similiter ad Tertiam, & Sextam, & Nonam. Ornentur sedilia, extendantur mappæ, & tersoria, sicut supra dictum est. Missa matutinalis de ipsa solemnitate cum una collecta, nisi sit festivitas alicujus sancti, unde commemoratio fiet; quod si evenerit, matutinalis Missa erit de sancto, & collecta prima; secunda de ipsa solemnitate, & non amplius; Sacerdotes ad Missas privatas similiter collectam unam.

III. „ (Dicta matutinali Missa canatur Tertia, celebratur Missa in cappis, excepta Purificatione S. Mariæ, in qua ad Missam sint omnes albis induti, propter cereos, præter Cantorem, & eos, qui circa eum sunt, quos cappis indutos esse oportet. Excipiuntur quoque B. Gregorii, & Dominicæ Annuntiationis festivitates quando intra Quadragesimam celebrantur; in his enim similiter sint albis induti, præter supradictos, & eos, qui Responsorium, & tractum cantant; hi namque, præcipiente Cantore, accedentes ad cantandum, cappas in choro induant, & cum percantaverint, venientes in vestiarium, eas ibi deponant: Cantor quot, & quos voluerit, ad se vocet: numerus cantantium R. & *alleluja*, & cetera, quæ cantanda sunt, in arbitrio Cantoris sit. Celebrata Missa, pulsentur omnia; (a) si aliqua harum festivitatum Dominica die evenerit, dicta matutinali Missa, fiat aqua benedicta, & processio per claustrum, sicut solet Dominicis diebus; omnes tamen sint albis induti. Ad nonam pulsentur duo signa, & agantur Vesperæ sicut præcedenti die ...

§. 3. *De festivitatibus tertiæ classis.*

I. „ Sunt aliæ tertiæ classis festivitates, quæ non tantopere celebrantur; hæ autem sunt: festivitas S. Vincentii, Conversio S. Pauli, Philippi, & Jacobi, Inventio S. Crucis, Jacobi Apostoli, S. Petri in Calendis Augusti, Laurentii Martyris, octava dies Assumtionis S. Mariæ, Bartholomæi Apostoli, Augustini Doctoris, Decollatio S. Johannis Baptistæ, Exaltatio S. Crucis, Matthæi Apostoli, Simonis, & Judæ, B. Martini, Thomæ Apostoli, & si quæ aliæ festivitates ita celebrari instituantur. Pridie ante has festivitates parentur duo Presbyterii altaria Presbyterium, & chorus. Ad Nonam, & ad Vesperas pulsentur signa, sicut privatis duodecim lectionibus, nisi quod majora signa pulsari debent. Tria candelabra ante altare, & cetera luminaria, quæ circa sunt, accendantur. Vesperæ cum una antiphona de ipsa festivitate canantur, nisi præcedat festivitas, de qua dicantur Vesperæ usque ad capitulum. Responsorium, si propria historia est duo fratres canant in frocis suis; si non est propria historia, sicut in festivitatibus quorumdam Apostolorum; aut si jam cantata est, quemadmodum octava die Assumtionis S. Mariæ duo pueri canant breve Responsorium: Sacerdos indutus cappa incenset altaria, Conversus sit in alba.

II. „ In crastino ad invitatorium duo in cappis, tria R. in tribus nocturnis, singuli singula, quartum R. duo, octavum tres, duodecimum quatuor, quod post Gloriam repetatur: pronunciato Evangelio, discooperiatur altare, & accendantur luminaria, sicut pridie ad Vesperas. Ad *Te Deum laudamus* duo mediocria signa pulsentur; post lectum Evangelium Sacerdos in chorum redeat in alba, ad Laudes duo pueri breve Responsorium, sive sit propria historia, sive non, & ad Vesperas similiter.

III. „ Ad Primam pulsetur unum de majoribus signis; accendantur duo cerei ante altare, & per omnes horas usque ad Vesperas.

IV. „ Ad Missam in choro omnes sint in albis, præter cantorem, & eos, qui secum erunt, qui etiam cappis induti chorum regere debent.

V. „ Ad Nonam pulsetur signum, sicut ad Primam: antiphonas super psalmos ad Vesperas imponant juvenes, quibus Cantor præcepit; cetera agantur, sicut ad Vesperas præcedentis diei ....

§. 4. *De quinque Dominicis principalibus.*

I. „ Quinque dies Dominici sunt, qui communia quædam inter se habent separata a ceteris diebus Dominicis, Dominica videlicet prima de Adventu Domini, Dominica prima Septuagesimæ, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica in medio Quadragesimæ, Dominica in Palmis. In his duo Invitatorium canant in albis. Sacerdos lecto Evangelio, exutus in vestiario casula, & stola, revertatur in chorum in albis cum manipulo, exiturus incepto hymno, & incepta antiphona ad *Benedictus* similiter in albis intraturus, & incensum per altaria portaturus. Chorus ab hesterna die debet esse paratus, & per chorum juncus sparsus. Ad utrasque Vesperas, & ad Laudes duo fratres in frocis R. canant. Tabulæ refectorii sint coopertæ, honesta manutergia sint extensa super tersoria sicut in omnibus festivitatibus, in quibus Invitatorium in cappis canitur, quæ extendantur, & colligantur, sicut superius dictum est.

§. 5. *De festivitatibus xii. Lectionum.*

I. „ In omnibus festivitatibus xii. Lectionum, quæcumque sint, & in omnibus diebus, qui infra octavas sunt, in quibus in claustro non loquuntur monachi, quamvis ipsi dies trium Lectionum sint, & in omnibus vigiliis, in quibus Missæ pulsatis omnibus signis festive aguntur, & in omnibus Sabbatis jejuniorum Quatuor Temporum, cum Cantor inchoaverit; *Gloria Patri* ad officium, Sacerdos ingrediatur ad altare, ferens missale manibus suis, præcedentibus tribus Conversis cum candelabris, & thuribulo, Subdiacono post eos cum textu, Subdiaconum sequente Diacono; & posito missali super altare, faciat orationem suppliciter inclinatus: Diaconus quoque similiter faciat; factaque oratione, signet se Sacerdos, & osculetur textum Evangelii, quem Subdiaconus super altare positum habere debet; Diaconus quoque similiter signans se faciat ante & retro, & exiens ad sinistram Sacerdotis osculetur cornu altaris; dehinc faciant simul confessionem; qua facta, imposito a Sacerdote thure in thuribulo, tribuat Diaconus Sacerdoti thuribulum, Sacerdos incenset altare ante, & desuper, reddatque Diacono; Diaconus incenset utraque altaris latera, & altare matutinale, & sic reddat Converso; qui deferens in chorum, offerat primum Cantori, & ipsis, qui cum eo sunt; dehinc in dextero choro omnibus per ordinem, & sic in sinistro; deinde infirmis, qui extra chorum sunt; Duo vero Conversi, qui tenent candelabra ante altare, non dimittant ea, usquequo inchoetur: *Kyrie eleison*, quo inchoato, depositis candelabris revertantur in chorum. Ad Evangelium, dum canitur offerenda, vel versus offerendæ, Conversus afferat thuribulum cum acerra Cantori, quicumque ille sit, qui chorum tenet; si festivitas sit xii. lect., vel festivi dies sint trium Lect. intra octavas superius descriptas: Cantor vero cum viderit tempus esse, ponat incensum in thuribulo, & mittat Diacono ad altare, & Diaconus tribuat Sacerdoti, nisi Abbas, vel Episcopus in choro sit, vel Missam celebret; quod si evenerit, ad ipsum deferatur thuribulum cum acerra, ad Introitum,

(a) *Supple* signa.

tum, & ante Evangelium a Diacono, & Converso; post offerendam a Cantore, & Converso. Circa finem Missæ, cum perventum fuerit ad prioris collectæ *Per Dominum nostrum*, deponant duo Conversi candelabra ante altare, & cum eo, qui thuribulum tenet, revertantur in vestiarium. Expleta Missa, sequatur Sacerdos præcedentem Diaconum ferentem missale, si festivitas trium Lect. eveniat in aliqua die Dominica, vel in alia festivitate alicujus Sancti, quæ propriam historiam habeat, vel si propriam historiam non habet, in albis tamen, vel in cappis fit; commemoratio de festivitate trium Lect. solummodo fiat ad priores Vesperas, & ad matutinas Laudes, & Missa matutinalis de ea cantetur; si vero historia jam alia die Dominica cantata est, aut illa alia festivitas XII. Lect. historiam propriam non habet, nec in albis, nec in cappis fit; antiphona de festivitate, de qua tres Lectiones fierent, ad cantica pronuntietur, & deinceps totum servitium usque ad finem ultimæ collectæ de ea agatur: post *Benedicamus Domino*, fiat commemoratio festivitatis, de qua octo Lectiones fuerint: omnes quoque horæ de illa dicantur, sermo in capitulo, & major Missa, matutinalis vero, unde Laudes fuerunt. Si festivitas alicujus Sancti, de qua XII. Lectiones fiunt, eveniat in die Dominica, de qua historia jam cantata sit, aut subsequente Die Dominica cantari possit; totum servitium noctis, & diei de Sancto agatur; Missa tantum matutinalis de Dominica dicatur: tertium enim nocturnum de Dominica die numquam erit, nisi præcedentia duo de ea fiant.

Ex Udalrici lib. 1. de antiquis consuetudinibus monasterii Cluniacensis c. XI.

I. „ *Interrogatio*. In aliis festis, si processionem non facitis, numquid tamen alia omnia tenetis, & observatis, quæ in Dominicis diebus sunt observanda, aut est quidquam, quod addere soleatis? *Respond.* Alia sunt plura, in quibus nihil agitur amplius, quam in quolibet Dominica die; & alia sunt, in quibus hoc superadditur, quod Invitatorium cantaturi albis induantur, & quod Sacerdos, lecto post nocturnos Evangelio, cum alba redit in chorum, & albatus ad canticum Evangelii altare incenset: ut in depositione S. Hilarii, in octavis Epiphaniæ, in festo S. Agnetis, S. Agathæ, S. Matthiæ; in depositione S. Gregorii, S. Benedicti, in Annunciatione S. Mariæ, in octava Ascensionis, in depositione S. Consortiæ Virginis, in octava S. Johannis Baptistæ; in Translatione S. Martini, in octava Translationis S. Benedicti, in Depositione S. Brictii, in octava S. Martini, in Depositione S. Clementis, in octava S. Andreæ, in Nativitate S. Luciæ, in Depositione S. Silvestri; & hoc ipsum fieri solet in quinque Dominicis diebus, idest in prima Dominica Adventus, in Septuagesima, Quadragesima, & Ramis palmarum.

II. „ Sunt alia, quæ in hoc præcellunt, quod formæ in choro tapetibus cooperiuntur: quod ad Vesperos, & Matutinas ante altare cerei quinque accenduntur cum alias nisi tres; quod Sacerdos altaria incenset in cappa, quod ad easdem horas duo pueri Responsoria decantant, & *Benedicamus* pronunciant; quod ad nocturnos duo Lectores, & non plures, Responsoria quartum, octavum, & duodecimum cantant; quod ipsum Responsorium duodecim (*a*) recantant; quod ad majorem Missam omnes, qui cantare sciunt, sunt in albis; quod post alleluja quædam melodia neumatum cantatur, quod sequentiam quidam appellant: ut in Depositione S. Mauri, in Nativitate S. Vincentii, in Conversione S. Pauli, in Natali Apostolorum Philippi, & Jacobi; in Inventione, & Exaltatione S. Crucis, in Depositione S. Martialis, in Exceptione Reliquiarum S. Gregorii, in Natali S. Jacobi, in Depositione S. Germani, in Inventione S. Stephani, in octava Assumtionis S. Mariæ, in Nativitate S. Bartholomæi, in Nativitate SS. Juliani, & Hermetis, in Decollatione S. Johannis Baptistæ, in Nativitate S. Marcelli Martyris, in Exceptione S. Marcelli Papæ, in Nativitate S. Ægidii, in Nativitate S. Mauritii, in Nativitate S. Dionysii, in Depositione S. Lucæ, in Nativitate S. Aquilini, in Nativitate Apostolorum Simeonis, & Judæ, in Nativitate S. Quintini Martyris, in Depositione S. Odonis Abbatis, in Nativitate S. Thomæ Apostoli: Inter quas tamen festivitates Inventio, & Exaltatio S. Crucis hanc habent prærogativam, ut ad majorem Missam cappis omnes induantur.

III. Item quædam sunt in hoc superiora, quod in choro duo dorsalia, & sex in presbyterio suspenduntur; quod hi duo, qui Invitatorium sunt cantaturi, tam cappis induantur, quam omnes ad majorem Missam; quod ad Vesperos, & Matutinas super canticum Evangelii in tria membra divisa ter cantatur (*b*), primo ante ultimum versum, tertio post *Gloria Patri* simul ab omnibus: quod melodia solemniore, quam in aliis diebus, cantatur hymnus Tertiæ, & duarum sequentium horarum, & Primæ solemniore, quam etiam in Dominica: quod Missa majore finita omnia signa pulsantur; ut in Natali S. Johannis Evangelistæ, & Innocentium, in Circumcisione Domini, in depositione S. Odilonis, in Nativitate S. Marcelli Papæ, in Nativitate S. Fortunati; in Cathedra S. Petri, si evenerit extra Quadragesimam, in illis tribus diebus Paschæ, & Pentecostes, in depositione S. Majoli, in commemoratione S. Pauli, in octava SS. Apostolorum Petri, & Pauli, in Translatione S. Benedicti, in Natali S. Laurentii, in Nativitate S. Mariæ, in Nativitate S. Matthæi, in festivitate S. Michaelis, in Nativitate S. Andreæ. Ubi tamen notandum, quod Matutini (*c*) excipiuntur in illis tribus Paschæ, & Pentecostes, & quod antiphonæ non recantantur, ut etiam nec in Nativitate S. Marcelli Papæ, & S. Matthæi.

IV. „ Item sunt, quæ in hoc supereminent, quod Invitatorium quatuor cantant, quod singula Responsoria cantant duo vel plures, quod ad Vesperos, & Matutinos non pueri, sed majores cantant Responsoria, quod duo thuribulis incensant, quod ad matutinalem, & majorem Missam non nisi una collecta est dicenda; quod septem cerei ante altare accenduntur, quod in choro quatuor pallia, & in Presbyterio octo suspendantur: ut in Nativitate S. Stephani, in Epiphania, in Ipapanti Domini, in ejus Ascensione; in Nativitate S. Johannis Baptistæ. Hoc autem de prima collecta ad matutinalem Missam habent & illi tres dies post primum non solum Paschæ, & Pentecostes, sed etiam Natalis Domini.

V. „ Item sunt aliæ, in quibus hoc apponitur, quod tota Ecclesia a fine, usque ad finem dorsalibus adornatur, & coronæ accenduntur, quod inter nocturnos altare principale ter incensatur; ad tertiam Lectionem, ad septimam, & ad undecimam, & thuribulum ab ipso Sacerdote, qui incensavit, cappa induto portatur generaliter ad fratres & in choro, & extra chorum; ut ad Vincula S. Petri, in Festivitate omnium SS. in depositione S. Martini, in Dedicatione Ecclesiæ, si evenerit extra Quadragesimam.

VI. „ Solæ quinque principales festivitates ad superlativum gradum quodammodo pertingunt; idest Natalis SS. Petri, & Pauli, Assumtio S. Mariæ, cum tribus festis Dominicis; quæ hoc habent singulare, quod ad nocturnos vice scillæ pulsantur omnia signa, & postea non singula, sed duo simul, sicut etiam ad Vesp., quod illud triangulare ante S. Crucem dependens accenditur, quod illi quoque maximi cerei tres post altare principale, & septem ad S. Crucem accensi de Vesperis usque ad Vesperos, immo usque ad Completorium ita perdurant: quod ad nocturnos tria diversi coloris pallia super altare principale mittuntur singulatim aferenda; primo ad finem quarti ℟. item octavi, & post cantica; quod processio per claustrum tam solemnis agitur, ut non solum crucis, sed etiam textus Evangelii, candelabra, & cetera quoque mobilia ornamenta portentur. In octavis Pentecostes commemoratio S. Trinitatis, & Annunciatio S. Mariæ, si contigerit extra Quadragesimam celebranda, hoc solum minus habent, quod ad nocturnos tria pallia non ita mittuntur super altare, & processio eo apparatu non agitur. Prosa, vel quod alii sequentiam vocant, non cantatur, nisi in v. festis principalibus, in Epiphania, in Ascensione Domini, in Translatione S. Benedicti, & in Nativitate S. Mauritii. Hoc quoque sciendum de ipsis festivitatibus, quia si duæ continuatim celebrantur, & præcedens majoris est reverentiæ, de præcedente quoque secundi Vesperi dicuntur ex toto, & de sequente non nisi antiphona, & collecta: quæcumque autem festivitas in Quadragesima celebratur, nihil ei amplius ullo modo defertur, quam uni diei Dominicæ ex his quinque, quarum supra memini, exceptis.

Ex libro consuetudinum S. Benigni Divionensis de SS. festivitatibus quomodo agantur, c. v.

I. „ Solemnitates, de quibus apud nos non fiunt nisi

(*a*) Forte *duodecimum* (*b*) *deest* antiphona.

(*c*) *al.* nocturni.

„ nisi tres Lectiones, hæ sunt: Octava Sancti Stephani protomartyris, octava Innocentium, Luciani, sociorumque, Viventii Confessoris, Felicis Presbyteri, Marcelli Papæ, & Martyris, Antonii Abbatis, Priscæ Virginis, & Martyris, Fabiani Papæ, & Martyris, octava S. Agnetis, Ignatii Episcopi, & Martyris, Valentini Martyris, Tiburtii, Valeriani, & Maximi, Vitalis Martyris, Andeoli Martyris, Athanasii Episcopi, Alexandri, Eventii, & Teodoli, Gordiani, & Epimachi, Majoli Abbatis, Nerei, Achillæi, & Pancratii, Potentianæ Virginis, Urbani Papæ, & Martyris, Nicomedis Martyris, Marcellini, & Petri Martyrum, Medardi Episcopi, Primi, & Feliciani Martyrum, Basilidis, Cirini, Naboris, & Nazarii, Cirici, & Vilitæ Martyrum, Marci, & Marcelliani Martyrum, Gervasii, & Prothasii Martyrum, Decem militum Martyrum, Johannis, & Pauli Martyrum, Hyrenei, sociorumque, Leonis Papæ, Processi, & Martiniani, septem Fratrum, Praxedis Virginis, Christophori Martyris, Nazarii, & Celsi Martyrum, Felicis, Simplicii, Faustini, & Beatricis Martyrum, Abdon, & Sennen Martyrum, Machabæorum, Eusebii Episcopi, & Martyris, Stephani Papæ, & Martyris, Sixti, Felicissimi, & Agapiti Martyrum, Donati Episcopi, & Martyris, Cyriaci, sociorumque, Tyburtii Martyris, Taurini Episcopi, Ypoliti Martyris, Eusebii Presbyteri, octava S. Laurentii, Agapiti Martyris, Timothei, & Symphoriani Martyrum, Andoeni Episcopi, Genesii Martyris, Hermetis Martyris, Sabinæ Virginis, Felicis, & Adaucti Martyrum, Prisci Martyris, Remacli Episcopi, Marcelli Martyris, Proti, & Jacincti Martyrum, Cornelii, & Cypriani Martyrum, Nichomedis Martyris, Eufemiæ Virginis, & Martyris, Luciæ, & Geminiani Martyrum, Cosmæ, & Damiani Martyrum, Marci Papæ, Calixti Papæ, & Martyris, Valerii Martyris, Crispini, & Crispiniani Martyrum, Florentii Martyris, Quintini Martyris, Cesarii Martyris, quatuor Coronatorum, Theodori Martyris, Mennæ Martyris, Felicitatis Martyris, Crisogoni Martyris, Saturnini Episcopi, & Martyris, Crisanti, Mauri, & Dariæ Martyrum, Octava S. Andreæ, Anastasiæ Virginis. Sciendum autem, quod de festivitatibus supradictis III. Lect. quod eadem Collecta, quæ dicitur etiam ad III., dicitur etiam ad Vesperas, & ad Laudes, & ad Missam; de festo vero XII. Lect., quæ unam tantum Missæ collectam habent, sciendum est, quod ad utrosque Vesperos, ad Evangelium, ad matutinas Laudes, ad Tertiam, & ad Missam, una eademque collecta dicitur; sed de his festis, videlicet XII. Lectionum, paullo latius differamus.

II. „ Sciendum quippe, quia sunt quædam de illis, quæ ita absolute agantur, ut formæ solummodo complicentur, quod est judicium intermittendæ genuflectioni. Ad Vesperos quoque, ad Matutinos, atque ad officium Missæ, omnia signa, exceptis majoribus, pulsantur: ad quam etiam Cantor, qui chorum regit, cappa induitur, Diaconus dalmatica, Subdiaconus tunica, pro quibus a LXX. usque in Pascha, & in toto adventu casula utuntur, ad Vesperas etiam a Sacerdote albe induto incensum offertur, quarum hæc est notitia: Festivitas S. Georgii, Johannis ante portam Latinam, Gengulfi, & Majoli, Desiderii Lingonensis, Translatio S. Martini, Mariæ Magdalenæ, Germani Autissiodorensis, Arnulfi Episcopi, Philiberti, Augustini Doctoris, Ordinatio Beati Gregorii, Gorgonii, Lamberti, Sequani Abbatis, Andochii, sociorumque, Hieronymi, Remigii, Leodegarii, Dionysii cum sociis, Bricii, Gregorii Turonensis, Paschasiæ, Columbani, Ceciliæ, Clementis, Agerici, Vitoni, Nicholai, Ordinatio S. Ambrosii, Luciæ, Silvestri, Gregorii Lingonensis, Agnetis, Vincentii, Policarpi, Johannis Abbatis, Agathæ, Scholasticæ, Cathedra S. Petri, Gregorii Papæ.

III. „ Sunt quoque & aliæ his per omnia consimiles, excepto quod Cantores Invitatorii albis induuntur, & Sacerdos lecto Evangelio cum alba in chorum revertitur, ad Evangelii canticum oblaturus incensum, quæ sunt hæ: Marci Evangelistæ, Barnabæ Apostoli, Lucæ Evangelistæ, Mathiæ Apostoli, octava Epiphaniæ, octava Ascensionis, octava S. Johannis Baptistæ, octava Apostolorum, octava S. Benedicti, octava S. Mauritii, octava Dedicationis, octava S. Martini.

IV. „ Sunt præterea in anno v. Dominicæ, quæ præ ceteris paullo festivius hoc modo celebrantur: omnia videlicet signa pulsantur, Invitatorium in albis canitur, ad Matutinum incensum defertur, in refectorio tabulæ cooperiuntur: Quarum prima est Dominica LXX., item Dominica prima XL., & media Dominica, in ramis palmarum, Dominica etiam Adventus Domini prima: inter quas Dominica ramis palmarum in hoc excellit... nes infantes capitulum tenent, & ad Missam matutinalem non nisi una collecta dicitur.

V. „ Sunt & aliæ solemnitates, in quibus præter illa, quæ in aliis superius memoravimus gerenda, hæc omnia adduntur: formæ scilicet tapetibus cooperiuntur, quinque cerei ante majus altare illuminantur, Sacerdos ad ad officium vespertinum, & matutinale incensum oblaturus alba simul & cappa induitur; ad IV. VIII., & XII. ℟. pro arbitrio Armarii Cantores adduntur; cetere vero singillatim ponuntur; ad majorem Missam omnes Cantores albis induuntur, textus Evangeliorum aliquanti de villoribus super altare pro ornamento ponuntur, tabulæ quoque refectorii cooperiuntur; hæ autem festivitates sunt: Hylarii Episcopi, Sebastiani Martyris, Conversio S. Pauli, Geminorum, Philippi, & Jacobi, commemoratio S. Pauli, Apollinaris, Jacobi Apostoli, Petri ad vincula, Inventio S. Stephani, Radegundis, Mammetis, Bartholomæi, Decollatio S. Johannis Baptistæ, Simonis, & Judæ, Thomæ Apostoli, Roberti Abbatis, octava S. Mariæ, octava S. Benigni.

VI. „ Et quia jam superiori narratione de minoribus festivitatibus, qualiter celebrari debeant, pauca disserum est; nunc restat, ut de eminentioribus, atque præcipuis compendiose tractemus, quæ nimirum cum sint celeberrimæ atque mirabiles, non tamen uno eodemque modo celebrantur; sed quadrifaria ratione distinguuntur; sunt namque in eis quædam inferioris ordinis, in quibus præter illa, quæ in aliis supra memoratis descripta sunt, hæc omnia adduntur: Presbyterium namque Ecclesiæ, chorus quoque bancalibus, & tapetibus adornatur, altare etiam majus suis decoratur ornamentis, antequod ad Vespertinum, ac matutinale, vel etiam Missæ officium, quinque cerei accenduntur; retro etiam ad cantica incepta quinque cerei ponuntur, donec ad finem Matutinorum ardentes. Porro ad nocturnum, ad Primam quoque, & Tertiam, Sextam, & Nonam ante S. altare tres tantum accenduntur, duo etiam candelabra cum cereis accensis ad Missam ardent super altare; qui cantant ℟. ad Vesperas in omnibus festis in frocis sunt, Invitatorium duo in cappis dicunt. Ad majorem Missam omnes cappis utuntur, Sacerdos festivis, atque auratis vestibus induitur, thuribulum festivum circumfertur, oblatio sacri mysterii cum vino a Priore offerenda, a Sacerdote cappa induto exhibetur, ante initium Missæ, & post finem omnia signa tanguntur: hujusmodi ergo festivitatum prima est in exordio anni Circumcisio Domini, deinde octava Paschæ, Inventio S. Crucis, Exaltatio ejusdem, Michaelis, Laurentii, Andreæ Apostoli, SS. Innocentium.

VI. „ Sunt & aliæ honorabiliores, atque eminentiores, in quibus omnia superius descripta geruntur, ista etiam insuper adjiciuntur, medietas oratorii palliis adornatur, ad Vesperos, & Matutinos duo thuribula perferuntur, & omnia altaria incensantur; Invitatorium a quatuor fratribus canitur, antiphona de *Magnificat*, & *Benedictus* ter repetitur; idest finito *Suscepit Israel* semel, finito *Sicut locutus est* iterum, finito *Sæculorum amen* tertio. Responsoria duo, & duo cantant, exceptis IV., & VIII. & XII. ad quæ plures mittuntur, præterea accenduntur quoque ad cantica incepta XV. cerei de ciborio, usque ad finem Matutinorum ardentes. *Ad Dominum cum tribularer*, qui in XII. Lect. loco officii cantatur, in istis jam solemnitatibus intermittitur. Missa quoque matutinalis cum una tantum collecta agitur. Ad Tertiam non habentur manipuli, sicut nec in aliqua festivitate in cappis, in qua non sit processio, exceptis qui serviunt de quolibet negotio; hi quandocunque revestiuntur, habent manipulos. *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Sanctus*, sine omni additamento tam in his, quam in omnibus festis. *Agnus Dei* cum versibus canitur propter moram fratrum, qui pacem accipiunt: harum itaque festivitatum istud est indiculum: Nativitas S. Johannis Baptistæ, Natalis Apostolorum Petri, & Pauli, Nativitas S. Mariæ, Translatio S. Benedicti, Transitus S. Martini, Translatio, seu Revelatio S. Benigni, Natalis S. Stephani protomartyris, Natalis S. Johannis Evangelistæ.

VIII. „ Sunt item aliæ excellentiores, in quibus cuncta superius prælibata ad liquidum explentur, pauca etiam adjiciuntur, tota videlicet palliis, seu dossalibus adornatur Ecclesia, philacteria in circuitu altaris appenduntur; quæ quoties appenduntur, sive auferuntur, tam ille, qui porrigit, quam ille, qui suscipit, albis induuntur: Ad vigilias omnibus cereis, quæ sunt in

„ cir-

„ circuitu ciborii, videlicet vigiliti quatuor, ad sancta incepta accensis Ecclesia illustratur. Ad nocturnos quoque incensum tertio a ternis Sacerdotibus cappa indutis defertur. De collatione itur ad caritatem in refectorium in hujusmodi festis, sicut etiam in præcipuis. Sciendum quoque, quod multis aliis vicibus itur de collatione ad caritatem, cum videtur Domno Abbati, aut Priori calor nimius esse, aut cum est magnum intervallum inter finem cœnæ, & collationem, aut cum in crastino jejunium generale debet esse. Hujusmodi vero sollemnitates non nisi VI. inveniuntur; Epiphania Domini, Purificatio S. Mariæ, Ascensio Domini, Natalis S. Mauritii, (a) Apollinaris, Dedicatio Ecclesiæ. Quæ cum sint per omnia æquales, tamen in Dedicatione Ecclesiæ hoc tantummodo additur, ut per omnia altaria luminaria mittantur, ea quo in Vigilia Vesperi incipiuntur pulsari, donec in crastino Completorium finiatur, studiosequen curatur, ut per cuncta altaria Missa de solemnitate celebretur. Eodem modo fit in festivitate omnium SS.

IX. „ Restant illæ nominatissimæ, atque excellentissimæ sollemnitates totius universalis Ecclesiæ speciali gaudio suscipiendæ, prædicandæ pariter, & celebrandæ; idest Natalis Domini nostri Jesu Christi, Sanctum Pascha, Pentecosten, Assumtio Beatissimæ Dei genitricis Mariæ, atque Festivitatem omnium SS., quæ ob amorem specialis Patroni nostri præclari, ac gloriosi Martyris *Benigni*, qui ipsa die pro Christo Martyrium sensit, apud nos inter præcipuas sollemnitates habetur. Istæ igitur a. festivitates ceteras, quasi quodam superlativo gradu transcendunt, in quibus omnia superiori narratione latius explicata exacte complantur, hæc etiam insuper adjiciuntur: Omnis scilicet Basilica ornamentis suis ex integro decoratur. In vigiliis earum ante initium majoris Missæ formæ cooperiuntur, & omnia signa pulsantur, quinque cerei ante altare accenduntur, Hebdomadarius Cantor choro præsidens cappa induitur, Sacerdos quoque festivis, atque auratis utitur indumentis, Diaconus dalmatica, Subdiaconus tunica, Cantores etiam qui gradale, vel *Alleluja*, sive tractum sunt cantaturi, nihilominus cappis utuntur; omnes infantes albis revestiuntur, ... pacem omnes accipiunt, hostiæ in refectorium non feruntur, more etiam festivo tabulæ cooperiuntur, ante majus altare septem candelabra ponuntur. Signa etiam vespertinalia alternatim sonant bina, & bina, R. ad Vesperos tres cantant, Hebdomadarius, ut mos est, & alius cum Abbate revestitur; post Completorium autem Secretarius portat incensum, aquam benedictam cum lucerna per omnes officinas; prius tamen in dormitorium, ut totamen fit omnibus in ipsa nocte. Ante nocturnos omnia signa simul pulsantur, quamdiu fieri solet; alternantibus postmodum duobus secundum classicum signis, universa lumina Ecclesiæ accenduntur, Invitatorium quatuor cantant, Altare majus tribus palliis mystica ratione cooperitur, & unum eorum ad gloriam quarti R. aufertur, aliud vero ad gloriam octavi, tertium vero, post Evangelii pronunciationem, quando etiam tabula, & reliqua altaris ornamenta deteguntur, super quod etiam a principio vigiliarum, usque ad finem majoris Missæ, duo cerei in candelabris lucent; octavum R. post gloriam e capite, sicut XII. repetitur. Ante Primam circea aurei, ceteraque ornamentorum insignia super altare ponuntur, nec auferuntur, quo usque Sexta finiatur, infantes capitulum non tenent.

X. „ Post Tertiam agitur processio festiva per claustrum, vel si Dominica dies fuerit, post matutinalem Missam, quæ nimirum processio hoc disponitur ordine: Primo loco ponitur aqua benedicta, secundo tres cruces, deinde textus Evangeliorum duo a duobus Subdiaconibus tunicatis feruntur, habentes utroque latere bis bina candelabra, ante se vero duo thuribula; sequuntur deinde & supra memorata ornamentorum insignia, videlicet brachia SS. auro, & argento involuta, scrinia quædam cum reliquiis SS., philacteria, & alia hujusmodi multa, quæ ab ipso Æedituo aliquantis Cantoribus, minus tamen cantandi peritis, ferenda traduntur: imago etiam Dei genitricis, ac pueri Jesu, quæ depicta est in tabula aerata, solummodo in die Natalis Domini, in Purificatione quoque, & Assumtione ejusdem gloriosæ Virginis deportatur. Notandum autem, quod in omnibus processionibus, quæ in hujusmodi fiunt festivitatibus, sicut & in illis, quæ per se habent processionem, quacumque die eveniant, sicut est Ascensio, Purificatio S. Mariæ, ramis palmarum, semper totus cantus est de ipsa festivitate per claustrum, & etiam ad ingressum chori...... Egrediente processione chorum, pulsantur duo majora signa, donec eadem reingrediente omnia insimul pulsentur, hoc cappis itur, sicut in omnibus processionibus, nisi cum hujusmodi persona suscipitur. Ante introitum Missæ sternitur quoddam tapete sub pedibus armarii, & eorum, qui cum eo sunt, ne junci fimbriis capparum adhæreant.

XI. „ (Sequentia cum neuma cantur, quod non fit, nisi in hujusmodi festis, & in Epiphania, & Ascensione Domini, & in Translatione S. Benedicti, & in Nativitate Sancti Mauritii, & in Dedicatione Ecclesiæ, & in Annunciatione Dominica, quando in Paschali tempore celebratur, & in commemoratione sanctæ Trinitatis. Ad majorem Missam V. hostiæ offeruntur, multo etiam plures adjiciuntur, quia in his V. solemnitatibus omnes ad pacem accedere, omnesque debent communicare, etiam infantes.

Ex eisdem consuet. S. Benigni capite 68.

I. „ (De festivitatibus trium Lect., quæ post octavam Pentecostes eveniunt, hoc modo fit: tres Lect. cum tribus R., habent, & ipsæ Lectiones de aliquo sermone, vel homelia sunt excerptæ, quæ ad hoc maxime competere videntur; quamquam non ita fiat in Paschalibus diebus, vel post Calendas Novembris, in quibus etsi tria R. cantantur de SS.; tamen Lectiones sunt de eo libro, qui tunc temporis est legendus. Propter festivitatem III. Lectionum ad nocturnos nec hymnos, nec antiphonæ, nec psalmi feriales mutantur. Invitatorium, Capitulum, Versus, & Collectæ de festo sunt dicenda. Ad Matutinum autem omnia mutantur, & singuli psalmi habent antiphonas suas de festo, sicut & reliquæ horæ, usque ad officium Missæ. Cum officio Missæ festi memoria ex toto clauditur, & finitur; & in ipsa vigilia Capitulum, & deinceps cetera ad Vesperas sunt de festo. Sed si evenerit, ut Sanctorum hujusmodi in aliqua Dominica, vel in aliquo festo XII. Lect. memoria sit agenda; in Sabbato, vel in vigilia post Vesperas regulares dicitur antiphona, V., & collecta de ill. Ad nocturnos IV. extremæ Lectiones, cum cantiis, & Evangelio, fiunt de ipsis, & postea pleniter matutinum & in die Missa matutinalis: nisi in ea Dominica historia incipiatur, vel in Dominicis Adventus, & lex., vel si in festo XII. Lectionum contingit, quod festum fiat in cappis, vel in albis; tunc enim post Matutinum sicut post Vesperas, memoria tantum fit, cum antiphona, versu, & collecta; & semper in die Missa matutinalis; nisi pro fratre, qui in Monasterio ipsa die sepeliendus sit, remaneat. Quod si contigerit, post primam collectam majoris Missæ collecta dicatur de ipsa trium Lect. festivitate. Eodem modo in hebdomada Paschali, & Pentecostes, & in octave S. Benigni, si contigerit festum trium Lect. nec fit, nisi commemoratio ad Vesperas, & Matutinas, & collecta ad minorem, vel ad majorem Missam. Sciendum quoque, quod in privatis diebus quæcumque de Sanctis collecta dicta fuerit ad Vesperas; nec ad Matutinas, nec ad Tertiam, nec ad majorem Missam mutatur.

Ex eisdem consuet. caput 72.

De festivitatibus quomodo retineant, seu perdant capitulorum loca.

I. „ In festivitatibus, quæ duobus, vel tribus diebus continuatim eveniunt, sciendum summopere est, quod secundum, quod dignitates eorum expetunt, mutantur capitula ad Vesperas, v. g., si hodie quædam privata festivitas III. Lect., & cras futura sit in albis; ad Vesperas erit capitulum, totumque quod sequitur, de festivitate futura in crastino; de hodierna vero solummodo commemoratio fiet post Vesperas, nisi fuerit Dominica; in Dominicis enim nihil inde solet fieri, etiamsi privata sit festivitas, quæ sequitur, nisi in Adventu, & XL. Similiter, si crastinum, quæ in albis erit, sequatur solemnitas in cappis; mutabitur eodem modo capitulum ad Vesperas.

II. „ (Eadem quoque ratione, si hodie est festivitas in cappis, & cras futura sit in albis, non mutabitur capitulum; sed tantum commemoratio de crastina fiet. Sic per omnes festivitates tenetur, ut quæ majoris dignitatis habetur, semper aut auferat, aut retineat capitulum. Hoc observatur etiam in duabus festivitatibus in albis, ut quæ majoris dignitatis fuerit, semper vindicet sibi principatum capituli. Si vero aliquando for-„ te

(a) Sextus Apollinaris, altera manu est additus antiqua tamen.

„ re contigerit, quatenus tres solemnitates tribus diebus continuatis eveniant, quarum prima sit in albis, & postrema in cappis, aut e converso prima in cappis, postrema in albis: tertia autem quæ est media, privata sit, sicut quædam Dominica; ipsa privata non habebit alios Vesperos, nisi in die suo psalmos usque ad capitulum, sive postrema festivitas, ut dictum est, in albis sit, sive in cappis, sive etiam sit talis Dominica, in qua debeat historia incipi. Si vero duæ festivitates xII. Lect. eveniunt in uno die, nisi in crastino sequatur tertia xII. Lect., similiter ipsa die celebrabitur una, & in crastino altera. Si vero in crastino contigerit festivitas alia xII. Lect. pridie ante festivitates supradictas celebrabitur una, & in ipsa die altera, & si in Dominicis extra Adventum, & lxx., & xl., & extra illam, in qua incipitur historia, aut in qualibet privata solemnitate xII. Lect., evenerit festivitas III. Lect. tertium nocturnum, & matutinas Laudes amet de ipsa festivitate III. Lect., & minor Missa, nisi pro obitu fratris remaneat. Et si Dominica fuerit, non fiet inde comm. ad Laudes. Si vero in Dominicis de Adventu, vel lxx., seu xl., vel in illa, in qua debeat historia incipi, seu quæ sunt in cappis, vel in albis, seu etiam infra hebdomadam Paschalem, vel Pentecostes, vel infra octavam S. Benigni, evenerit festivitas trium Lect., nihil fiet ad Matutinum, nisi quantum ad Vesperas, videlicet tantum commemoratio; minor vero Missa in Dominicis, & festis inde cantabitur, nisi pro obitu fratris remaneat. Quæ si evenerit ad majorem Missam, dicetur collecta post primam collectam; in hebdomada vero Paschæ, & Pentecostes dicatur collecta ad minorem Missam post primam collectam, nisi eadem minor Missa pro obitu fratris dicatur, & tunc ad majorem dicetur. In octavis vero S. Benigni semper ad majorem Missam solummodo dicetur post primam collectam. Simili modo fit in omnibus festis, quibus ad minorem Missam non dicitur nisi una collecta: Nec dicitur nisi *Ad Dominum cum tribularer*; hoc est in omnibus illis, in quibus omnia ℟. sunt duplicia, & in ramis palmarum, quæ tantæ dignitatis habetur, quantæ & aliæ, quæ prædictæ sunt, solemnitates; sed quia non est consuetudo quod unquam in xl. festum fiat duplex, ideo non sunt ℟. ejus duplicia; ipsa tamen per omnia alia retinente dignitatem suam.

Ex eisdem consuet. caput 73.

De Dominicis, quæ retineant, vel quæ perdant capitula festis supervenientibus.

I. „ Generaliter potest dici de omnibus Dominicis, in quibus non est alia solemnitas, quam ipsa Dominica, excepta ramis palmarum, quæcumque festivitas xII. Lect. in secundam feriam eveniant, semper mutatur capitulum in ipsa Dominica ad Vesperos; mutato autem capitulo, postea nulla de Dominica memoria fit, exceptis illis de Advente, & xl. In Dominicis vero, in quibus historia incipitur, & in eis de lxx., unus omnino modus est, scilicet, ut si in Sabbato eveniat festum in albis, aut cappis, aut ejus Invitatorium in albis sit; non mutetur capitulum, nec quævis memoria fiat de eadem Dominica. Si vero privata fuerit festivitas, mutabitur capitulum ad Vesperas in Sabbato, & postea in memoria de festivitate fiet. In aliis autem omnibus Sabbatis extra Adventum, & XL. quæcumque festivitas xII. Lect. eveniat, numquam mutatur capitulum. Item hæ tres Dominicæ, videlicet prima de Advente, & LXX., & XL., omnimodo similes sunt. In Sabbatis, ante quas si evenerit festivitas in cappis, aut in albis, non mutetur capitulum; sed tantum antiphona, & collecta de Dominica dicitur. Si autem evenerit festivitas, cujus Invitatorium sit in albis, mutabitur capitulum. In Sabbato autem mediæ XL., quæcumque festivitas eveniet, mutatur capitulum, sicut in ramis palmarum. In aliis vero Sabbatis Adventus, & XL., non mutatur capitulum, si evenerit festivitas, cujus Invitatorium in albis sit. Si autem minor fuerit, continuo mutatur. Præterea est una Dominica, scilicet ea, quæ Adventum præcedit, quæ habet unam solam memoriam; idest ad Matutinum propter antiphonæ, & collectæ proprietatem, quæ numquam dimittitur, quæcumque festivitas in ea evenerit. Et si festivitas trium Lect. in ea evenerit, nihil inde fit ad Matutinum, nisi memoria tantum. Sciendum autem, quoniam in æstivis Dominicis, in quibus incipienda est historia, si evenerit festivitas xII. Lect., aut protelebitur ipsa inceptio historiæ usque ad sequentem Dominicam, & celebrabitur ipsa festivitas: aut si non est opportune producenda, in crastino fiet festivitas.

Ex Statutis S. Petri Venerabilis Abbatis Cluniacens. nu. 52.

I. „ [Statutum est, ut magnæ illi coronæ ex ære, auro, argentoque elegantissime compositæ, quæ in medio chori forti catena sustentata dependet, accensi cerei non imponantur, nisi in quinque præcipuis festis, & festo Dedicationis Ecclesiæ, & omnium Sanctorum; in reliquis vero festivitatibus, quibus accendi solebat machina illa ferrea, quæ vulgo Erza vocatur, pro illa lampadibus vitreis illustretur. Vide si lubet, Stat. 67. & 73.

Ex antiquis consuetudinibus Monasterii Fontanellensis.

„ Ab octava Eucharistiæ usque ad Adventum Domini feria III. si non festum fuerit de S. Wandregesilo, fiat memoria cum tribus Lectionibus. Feria v. similiter de Sancto Wlfreno, si vacat. Sabbato de B. Maria, si vacat, cum debita reverentia.

„ Item secunda hebdomada post Pentecosten, quarta, & sexta feria, si festum non fuerit, incipiunt jejunia S. Benedicti, & eisdem diebus exeunt fratres ad missam, & ad processionem per claustrum cantent post *Exurge*, antiphonam *Propitius esto Domine*; alia antiphona *Iniquitates nostræ*, cum letania.

Ex libro Usuum Cisterciensium c. 14.

De festis SS., quæ a capite jejunii usque ad Dominicam in palmis evenerint.

I. „ (Si festivitas duodecim Lect. in qua laboramus privatis diebus, a capite jejunii usque ad Dominicam in palmis evenerit; primo dicatur Missa de jejunio, dimissis ostratis collectis; quam cantet Hebdomadarius hebdomadæ præteritæ, eamque conventus ex toto audiat. Qua finita, ac recalceato convente, si IV. feria in capite jejunii fuerit, sequatur Missa de festo canenda a præsentis hebdomadæ Hebdomadario, & post offerendam privatæ Missæ agatur; ad quam Missam ad induendum, & exeundum juvent illi, qui ad præcedentem hoc idem fecerent; huic Missæ Conversi non intersunt. Idipsum teneatur de festo S. Mauritii, cum in jejuniis quatuor temporum in Septembri evenerit. Conventus ad *Te igitur* prioris Missæ in XL. super formas prosternatur; horæ vero toties dici, sine flexione genuum peragantur, & de festo fiant. Quod si festum, in quo non laboramus, fuerit; prima Missa de jejunio erit: sed non solemniter, & ad *Te igitur* prosternentur fratres, quod ad Missam solemnem post Tertiam non fiet. Sane memoriæ commendandum est, quod flexio genuum ad *Te igitur* in die xII. Lect. non fit nisi in XL.

Caput 24. De festis SS., quæ post Sabbatum ante Dominicam in palmis, usque ad octavas Paschæ occurrunt.

I. „ Si festivitas B. Benedicti Patris nostri, seu alia festivitas xII. Lect. qua non laboramus, post Sabbatum, quod præcedit Dominicam palmarum, usque ad feriam v. septimanæ Paschæ illuxerit; ipsa feria v. agatur: si duæ; quæ prima est, agatur v. feria, sequens in Sabbato. Quod si post Sabbatum, quod præcedit Dominicam in ramis palmarum, usque ad Cœnam Domini, & a v. feria Paschæ, usque post octavas, festivitas xII. Lect. in qua laboramus, evenerit; pro festo xII. Lect. ad Vesperas in vigilia, & ad Laudes, ad Missam, & ad Vesperas illius diei commemoratio fiet: Festum vero de quo commemoratio fieri solet, assueta commemoratione terminetur. Si autem a Cœna Domini, usque ad feriam v. Paschæ festivitas xII. Lectionum occurrerit, in qua laboremus, vel unde commemorationem agimus, nulla inde fiet mentio.

Cap. 33. De sollemnitatibus, quibus non laboramus, & quæ Dominica non evenerint.

I. „ Omnibus sollemnitatibus, quibus non laboramus, & quæ Dominica non evenerint, etiamsi commemoratio alicujus Sancti fiet, nihilominus utraque Missa de sollemnitate fit, præter quam in festo B. Bernardi, & in

„ Do-

„ Decollatione S. Johannis Baptistæ, & exceptis festivitatibus, quæ a capite jejunii, usque post octavas Paschæ; & jejuniis quatuor temporum, & Rogationum, & in septimana Nativitatis Domini, & Pentecoste evenerint: In Inventione vero, & Exaltatione S. Crucis quia vigiliæ partim de SS. sunt, partim de S. Cruce, de SS. Missa matutinalis fit, etiamsi Dominica evenerit; & de Cruce major. Inventio S. Crucis, si Dominica ante Ascensionem evenerit, Missa matutinalis erit de Dominica, & de Cruce major.

Cap. 34. De sollemnitatibus, quibus non laboramus & quæ Dominicæ evenerint.

I. „ In sollemnitatibus iterum, quibus non laboramus, & quæ Dominica venerit, nisi fuerint illæ festivitates, quibus sermo fit in capitulo, Missa matutinalis erit de Dominica: nisi propter proprietatem alicujus Sancti, vel propter præsentem defunctum differenda sit, & major de sollemnitate. In Purificatione tamen B. Mariæ, si in LXX., vel LX., aut L. evenerit, Missa matutinalis erit de Dominica, & major de sollemnitate. Ante Adventum autem, cum unum Dominicale officium duas tenere contingit hebdomadas, illud officium secunda non repetitur Dominica ad Missam matutinalem, si in ea XII. Lect. solemnitas celebratur; sed utraque Missa erit de festo. Simili modo fiat ante LXX.

Cap. 35. De sollemnitatibus, quibus laboramus & quæ Dominica evenerint.

I. „ In sollemnitatibus, quibus laboramus, & quæ Dominica evenerint, similiter Missa matutinalis erit de Dominica, nisi propter præsentem defunctum differatur; & major de sollemnitate, præter quam in octavis Apparitionis Domini, cum illam LXX. coegerit, ut in ipsis *Domine ne in ira tua* cantetur, & in Adventu, LXX., L., & XL. Dominica tamen in palmis, & octava die Paschæ, si festivitas S. Ambrosii evenerit, ad Missam matutinalem collecta dicatur de eo.

Cap. 43. De festis SS., quæ Dominicis diebus vel in Ascensione Domini evenerint.

I. „ Festivitates SS. in quibus non laboramus, si in octava die Paschæ, vel in die Ascensionis, vel in LXX. vel in Dominica, in qua aliqua historia incipienda est, quæ sequentem Dominicam non habuerit, evenerint; in crastinum celebrabuntur. Purificatio tamen B. Mariæ numquam differatur. Et si illa historia duas Dominicas, vel plures habuerit, & illæ Dominicæ festivitates forsasse præcipuas habuerint, historia dicatur in illa festivitate, quæ minoris videtur authoritatis; & festivitas in crastino dicatur. Minores autem festivitates, in quibus XII. Lect. habemus, & operamur, in tali necessitate intermittentur; & commemoratio ad Vesp., & ad Laudes, ac Missa matutinalis fiat de sanctis, & iterum commemoratio ad Vesperas illius diei. Missa tamen matutinalis non erit de S. Ambrosio, si Dominica in palmis, vel octavo die Paschæ evenerit, sed collecta dicetur de eo. Ubi vero supra dicta necessitas non intervenerit, minores festivitates non omittantur, nec differantur; sed suo die celebrentur, etiamsi quælibet historia incipienda est, quæ aliam habeat Dominicam, in qua cantari possit, excepto si in Dominica LXX. hujusmodi evenerit festum.

Cap. 44. De festis SS., quæ evenerint Sabbatis.

I. „ In Sabbatis Adventus Domini, & LXX., L., & XL., si festum fuerit; Vesperæ de Dominica dicantur, & fiat de Sancto commemoratio. Si festum Purificationis, & Annunciationis B. Mariæ, & festum S. Benedicti, & Dedicationis Ecclesiæ, & aliquod festum in quo non laboramus, Sabbato infra octavam Paschæ evenerit, eximantur ab illa lege, & habeant festa ista plenarie Vesperas suas, & commemoratio fiat de Dominica. In Sabbatis ceteris habeant omnia festa plenarie Vesperas suas, nisi supervenerint aliæ solemnitates, quæ eis debeant anteferri. Et notandum, quia festum S. Mathiæ, quod secundo die bisexti semper debet agi, si in aliquo Sabbato, præter Sabbatum, quod præcedit LX., eo anno quo contigit bisextus, evenerit, in ipso Sabbato, hoc est prima die bisexti agetur.

Ex Ordinario Bursfeldensi.

Cap. 21. De diversitate festivitatum.

I. „ Festa XII. Lect. sunt in quadruplici differentia: aliud enim dicitur summum, aliud medium, aliud duplex, aliud simplex. Summa, & duplicia subdividuntur; quia summorum aliud majus, aliud minus. Simplicium quoque aliud de SS., aliud de tempore. Summa majora sunt: Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Trinitatis, Sacramenti, Assumtionis Mariæ, Omnium SS. Dedicationis Ecclesiæ, S. Benedicti, & Patroni cujuslibet Ecclesiæ, maxime in natalitio illius, si forte patronus plura habuerit festa, quæ non oportet omnia, ut summa, celebrare.

II. „ Summa minora sunt: Epiphania, & Ascensio Domini, Purificatio, Annunciatio, Visitatio, Nativitas, & Conceptio B. Mariæ, Natalitium SS. Petri, & Pauli Apostolorum, commemoratio S. Benedicti.

III. „ Media sunt Natale S. Stephani protomartyris, Johannis Evangelistæ, Circumcisio Domini, feria 2. & 3. Paschæ, & Pentecostes, octava Paschæ, Nativitas S. Johannis Baptistæ, Michaelis, Martini, & Patroni cujuslibet Diœcesis.

IV. „ Duplicia majora sunt Andreæ, Philippi, & Jacobi, item Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thaddæi, Thomæ, Matthiæ, Lucæ, & Marci, Laurentii, Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Nicolai, Mariæ Magdalenæ, Catherinæ, Inventionis, & Exaltationis S. Crucis.

V. „ Duplicia minora sunt IV. feria in hebdomada Paschæ, & Pentecostes, Innocentium, Conversionis S. Pauli, & commemorationis S. Pauli, Cathedræ Petri, & ad vincula ejus, Johannis ante portam Latinam, Decollatio Johannis Baptistæ, Bernardi, Elizabeth, Scolasticæ, octava Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, Visitationis, Assumtionis, Nativitatis B. Mariæ, & SS. Petri, & Pauli.

VI. „ Simplicia de SS. sunt omnia alia festa superius non expressa. Simplicia vero de tempore sunt omnes Dominici dies, exceptis supra nominatis. De Patronis etiam Ecclesiarum nostrorum monasteriorum, nec non Diœcesum, & SS. in monasteriis quiescentibus potest unumquodque monasterium solemnitatem peragere, non obstante, quod in nostro communi Calendario non habeantur; dummodo alia, quam in nostro ordinario habentur, materiis non utantur.

Cap. 22. De summis festis transferendis, & entipendia.

I. „ Summum festum majus, & minus, seu etiam medium quocumque die evenerit, ibi celebretur; exceptis prima, & quarta Dominica Adventus, Dominica prima XL., cum quatuor sequentibus, & tota hebdomada palmarum, nec non die Sancto Paschæ, & Pentecostes, cum tribus proxime sequentibus diebus, festoque Ascensionis, Trinitatis, & Corporis Christi. Occurrens siquidem in aliqua dictarum quinque Dominicarum XL., transfertur in crastinum; excepto festo Annunciationis Dominicæ: quod quocumque die evenerit ante Dominicam palmarum, ibi agetur. Similiter ubi Andreas, vel Thomas patronus fuerit, & in Dominicam ceciderit, aut festum quodlibet simile, in die Ascensionis, Trinitatis, seu Corporis Christi illuxerit; in crastinum transferetur. Occurrens autem in Dominica, sive in hebdomada palmarum, anticipatur in Sabbato præcedenti. Annunciatio nihilominus etiamsi in die Paschæ, vel infra octavas Paschæ illuxerit, anticipanda erit in dicto Sabbato palmarum, juxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum; quod si ipsum Sabbatum alio festo præoccupatum fuerit, illud cedere debet, etiamsi dignius fuerit, ad quintam feriam præcedentem, ut primum agatur, quod ordine kalendarii fuerit primum: qui ordo non est absque necessitate mutandus.

II. „ Similiter, si duo festa de eadem hebdomada palmarum fuerint anticipanda primum in quinta feria servabitur, & secundum in Sabbato. Benedictus autem si ordinarie in IV. feriam Dominicæ passionis ciciderit, ibidem servetur. Quod si in die Paschæ, vel Pentecostes, aut aliquo trium dierum sequentium festivitas aliqua summa, vel media occurrat, ipsa transferenda erit in V. feriam sequentem; excepta Annunciatione, ubi fuerit prædicta consuetudo, ut anticipetur. Quod si V.

si v. feria Paschæ, vel Pentecostes alia festivitate occupetur, illa transibit ad diem sequentem: ut festivitatum ordo servetur, quem diximus, non absque necessitate debere transmutari. Quæ necessitas locum utique haberet, ubi Georgius esset Patronus, & caderet in tertiam feriam Paschæ: quia nequaquam caderet ei Marcus, in v. feriam sequentem occurrens. Quin immo Georgio ad vi. feriam translato, Marcus, & letania consueta in suo servarentur die, nisi forsan ex consuetudine Ecclesiæ Diœcesanæ, Marcus cum letania foret ad alium diem transponendus. Dedicatio Ecclesiæ si fuerit mobilis, quia videlicet ii. iii., vel iv. feria Paschæ, vel Pentecostes facta sit, & instituta celebrari, minime transmutetur. Sin autem habuerit limitatum diem in Kalendario, præscriptæ anticipationis, seu translationis legi subjacebit. Sic, ubi tamen alia fuerit consuetudo Diœcesanæ Ecclesiæ in hujusmodi servandis festivitatibus, ea etiam a nostris servetur in tali diœcesi constitutis, maxime si fuerit de festivitatibus præcipuis, aut alias talis, ut non possit absque nota variari talis consuetudo.

Cap. 23. *De festo duplici anticipando, vel transferendo.*

I. „ Duplex festum incurrens in aliqua Dominica Adventus, in Dominica LXX., vel L. aut in aliqua Dominicarum Quadragesimæ, excepta Dominica palmarum; similiter occurrens in die Ascensionis, Trinitatis, vel Sacramenti, seu in octava Paschæ, vel Sacramenti, aut in Dominica, in qua necesse sit historiam Dominicalem servari, eo quod non sit alia vacans a festo digniori, transfertur in crastinum. Occurrens vero in diem Paschæ, aut Pentecostes, seu in aliquo trium dierum sequentium, transfertur in v. feriam sequentem. Sin autem evenerit in Dominica, vel hebdomada palmarum, anticipabitur juxta modum præmissum capitulo præcedenti. Præterea si loci alicujus Patronus forsan non habeatur in Calendario nostro, aut solam verbi ascriptam habeat commemorationem, & in die illius concurrat festum duplex Ecclesiæ generalis, illud festum Ecclesiæ cedere debet Patrono loci, v. g. ubi Christophorus esset Patronus, cujus Natale est in die S. Jacobi, similiter si Dedicatio Ecclesiæ occurrat in die Exaltationis S. Crucis; festum Exaltationis, quod duplex est, cedere debet Dedicationi; sed quia sequentem diem invenit occupatum cum octava Nativitatis B. Mariæ, quæ nihilominus est duplex, anticipatur in præcedenti; & in similibus similiter fiet. Neque enim festum qualecumque anticipandum, vel transferendum, in octavam solemnem transponemus; nec octavæ tali aliquando de loco suo cedet in diem alterum, ut ibi celebretur. Quin immo si concurrat cum festo digniori, aut historia eo die necessario imponenda, ipsa octava officio carebit, sola ad utrasque Vesperas, & Laudes commemoratione contenta. Sin autem occurrat cum octava festum æquale, aut minus, octava servetur ex integro, & festum transferatur in crastinum. Quod si historia cum octava, aut festivitate concurrens aliam Dominicam habeat, in qua possit imponi, ibi imponatur, ne octava, aut festivitas suo fraudetur officio. Notandum autem, quod si historia aliquas duas, vel plures habuerit Dominicas, singulas videlicet festivitatibus occupatas: ipsa historia in ea dici debet festivitate, quæ minoris videtur esse authoritatis, & festivitas in crastino celebrari.

Cap. 24. *De festo simplici transferendo.*

I. „ Festum iii. Lect. simplex, si die aliqua privatæ hebdomadarum Paschæ, vel Pentecostes, similiter si in die Sacramenti, aut infra octavam hujus festi evenerit, pro eo ad utrasque Vesperas, & ad Laudes commemoratio fiat. Festum vero, de quo alias sola commemoratio fieri consuevit, his diebus consueta commemoratione terminetur. Si autem hujusmodi commemorationis, aut xii. Lect. simplex festivitas in Cœna Domini, Parasceve, aut vigilia Paschæ, seu in die Paschæ, vel Pentecostes ceciderit, nulla de ipso mentio est habenda. Alias quocumque die evenerit festivitas simplex iii. Lect., etiam infra octavas, ibi agatur; nisi ipsa dies potiori festivitate occupata, aut Dominica fuerit, in qua historiam imponere necesse sit. Quo casu, simplex primum transfertur in crastinum, qui crastinus si similiter occupetur, scilicet potiori festivitate, festivitas simplex sola commemoratione contenta officio carebit, sin autem crastinus simplici tantum festivitate occupetur, illa locum dabit priori, & sequenti die celebrabitur; numquam enim festum simplex anticipandum erit, aut ultra crastinum differendum.

Tom. IV.

Cap. 25. *Pluribus concurrentibus festivitatibus, cui earumdem ascribenda sit Vespera.*

I. Si duobus festis xii. Lect. sibi invicem succedentibus, primum fuerit summum majus, aut summum minus, aut medium; ipsum retinebit secundas Vesperas ex integro, nisi sequens fuerit æque, aut magis solemne. Similiter si primum fuerit duplex, ipsum secundas recipiat Vesperas: nisi sequens etiam duplex fuerit, aut solemnius, aut certe Dominica LXX. vel Dominica L., aut aliqua Dominicarum XL., vel Adventus Domini: vel nisi alicubi aliud in antiphonario specialiter inveniatur expressum. Quod si simplex fuerit primum festum, tunc semper sua secunda Vespera privabitur, nisi sequens fuerit Dominica, cujus historia prius sit servata. Concurrentibus autem tribus, aut pluribus festis, si primum fuerit summum majus, aut summum minus, aut medium, & sequens fuerit duplex, aut simplex, & tertium æquale secundo, tunc primum habebit secundas Vesperas ex integro, quia præcellit: secundum retinebit secundas Vesperas, quia primas non habuit; nisi ipsum secundum fuerit Dominica simplex; quia tunc sequens habebit primas Vesperas. Et nota, quod festum carens primis Vesperis recipit commemorationem post *Benedicamus*; carens vero secundis Vesperis retinebit antiphonas superiores, & post *Benedicamus* commemorationem: nisi festum instans habeat antiphonas sibi ascriptas in primis suis Vesperis, sicut habent omnia media, & summa majora, & minora; & si proprias antiphonas non habeant, recipiant eas, quæ in suo communi signatæ, vel descriptæ sunt in secundis Vesperis super psalmos.

Ex Ceremoniali Casalis Benedicti.

Cap. 25. *de diversis solemnitatibus quomodo agantur, & primo de summis.*

I. „ Festa sunt in multiplici differentia; quædam enim sunt festa summa, alia duplicia majora, duplicia minora, semiduplicia, & simplicia. Summa festa sunt hæc: Nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Eucharistiæ, Assumptionis B. Virginis Mariæ, Omnium Sanctorum, Transitus B. P. N. Benedicti, festum præcipui Patroni cujuslibet Monasterii, & festum Dedicationis Templi. Et die eorumdem festorum summorum vigiliæ immediate præcedente, non dicuntur vigiliæ mortuorum in choro, ut sit plus temporis pro munditiis faciendis. Vigiliæ quoque earumdem solemnitatum fiunt more xii. Lect., & præfatio communis dicitur. Duplicia festa majora sunt hæc: Circumcisio Domini, Epiphania, Ascensio Domini, Purificatio B. Virginis Mariæ, Annunciatio, Nativitas, Conceptio, Nativitas B. Joh. Baptistæ, Natale Apostolorum Petri, & Pauli, Veneratio B. P. N. Benedicti, cum Missa pro gratiarum actione, quæ post collationem omnium fructuum celebratur de SS. Trinitate in unoquoque Monasterio, cum processione singulis annis, die a Prælato Monasterii constituta. In quibus duplicibus majoribus, & summis, incumbit Abbati officium celebrare. Duplicia minora festa sunt hæc: festum B. Stephani protomartyris, Johan. Evang., Mauri Abb., Conversionis S. Pauli, Scholasticæ Virg., Visitationis Beatæ Mariæ Virg., Mariæ Magdalenæ, Transfigurationis Domini, Laurentii Levitæ, & Mart., Michaelis Archangeli, Martini Episc., & singulorum Apostolorum.

II. „ Semiduplicia festa sunt hæc: Hieronymi Presbyteri, Gregorii Papæ, Ambrosii Episc., Aug. Episc., Nicolai Episc., commem. S. Pauli, Bernardi Abbatis, & præteræ, si qua in Calendario continentur.

III. In festivitatibus itaque summis Invitatorium inchoabitur a quatuor antiquioribus, qui in tabula dictarum solemnitatum annotabuntur, cuculla tantum indutis, ab utroque choro ad analogium simul procedentibus. Psalmus etiam *Venite*, usque ad illa verba, *Jubilemus Deo*, ab ipsis quatuor simul imponentur, & ultima ipsius Gloriæ particula, *& in sæcula sæculorum amen*, ab eisdem simul omnibus terminentur. Versus autem ipsius psalmi alternatim a duobus ipsorum quatuor diversi chori decantabuntur. Versiculi Nocturnorum, necnon & omnium Responsoriorum, demptis quarto, octavo, duodecimo, Laudum, & Vesperarum, a duobus

Q „ fra-

„ fratribus in medio chori decantabuntur. Quarti vero ℟., & octavi, Laudum, & Vesperarum quatuor, duodecimi a quatuor antiquioribus, qui etiam in tabula annotabuntur, & ab Abbate; nec repetitur a capite ℟. aliquod præter duodecimum; & hoc in summis tantum duplicibus majoribus: in illis enim post ℣. duodecimi ℟., dictoque *Gloria Patri* Cantor alterius chori ℟. a capite repetit. In Vesperis tamen, & Laudibus eorumdem festorum numquam repetitur a capite. Ad ultimum ℟. egrediantur Ceroferarii, & clerici Thurificatores vestire albas, & præparare ignem, incensum, & candelabra cum cereis. Postquam Abbas *Te Deum laudamus* imposuerit, procedant a Sacristia ambo Ceroferarii albis induti, & eos accensos deferentes, qui facta prius reverentia Dominico Corpori, per utrumque latus chori, ad Abbatem pervenientes, versus eum reverenter inclinent, ibique sistant e regione, tenentes candelabra sua, donec e sede sua Abbas prodierit: choro autem prosequente hymnum: *Te Deum laudamus*, accendantur luminaria secundum qualitatem festi. Abbate itaque una cum Cantoribus, & Capellano in Sacristiam a Ceroferariis deducto, assumant omnes albas, & cappas tantum præter Abbatem, qui & stolam cum cappa assumere debet. Et interim parent Ministri, sive Clerici parvum analogium ante medium altaris majoris ad gradum altari proximum, & desuper ponant Missale, vel librum Evangeliorum; Clerici vero Thurificatores sint solliciti ut ignem habeant, & incensum semper paratum: qui sic induti circa finem dicti hymni *Te Deum* simul ad altare procedere debent in hunc modum: procedant Ceroferarii ante ostium Sacristiæ, egressum Abbatis præstolantes, sequantur Cantores hinc incedentes, & postremo Abbas cum Capellano sine crossa subsequente. Pervenientes autem hoc ordine ad gradum Presbyterii, super illum simul genua flectant, Abbate se in medio collocante, & Capellano post eum genua flectente. Quibus sic genua flectentibus, ascendat solus Abbas super gradum, & versa facie ad chorum, benedicat incensum, Capellano benedictionem petente, atque dicente: *Benedic Pater*; quod facere debet unus Clericorum absente Capellano, veluti quando Prior facit officium, quo benedicto, sumtoque incenso cum cocleari, signum faciens ponat ipse Abbas illud incensum in thuribulum a Clerico Thurificatore sibi reverenter præsentatum, qui non incensat altare; sed mox finito *Te Deum*, versa facie ad altare, & non ad aquilonem, ante analogium ipsum constitutus, pronunciet Evangelium; & dum chorus respondet: *Gloria tibi Domine*, Abbas factis signaculis, sicut supra dictum est, statim textum Evangeliorum incenset. Illo autem pronunciante Evangelium, stent post eum Cantores hinc inde, paullo remotius ab analogio constituti, & inter eos Capellanus: Ceroferarii vero inter altare, & ante analogium stare debent, se mutuo e regione prospicientes. Unus autem Clericorum teneat Abbati lucernam. Perlecto Evangelio, imponat Abbas hymnum: *Te decet laus*, postea dicat orationem ad diem pertinentem, finiens illam *Per Dominum*; quæ verba ubi pronunciaverit, Clerices continuo amoveat pulpitum a medio cum libro, & cum a choro responsum fuerit: *Amen*, imponat Abbas: *Deus in adjutorium meum intende*, & illic cum Ministris remaneat, donec chorus pronunciaverit: *Gloria Patri*, usque *Sicut erat*; Ceroferariis ad cornua gradus altaris versa facie ad Orientem consistentibus; choro autem pronunciante: *Sicut erat*; procedat Abbas cum Ministris ad chorum ordine, quo ad altare prius processerat. Postquam vero Abbas in sedem suam se receperit, Ceroferarii facta prius inclinatione versus eum, candelabra sua reponant ante gradum altaris, ea denuo resumturi, postquam ℣. pronunciaverint, qui canticum *Benedictus* antecedit, ut idem fiat per omnia in Vesperis post ℣., qui *Magnificat* præcedit; candelabra autem sua super gradum deponentes, vel ea inde auferentes, semper genua flectant reverenter super ipsum gradum; redeuntes autem Ceroferarii, dimissis candelabris, jungant se choro. Abbas primam antiphonam Laudum sibi a Cantore reverenter annunciatam imponat. Cantores autem psalmos, sicut in Vesperis, in chori medio similiter imponere debent, & sollicitus sit Capellanus, ut tempestive de collectario, & libris aliis, & lucerna provideat Abbati, & occupatis Ceroferariis ipse lucernam teneat; Ceroferarii enim post ℣. ante *Benedictus* decantatum, procedentes ad altare illud reverenter discooperire debent, & candelabra sua reassumentes, parique semper passu ambulantes, ad Abbatem properent, ante quem se prius humiliantes, versis vultibus ad altare. Imposito autem *Benedictus*, mox procedat Abbas ad altare incensandum cum Capellano suo, senioribus Thurificatoribus, & Ceroferariis, Cantoribus in choro remanentibus. Qui tamen Thurificatores debent subsequi Ceroferarios: & est notandum, quod semper Thurificatores præcedere debent Cantores, sive eundo ad altare, sive redeundo ad Sacristiam. Capellanus autem, quando crossam non portat, subsequitur Abbatem; quando vero portat, antecedit; qui etiam in utrasque Vesperas occupabit primam sedem sedium infimarum chori, & ad Laudes primam supernarum prope Abbatem, ut ministret ea, quæ erunt ei necessaria. Qui simul ad altare pervenientes offerant reverenter Abbati incensum, & thuribulum ritu præmisso; factoque signo Crucis super illud nihil dicens; quia jam semel benedictum est, cum cocleari imponat incensum in thuribulum, ut prius, a Clerico Thurificatore sibi reverenter præsentatum, & illud e manu Capellani accipiens, postquam stando incensaverit illud, altare deosculatur, & illud incenset in modum, qui sequitur: primo medium ipsius altaris desuper tribus, vel quatuor agitationibus ducendo thuribulum, & paululum incline caput; inde se non movendo tres, vel quatuor revolutiones faciat versus cornu dextrum; postea simili modo cornu sinistrum incenset, quo facto profunde prius inclinando discedat. Altare majore incensato, accipiant duo thuribola duo Thurificatores, qui cum Abbate præsentes sunt, cum Clericis suis ad alia altaria incensanda properent, duobus Ceroferariis, eum ad chorum revertitur, præcedentibus. Sollicitus sit autem Capellanus ipso Abbate incensante, ut cappam reverenter sublevet, ut expeditius thurificationem agere valeat, & quotiens thurificando inclinat, totiens & ipse Capellanus uniformiter inclinare debet. Si autem Corpus Dominicum alibi, quam in majori altari esset repositum, incensare debet: quibus perfectis, thurificatores Abbatem in stallio suo, ubi fuerit constitutus, reverenter incensent, & postea Cantores; quo facto, thurificatores jungant se Cantoribus, tradentes thuribula sua Clericis, ut omnes etiam thurificent; quibus thurificatis, Clerici utrumque chorum thurificant non cessando a thurificatione, etiam inter cantandum *Pater noster*, & *Gloria Patri*; ad quod tamen inclinat chorus; in ea siquidem exhibetur reverentia Divinæ Majestati, sicut & in ipsa inclinatione: cum autem ad finem chori pervenerint, illic paullulum sistant, thurificationem tamen minime intermittentes, donec factis tribus, aut quatuor agitationibus thuribuli versus summum altare, ad illud reverenter inclinent, demum ad chorum se convertentes, facta simili inclinatione discedant; Ceroferarii vero incensatis Cantoribus, & Thurificatoribus, in medio chori post analogium dimittant sua candelabra, ne impedimentum præstent Clericis utrumque chorum incensantibus, vel simul illa teneant, donec fuerit incensatus chorus, nisi prius forte angustentur imponere *Kyrie eleison* ante Abbatem cum candelabris, quo ante Abbatem imposito cum candelabris, ante eumdem reverenter illa teneant, donec ipse Abbas *Pater noster* cum collectis, si quæ fuerint, pronunciaverit. Dum vero canitur *Benedicamus Domino* a Cantoribus, & a Thurificatoribus, demissis candelabris ante Abbatem, eant ipsi Ceroferarii cooperire summum altare, moxque ad Abbatem revertantur, ut completis omnibus, illum ad Sacristiam cum Cantoribus, & Thurificatoribus, & Capellano reducant, eodem ordine, quo ingressi fuerant, discedentes; Sacristiam ingressi continuo Cantores, & Thurificatores se convertant versus Abbatem, illoque pertranseunte paululum inclinent. Et est advertendum, quod si in solemnitate summa, vel duplici majore contingat Abbatem abesse, vel eo præsente impediri, quominus officium celebret, tunc Priore, vel alio Presbytero quocumque officium celebrante, per omnia similis ritus cæremoniarum observabitur, ac si Abbas ipse officium celebraret; ipse autem celebrans ultimam sedem in choro Prioris tenebit, expetit paratam, & antiphonas ad *Benedictus*, & *Magnificat* etiam Abbate præsente imponet, & in fine orationem Dominicam pronunciabit, cum Evangelio nocturnorum, ceteraque ad officium pertinentia explebit: non tamen benedicet, aut alia præeminentiæ signa faciet. Abbas tamen ante se tapetum habebit, sicut celebrans officium. Sciendum est autem, quod quando Abbas facit officium, ad ipsum spectat decantare totum officium nocturnorum cum Laudibus, horam regularem, quæ majorem Missam præcedit cum ipsa Missa, & utrisque Vesperis, & gratiis ad utramque refectionem, si dies binæ refectionis fuerit, reliquas diei horas peraget Hebdomadarius;

„ si an-

„ si autem alius officium præter Abbatem celebret, itidem faciet, sicut & Abbas.

Cap. 26. De hora regulari, quæ majorem Missam præcedit in iisdem solemnitatibus.

„ I. Pulsato primo signo cum duabus majoribus campanis ad horam decantandam, quæ majore præcedit Missam, festinent omnes fratres vestiri albis, & hoc in summis tantum festivitatibus, Epiphaniæ, & Purificationis B. Mariæ; Ascensionis Domini, propter processionem, quæ in his diebus, quamvis non sint summa festa, tamen solemniter celebrantur. In aliis autem festivitatibus quantumcumque solemnibus, duplicibus majoribus & ceteris, nulli vestientur albis, præter Sacerdotem, Cantores, & Ministros: secundo autem signo pulsante, Abbas indutus albis cum stola, & manipulo tantum, una cum Diacono, & Subdiacono, præeuntibus Ceroferariis, & Capellano crossam, sive pedum ante eum nullo medio deferente, ad chorum procedant; factaque simul maxima reverentia Dominico Corpori, ad loca sua singuli eant, sicut alio tempore, quando similis hora decantetur. Abbate itaque in sede sua collocato, Ceroferarii ante eum simul juncti candelabra sua teneant, versis vultibus ad alterum chorum, sic permanentes, donec incipiatur hymnus ejusdem horæ, cum Abbate tamen dicente: *Deus in adjutorium meum intende*, aliud ad altare convertant, & cum ipso pariter redeant. Hymno autem imposito deferant ea ad gradum altaris, & revertantur ad chorum, e regione se collocantes in imis sedibus ante Diaconum, & Subdiaconum nisi quando induuntur albis omnes fratres; tunc enim sic in ordines suos collocentur; dicto autem ab iisdem Ceroferariis ℣. ipsius horæ, reassumant candelabra sua ante Abbatem se collocantes, sicut prius, donec absoluta hora omnibus genua flectentibus, flectant & ipsi genua ante ipsum Abbatem, versis vultibus ad alterum chorum; cum autem Abbas finierit collectam principalem ipsius horæ dicendo *Per Dominum*, &c. continuo discedant Ministri ad altare, dalmaticas suas super utrumque altaris cornu a Sacrista prius delatas cum gravitate induant, ut parati sint absoluta hora Abbati occurrere ante analogium, ubi cappam super dictum analogium prius repositam honeste sumentes, illa Abbatem induant. Quod si dies Dominicus fuerit, non erit necesse dictos Ministros pro sumendis dalmaticis egredi: sed assument eas inter dandam fratribus aquam benedictam. Interim fratres omnes cappas illic prius delatas assumant. Abbas itaque, ubi cappam assumserit, procedat cum Ministris præeuntibus, sicut prius ante horam ingressus fuerat altare: pervenientes ad gradum Presbyterii illic sistens Abbas conversa faciem suam ad chorum, sicut in Laudibus dictum est, incensumque benedicat: benedicto vero incenso, sacras reliquias super altare e Sacrista ante horam tempestive delatas, stando super ipsum gradum thurificet; postea reverenter inclinando, restitutoque thuribulo, sacras reliquias sumturus, prius genua flectat in terram: quo facto, illas reverenter accipiat, & ad chorum se convertat, una cum Ministris ante eum existentibus, & dorso contra innitentibus. Fratribus igitur cappis indutis, cessanteque illo pulsu, imponant Cantores ℟. processionabiliter decantandum.

Cap. 27. De processione.

II. „ Processio autem ordinetur: Præcedat aqua benedicta, deinde Crux, procedant fratres bini, & bini, ex utroque latere procedentes; post eos incedant Cantores simul juncti medium locum circa finem tenentes, postmodum Diaconus, & Subdiaconus, sigillatim libros Evangeliorum, & Epistolarum, vel sacras reliquias deferentes. Post Diaconum eant Caroferarii simul etiam juncti: novissimus sit Abbas cum suo Cappellano, ante ipsum Abbatem pedum, sive crossam deferente; Clerici vero Thurificatores accepto thure, per utrumque latus inter Diaconum, & Subdiaconum thuribula sua lente agitantes, & reverenter incedant; sicque moderentur omnia, tam cantu, quam processu, ut ℣. responsorii in navi decantandus, si fieri possit, semper occurrat. Pervenientes itaque ad navem Ecclesiæ, illic stationem faciant, & non ante, ibique in medio duobus Cantoribus, adjunctis sibi duobus senioribus, ℣. Responsorii decantetur; quo finito, Clerici sumto thure, primo Abbatem thurificent, dehinc Diaconum, & Subdiaconum, non solum respectu eorum, sed propter Sanctorum Reliquias; & postea crucem redeundo ad chorum thurificent. Choro autem repetitionem ℟. post ℣. prosequente, principalis Cantor antiphonam Abbati denunciet, seu alteri ejusdem chori officium celebranti: similiter faciat Cantor sinistri lateris iis, qui sunt sui chori. Unde illam antiphonam finito ℟. prosequentes fratres chorum ingrediantur, in sedibus se collocantes, qui omnes Abbate pertranseunte profunde inclinent, vel ob reverentiam Reliquiarum SS. genua flectant. Abbas autem cum ministris ad analogium, quod est ante gradum antiphonam decantaturus. Quo facto, ad sacristiam ministris semper prævis procedant, eo ritu quo venerant prius, & fiat pulsus omnium signorum pro missa solemniter decantanda, & accendantur luminaria omnia secundum ritum monasterii. Interim fratres omnes exuant cappas suas præter Cantores, Sacrista vero cum socio suo mox illas ad vestiarium deferat. Quibus rite peractis, inchoetur introitus Missæ post ℣. repetendus, & iterum post *Gloria Patri*, in qua Missa se gerant, tam ministri, quam conventus sicut supra dictum est in Missa conventuali, excepto quod ℟. imponetur a duobus Presbyteris junioribus cappis indutis in supradicto magno analogio, ubi etiam epistola, & evangelium decantantur, ut in quibusdam monasteriis; aliis vero in analogio ante gradum Presbyterii; a quibus etiam ipsius Responsorii ℣. decantabitur: *Alleluja* vero, tractus, & prosa ab ipsis duobus Cantoribus cum duobus aliis senioribus sibi adjunctis in cappis indutis, signoque ab eisdem Cantoribus vocatis, prosequantur; quæ quidem omnia a conventu fient secundum decantationem notarum. In festis summis Quadragesimalibus dicitur tractus ab ipsis Cantoribus, & aliis duobus in tabula deputatis, alternatim: Cantoribus tamen incipientibus, omnes enim tractus alternatim dicuntur; præter *Domine non secundum*, qui dicitur ab utroque choro simul, ultimus tamen versus scilicet; *Adjuva nos*, & simul cum genibus flexis dicitur. Extra tempus XL. post alleluja dicitur prosa in his festivitatibus summis tantum, & per earumdem octavas sit, ut in Missali notandum est, quibus adduntur dicendi ultimi ℣. prosæ de Corpore Christi, per ejusdem festi octaves, incipiendo a ℣. *Ecce panis Angelorum* &c., & ad finem usque prosequendo. In aliis vero festivitatibus quantumcumque solemnibus non dicitur prosa, præterquam in veneratione B. P. N. Benedicti, ducente sat justa ratione. Notandum, quod in processione celebranda nec ad aliquod particulare altare, neque ad capitulum, vel officinam aliquam inclinatio fiet; sed ante se unusquisque tantum caput inclinabit reverenter, quoties antedicta loca pertransire contigerit; quod & semper ab omnibus observandum est, quando conventualiter, vel privatim hujusmodi locis occurrerint. Quo ad utrasque Vesperas, in dictis solemnitatibus omnia fiant eo ritu, & ordine, sicut prædictum est in Laudibus. Inchoato ultimo psalmo, duo deputati per signum factum a Cantoribus, cum reverentia versus Abbatem exire debent pro assumendis cappis, sicque tempestive redire, ut una cum Cantoribus ℟. imponant, & ℣. *Benedicamus Domino*, simul decantent. Idemque signum faciendum est a Cantoribus his, qui in navi sunt dicturi ℟. versum, & his qui cantaturi sunt in choro *alleluja* cum ipsis Cantoribus. Absolutisque Vesperis simul cum Abbate, & Capellano pedum, sive crossam deferente, cum Cantoribus ad vestiarium redire debent. In die autem Dominicæ Resurrectionis post Vesperas responso a choro *amen* in fine collectæ diei, incipiunt Cantores ℟. *Christus resurgens* &c., & fit statio in navi ecclesiæ ante Crucifixum, & in processu ipsius incedent Ceroferarii cum eo, qui crucem cum cappa rubra bajulat, hoc est ante cum cruce primi, & non cum superiore, eo quod nullas deferet reliquias; deinde omnes fratres bini, & bini, & post eos duos seniores Thurificatores, deinde Cantores, quos sequetur Capellanus, & ultimo loco Abbas. Clericorum vero unus post dorsum ejus, qui crucem bajulat, eandem thurificet, cum chorus genibus flexis canet: *Resurgentem adorent*. Dicto a superiore: *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace*, mox procedant omnes ad chorum dicentes submissa voce: *Pater noster*, & *Ave Maria*, & *Sub tuum præsidium* dicatur in choro more solito, quo dicto sacristiam ordine, quo venerant, adeant. Præterea notandum est, quod quando Abbas facit officium, pedum, sive crossa a Capellano sine pedifero defertur, non tamen semper; defertur

„ enim illam eundo, & redeundo ad horam regularem, quæ majorem Missam præcedit, stareque debet, atque considere in ima sede ante Abbatem in penultima, deferique ad processionem, si fieri debeat: in Introitu vero Missæ non portat Capellanus, sed Diaconus, ferre tamen illam debet, quando Abbas ascendit ad altare deosculandum, dicendo: *Conscientias nostras quæsumus Domine*, & antequam imponat Abbas hymnum: *Gloria in excelsis Deo*, eam Diacono offerat eam resumendam, cum chorus respondet: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* &c. Ubi autem Diaconus inchoaverit: *Dominus vobiscum*, pro Evangelio congruendo, ipse Capellanus pedum teneat, donec Abbas inclinatione facta in medio altaris, se recipiat in dextrum cornu ipsius altaris, qui tunc pedum accipere debet a dicto Capellano, eidem restituendum, Diacono ultimam periodum Evangelii absolvente, quod tamen ab ipso Capellano teneri debet, usquequo Abbas *Credo*, si dicendum fuerit, imposuerit, & insuper quoties Abbas imponit alta voce: *Dominus vobiscum*, vel *Per omnia*, Capellanus Diacono pedum offerre debet, excepto quod ad *Dominus vobiscum* de præfatione ipse Capellanus poterit tenere. Ideo vertente folia Diacono intendere convenit, potissimum cum propriæ præfationes sunt ipsis festis, de quibus agitur, attributæ; omnes enim præfationes dicuntur, ut habentur in missali, præter illam, quæ de jejunio est, nam licet dicatur a capite jejunii usque ad Dominicam in ramis palmarum; non tamen dicitur diebus Dominicis, cum satis constet diebus Dominicis non esse jejunium. Tandem postcommunione e choro decantata, Diaconus a Capellano pedum accipiat, nec illi ipsum restituat, donec *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, nec non benedictio ab Abbate data fuerit; qui quidem Capellanus post genuflexionem, quæ fieri solet ad *Verbum caro factum est*, immediate Abbatem cum crossa præcedat redeundo ad Sacristiam cum ceteris ministris. Est etiam sciendum, quod quotiescumque Abbas cantat, seu pronunciat: *Deus in adjutorium*, Capitulum, & orationem, sive *Pater noster* ad Vesperas, & horam, quæ majorem Missam præcedit, Capellanus crossam ante illum separatim tenere debet; tamen nunquam tenet, sed neque portat ad Matutinas, & Laudes, nisi in die Nativitatis Domini.

Cap. 28. Quomodo agantur majora duplicia Festa.

I. „ In duplicibus majoribus festis Invitatorium a duobus Cantoribus tantum imponetur, versiculi responsoriorum similiter e duobus in uno tantum choro existentibus, ubi ℟. impositum fuerit, decantabuntur, duodecimi ℟. versu excepto, qui a quatuor senioribus dicitur in medio chori ad analogium, & repetitur a capite in altero choro. ℟. in Laudibus & Vesperis inchoabitur in medio chori ab ipsis Cantoribus, & versiculi eorumdem cum *Benedicamus Domino*, ab eisdem tantum decantabuntur, ℣. nocturnorum & horarum a duobus junioribus, sicut in summis imponentur. Ad Missam vero, quæ sine processione celebranda est, nisi quando Missa pro gratiarum actione celebratur post collectionem fructuum, & nisi fuerit dies, quæ ex institutione processionem habeat, ut dictum est c. 26. de summis festivitatibus, Sacerdos, & ministri se per omnia gerent, sicut in summis festis, & conventus similiter, dempto quod ℟. inchoabitur a duobus fratribus junioribus albis indutis, versusque ab eisdem decantabitur, *alleluja* vero cum versu a duobus Cantoribus tantum; tempore XL. tractus dicitur ab ipsis Cantoribus, & aliis duobus Sacerdotibus mediocribus in tabula deputatis, qui post inchoatum hymnum, parvo signo ab ipsis Cantoribus vocati, & licentia a superiore petita, exeunt. Cum Abbas incipiat decantare antiphonam pro *Magnificat*, exibunt a Sacristia ad gradus altaris, ut cum pervenerit ad eos Abbas, perficiat omnia, sicut in summis, & ipsis a Clericis thurificatis in choro, petita venia, facta simul & reverentia Abbati ad Sacristiam redeunt. Ad Laudes autem solus Abbas cum Capellano, Ceroferariis, & unico Clerico albis indutus, qui Capellanus a thurificatione altarium, si quæ fuerint in cancello ipsius ecclesiæ, in choro reversus Abbatem thurificabit, quo thurificato, tradat thuribulum Clerico, ut eum etiam thurificet; dehinc utrumque chorum, ut moris est. Cum autem a solo Priore, sive alio Sacerdote officium peragitur, a solo Clerico incensabitur, & sic intelligendum est de Subpriore primo, vel secundo in monasteriis, ubi sunt Abbates Commendatarii, in quibus Priore claustrali (nam vice Abbatis fungitur) officium celebrante, junior thurificator egreditur pro thurificatione facienda, & cuncta faciet sicut in Vesperis, incensatoque Patre Priore, dabit thuribulum Clerico, a quo similiter incensabitur; dehinc ab eodem Clerico continuabitur chorus Prioris, & postea chorus Subprioris primi.

Cap. 29. Quomodo agantur festa duplicia minora.

I. „ In duplicibus minoribus Invitatorium a duobus versicularis hebdomadæ videlicet præsentis, & præteritæ imponitur. ℣. autem omnium ℟. in nocturnis a duobus etiam in choro suo decantabuntur; ℣. vero ℟. Laudum & Vesper. ab eisdem versicularis in medio chori persolventur; nullum vero ℟., vel antiphona a capite repetitur. In Laudibus nulli vestiuntur albis, neque thurificatur; sed simpliciter ab Hebdomadario omnia peraguntur; officium tamen B. Virg. Mariæ in nocturnis, & Laudibus conventualiter non dicitur, nec fiunt commemorationes quotidianæ. Et est notandum, quod quoties non dicitur officium B. Virg. Mariæ in choro, extra chorum debet dici; non dicuntur quotidianæ commemorationes; sed reservantur postea dicendæ in eodem officio summissa voce; quod quidem officium non deambulando, sed genibus flexis devote persolvendum est, nec detineantur pro eodem officio dicendo fratres inviti, quia forsitan, vel ex parte, vel ex toto absolverunt. Ad Missam duo Cantores tantum cappis vestiuntur: qui tempestive pro ipsis assumendis e choro egredi debent, ut statim finita Hora, chorum ingredi parati sint; ℟. a duobus fratribus junioribus in tabula deputatis non indutis albis; *alleluja* autem ab ipsis Cantoribus, sicut in duplicibus majoribus decantabitur. Tempore LXX. ab ipsis Cantoribus ℟.; tractus vero ab utroque choro alternatim decantabitur. Assistit & thurificator cum ministris in Missa solus, qui & officium clerici simul per omnia adimplebit. Similiter & cum Hebdomadario vestietur in Vesperis Clericus thurificator, a quo post thurificatum Hebdomadarium continuabitur chorus Abbatis, si præsens fuerit; alias chorus Prioris. Eodem ritu fiet in summis duplicibus majoribus post thurificatos Cantores in monasteriis, in quibus unum tantum habetur thuribulum. Et in benedictione incensi talis ritus tenetur, sicut de Abbate dictum est in summis, videlicet cum pervenerit ad gradum altaris, primum genua flectat, ascendens super gradum versa facie ad chorum, benedicat incensum a Clerico præsentatum, quo benedicto, sumtoque incenso cum cocleari, signum faciens ponat ipse illud in thuribulum, qui facta prius inclinatione stans primum altare incenset.

Cap. 30. Quomodo agantur semiduplicia festa.

I. „ In festis semiduplicibus agitur officium per omnia, sicut in duplicibus minoribus, dempto quod officium B. Virg. Mariæ dicitur in nocturnis in choro, & in Laudibus, ℣. responsoriorum in nocturnis ab uno tantum canentur, demptis 4. 8. „ & 12. qui a duobus in suo choro more præmisso decantantur. In Missa a duobus Cantoribus cappæ assumuntur. ℟. & *alleluja*, sicut in duplicibus minoribus peraguntur, in Missa, & utrisque Vesperis thurificatur, in quibus etiam Hebdomadario cappa assumitur pro thurificatione peragenda.

Cap. 31. Quomodo agantur festa simplicia XII. Lectionum.

I. „ In festis simplicibus, & per quascumque octavas Invitatorium a duobus dicitur. ℣. omnes responsoriorum nocturnorum, Laudum, & Vesperarum, atque ceterarum Horarum ab uno tantum dicentur, & illis diebus nulla fit thurificatio. Ministri altaris alba, stola, & manipulo vestiuntur; ℟. in Missa a Cantore imponitur, & cum suo ℣. a toto choro prosequitur, *alleluja* vero a duobus fratribus in medio chori decantatur; in LXX. tractus loco *alleluja* dictus alternatim ab utroque choro, ut in duplici minore.

Ex Ordinario Carthusiensi.

Cap. 1. De divisione, & multiplicitate Divini officii, deque festo sollemni.

I. „ Officium canonicum quotidie fit, aut festivale, aut temporale. Porro festivalis officii quatuor sunt gene-

genera, quæ diverso modo, diversoque celebrantur ordine, quorum tria XII. Lectiones singillatim habent, & quartum tres dumtaxat. Ex festis XII. Lect. habentibus unum solemne seu candelarum, aliud autem capituli, tertium vero XII. Lect. festum vocamus. Temporale autem officium aut est Dominicale, aut feriale.

II. „ Festum solemne celebratur cum capitulo & refectorio, & in eo quatuor candelæ, seu cerei accenduntur ad utrasque Vesp., Matut., & Laudes; unde etiam festum candelarum vocatur; thus etiam in eo adoletur in utrisque Vesperis, & Laudibus; habet autem totum officium integrum incipiendo a primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei inclusive, nisi impediatur per concurrentiam alterius festi solemnis, de qua dicetur infra, excepta solemnitate Compassionis gloriosissimæ semper Virg. Mariæ, ut suo habetur loco.

III. „ Ad primas autem ejus Vesperas unam tantum dicimus antiphonam super psalmos feriales: etiamsi eodem die festum Capituli, aut duodecim Lect. celebretur, exceptis duabus septimanis Paschæ, & Pentecostes: in quibus psalmi Dominicales semper ad prædictas Vesperas dicuntur: quamvis Annunciatio Dominica, aut Dedicatio ecclesiæ in illis contingant. Excipiuntur etiam solemnitates SS. Stephani, Johannis Evang., & Innoc., de quibus primis Vesperis fit tantum commemoratio.

IV. „ Magnum etiam ℟. ad primas Vesperas in omni solemnitate dicitur, & Invitatoria, Hymni, Psalmi, ad Matutinas, & ad Laudes, Lectiones, ℟., ℣., antiphona, & cetera omnia in ipsis Vesperis, Matutinis, Laudibus, & ceteris Horis de solemnitate dicuntur, & cantus est solemnis.

V. „ Solemnitates autem sunt hæ: Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes festa SS. Trinitatis, Eucharistiæ, & Transfigurationis Domini, Purificatio, Annunciatio, Compassio, Visitatio, Assumptio, Nativitas, Præsentatio, & Conceptio B. Virginis Mariæ, festa SS. Stephani, Johannis Apostoli, & Innocentium, festa SS. Joseph, & Benedicti, Inventionis S. Crucis, Nativitatis S. Johannis Baptistæ, Petri, & Pauli, Magdalenæ, Annæ, Exaltationis S. Crucis, S. Michaelis, Brunonis, Omnium SS., Reliquiarum, S. Hugonis Lincolniensis, & Dedicationis Ecclesiæ.

VI. „ (Feriis secunda, tertia, & quarta post Pascha, & Pentecosten, Vesperæ solemniter celebrantur cum quatuor cereis: sed ad Matutinas habentur tantum tres Lectiones, & duo nocturna; & ad Laudes etiam quatuor cerei accenduntur.

Cap. 2. De festo Capituli.

I. „ Festum Capituli caret candelarum, & cantus solemnitate, capitulum dumtaxat, & refectorium habens, cantanturque in eo hymni Dominicaliter; quando tamen occurrit infra octavas Natalis Domini, hymni solemniter cantantur.

II. „ Hujus festi officium incipit a capitulo primarum Vesperarum inclusive, & usque ad Completorium sequentis diei inclusive durat; nisi propter concurrentiam alterius festi aliter sit faciendum, prout infra dicetur.

III. „ Quod quidem capitulum in ipsis Vesperis, ℟. parvum, hymnus, psalmi, ℣., Lectiones, ℟., & cetera omnia in Matutinis, Laudibus, Horis, & secundis Vesperis sunt de festo. Magnum ℟. ad primas Vesperas hujus festi non dicimus: excepto festo SS. Philippi, & Jacobi.

IV. „ Festa autem capituli in toto ordine celebranda hæc sunt. S. Antonii Abbatis, Vincentii Martyris, Conversionis S. Pauli, Agathæ Virginis, Matthiæ Apostoli, Thomæ de Aquino, Gregorii Papæ, Ambrosii Episc., Marci Evangelistæ, Philippi, & Jacobi Apostolorum, Barnabæ Apostoli, Jacobi Apostoli, Laurentii Mart., Bernardi Abb., Bartholomæi Apostoli, Augustini Episc., Decollationis S. Johannis Baptistæ, Matthæi Apostoli, Hieronymi Presb., Lucæ Evang., Undecim millium Virginum, Simonis, & Judæ Apostolorum, Catharinæ Virginis, & Mart., Andreæ, Apostoli, & Thomæ Apostoli.

V. „ Præter hæc festa volumus ea coli a nostris, quæ sacra Concilia statuunt colenda esse. Quapropter ab operibus manuum cessare debemus in omni festo, quod per Diœcesim, in qua domus ordinis sita est, festive celebrabatur: etiamsi apud nos fuerit festum Capituli; sed festum XII. Lect. tantum, aut trium, aut etiam nullum. Propter alia vero festa etiam XII. Lect. a prædictis operibus non cessamus. Occurrente etiam festo civitatis, vel Diœcesis, in qua sunt domus ordinis, dicitur Missa de eodem festo in conventu post Missas privatas in domibus, ad quas sæculares de facili possunt convenire.

VI. „ Permittimus etiam singulis domibus alia festa cum capitulo, aut etiam solemniter celebrare, quæ ex antiqua consuetudine, vel de speciali concessione, cum capitulo, aut solemniter hactenus celebraverunt.

Cap. 3. De festo XII. Lectionum.

I. „ Festum XII. Lect. simpliciter illud vocamus, quod sine capitulo, & refectorio celebratur. Officium vero hujus festi per omnia simile est officio festi Capituli, nisi quod Matutinæ, Laudes, & Vesperæ ejus in conventu dicuntur, ceteræ Horæ in cellis.

II. „ Festa autem XII. Lect. hæc sunt: Dies oct. Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, Nativitatis, Visitationis, & Assumtionis gloriosissimæ Virginis, & festa SS. Agnetis, Hugonis Episc. Gratianopolitani, Petri ad vincula, Mauritii, & Sociorum ejus, Dionysii, & Soc. ejus, Clementis Papæ, Thomæ Episc. & Mart. & quæcumque festa Capituli transferri contigerit, in rationem & ordinem transeunt festi XII. Lect.

III. Notandum insuper, quod si festum alicujus Apostoli XII. Lect. sive capituli occurrat, unam tantum habens orationem propriam; ipsa quidem oratio ad utrasque Vesperas, & ad Matutinum post Evangelium, & ad Laudes, & Tertiam dicitur. Ad Sextam vero oratio: *Exaudi nos Deus*, & ad Nonam oratio: *Protege Domine*, de communibus Apostolorum; quod si nullam orationem habeat propriam, sumantur orationes de communi officio.

IV. „ Et si alicujus Martyris, vel plurimorum Martyrum, aut unius Confessoris Episcopi, aut unius Virginis XII. Lect. festum unam tantum habeat propriam orationem; ipsam ad utrasque Vesperas, & post Evangelium, & ad Laudes, & Tertiam dicimus; ad VI. primam de communibus, & ad IX. secunda de eisdem. Si vero nullam propriam habeat orationem; prima quidem de communibus ad utrasque Vesperas, post Evangelium, & ad Laudes, & ad III. dicitur; secunda vero ad VI. & IX.

Cap. 4. De octavis, & vigiliis festorum præcipuorum.

I. „ Præcipua quædam festa celebrantur cum octavis. Sunt autem octavarum quatuor differentiæ, aliæ enim sunt solemnes, aliæ festivales, aliæ feriales, aliæ simplici octava contentæ sunt.

II. „ Solemnes octavæ sunt: Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes, intra quas usque ad octavam diem inclusive hymnos solemniter cantamus, & de ipsis octavis totum officium quotidie facimus, nisi festum aliquod XII. Lect. impediat, de quo fit infra has octavas celebrandum; quamquam infra octavas Paschæ, & Pentecostes de nullo festo occurrente fiat officium, nisi de Annunciatione Dominica, aut Dedicatione Ecclesiæ.

III. „ Festivales octavæ sunt Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Dominici, Visitationis, Assumtionis, & Nativitatis B. Virg. Mariæ: infra quas officium quidem totum de ipsis octavis fit, nisi occurrat festum XII. Lectionum; sed hymni dominicaliter cantantur; verumtamen infra has oct. nec genua flectimus, nec *Miserere mei* dicimus, nec de festo trium Lect. aliquid præter comm. ad Vesp. & ad Laudes facimus: unde festivales dicuntur, & octava die festum XII. Lect. facimus.

IV. „ Feriales octavæ sunt S. Johannis Bapt., Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Brunonis; infra quas officium de ipsis oct. non facimus; sed de festo occurrente, sive XII., sive III. Lect. fuerit, vel de feria. Verumtamen de ipsis octavis quotidie infra oct. fit comm. in Vesperis, & Laudibus, & die octava fit de ipsis octavis festum XII. Lect.: nisi occurrat in Dominica, aut festo XII. Lect., vel infra octavas festivales; tunc enim fit de eis tantum comm.

V. „ Porro octavæ simplici octava contentæ, sunt octavæ SS. Stephani, Johann., & Innoc.; de quibus infra oct. earum nulla fit comm.; sed die tantum octava fit de illis festum III. Lect. cum Missa propria.

VI. „ Præcipua etiam quædam festa habent vigiliam. Porro inter vigilias primum, & præcipuum locum obtinet vigilia Natalis Domini: cujus officium incipit a

„ a Laudibus, & solemniter cantatur. Quod si in Do-
„ minica evenerit, in ipsa etiam fit, & incipit a versi-
„ culo tertii noct., qui ante Lectiones dicitur.

VII. „ Secundum locum inter vigilias tenent vigiliæ
„ Paschæ, & Pentecostes; post quas sequuntur vigiliæ
„ Ascensionis Domini, Assumtionis gloriosissimæ Virginis,
„ S. Johannis Bapt., Apost. Petri, & Pauli, & omnium
„ SS.; quæ nullum habent officium, præter Missas pro-
„ prias; de quibus suo loco tractetur.

VIII. „ Postremum locum inter vigilias obtinent vigi-
„ liæ SS. Matthiæ, Jacobi, Bartolomæi, Mathæi, Simo-
„ nis, & Judæ, Andreæ, & Thomæ Apost., & . Lau-
„ rentii Martyris; quæ nec officium, nec Missas habent
„ proprias; sed commemorationes tantum in aliis missis,
„ ut infra dicetur.

Cap. 5. De festo trium Lect.

I. „ Officium festi III. Lect. incipit a primis Vesp. a
„ capitulo, nisi majori festo impediatur, & terminatur
„ ad VI. inclusive. In hoc festo omnes hymni ad omnes
„ Horas, & psalmi ad utrumque nocturnum cum sola
„ antiphona dicuntur de tempore, seu de feria: Lectio-
„ nes de sacra Scriptura tunc currente: Invitatorium ver-
„ so, V., R. magna, & parva, psalmi, & antiphona
„ Laudum, & ceterarum Horarum, usque ad VI. inclu-
„ sive, cum orationibus ad omnes Horas de festo dicun-
„ tur, & de communi SS. sumuntur, nisi proprium a-
„ liquid habeatur. Hora VI. persoluta, de festo III. Lect.
„ nihil amplius fit.

II. „ Si hujusmodi festum propriam orationem habeat,
„ dicimus eam in Vesp., nocturno, Laud., & ad III.;
„ ad VI. vero dicimus primam orationem de communibus.
„ Si non habeat propriam, dicimus primam de communi-
„ bus ad Vesp., Laud., & III.; secundam vero ad no-
„ cturnum, & VI.; & hæc intelligenda sunt, quando
„ nihil speciale ponitur. Quod si una ex communibus
„ orationibus sit tali festo appropriata; illa dicitur ad
„ Vesp., noct., Laud., & III., & altera ad VI. tantum.

III. „ Porro primum capit. de communi SS. in festo
„ III. Lect. dicitur ad Vesp., & III.; secundum capit.
„ dicitur ad noct., & VI., & tertium ad Laudes.

IV. „ Facimus autem festum III. Lect. quoties in
„ Kalendario occurrit nomen alicujus Sancti, de quo non
„ exprimitur, quod sit festum solemne, vel Capituli, vel
„ XII. Lect., vel quod de eo sola commem. fit. Verum-
„ tamen sæpius impeditur officium III. Lect. propter oc-
„ currens aliud festum, vel octavas, ut infra dicetur de
„ commemorationibus, & concurrentia festorum.)

CAPUT II.

De festis in Adventu contingentibus.

I. ANnum, ut superiori libro, ab Adventu Domini more Ecclesiastico incipimus, ac proinde a festis, quæ solent, & possunt in Adventu contingere, ac quibus primum occurrit III. Calendas Decembris vigiliæ S. Andreæ, quæ una cum festo S. Saturnini, & S. Crysanti signatur in vetustissimo Corbejensi Calendario his verbis „ (III. Cal. vigilia Sancti Andreæ, & Natale S. Saturnini, & Sancti Crisanti,) & in recentiori, quod Rituali Corbejensi præmittitur: „ (Saturnini Martyris, Crisanti, „ & Dariæ Martyrum, vigilia XII. Lectionum.) In aliis tamen communiter Monasteriis festum S. Saturnini Mart. duntaxat in vigilia S. Andreæ, cum tribus tantum Lectionibus celebratur hoc modo: In primis Vesperis a capitulo de communi unius Martyris; ad nocturnas vigilias Invitatorium: *Regem martyrum*, hymnus, antiphonæ, psalmi de feria: tres Lectiones *de Prophetia*, hoc est *de Ezechiele, & si sit in Adventu, de Isaia*, ajunt Dionysianæ consuetudines; R. communi unius Martyris, sicuti capitulum, V. & oratio, in secundo nocturno. Laudes, & Horæ diei cum Missa matutinali, sine ulla vigiliæ, sive in officio, sive in Missa, commemoratione: atque ita in Dionysiano, Parisiensi S. Germani, Compendiensi S. Cornelii, Beccensi S. Mariæ, Tullensi S. Apri, & in Sancti Petri supra Divam monasteriis. In Dionysiano quidem, & S. Germani tam in Adventu, quam ante Adventum; in aliis vero monasteriis solum ante Adventum; nam in Adventu S. Saturnini festum solam habebat commemorationem: Major autem Missa de vigilia S. Andreæ, sine ulla S. Saturnini memoria cantabatur cum officio proprio: *Dominus secus mare Galilææ*, & quidem in monasterio S. Petri supra Divam, *solemniter quasi in albis*. Quod si dicta vigilia in Adventu evenisset Dominica; Missa matutinalis de vigilia cum comm. S. Saturnini, & alleluja *Per manus*; major de Dominica. Infra hebdomadam, Missa matutinalis de Adventu; major de vigilia cum commemor. S. Saturnini, non vero de Adventu: „ (Si „ vero Sabbato fuerit, *inquit Ord. S. Petri supra Divam*, „ servitium fiet principaliter de S. Maria, cum Missa ma- „ tutinali festali, ad quam memoria de S. Martyre non „ obliviscatur.)

II. Pridie Cal. Decembris festum S. Andreæ Apostoli, quod in Calendario Lyrensi, Ordinario Tullensi, & consuetudinibus S. Germani, *in albis*: in Ord. S. Petri supra Divam signatur *in cappis*: potest considerari, vel Sabbato ante Dominicam primam Adventus Domini, vel in ipsa Dominica, vel feria secunda eveniens. Si primum; integras habebat primas Vesperas, hoc est unam super psalmos feriales antiphonam, capitulum, hymnum, V., antiphonam ad *Magnificat*, & collectam de S. Andrea: nocturnas vigilias, Laudes, Horas diurnas, Missam, & secundas Vesperas usque ad capitulum; a capitulo enim officium de Dominica incipiebat cum comm. S. Andreæ post Vesperas, quam commemorationem faciebant Cassinenses, cum antiphona: *Domine Jesu Christe*, cantico, *Magnificat*, & oratione. Si secundum, in sequentem feriam secundam rejiciebatur; & tunc ex Ordinario S. Petri supra Divam, & Corbejensi Rituali, subsequens S. Eligii festum in tertiam feriam transferebatur. Dominica autem ad Vesperas officium tantum a capitulo de S. Andrea fiebat, cum commemoratione Dominicæ; quamvis in rituali Corbejensi integras videatur habuisse primas Vesperas. Illud autem maxime notandum est, quod præscribit Beccensis monasterii Rituale: „ (Si vero festum Apostoli Dominica evenerit, in „ crastino fiet: commemoratio tamen fiet Sabbato ad „ Vesperas de Apostolo, antiphona: *Cum carnifices*. Ora- „ tio de vigilia.) Idem porro observabatur, cum in feriam II. S. Andreæ festum incideret.

III. Ad officium quod spectat, totum erat proprium, exceptis hymnis nocturnarum vigiliarum, & Laudum: qui erant de communi, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, & antiphonis, quæ in Ordinario Tullensi ad secundas Vesperas assignatur de communi; *juravit*; quamquam etiam proprias habeant Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines. In primis Vesperis unica tantum super psalmos feriales dicebatur antiphona, R. ex Dionysianis consuetudinibus, a quatuor *in cappis* cantabatur, ex Compendiensibus, a duobus item in cappis, ex Ord. Tullensi ante Adventum a *duobus Hebdomadariis*; infra Adventum a *solo Hebdomadario*. Antiphona ad *Magnificat* tam in Dionysiano, quam in Compendiensi monasterio bis cantabatur, & in illa duo deferebantur thuribula: in Tullensi S. Apri unicum *ab Hebdomadario Missæ, alba, & cappa induto*, & thuribulario in alba existente, si festum ante Adventum celebraretur; alioquin in Adventu *ab Hebdomadario Missæ in alba tantum, & famulo*, Thuribulario sine alba existente. Preces ex Dionysianis cons. tantum usque ad: *Domine salvum fac Regem*, recitabantur. Post Vesperas fiebat processio cum R. de S. Andrea, & quidem, ex Ord. Tullensi, *cum incenso*.

IV. Ad nocturnas vigilias Invitatorium, ex Dionys. cons. a quatuor *in cappis*; ex Compendiensibus, a duobus tantum *in cappis rubeis*, ex cons. S. Germani. Octo primæ Lectiones de passione S. Andreæ, quatuor ultimæ de homilia. De Responsoriis hæc tantum habet Tullense S. Apri Ordinarium: „ (Quartum vero R. cujuslibet nocturni e- „ rit duplex, si sit ante Adventum; si vero sit in Adven- „ tu, non erit duplex.) Laudes eodem, quo Vesperæ ritu celebrabantur cum propriis ad singulos psalmos antiphonis. In monasterio S. Germani a Pratis, *viginti quatuor lampades a principio matutinarum usque in finem* accendebantur; matutinas autem hic intellige nocturnas vigilias cum Laudibus: præterea *tres lampades de gradu omnibus horis diei, excepto Completorio*.

V. „ (Missæ matutinalis de S. Andrea, omnia ut ad „ magnam Missam, præter Credo, & præfationem, *in-* „ *quiunt Dionys. cons.*) Major solemnitas cum quatuor præcedentibus, & duobus Cantoribus ex eisdem; sed in Adventu *sine Gloria in excelsis*. R. in Parisiensi S. Germani monasterio cantabatur a *tribus antiquis Monachis*, cappis rubeis indutis; similiter, & *alleluja*. Hanc ad Missam omnes eliquibus in monasteriis erant *in cappis*, in quibusdam *in albis* tantum; sed hoc in Tullensi S. Apri ante Adventum, in Adventu vero minime.

VI. Festum S. Andreæ Apostoli, apud antiquos cum octave celebrabatur, ut patet ex vetustissimo Corbejensi Calendario, ex libro Miraculorum S. Baboleni Abbatis Fossatensis c. 5. sæc. 2. Bened., & consuetudinariis nostris; sed qui-

quibusdam in locis cum tribus Lectionibus diebus infra dictam octavam, ut apud Compendienses, & Grandimontenses; in aliis cum sola dictis diebus commemoratione ad Vesp. Laud. & Missam, ut apud Dionys., & Tullenses; in aliis denique sine Lectionibus, & absque ulla commemoratione diebus infra octavam; sed cum tribus dumtaxat, vel XII. Lectionibus in ipsa die octava, & ita apud Parisienses S. Germani, Corbejenses S. Petri, & Beccenses B. Mariæ.

VII. Calendis Decembris in vetustissimo Corbejensi Calendario signatur *Natale Sancti Eligii Episcopi*, similiter in Calend. Lyrensi, in Rituali Corbejensi, & Dionysianis consuetudinibus cum XII. Lect. hoc est VIII. de ejus vita, & IV. de homilia. In consuetudinibus S. Germani festum S. Eligii Episcopi, & SS. Martyrum Crisanti, Mauri, & Dariæ cum XII. Lectionibus; hoc est VIII. de S. Eligio, & quatuor de Sanctis Martyribus; e contra in Calendario Beccensi VIII. Lectiones de SS. Crysanto, & Daria præscribuntur, & quatuor de S. Eligio; sed in Ordinario Tullensi tres tantum de SS. Martyribus Crisanto, Mauro, & Daria Lectiones cum comm. S. Agerici leguntur. Compendienses hac die festum SS. Reliquiarum celebrabant, & sequenti die festum S. Eligii cum XII. Lectionibus; octo scilicet de S. Eligio, & quatuor de octava S. Andreæ.

VIII. Pridie Nonas Decembris celebramus S. P. Benedicti festum *Illationis*, aliis *Tumulationis*, aliis *Translationis*. Quæ quamquam olim *in diebus Dominici Adventus per omnes Gallias cum reverentia* excoleretur, quemadmodum author est Tortarius monachus in l. Mir. S. B. c. 33. sæc. 4. p. 2. pateatque ex Diederico in præfatione ad Historiam Illationis B. P. Benedicti; nullam tamen ejus reperimus mentionem in vetustissimo Corbejensi Calendario, neque in recentiori; sed neque in Beccensi, Lyrensi, Casalis-Benedicti, neque in Ordinario Tullensi. In vetustis tamen Martyrologiis quam multis inscriptum legitur hoc festum, sicut & in alio Corbejensi Calendario annorum circiter 800., quod libro Pastorali S. Gregorii Papæ præmittitur in hæc verba: *pridie Nonas Decembris Depositio Benedicti Abbatis*. Quod notavit Mabillonius noster in observ. præviis ad histor. Illat. S. Benedicti. Reperitur etiam in S. Dionysii, S. Germani a Pratis, & S. Cornelii Compendiensis consuetudinibus cum officio duodecim Lectionum; in cons. quidem S. Germani proprio, exceptis hymnis de communi; in Dionysianis vero, & Compendiensibus partim proprio, partim de communi: propria sunt enim in Dionysianis ℟. ad Vesperas, antiphona ad *Magnificat*, & collecta; 8. Lectiones in primo, secundoque noct.; quartum, octavum, duodecimumque ℟.; omnes Laudum, & horarum antiphonæ, & ℟.: Reliqua de communi. In Compendiensibus ad primas Vesp. ℟., antiphona, collect. in nocturn. VIII. Lect. 4., & 8. ℟., reliqua de S. Andrea, aut de communi Confessorum esse videntur.

IX. Hac die in recentiori Corbejæ Calendario notatur festum S. Barbaræ Virg., & Martyris cum XII. Lect., in Ordinario Tullensi cum sola commemoratione.

X. Nonis Decembris in vetustissimo Corbejensi Calendario signatur *Natale Sanctæ Crispinæ Martyris*.

XI. Octavo Idus Decembris festum S. Nicolai eodem modo ac ritu, quo festum S. Andreæ, celebrandum præscribitur in S. Dionysii, S. Cornelii, & S. Germani consuetudinibus, & in Ord. Tullensi. Illud solum signantius exprimunt, quod Dionysianæ consuet. quartum ℟. a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque cantandum decernunt; & Compendienses, atque Tullense Ord., quod utramque matutinalem, & majorem Missam de Sancto dici volunt: quod etiam, sed sub conditione, ita præscribunt Dionysianæ consuetudines; „ (Missa matutinalis de S. „ Nicolao: omnia ut ad magnam Missam, si autem tem„ pus exquisierit propter Evangelia, quæ fient de Adven„ tu, fiat Missa de Advento.) Præterea tam apud Dionysienos, quam apud Compendienses, & Tullenses duodecimum in nocturnis vigiliis ℟. sequebatur prosa, ex Dionys. consuet. a duobus cantanda, quæ ex Tullensi Ordin. incipiebat: *Sospitati*.

XII. Officium in Dionysianis, Compendiensibusque consuet. totum proprium, partim commune. XII. Lectiones ex vita Sancti legebant nostri Sandionysiani. Idem festum in Calendario Lyrensi inscribitur *in cappis*. Cum autem Sabbato contingebant, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, ex Rituali Corbejensi, & ex Ordinario Tullensi, in secundis Vesperis fiebat a capitulo de Dominica, cum commemoratione S. Nicolai. Si vero Dominica, in sequentem feriam rejiciebatur; & tunc octava S. Andreæ ex Rituali Corbejensi, Compendiensibusque consuetudinibus, Sabbato præcedenti celebratur; ex Dionysianis autem in sequentem feriam III. transferebatur. Ex Rituali Beccensi solam habebat ad Vesperas, & Laudes memoriam cum Missa matutinali. Ita etiam ex cons. S. Germani. Apud Cassinenses vero Sabbatum S. Nicolao consecratum erat, secunda S. Ambrosio.

XIII. VII. Idus Decembris in vetustissimo Corbejensi Ordinario signatur *octava Sancti Andreæ*, quæ ex Rituali Beccensi cum tribus tantum Lectionibus *de prophetis*, celebrabatur; ex Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus cum XII. Lectionibus. Hac die Parisienses Sancti Germani, & Tullenses S. Apri officium de S. Ambrosio celebrabant, cujus in primis Vesperis commemorationem tantum faciebant, postea de S. Andrea. Ad nocturnas vero vigilias duos primos nocturnos, cum horis diurnis, & majori Missa S. Ambrosio; tertium vero nocturnum cum Laudibus, & Missa matutinali prædicto Apostolo consecrabant. In Fossatensi S. Mauri monasterio octo Lectiones S. Babolено, & quatuor S. Andreæ olim attributas legimus in lib. mir. S. Baboleni sæc. 2. Bened.

XIV. Cum vero hæc S. Andreæ octave in Dominicam incideret, ex consuetudin. S. Germani a Pratis solam habebat comm.; ex Dionysianis in sequentem feriam secundam transferebatur.

XV. VI. Idus Decembris intemeratæ Virginis Mariæ Conceptionem recolimus, cujus festivitatis institutio apud Hispanos est antiquissima, utpote quæ S. Ildephonsum Toletanum Episcopum agnoscit authorem, sicuti legimus in ejus vita: „ (Festum Conceptionis S. Mariæ, quo scilicet „ ipsa concepta est, celebrari constituit; & ejus consti„ tutione per totam Hispaniam solemniter colitur V. Idus „ Decembris.) Hujus solemnitatis quam fuerint observatores Hispani, patet ex l. 12. legis Visigothorum tit. 6. ubi Ervigius Rex lege lata præcipit, ut a Judæis observentur festa Christianorum, in his „ (festum Sanctæ Vir„ ginis Mariæ, quo gloriose Conceptio ejusdem Genitri„ cis Domini celebratur.)

XVI. Sed apud exteras nationes tardius audiri cœpit festum Conceptionis Virginis Mariæ. Illud in Anglia circa finem Sæculi Christi XI. S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, invexisse dicitur in Concilio London. anno 1328. apud Spelmannum. Illudque non multo post celebrari fecit *in cappis* Gaufridus Abbas S. Albani in Anglia, qui obiit anno 1146. ut refert Matth. Parisius in vit. 23. Abbatum S. Albani. Sæculo XII. Lugdunensis Ecclesia idem festum celebrare incœpit, quod improbavit S. Bernardus scripta ad Canonicos Lugdunenses epistola 174.; sed Bernardum ipsum improbavere non pauci, feruntque aliquam gloriæ illius maculam hoc factum inussisse. Rem narrat ex visione Conversi cujusdam Cisterciensis Nicolaus monachus S. Albani in epistola ad Petrum Cellensem, quæ extat inter ejusdem Petri epistolas l. 9. epist. 9. hæc in verba: „ (In Claravallensi collegio quidam Conversus bene reli„ giosus in visu noctis vidit Abbatem Bernardum niveis „ indutum vestibus, quasi ad mamillam pectoris furvam „ habere maculam; quem ex admiratione tristior alloqu„ ens, quid est, inquit, Pater, quod nigram in te macu„ lam video? Et ille, quia de Dominæ nostræ Conce„ ptione scripsi non scribenda, signum purgationis meæ „ maculam in corpore meo porto.) Lugdunenses Canonicos æmulatæ sunt statim universæ pene Galliarum Ecclesiæ, ut discimus ex Attonis Priori monasterii S. Petri de Regula statuto, quod hic referimus: „ (Anno Incar„ nationis Dominicæ 1154. ego Atto Prior monasterii S. „ Petri de Regula, præsente Domino Vasatensi Episco„ po Guillelmo Arnaldi, collaudante totius nostri capi„ tuli benigna unanimitate, statuimus, ut festum de B. „ Dei genitricis Mariæ Conceptione, quod jam fere per „ totam Galliam devotissime ab omni Christiano percele„ bratur populo, hoc & a fratribus nostris, & tota plebe „ venerabiliter deinceps solemnisetur; ita ut bini, & bi„ ni ℟. ad Matutinos cantent, & in crastino ad majoris „ Missæ celebrationem fratres omnes cappas induant, nisi „ forte tempus sit pluviosum.) In Ordinario etiam monasterii B. Mariæ de S. Petro supra Divam præscribitur, ut *Conceptio S. Dei genitricis Mariæ annualiter celebretur*, hoc est omnium solemnissime; sed hoc non ita generatim apud universos monachos, qui paullo serius Conceptionis officium recepisse videntur, ut pote cujus nullam mentionem faciunt Tullense S. Apri Ordinarium, nullam Rituale Beccensis monasterii, nullam Dionysianæ consuetudines, nullam Corbejenses, & istæ satis recentes. In monasterio S. Theoderici prope Remos primum celebratum est anno 1296., idque ad petitionem Henrici monachi ejusdem asceterii, & Prioris de Athis, ut discimus ex conventione facta inter Johannem de Fago Abbatem, & ejus monachos, in qua hæc leguntur, Histor. MS. S. Theod.

Theod. „ (Statuimus, & etiam inter nos unanimiter ordinamus, ut festivitas Conceptionis prædictæ gloriosæ Virginis Mariæ fiat, ex nunc singulis annis in nostro monasterio, & in perpetuum celebretur, prout consuetum est festivitatem Nativitatis ipsius Dei genitricis in dicto Monasterio celebrari. (In Compendiensi etiam S. Cornelii monasterio cum officio Nativitatis ejus celebrabatur „ (excepto quod Prosa non dicitur ad XII. ℟., *inquiunt consuetudines, ejusdem Monasterii* .) Similiter & in Parisiensi S. Germani, ubi Conceptionis Deiparæ solemnitatem plurimum auxit Guillelmus Episcopi sub finem sæc. XIV. Abbas illius monasterii. Qua vero de caussa ad id motus fuerit, ita exprimunt ab eo editæ consuetudines MS. „ (Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis „ antiquitus erat festum duplex; sed quia tempore Domini Guillelmi Abbatis hujus loci fuit magna controversia inter venerabilem Universitatem Parisiensem, & fratres Prædicatores, seu Jacobitas, qui graviter circa dictam Conceptionem B. Virginis errabant, & gloriosam Virginem in sibi devotis increpabant, seu impugnabant; quapropter multi ipsorum fratrum male tractati errores suos publice revocaverunt, & in carceribus positi post multas derisiones quas propter hoc passi sunt a prædicta Universitate, privati fuerunt; & ideo prædictus Abbas Guillelmus tertius sub hoc nomine motus devotione, ad laudem, & gloriam Benedictæ Virginis, statuit, & ordinavit istud festum celebrari in paribus cappis, & per omnia fieri, ut in talibus festis est fieri consuetum.) In Corbejensi etiam monasterio, ex quo semel in eo admissa est, isthæc festivitas solemniter celebrabatur, unde & in recentiori Calendario inscribitur *Principalis*, & in Rituali hæc habentur: „ (Si festum Sanctæ Conceptionis Virginis gloriosæ in secunda Dominica Adventus evenerit, faciemus de dicto festo, & tunc in die Sabbati super psalmos dicetur antiphona: *Ibo mihi*; & totum residuum Vesperarum, sicut in ipsius Nativitate. Matutini erunt principales cum tribus Lectionibus, sicut continetur in antiphonariis, & breviariis nostris,] quod certe fieri non solebat, nisi in diebus solemnibus.

XVII. Hac die Tullenses nostri de S. Romarico comm. faciebant. In vetustissimo autem Corbejensi Calendario *Natale Sancti Sabini* inscribitur.

XVIII. IX. Idus Decembris in vetusto Corbejensi calendario signatur *Natale Sanctæ Eulaliæ*, cujus officium cum tribus Lectionibus faciebant nostri Dionysiani.

XIX. III. Idus Decembris *Natale Sancti Damasi*, cujus solam comm. præscribunt Tullense Ordinarium, Beccense Rituale, & Calendarium Lyræ; officium trium Lectionum conf. Dionysianæ. Hac die Parisienses S. Germani festum SS. Martyrum Fusciani, Victorici, & Gentiani cum XII. Lectionibus celebrabant, Corbejenses solemniter cum octava, & comm. S. Damasi. Quapropter „ (si festum B. Fusciani, Victorici, & Gentiani, *inquiunt in Rituali*, in tertia Dominica Adventus Domini advenerit, non removebitur; & in vigilia eorum ad magnam Missam Subdiaconus, & Diaconus erunt induti de tunica, & dalmatica rubeis; & si vigilia eorum in feria v. evenerit, ad Vesperos super psalmos non dicuntur, nisi tres primæ antiphonæ. In die .... ad magnam Missam dicitur *Gloria in excelsis* ..... Missa matutinalis erit de Dominica, nec dicetur in illa *Gloria in excelsis*; si in alia die, quam in dicta Dominica dictum festum evenerit, tunc Missa matutinalis erit de prædictis Martyribus .... Item in casu, quo dictum festum erit in prædicta tertia Dominica, tunc die Lunæ post quartam Dominicam faciemus de octavis, & in dicta Dominica ad Vesperos capitulum erit de Martyribus; & si dictæ octavæ eveniant in die Mercurii quatuor temporum tunc faciemus de dictis octavis in die Martis præcedente; & si prædictæ octavæ eveniant in die Veneris, vel Sabbati quatuor temporum, nos faciemus de dictis octavis in die Jovis præcedente.)

XX. Pridie Idus Dec. in Corb. Cal. *Natale Sancti Vualerici*. De Sancto Wallerico tres Lectiones præscribunt Dionys. conf. Idibus *Natale Sanctæ Luciæ Virginis*, cujus officium cum XII. Lect. præscribitur in S. Dionysio, S. Germani, S. Cornelii conf., in Ordinario Tullensi, in Calendario Lyrensi, Beccensi, & Corbejensi recentiori; apud Dionysianos, & Comp. in primis Vesperis ℟., antiphona ad *Magnificat*; in noct. quartum, octavum, & duodecimum ℟., cum antiphonis ad Laudes, & Horas, & secundas Vesperas, erant propria; apud Parisienses S. Germani etiam antiphonæ, & alia responsoria nocturnorum propria. Eveniens in Dominica festum S. Luciæ transferebatur in sequentem feriam II. Ita ex Compendiensibus consuet.

XXI. XIX. Cal. Januarii in Corb. Cal. *Natale S. Victoris*; in recentiori *S. Nicasii*, & sociorum Martyrum cum XII. Lect.; in Beccensi *S. Judoci* Confessoris cum XII. Lect. in Parisiensibus S. Germani consuet. *Sancti Maximini* cum XII. Lect.; in Comp. cum sola commemoratione.

XXII. XVIII. Cal. Jan. in vetusto Corb. Cal. *Natale Sancti Maximini Episcopi*.

XXIII. XVII. Cal. Jan. ibid. *Natale S. Valentini*.

XXIV. XIV. Cal. Jan. ibid. *Natale S. Gregorii Martyris*.

XXV. XIII. Cal. Jan. ibid. *Natale S. Anastasii Martyr.*; in Lyrensi, & Beccensi, vigilia S. Thomæ, de qua Rituale Beccense „ (vigilia S. Thomæ habebit majorem „ Missam, nisi in Dominica evenerit, vel in una trium dierum Quatuor temporum.)

XXVI. XII. Cal. Januarii signatur in vetustissimo Corbejensi Calendario *in India Translatio S. Thomæ Apostoli* qua die ejus festivitas ab Ecclesia colitur, & officium in nostris ordinariis, & consuetudinariis notatur; & quidem *in albis* in Calendario Lyrensi, atque Corb. *In albis de tribus cereis*, in consuetud. S. Germani, *in cappis* vero in Dionys.: „ (Ad magnam Missam, *inquiunt*, fit conventus in cappis nisi misericordia in capitulo facta fuerit, & tunc tamen induent se sex monachi, qui chorum tenebunt, & cantabunt ℟., & *alleluja*. ℟. autem, seu graduale a duobus in cappis, *alleluja* a tribus item in cappis; sed in monasterio S. Germani „ (℟. duo juvenes, *alleluja* cantabunt tres Sacerdotes in cappis.) Ad reliquum vero officium quod spectat, pene totum erat ex communi. Invitatorium *a duobus in albis*, ex conf. S. Germ.; a duobus item *in cappis* ex Dionysianis. In Laud. pro commemoratione Adventus antiphona: *Nolite timere*, quæ ex Tullensi S. Apri Ordinario ter cum *Benedictus* cantanda erat, hoc est semel antequam ipsum canticum inciperetur; iterum ante ℣. *Illuminare*, & tertio post *Gloria Patri*. Cum vero contingebat festum S. Thomæ in crastinum transferri, Dominica nihilominus ad Laudes dicebatur prædicta antiphona: *Nolite timere*; cum autem in Sabbatum Quatuor temporum incidisset, eo die habebat officium; sed major Missa de jejunio, matutinalis de Sancto canebatur: ita ex Dionysianis, Compendiensibusque conf., & Rituali Corbejensi. Hæc sunt præcipua, quæ ad festa per Adventum potissimum pertinent.

CAPUT III.

De festis ab octava Epiphaniæ, mensibus Januario, & Februario contingentibus.

I. DE festis a vigilia Natalis Domini ad octavam usque Dominicæ Apparitionis egimus superiori libro; restat igitur, ut quæ a prædicta octava incidunt, pauca hic breviter perstringamus.

II. Itaque XIX. Calendas Februarii occurrit in vetusto Corbejensi Calendario Natale *S. Felicis Martyris*. In Dionysianis, Compendiensibusque conf. *S. Felicis Confessoris*, cum tribus Lectionibus in Dionys., non sola comm. in Compendiensibus: Nam XII. hac die Lect. de SS. Conf. Hilario, & Remigio faciebant. Parisiense S. Germani hac die etiam SS. Confessores Hilarium, Remigium, & Viventium cum octo Lectionibus, & Sanctum Felicem Martyrem cum tertio nocturno, & Laudibus colebant.

III. XVIII. Calendas Februarii festum S. Mauri Abbatis discipuli S. P. Benedicti, ubique, excepto in veteri Corbejensi Calendario, signatum reperimus cum officio XII. Lectionum, ad cujus Missam ex Ordinario Cassinensi & Sancti Petri supra Divam omnes erant *in albis*, in ea legebatur Evang.: *Nemo accendit lucernam*, ex Dionysianis conf. In secundis Vesperis fiebat comm. S. Marcelli Papæ, & quidem cum antiphona, *Magnificat*, & oratione, ex Ord. Cassinensi.

IV. XVII. Calendas Feb. in veteri Corbejensi Calendario habetur *Natale S. Marcelli Papæ, & S. Fursei Episcopi*, unde etiam in recentiori assignantur *Marcelli Papæ & Martyris* VIII. *Lect. Fursei Abbati quatuor Lect.* Idem videre est in antiquo ordin. In consuetudinibus etiam S. Germani signatur festum S. Marcelli Papæ, & Martyris cum XII. Lect.; In Dionysianis, Comp., Ord. Tullensi, & S. Petri supra Divam, & in Rituali Beccensis monasterii cum XII. Lectionibus, quæ erant ex epistolis Apostoli.

V. XVI. Calendas Februarii in vetusto Corbejensi Calendario recolitur *Depositio Antonii monachi*, cujus festivitatem magna cum animi exultatione celebrabant Orientales monachi; hinc S. Euthimius Abbas, teste Cyrillo in ejus vit. n. 106. apud Boll. XX. Jan. „ (cum advenisset dies „ festus Divini Antonii præcepit (Discipulis suis), ut vigi-

„ vigilent in templo per totam noctem,) quas illa vigilias cum eis peregit, morti licet proximus. Sed apud Nostros non adeo fervens extitit erga sanctissimum Abbatem studium, cujus nullam mentionem faciunt Dionys. consuetud., Calendarium Beccense, Lyrense, & recens Corbejense: ejus commemorationem dumtaxat præscribunt Ordinarium S. Petri supra Divam, & Tullense S. Apri, in quibus tres de S. Sulpitio Lectiones cum comm. S. Antonii legimus.

VI. In Compendiensis S. Cornelii monasterii consuetudinibus assignantur hac die VIII. *Lectiones de S. Antonio*, IV. *extremæ de S. Sulpitio*. Parisienses S. Germani sequenti die octo Lect. de Sancto Antonio, quatuor cum Laudibus de S. Prisca faciebant; hodie vero XII. Lectiones de S. Sulpitio legebant, cujus festum in Calendario Lyrensi inscribitur *in albis*; in Dionysianis consuet., recenti Calendario Corbejensi, Ord. S. Petri supra Divam, & Tullensi cum tribus tantum Lectionibus.

VII. XV. Cal. Februarii *Natale S. Priscæ*, cujus officium cum tribus tantum Lect. ubique lego.

VIII. XIV. Cal. Febr. *Natale Mariæ, & Marthæ*, inquit vetus Corbejense Cal.; in recentiori vero ita legitur, *Marii, Marthæ, Audifax, & Abacuc Martyrum* cum tribus Lect.; sed in Dionysianis, Compendiensibusque consuet., atque in Ordinario S. Petri supra Divam, hac die inscribitur *festum S. Launomari Abbatis* cum officio trium Lectionum; in consuet. S. Germani cum XII.

IX. XIII. Cal. Febr. *Natale SS. Martyrum Fabiani, & Sebastiani*, quorum officium ubique cum XII. Lectionibus; & quidem in Dionysiani, & S. Germani consuetudinibus, & in Ordinario Tullensi *proprium* reperi: apud Dionysianos Invitatorium in nocturnis vigiliis *a duobus in cappis* cantabatur; IV. ℟. a duobus, VIII. a tribus, XII. a quatuor. Cassinenses XII. Lectionum faciebant de SS. Martyribus *Mario, & Martha*, de quibus etiam post Laudes memoriam agebant cum antiphona, *Benedictus*, & collecta: Tullenses vero principale festum de S. Sebastiano faciebant, de S. Fabiano autem solam commemorationem. Festum SS. Fabiani, & Sebastiani in recentiori Corbejensi Calendario inscribitur *in cappis*; in consuet. etiam S. Dionysii ad marginem recenti manu scriptum legimus: *ad Missam sint omnes in cappis*, ℟. & *alleluja* a tribus *in cappis*. Ex Ordinario etiam S. Petri supra Divam Missa *festaliter* cantabatur, Compendienses duas orationes, unam de S. Fabiano, alteram de S. Sebastiano; sed sub eadem conclusione cantabant.

X. XII. Calendas Februarii festum *S. Agnetis Virginis* cum proprio officio XII. Lect. ubique notatur; ejus comm. ad primas Vesperas cum antiphona: *Stans Beata*, & *Magnificat*, & *Oratione* faciebant Cassinenses, ex antiquo eorum Ordinario. In antiquis consuetudinibus Fontanellen. monast. sic inscribitur festum *in albis*.

XI. XI. Calendas Februarii in veteri Corbejensi Ordinario signatur *Natale Sancti Vincentii Martyris*, quem singulari passim devotione Benedictinus Ordo semper coluit, unde in omnibus nostris ordinariis, & consuetudinariis assignatum ipsi legimus proprium officium cum XII. Lectionibus, & cum Missa *in albis*: Ita in Calendario Corbejensi, Lyrensi, Beccensi, consuet. Compendiensibus, Ord. S. Petri supra Divam, atque Tullensi; sed in hoc sub hac conditione, ut si contingat ante LXX. Missa celebratur in albis, si postea minime. Apud Dionysianos vero solemnius: Hic nimirum ad primas Vesperas ℟. a quatuor cantabatur *in cappis*: Duo ad *Magnificat*, & ad *Benedictus* deferebantur thuribula. Invitatorium *a quatuor in cappis*: Singula nocturnorum ℟. a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque cantabatur. De Missa vero hæc habent eorum antiquæ consuet. „ (Missa matutinalis ad majus altare fit, ..., magna Missa
„ ad oratorium sanctæ Trinitatis; quatuor procedentes
„ sint, & sint omnes in cappis. Duo Cantores in choro
„ assistant.) Sed omnium solemnissime Parisienses S. Germani, ex quorum antiquis consuetudinibus, in vigilia *omnes intranei, & extranei* ingresse capitulo debebant; Missa matutinalis de Sancta Agnete; major de vigilia S. Vincentii cantabatur. Officium autem diei ita describunt:
„ (Abbas cantabit Vesperas, septem cerei accendentur
„ ante Corpora SS., & sex ad Angelos, & candelabrum
„ accendetur, lampades choreæ debent accendi, usque
„ ad crastinum incessanter. Ad Vesperas antiphona: *Di-*
„ *xit Sanctus Vincentius*, ... ℟. *Valerius igitur*, quod
„ quatuor monachi cantabunt in cappis rubeis .... Post
„ hymnum Prior, & Subprior induent se cappis rubeis
„ cum duobus juvenibus indutis albis; Post ℣. ibunt in
„ chorum, & deferent incensum Abbati ad benedicen-
„ dum. Post benedictionem Abbas, & Prior incensabunt
„ majus altare, & sacrarium: Deinde Abbas revertetur
„ in chorum: Prior vero, & Subprior incensabunt altaria
„ choreæ, & altare Crucis; postea intrabunt chorum, &
„ incensabunt Abbatem: Tunc duo juvenes prædicti ac-
„ cipient thuribula de manibus eorum, & incensabunt eos
„ primo, postea regentes chorum, & conventum, post
„ Vesperas fiet memoria de S. Agnete ..... Ad Matu-
„ tinas pulsabuntur omnes campanæ omnium turrium: In-
„ vitatorium quatuor monachi cantabunt in cappis rubeis;
„ ... omnia rota, & duodecim lampades lampadarii de-
„ bent accendi, in circuitu chori accendentur sexaginta
„ quatuor cerei, & tres ad pronos, qui debent ardere
„ per totas Matutinas: ad cantica accendentur septem ce-
„ rei ante corpora SS., & sex ad Angelos, & septem
„ cerei candelabri. Duo monachi induant se cappis rube-
„ is in I. nocturno, 2., & 3., & acceptis thuribulis in-
„ censabunt Abbatem, & Priorem, & postea conven-
„ tum. Ad *Te Deum*, Abbas induat se, & cantabit
„ Evangelium: *Nisi granum frumenti*, post Evangelium
„ dicetur oratio ab eodem: *Omnipotens sempiterne Deus*;
„ postea revertatur in chorum indutus cappa rubea, &
„ cantabit Laudes. Ad hymnum Prior, & Subprior in-
„ duent se cappis, & facient, sicut factum fuit ad Ves-
„ peras. Ad primam omnia signa pulsabuntur in majori
„ turri. Antiphona *Assumtus* ... Tres cerei accendentur
„ ad pronos, ad Primam, Tertiam, Sextam, & No-
„ nam .... Post Tertiam fiet processio solemnis valde,
„ & sermo in choro. Ad majorem Missam accendentur
„ ad pronos sexdecim cerei, septem cerei candelabri ac-
„ cendentur, & sex cerei Angelorum, & septem cerei
„ ante corpora SS.; Cantor reget chorum, conventus e-
„ rit in cappis ... (in refectorio) debent poni super
„ mensas duplices mappæ, cum duabus pitantiis, & cari-
„ tate boni vini; quilibet monachus habebit scopum cla-
„ rati.)

XII. Cassinenses ad S. Vincentium adjiciebant S. Anastasium; hinc in Ord. „ (Post Vesperas de S. Agnete,
„ post orationem dicatur antiphona S. Vincentii, *Magnificat*,
„ & oratio, adjuncta oratione S. Anastasii. (Et in die
„ ad nocturnos) in prima, & secunda vigilia legatur pas-
„ sio S. Vincentii, in tertia S. Anastasii.)

XIII. X. Cal. Februarii Natale S. Emerentianæ notatur cum tribus Lectionibus, in consuet. S. Dionysii, & S. Cornelii, in Ord. S. Petri supra Divam, in Calendario Beccensi, Lyrensi, & recentiori Corbejensi. Sed Parisienses S. Germani de octava S. Vincentii officium faciebant cum tribus Lectionibus de Scriptura currente, hoc est de Epistolis Apostoli, aut de Genesi: Dominica vero infra octavam psalmos Dominicales sub una de Sancto Vincentio in singolis nocturnis antiphona cantabant; octo Lectiones de Scriptura currente, quatuor de homilia in Evangelium: *Si quis vult post me venire*. Invitatorium autem, hymnus, antiphonæ, responsoria erant de S. Martyre.

XIV. IX. Cal. Februarii officium de S. Timotheo Episcopo & Martyre assignat antiquum Corbejense Ordinarium; idemque in recentiori Calendario notatur cum XII. Lect. sed Dionysianæ, Compendiense que consuetudines festum S. Babylæ, & sociorum cum tribus Lectionibus de Scriptura currente signant.

XV. VIII. Cal. Februarii *Conversio S. Pauli* cum proprio XII. Lectionum officio ubique signatur; eamque eodem modo celebrari volunt consuet. S. Germani, atque S. Andreæ festum. Invitatorium ex Dionysianis consuet. a duobus *in cappis* cantabatur. Lectiones in nocturnis vigiliis in Ordinario Cassin. assignantur „ (quatuor de Actibus Aposto-
„ lorum, quatuor de sermone S. Augustini, nona de tra-
„ ctatu S. Hieronymi: *Theophilus*, reliquæ tres Lectiones
„ de sermone S. Augustini.) In Ordinario Corbejensi:
„ (Primæ quatuor Lectiones de Actibus Apostolorum:
„ *Saulus adhuc spirans*; quatuor vero, quæ sequuntur de
„ moralibus, incipientes ubi dicitur: *Rinoceros iste, Beato*
„ *igitur Job typum Ecclesiæ tenenti dicitur; numquid volet Ri-*
„ *noceros servire tibi*; terminantur autem ubi dicitur, *nunc*
„ *autem & flens dico, inimicos Crucis Christi*, ad hujus fi-
„ nem versus terminantur.) In eodem Ordinario, ubi & in Dionysianis consuetudinibus, & in Ord. S. Pet. supra Divam notatur comm. *S. Projecti* cum Missa matutinali. In consuetudinibus etiam S. Germani, S. Cornelii, Ordinario Tullensi, Cal. Beccensi, & Lyrensi assignatur ejusdem *S. Projecti* commemoratio; sed in vetustissimo Corbejensi Calendario sequenti die tantum legitur: *Natale S. Projecti Martyris*. Missa major in Ordinario S. Petri supra Divam, Calendario Beccensi, Lyrensi, & recentiori Corbejensi signatur *in albis*; in consuet. Dionysii *in cappis*, in qua ex Ord. S. Petri supra Divam non dicebatur *Credo*.

XVI. VII. Calendas Februarii festum S. Polycarpi

Epis-

II. Nonis Martii *Natale sanctæ Perpetuæ, & Felicitatis Martyr.* cum sola comm. notatur in Ordinario S. Petri supra Divam, & in Calendario Lyrensi, cum tribus Lectionibus, si extra XL. evenisset, in Dionysianis consuet. At non exprimitur in Ordinario antiquo Corbejensi, in Tullensi, in cons. S. Germani, & S. Cornelii, neque in recenti Corb. Calendario nec in Beccensi.

III. VI. Idus Martii Parisienses S. Germani ,, (festum ,, S. Droctovei Abbatis I celebrabant) simili modo, & ,, eadem forma, sicut festum Cathedræ S. Petri.)

IV. IV. Idus Martii festum S. Gregorii Papæ in Ordinario S. Petri supra Divam, consuet. S. Germani a Pratis, & recenti Corbejensi Calendario inscribitur *in albis*. In ordinario etiam Corbejensi, in Tullensi, in Cal. Becc. in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus cum XII. Lectionibus, propriis antiphonis, & nonnullis Responsoriis. Ad hoc festum referendum est, quod legitur in MS. Germanæ consuetudinibus n. 21. ,, (In Quadragesima si advenerit Cathedra S. Petri, Missa S. Gregorii, ,, S. Benedicti, Adnunciationis S. Mariæ, super scamna ,, non jaceant, solummodo XXX. psalmi remaneant ante ,, nocturnos, & illi, qui post horas canuntur. Ceteri ,, vero canantur, id est illi, qui prostrati dicuntur, & post ,, Matutinum de omnibus SS. Sequantur Matutini mortuorum, *Deus auribus nostris*. Hora Prima sicut in die ,, Dominica sonetur; quæ finita, sequantur juxta consuetudinem duo psalmi prostrati, deinde septem cum letania, Missa mortuorum, vel pacis; post capitulum pulsetur signum ad revestiendum: & sic canant Tertiam, ,, deinde Missam de Sancto *festive*; sonent tota signa, canant ,, quoque ad pacem, & communionem omnes, cetera secundum consuetudinem septimanariam fiant; idest ut ,, post IX. Missa de jejunio fiat, vigilia mortuorum non ,, dimittatur. Si in ipsa XL. die Dominica una harum solemnitatum supervenerit, Sabbato erit faciendum;) & in Dionysianis consuetudinibus: ,, (De S. Gregorio fiant ,, XII. Lect. In vigilia ante Missam non dicatur letania, ,, neuma dicetur, psalmi prostrati non dicantur, nec vigilia mortuorum. (Ad Vesperas,) ℟. *Iste est de primoribus*, a duobus in locis . . . . Sacerdos habeat cappam ad thuribulum deferendum. (In nocturnis quartum ,, ℟. a duobus, octavum a tribus, duodecimum a quatuor.) Post Tertiam celebretur Missa festive, ,, Hebdomadarius festivam habeat cappam, ministri altaris ,, festivis induantur vestimentis . . . . ℟. *Juravit Dominus*, ,, a duobus in cappis, & tractus similiter a quatuor &c.) S. Gregorii festum non exprimitur in veteri Corbejensi Calendario, saltem hac die.

V. Idibus Martii in vetustissimo Corbejensi Calendario signatur *Natale Sancti Jacobi Apostoli, & Lucæ Evangelistæ*; in Compendiensibus cons. *Susceptio Beatorum Martyrum Cornelii, & Cypriani*.

VI. XVI. Calendas Aprilis in Cal. veteri Corb. *Depositio sancti Patricii Episcopi*.

VII. XIV. Calendas Aprilis *Festum Translationis S. Mariæ Magdalenæ* eodem modo, quo Cathedra S. Petri, celebrabant Parisienses S. Germani.

VIII. XIII. Calendas Aprilis iidem S. Wlframni festum cum duodecim Lect. recolebant, cujus sola comm. in monasterio S. Petri supra Divam fiebat. Sed Cassinenses hac die vigiliam S. Benedicti celebrabant hoc modo: ,, (In ,, vigilia S. Benedicti antiphona ad Invitatorium *Regem* ,, *Confessorum*, hymnus, antiphona, & psalmi de feria, duæ ,, Lectiones legantur de sermone Petri Hostiensis Episcopi ,, ℟. *Puer Domini Benedict.* Tertia Lectio, & Responsorium, & cetera juxta morem fiant de feria . . . antiphona ad *Benedictus: Sanctissime*, & non incumbant ,, in prosperis usque ad antiphonam de Cruce. Antiphona ,, *Benedictus* & oratio de feria. Missa de feria canatur ad ,, Tertiam cum letania, additis orationibus defunctorum: ,, de vigilia ad Nonam.)

IX. XII. Calendas Aprilis Transitus S. Patris Benedicti, cujus apud antiquos solemnitatem impediebat ipsum Quadragesimale tempus cujus luctus festivitatum lætitiam ægre admittit; hinc in Beccensi Calendario non rubeis sed nigris caracteribus inscribitur cum XII. tantum Lect. In Ordinario Tullensi ejus officium eodem prorsus modo ordinatur, atque in festo Cathedræ S. Petri & similium. In Calendario recenti Corbejensi solum notatur *in albis*; quæ una olim erat ejus solemnitas in Parisiensi S. Germani monasterio; quam nec ipsam absolute observabant nostri Dionysiani quorum consuetudines antiquæ hæc ferunt: ,, (Post Tertiam celebretur Missa festive: & sint ,, omnes in albis, nisi per misericordiam relaxetur:) ,, ad primas Vesperas ℟. ad nocturnos, Invitatorium a duobus *in cappis* tantum. Quartum ℟. a duobus, octavum a tribus, duodecimum a quatuor decantabatur; quod certe illo in monasterio pro magna non reputabatur festivitate. Postea tamen sensim & sine sensu SS. Patris cultus apud dilectos filios augeri cœpit; unde in Ordinario S. Petri supra Divam ejus festum absolute inscribitur *in cappis*, & in consuetudinibus S. Germani hæc lego: ,, (Festum S. Benedicti Abbatis solebat celebrari antiquitus, ,, sicut festum Cathedræ S. Petri; sed nunc est festum in ,, parvis cappis.) Inter Statuta etiam Lyrensis monasterii ad augmentum solemnitatis hujus festi istud reperitur: ,, (Anno Domini MCCLXXVIII. statutum est in pleno ,, Capitulo per voluntatem Domini Roberti de Ganville ,, tunc Abbatis Lyræ, per consensum conventus ejusdem loci, quod festum S. Benedicti in XL. solemniter ,, celebretur in cappis: Ita videlicet, quod ad Majorem ,, Missam, quæ erit de eo, dicetur *Kyrie, Gloria, Sanctus, Agnus* cum versibus, & *Credo*, & sonabit classicum ,, post Missam. *Placebo*, & *Exultabunt* non dicentur, nec ,, VII. psalmi cum letania ad Primam; psalmi vero familiares, sicut in Dominicis XL. dicentur;) quibus anno 1304. hæc superaddidit cum conventus consensu Guillelmus Hedouard ejusdem monasterii tunc Abbas: scilicet ,, quod festum S. Benedicti in XL. solemniter celebretur ,, in cappis, & erunt tres ad *Venite*, & processio solemnis per claustrum . . . . . ad primas Vesperas antiphona super psalmos, sive sit Dominica, sive quælibet ,, feria: *Vir Domini Benedictus* tantum. Capitulum: *Justus cor suum* &c.) In consuetudinibus etiam Dionysianis codicis Colbertini longe solemnius officium ordinatur: Nempe ut in primis Vesperis ℟., & ad nocturnos Invitatorium *a quatuor in cappis* decantetur, VIII. Lectiones *de vita* ipsius, quatuor ultimæ *de ejus transitu* dicantur; omnia ℟. a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecim a quinque, concinantur: ,, (Ad Missam sint omnes in cappis, quatuor procedentes, duo Cantores in ,, choro assistant.) ℟. *Domine prævenisti* a quatuor. Denique in Compendiensibus S. Cornelii consuetudinibus altera manu hæc scripta leguntur: ,, (XII. Cal. Aprilis ,, principale festum B. Benedicti, ad Vesperas omnes sint ,, in albis, & tres Cantores in choro. Antiphona super ,, psalmos: *Sanctissime*, psalmi de feria, Capitulum: *Justus cor* ,, *suum*. ℟. *Pater insignis* a quatuor in cappis. . . Ad *Magnificat* antiphona: *Exultet omnium*, ter dicatur . . . Invitatorium: *Confessorum Regem* a quatuor in cappis. Ad ,, Missam sint omnes in albis.) Sed omnium solemnissime Cassinenses, qui, ut discimus ex eorum antiquo Ordinario etiam in Quadragesima de S. Benedicto octavas celebrabant: In die vero post Tertiam ,, (Omnes fratres, *inquiunt*, induti pluvialibus faciant solemnem processionem ,, & cantent antiphonas has: *Pater Sanctus: Non aspiciet* ,, ℟. *Coperunt*, antiphona ante ecclesiam, *Hodie Sanctus* ,, *Benedictus*, & celebretur Missa solemniter; qua finita, ,, canatur Sexta; & sic vadant ad se exuendum, & cum ,, visum fuerit, canatur Missa de feria deinde IX.)

X. De diebus autem infra octavam ita prosequuntur: ,, (Intra octavam antiphona ad Invitatorium, *Regem Confessorum*, hymnus, antiphonæ, psalmi, duæ Lectiones, ,, ℟. de feria dicantur; tertia de S. Benedicto.) Laudes de S. Benedicto; deinde antiphona, *Benedictus* & oratio de feria, Missa de feria, adjuncto introitu, & oratione S. Benedicti. Post Vesperas antiphona, *Magnificat*, & oratio de feria. ,, (Reliqua omnia de quotidianis fiant; & ,, ad Matutinas, & Vesperas non incumbant in prosperis, ,, nisi ab ipsa antiphona crucis.)

XI. ,, (Dominica infra octavam Lectio tantum octava ,, cum ℟. suo, & ad Matutinum antiphona, psalmi, & ,, oratio; & Missa ad Primam, & Vespera tota fiat de ,, illo, reliqua omnia de Dominica.) Similiter in festo Annunciat. ad utrasque Vesperas, & Laudes commemoratio S. Benedicti, & feriæ: Ad vigilias octava Lectio, cum ℟. suo, de S. Benedicto.

XII. ,, (In octava S. Benedicti omnia canantur, sicut ,, in die ejus. Lectiones septem de vita ipsius, octava, ,, & ℟. de feria, in tertia vigilia de homilia Pauli Diaconi.)

XIII. Quæret aliquis, quomodo celebraretur festum S. Benedicti, cum in Dominicam palmarum, aut infra Hebdomadam sanctam incidisset? Sane varias fuisse monasteriorum hac in re consuetudines certissimum est; nam Beccenses solam de eo commemorationem ad utrasque Vesperas Laudes, & Missam matutinalem die Dominica, & infra hebdomadam ad majorem faciebant. Tullenses a Dominica in sequentem feriam secundam transferebant officium, quod in primis Vesperis a capitulo incipiebant, cum comm. Dominicæ. De Lyrensibus hæc lego in supra citato statuto Roberti de Ganvilla Abbatis Lyrensis: ,, (Si Sabbato ante pal-

,, mas

„ mas evenerit, Vesperæ erunt de Dominica; si in ipsa „ Dominica evenerit, mutabitur in crastinum, ac si de o- „ cepa evenerit, fiet usque ad Cœnam Domini; si in „ Cœna Domini evenerit, feria IV. habebit commemoratio- „ nem tantum ad Vesperas.) In Statuto vero Guillelmi Hedouard additur: „ [nec amplius restaurabitur; si vero Sabbato ante palmas evenerit, Vesperæ erunt de festo, quia „ tres sunt ad *Venite*.) De sequentibus diebus hæc habet S. Petri supra Divam Ordinarium: „ (Si igitur hæc fe- „ stivitas in Cœna Domini, vel in Parasceve, aut in Sab- „ to Sancto Paschæ evenerit; octava die poterit celebra- „ ri, & tunc cum antiphonis, & ℟. *alleluja* adjungatur; „ si autem in die Paschæ evenerit, juxta consuetu- „ dinem capituli celebrabitur;] & Dionysianæ consuetudines ex Cod. Colbert. „ Si hoc festum die Cœnæ, vel die „ Parasceve, vel Sabbato Paschæ evenerit; infra octavam „ Paschæ restituatur, & sic fiat: Ad Vesp. super „ psalmos: *alleluja ecce nomen*, psalmi de Pascha, capitu- „ lum: *Justus cor suum*, ℟. *Hæc dies*, ℣. qualis fuit ad „ Missam, *alleluja: Vir Domini* a quatuor in cappis, „ hymnus *Victimæ*, ℣. *Os justi*, ad *Magnificat* anti- „ phona, & oratio, & *Benedicamus*, ut supra; post fiat „ commemoratio de Resurrectione, antiphona, & oratio, „ quæ ad diem pertinet. Ad Matut. Invitator. *alleluja* „ *Jubilemus Deo*, psal. *Venite* festive a quatuor in cap- „ pis, super psalmos antiphona; *alleluja tristitia*, psal. *Bea-* „ *tus vir*; psal. *Quare fremuerunt*; psal. *Cum invocarem*; „ tres Lect. de Evangelio: *Ecce nos reliquimus omnia*; „ ℟. *Eadem vero anno*, a duobus in cappis, qui remane- „ bant in choro ad peragendum officium; secundum ℟. „ *Sexta namque die*, a quatuor in frocis, tertium ℟. *Pre-* „ *tiosus Confessor*, a quinque, & repetatur *Te Deum* „ *laudamus*, post dicatur ℣. a Sacerdote: *Ora pro nobis* „ *Pater Benedicte*. Ad Laudes antiphona: *alleluja Ecce* „ *nomen tuum*, capitulum, ℣. ad *Benedictus* antiphona, „ & oratio ut supra. Ad horas non dicantur hymni; sed „ psalmi, ut in feria secunda post Pascha, & ℟. *Hæc* „ *dies*. Ad Primam duæ orationes; prima de Resurre- „ ctione, secunda de Sancto: *Præsta quæsumus omnipotens* „ *Deus, ut de doctrina*. Ad Tertiam duæ orationes; pri- „ ma: *Omnipotens sempiterne Deus, qui hodie*, secunda de „ Resurrectione. Ad Missam sint omnes in cappis; Offi- „ cium, Orat. Epist. Evang., & cetera omnia, ut supra „ notata sunt; excepto ℟. *Hæc dies*, & versu, quale „ evenerit, & *alleluja vir Domini*. Ad VI. duæ orationes; „ prima: *Omnipotens sempiterne Deus, qui radiantibus*, „ secunda de Pascha. Ad IX. duæ orationes; prima: „ *Adesto tuis famulis*, secunda de Pascha. Ad Vesperas „ super psalmos antiphona: *Alleluja*, psalmi: *Dixit Domi-* „ *nus*: *Beatus vir*: *Credidi propter*. Capitulum ut supra, „ ℟. *Hæc dies*, ℣. ut ad Missam, *alleluja: Os justi*, „ hymnus: *victimæ*, ℣. ad *Magnificat* antiphona, & oratio „ ut supra.) Aliter Guigonis Prioris Carthus. Statuta c. 4. „ (Si Annunciatio, vel festivitas S. Benedicti quartam „ hujus hebdomadæ transierint feriam, nullam postea de „ ipsis facimus mentionem.)

XIV. Ceterum in gratiam solemnitatis nonnihil de severitate jejunii quadragesimalis remittebant; hinc Petrus Damiani Opusc. 15. c. 6. „ (Pisces, & vinum, excellen- „ tium solemnitatum lætitia invitante,) his diebus indulget eo in opusculo, quod de institutis suæ congregationis conscripsit; idemque de Eremitis fontis Avellani recitat præcedenti opusculo; sed excedere videtur supra citatum Roberti de Ganvilla Abbatis Lyræ Statutum, in quo hæc adduntur: „ [In refectorio habebit conventus de coquina „ s. generale, & unam pittantiam, sicut festis in albis con- „ suevit habere, & quinque fercula dabuntur ad scillam; „ & Pittantiarius, qui pro tempore fuerit, secundam pittan- „ tiam ordinatam de bonis piscibus, de conventus pittan- „ tiis sine ullo cunctamine providebit.)

XV. VIII. Calendas Aprilis Annunciationem B. Mariæ recolimus, in cujus vigilia inquiunt Dionysianæ consuetudines, „ (sonet capitulum diutius solito, ut omnes „ occurrant ad initium Lectionis, & cum pronunciata „ fuerit Annunciatio a Lectore, accipiant omnes veniam „ super genua, & qui præsens non fuerit, clametur.) Similiter Compendienses: „ (Annunciato Dominica in ca- „ pitulo pronuncietur alta voce; omnes debent convenire, „ & flectere genua in terram, dum pronunciatur;) & Rituale Corbejensis Monasterii: „ (In vigilia Annuncia- „ tionis Dominicæ, Lector, qui legit Lectionem in dicta vi- „ gilia in capitulo, quando incipiet legere primum versum „ tunc omnes debemus surgere, & stabimus supra pedes „ nostros, donec versus de Annunciatione perlegerit; & „ tunc, finito versu, omnes debent in capitulo flectere „ genua ad terram, dicendo devote semel. *Ave Maria*; „ & tunc residuum Martyrologii, & totius capituli debet „ fieri, sicut in aliis diebus.)

XVI. Diversis autem modis adnunciabatur; nam v. g. in vetusto Corbejensi Calendario ita inscribitur: *Conceptio Christi, & Passio Domini*; in Calendario Lyrensi: *Annunciatio Christi*; in Beccensi: *Annunciatio Christi, & Crucifixio ejus*; in Ordinario Corbejensi, & Tullensi: *Annunciatio Dominica*; in Ord. S. Petri supra Divam: *Annunciatio Dominica initium Redemptionis humanæ*; in consuetudinibus S. Dionysii: *Annunciatio B. Mariæ*.

XVII. Ejus festum in antiquo Corbejensi Ordinario, in Tullensi, in Dionysianis consuet. eodem modo celebrandum præscribitur, atque festum Sancti Patris Benedicti; quamvis, ad Dionysianas consuetudines quod spectat, in Codice Colbertino illud singulare additur: ad Missam „ (sex Procedentes sint cum Diacono, & totidem Subdia- „ coni cum Subdiacono, tres Cantores in choro Assistentes... „ ℟. *Tollite portas*, a quatuor, ... ante Evange- „ lium dicatur ante Martyres antiphona: *O Virgo Virgi-* „ *num*.) In Calendario Lyrensi inscribitur, *in albis*; in recenti Corbejensi, *Sub principale*; in Ordinario S. Petri supra Divam, *Annuale*, idest solemnissimum. Consuetudines autem S. Germani hæc habent: „ (Festum Annun- „ ciationis Dominicæ secundum ordinationem antiquam „ celebrabatur, sicut festum duplex in parvis cappis; licet „ nunc secundum ordinationem modernam celebretur, si- „ cut festum annuale.) Hoc in Monasterio conventus totum officium tum diurnum, quam nocturnum in majori B. Mariæ cappella celebrabat; itaque secundis Vesperis erat in cappis; Capicerius vero, Sacristæ, & infirmi, *in nota submissa voce* prædictum officium cantabant in choro; sed & in omnibus aliis B. Mariæ solemnitatibus infirmi omnes, qui non erant in conventu, & quibus injunctum erat, Vesperas, Matutinas horas, in dicta cappella cum nota submissa voce cantabant.

XVII. Quando Annunciatio B. Mariæ infra hebdomadam Sanctam incidebat, eadem passim vigebant consuetudines, quas supra vidimus in festo S. P. Benedicti; & tunc quando post Pascha celebrabatur, longe solemniores ritus obtinebant: nam v. g. ex antiquo Corbejensi Ordinario, consuetudinibus S. Benigni, ex Udalrico, & ex Statutis Lanfranci, excepta processione, quæ non fiebat, similis erat per omnia quinque præcipuis solemnitatibus. In Dionysiano etiam Monasterio idem fere erat Ordo Divini Officii, qui in festo S. Benedicti, sed ritus augustiores. In I. Vesperis antiphona super tres psalmos; *alleluja dabit ei Dominus*, post ℟. *alleluja, Missus est*, a quatuor in cappis, antiphona ad *Magnificat* ter, duo Sacerdotes ad thuribula. In nocturnis Invit.: *Ave Maria*, a quatuor in *cappis*, I. ℟. a quatuor in *cappis*, ex quibus duo remanebant in choro; 2. ℟. a quinque in *cappis*, 3. ℟. a septem in *cappis*, qui remanebant in choro usque post *Te Deum*. Antiphona ad *Benedictus* bis, &c. Porro sive ante, sive post Pascha totum officium erat proprium, & quidem devotissimum.

XIX. Tertio Calendas Aprilis in Dionysianis consuet. signatur festum *S. Reguli Confessoris* eodem modo celebrandum, quo supra *S. Dilvini festum*.

XX. Calendis Aprilis in vetustissimo Corb. Calendario altera manu scribitur: *Natale Sancti Walarici Confessoris*.

XXI. IV. Nonas Aprilis in Cal. Lyr. *S. Mariæ Ægyptiacæ*.

XXII. Pridie Nonas Aprilis *Depositio S. Ambrosii Episcopi* signatur in vetustissimo Corbejæ Calendario, cujus festum hac die notatur cum XII. Lect., in Calendario Lyrensi, Beccensi, Corbejensi, Ordinario antiquo Corbejensi, & consuet. Compend., in Ordinario S. Petri supra Divam *in albis*, in consuet. S. Germani *in albis de tribus cereis*, in consuet. Dionysiania, sicut festum S. Matthiæ, in Ord. Tullensi cum sola commem.

XXIII. „ (Si festivitas ista in hebdomada pœnosa, vel „ hebdomada Paschali evenerit, nihil fiet de ea;) inquiunt consuet. S. Germani, sed Rituale Beccensis Monasterii: „ (Si infra octavas Paschæ evenerit, ad utrasque „ Vesperas, & ad Laudes, & ad Missam matutinalem, inquit, commem. habebit, si in ipsis octavis evenerit, „ commemoratio similiter fiet, & mutabitur in crastinum. „ Similiter fiet de quolibet festo XII. Lect. etiamsi „ fit in albis.] Rituale vero Corbejense: „ (Si festum „ S. Ambrosii Doctoris, vel S. Geraldi Abbatis a die „ Cœnæ Domini usque ad octavas Paschæ avenerit, nihil „ faciemus de festo usque ad crastinum, *Quasi modo*, nisi „ solum memoriam post Vesperos in die, *Quasi modo*; „ & tunc in die Lunæ ad Vesp. capitulum erit de S. „ Ambrosio, & post *Benedicamus*, faciemus memoriam „ de S. Geraldo.] Denique apud Dionysianos, cum natale S. Ambrosii infra octavas Paschæ evenisset, cum tribus Le-

Lectionibus tantum, eodem modo, quo supra vidimus in festo S. Benedicti, & Annuntiationis, celebrabatur.

XXIV. Nonis Aprilis in recenti Corbejensi Calendario *festum S. Gerardi Abbatis*, cum XII. Lect.

XXV. VI. Idus Aprilis *festum S. Dionysii Corinthiorum Episcopi* celebrabant nostri Dionysiani; ita ut ad primas Vesperas ℟. a quatuor *in cappis*, ad nocturnos omnia ℟. a duobus; primum quidem *in cappis*, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque; ad Laudes a duobus *in cappis* cantarentur, ad Missam item ℟. a quatuor *in cappis*, ut præscribitur in codice Colbertino. Nam in Dionysiano tantam non legimus solemnitatem. Infra octavam Paschæ officium cum tribus tantum Lectionibus habebat, eumdemque servabant ordinem, quem in festo S. Benedicti post Pascha descripsimus.

XXVI. Tertio Idus Aprilis in vetustissimo Corbejensi Calendario legitur: *Natale S. Leonis Papæ*, cujus in solo S. Petri supra Divam Ordinario reperimus commemorationem sine officio.

XXVII. Idibus Aprilis vetus Corbejense Calandarium habet: *Natale S. Euphemiæ Virginis*.

XXVIII. XVIII. Calendas Maji: *Natale SS. Tiburtii, Valeriani, & Maximi*. Quod ubique scribitur aut cum sola commem., aut cum tribus tantum Lectionibus. Festorum vero trium Lectionum tempore Paschali hæc erat ratio, ut in primis Vesperis a capitulo officium esset de festo; in nocturnis Invitatorium, hymnus, psalmi, & Lectiones de tempore præsenti; versus autem, ℟. capitulum, oratio, cum Laudibus, & horis de Sancto.

XXIX. XIII. Calendas Aprilis in recenti Corbejæ Calendario legitur *festum Leonis Noni Papæ*, cum tribus Lectionibus. Hic fuerat olim Tullensis Episcopus, cujus proinde officium in Ordinario S. Apri inscribitur cum XII. Lectionibus; ita tamen, ut si ante Cœnam Domini evenisset, solam ad utrasque Vesperas, & Laudes commem. cum Missa matutinali haberet; si in triduo ante Pascha, nihil penitus; si in die Paschæ, solam ad Vesperas commemorationem; si infra octavam, commem. ad primas Vesperas, & Laudes; si in octava Paschæ, transferretur in crastinum; & tunc Dominica ad Vesperas commemorationem haberet; si in aliquam Dominicam post octavam Paschæ, duos primos nocturnos, tertium vero Dominica obtineret.

XXX. XI. Cal. Maji notatur in vetustissimo Corb. Calandario *Passio S. Cesarii Diaconi*.

XXXI. X. Calendas Maji *Inventionem Corporum SS. Martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii*, cum XII. Lectionibus recolebant Parisienses nostri S. Germani, ita tamen, ut infra hebdomadam pœnolam ne quidem commem. haberet; sed Dionysiani sive in octava, sive post octavam Paschæ, hoc festum solemniter celebrabant; ita ut in primis Vesperis ℟. a quatuor *in cappis*, antiphona ad *Magnificat* ter cantaretur, duoque thuribula a duobus Sacerdotibus deferrentur; in nocturnis Invitatorium a quatuor *in cappis*, omnia ℟. a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque concineretur; post Tertiam processio *in albis* ad Stratam, in qua deferebantur clavus, & corona, & tria vexilla, & aliæ reliquiæ, præter feretrum S. Firmini, quæ solebant deferri in Rogationibus, ibique matutinalis Missa celebrabatur. Sin autem processio ad Stratam fieri non posset propter aeris intemperiem, fiebat *in cappis* per claustrum; major Missa in cappis, cum sex procedentibus, & tribus Cantoribus, 1. *alleluja* a tribus, 2. a quatuor, sequentia, ante Evangelium auta Martyres antiphona: *O Beate Dionysi*.

XXXII. Quod si infra hebdomadam Paschæ evenisset, eodem ordine, ritu, & solemnitate, celebrabatur, ac festum Annuntiationis, addita processione ad Stratam. Strata autem est Prioratus ab Monasterio dependens, in altera urbis parte situs.

XXXIII. IX. Calendas Maji *Natale S. Georgii Martyris* in Calendario Lyransi, & recenti Corbejensi cum sola comm. notatur; in Beccensi, Dionysianis, Compendiensibusque conf. cum tribus Lect.; in Ordin. S. Petri supra *Divam* cum XII. Lectionibus; in cons. S. Germani *in albis de quinque cereis*; in Ordinario Cassinensi una conjungitur cum *S. Adelberto*; ita ut octo primæ Lectiones de S. Georgio, quatuor posteriores de S. Adalberto fierent; & ad Matutinas, & Missam orationi S. Georgii adderetur secunda de S. Adalberto; in Tullensi vero duo primi nocturni de *S. Georgio*, tertius nocturnus cum Laudibus *S. Gerardo* Episcopo adscribitur.

XXXIV. VII. Calendas Maji: *Natale Sancti Marci Evangelistæ*, quod in Calendario Beccensi, Lyrensi, Corbejensi recenti, & in consuet. S. Germani inscribitur *in albis*. Hac die jejunium observabatur, ab adipe abstinebatur, processionesque, ut in Rogationibus, celebrabantur. De hujusmodi, processionibus hæc lego in Cassinensi antiquo Ordinario ad festum Sancti Marci: „ (Finito capitulo „ temporius, & convenientibus omnibus in ecclesia discalceatis pedibus, incipiant antiphonam ad processionem: *Exurge Domine*, psalmus: *Exurge quare*, *Gloria*, & *Orater*; & sic exeuntes pergant ad ecclesiam S. Mariæ cantando antiphonas has: *Ego sum Deus*: *Populus Sion*: *Kyrie*: ℣. *Domine miserere*: *Kyrie*: *Peccavimus*; *Quia pius es*: *Servi tui*; quibus finitis, incipiant psalterium „ cantantes interim antiphonas, prout opportunum fuerit, „ sive pro pluvia, sive pro serenitate. Cum autem ad „ ecclesiam, qua pergunt, appropinquaverint, incipiant „ antiphonam de S. Maria. Si vero specialius aut pro pluvia, aut pro serenitate, orandum est; in atrio ecclesiæ „ S. Mariæ canent ℣. S. Ambrosii: *Squalent arva*, sive „ *Obduxere polum*; & ita ingressi ecclesiam, data oratione a Sacerdote, factis letaniis, canent Missam: *Exaudi de templo*. Qua finita, exeant cum antiphona S. „ M.; & ea finita, iterum incipiant psalmos, ubi prius „ dimiserunt; & ita revertentes, cum appropinquaverint „ ad ecclesiam SS. dicant antiphonam ipsius, & intrantes „ portam dicant antiphonam Sancti Martini, & orationem; „ deinde S. A. SS. Petri, & Pauli, & sic ingredientes „ ecclesiam majorem, dicta antiphona Sancti Benedicti, „ & S. Scholasticæ, & oratione ante altare facta horu „ . . . .) Fusius consuetudines Dionysianæ: „ [Post Sextam fiet processio ad S. Remigium; ipsa die jejunabunt fratres, & adipem non comedent. Ante processionem dicat Sacerdos orationem: *Mentem familiæ*, vel *Respice quæsumus*, ad processionem, quæ dicitur *Letania major*, debent Clerici processionem præcedere, post hos „ unus ex matricularis indutus alba ferat aquam benedictam, & alter in alba ferat crucem, quæ est retro altare SS. Trinitatis, & alter in alba lanceam Regis Dagoberti, & Monachus quidam ferat crucem parvam, „ quæ Dominicis diebus solet deferri ad processionem; „ post hos alter Monachus in alba ferat baculum S. Dionysii, post sequentur duo Clerici Sacerdotes in cappis „ portantes feretrum S. Firmini; post hos sequatur Monachus quilibet, qui ferat laternam cum cereo accenso, „ & duo cum candelabris, &c. (sicut in Rogationibus) „ post Missam incipiat Cantor antiphonam: *Lux perpetua*, „ qua finita, incipiatur letania a duobus Monachis: *Pater de cælis Deus* usque portam castelli, & ibi dicat „ Sacerdos orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, ædificator*: deinde incipiatur letania ab his, qui prius cantabant, & incipiant, ubi ante finierant, & eant cantantes usque ad pantera, & ibi incipiatur a duobus bene cantantibus letania: *Omnes Sancti*, & chorus respondeat: *Orate pro nobis*. Cantores: *Sanctorumque omnium Rex*; „ chorus: *Miserere nobis pie Rex Domine J. C.* Cantores: *Deus Creator omnium tuere nos*; chorus: *Miserere nobis*, ut supra. Cantores: *Bone Jesu protege nos ubique semper*; chorus: *Miserere nobis*, ut supra. Cantores: „ *Fortis ubique in prælio defende nos*; chorus: *Miserere nobis*. Cantores: *Ab inimicis libera nostris nos Domine Deus Sabaoth*; chorus: *Miserere nobis*. Cantores: *Largitor pacis pacem perpetuam tribue nobis*; chorus: *Miserere nobis*. Cantores: *Redemptor noster Redemptio tua ne pereat in nobis*; chorus: *Miserere nobis*. Cantores: „ *Cunctorum scelera nostrorum dimitte Rex Domine Deus noster*; chorus: *Miserere nobis*. Cantores: *Animas nostras suscipe in pace benigne Jesu*; chorus: *Miserere nobis*: Cantores: *Ut tecum regnemus in cælis in sæculorum sæcula amen*; chorus: *Miserere nobis*; & sic eant cantantes usque in navim, ibique Cantores dicant: *Agie Christe exaudi tuum populum, quem redemisti*; & chorus respondeat, *Agie Christe*, similiter, ut supra. Cantores: *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi*, chorus: *Miserere nobis*. „ Cantores. *Suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram patris*; chorus: *Agnus Dei*, ut supra. Cantores: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat*; & „ cum dicunt: *Gloria Patri*, intrent in chorum; chorus: *Agnus Dei*. Ibi ante aquilam Cantores dicant: *Exaudi Deus*; chorus: *Preces nostras*. Cantores: *Exaudi Christe*; chorus: *Orationes populi tui*. Sacerdos, & duo Ministri altaris sint prostrati ante majus altare, donec finiatur letania. Interim Cantores dicant: *Sancta Sanctorum Deus*: chorus: *Miserere nobis*. Cantores: *Sancta Maria*; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancte Michael*, chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancte Gabriel*; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancte Raphael*; chorus: *Intercede pro nobis*; Cantores: *Sancte Petre*; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancte Paule*; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancte Johannes*; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancte Dio-*

Dionysi; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancta Rustica*; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Sancte Eleutheri*; chorus: *Intercede pro nobis*. Cantores: *Omnes Sancti*; chorus: *Intercedite pro nobis*. Cantores: *Exaudi Deus*; chorus: *Voces nostras*. Cantores: *Exaudi Deus*; chorus: *Ill. Pap. vita*. Cantores: *Exaudi Deus*; chorus: *Ill. Regi vita*. Cantores: *Exaudi Deus*; chorus: *Exaudi Deus exercitui Francorum vita*. Cantores: *Exaudi Deus*; chorus: *Orationes populi tui*. Cantores: *Kyrie eleison*. Post letaniam incipiat Cantor antiphonam: *Laudem dicite*, post dicat Sacerdos ℣. *Exultabunt Sancti*, & orat. *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio*. Post canatur Nona.)

XXXV. „ (Si in hebdomada Paschæ evenerit, *inquit Ord. S. Petri supra Divam*, in sequenti alia celebretur die, qua in capitulum fuerit ordinatum;) & Tullense S. Apri: „ (Si festum S. Marci infra octavas Paschæ, vel in die octavarum Paschæ evenerit, in secundam feriam sequentem transfereiur, ... & in eadem secunda feria, qua ejus festum colitur, fiet processio ad S. Georgium, sicut in letania majore est ordinatum. Considerandum tamen est, quod quando festum Sancti Marci cadit in crastinum Paschæ, non transfertur, sed in die ipso tantum commemoratio ..... & eo anno non fiet processio ad S. Georgium;) & Rituale Beccense: (Si festum Sancti Marci infra octavas Paschæ evenerit, ad utrasque Vesperas, & Laudes, & ad Missam matutinalem commem. habebit. Si vero in ipsis octavis evenerit, commemorat. habebit similiter. Missa matutinalis: *Quasi modo*, s. commem. de Resurrectione, a. de S. Marco. In crastino tota festivitas restaurabitur, sed non erit processio, nec jejunium, nec Missa de jejunio ..... Item, si post octav. festum S. Marci evenerit; jejunium erit, processio fiet nudis pedibus, nisi licentia remaneat, prima Missa erit de S. Marco *in albis* ad majus altare, major Missa erit de jejunio. (Denique Rituale Corbejensis Monasterii: „ [Si festum Sancti Marci Evangelistæ Episcopi, & Martyris in hebdomada Paschali, vel in die, *Quasi modo*, evenerit, non restaurabimus jejunium, nec processionem.)

XXXVI. VI. Calendas Maji in vetustissimo Corbejensi Calendario signatur *Natale S. Gregorii Papæ, & Depositio Sancti Richarii*. In antiquo vero ejusdem Monasterii Ord. *SS. Confessorum Ratberti, & Richarii*; quorum festivitas in recenti Corbejensi Calendario inscribitur *in cappis*. De S. Richario *antiphonas*, & *responsoria*, vel *hymnos*, composuit olim Alcuinus, teste Hariulpho in Chronico Cent. lib. 2. c. 11. Spicil. tom. 4. „ (ut magni Patris festivitas „ nihil minus congrui officii habere videretur.)

XXXVII. V. Calendas Maji in eodem vetustissimo Corbejensi Calendario legitur *Adventus Cælestis Papæ, & Sancti Valeriani*.

XXXVIII. IV. Calendas Maji ibidem *Natale Sancti Vitalis*, quod fere ubique reperitur cum tribus Lectionibus, vel cum sola commemoratione.

CAPUT V.

De Festis mensis Maji.

I. ANtequam singula mensis hujus festa sigillatim prosequar, observandum tam ex antiquo Corbejensi Ordinario, quam ex antiquis S. Benigni consuetudinibus; quod in omnibus XII. Lection. solemnitatibus tempore Paschali contingentibus, singuli vigiliarum nocturni sub uno decurrebant *alleluja*: similiter Matutinæ Laudes, & aliæ diurnæ Horæ; nisi forte proprium haberent officium, quod contigit in festo S. Benedicti, Annunciationis, SS. Philippi, & Jacobi, atque Inventione Sanctæ Crucis, tunc enim tam die, quam nocte omnes decantabantur antiphonæ, sicut aliis temporibus. Præterea „ (notandum „ est *inquit Ordinarium S. Petri supra Divam*, quod a „ Sancto Pascha usque ad Calendas Octobris, quotquot „ advenerint festivitates XII. Lect., etiamsi in albis fuerint, nisi propriam habeant historiam, psalmi ad ipsas pertinentes ad nocturnos, & ad Laudes dicantur cum singulari antiphona, & ℟. scribuntur in tabula feriali. In simplicibus autem XII. Lect. apponantur parvula ℟. ab octava Paschæ, usque dum incipiatur historia de libro Job: *Si bona*.)

II. Cal. Maji Natale SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi in Calendario Lyrensi, recenti Corbejensi, Ordinario Tullensi, & S. Petri supra Divam, consuetudinibus S. Germani, & S. Cornelii inscribitur *in albis*; & quidem in Ordinario Tullensi cum commemoratione, & Missa matutinali de Sancto Sigismundo; item cum commemoratione Sanctæ Walburgis Virginis: in consuet. S. Germani cum commem. & Missa matutinali de S. Amatore: in Dionysianis vero præscribitur, ut in 1. Vesperis ℟. a quatuor in cappis decantetur, antiphona ad *Magnificat bis* repetetur, duoque sharibus deleantur. In nocturnis vero Invitatorium a quatuor *in cappis*, singula ℟. a duobus; quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque, utraque Missa de Apostolis decantetur; major *in cappis*, cum quatuor procedentibus, duobus cantoribus, & præfatione: *Qui Ecclesiam tuam*; quamvis in codice Colbertino assignatur præfatio: *Te Domine suppliciter*. In 2. Vesp. commem. S. Athanasii, & de Resurrectione.

III. VI. Nonas Maji in consuet. S. Germani, & S. Dionysii habetur festum S. Athanasii cum tribus tantum Lect. In Compend. Translatio SS. Cornelii, & Cypriani cum XII. Lect.

IV. V. Nonas Maji signatur in vetustissimo Corbejæ Calendario *Natale SS. Juvenalis, Alexandri, Eventii, & Theodoli, & Inventio Sanctæ Crucis*; & in Ordinario, *SS. Alexandri, Eventii, & Theodoli, & Inventio Sanctæ Crucis*. In aliis vero Calendariis, *Inventio S. Crucis, & Natale SS. Alexandri, Eventii, & Theodoli*. In celebrandis hoc festo mirum est, quam variæ fuerint Monasteriorum consuetudines; nam Cassinenses in primis Vesperis S. Crucis commemorationem de SS. Martyribus cum antiphona, *Magnificat*, & oratione faciebant. In nocturnis primam secundamque vigiliam SS. Martyribus consecrabant; tertiam S. Cruci, in qua Cantica: *Domine audivi*. *Accinge*: *Elevatus est*, dicebatur, cum IV. Lect., quæ *gesta de Inventione S. Crucis* explicabant. Laudes de Cruce cum commem. SS. Martyrum per antiphonam, *Benedictus*, & orationem. Horæ diurnæ de S. Cruce. Ita & in antiquo Corbejensi Ordinario duo primi nocturni, cum commem. in utrisque Vesp., & Laudibus SS. Martyribus adscribuntur; reliquum officium S. Cruci cum canticis in 3. nocturno *Domine audivi*: *Pro iniquitate*. *Egressus es* additque: „ (Et sciendum est, quod in hac festivitate, & in Exaltatione ejusdem S. Crucis evenit, quod in aliis non invenitur, scilicet, quod major Missa non est, neque Horæ, unde priores nocturni;) quod etiam præscribitur in Statutis Lanfranci, & in ordinario S. Petri supra Divam. In recenti Corbejensi Calendario, in Lyrensi, & Beccensi, IV. primæ Lectiones, ac proinde primus nocturnus Inventioni S. Crucis, VIII. sequentes SS. Martyribus assignantur; e contra in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus primus nocturnus est de SS. Martyribus, duo sequentes cum omnibus, idest VIII. Lectionibus de Inventione SS. Crucis. Sed in Tullensi Ordinario, & in consuet. S. Germani totum officium obtinet Inventio S. Crucis cum sola commem. SS. Martyrum. Hoc in ultimo Monasterio officium paullo solemnius, quam in aliis locis celebrabatur.

V. In primis Vesperis hymnus: *Vexilla Regis*, ex Dionysianis, Compendiensibusque consuet. tunc ℣. *O crux ave*, dicendus. In quibusdam Monasteriis hymnus alius.

VI. In hoc porro omnes conveniebant, quod matutinalis Missa de SS. Martyribus, major de S. Cruce cantabatur *in albis*; antequam „ (processio fiat, *inquiunt Dionysianæ consuet.*, cum clavo, & corona, & brachio S. Simeonis ad crucem, & canitur ℟. *Hoc signum*, & oratio: *Sancta quæsumus Domine*.... Post Missam eant Sacerdos, & Ministri cum reliquiis in claustro, ... Benedictione, referant in capitio reliquias, & dicat ibi Sacerdos orat. *Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam*.) Neque vero hic prætereundus est antiquus Cassinensium ritus, quem ipsi describunt in veteri Ordinario tempore Oderisii Abbatis descripto: „ [Post Symbolum, „ *inquiunt*, antequam Sacerdos dicat: *Dominus vobiscum*, „ unus ex Sacerdotibus pergens in Secretarium, tollat inde Crucem cum ligno Domini, & deferat ante pectus suum, antecedentibus se Acolythis cum candelabris, & incenso, & veniens ante altare, ibi collocet Crucem, & sic Sacerdos, ac Ministri in locum suum recedentes. Illi in choro, qui ante ipsam Crucem tres Clerici cantaturi sunt versus: *Crux beata nitet*, mox, ut inceperint, Sacerdos ab altari veniens cum omnibus Ministris adorat Crucem; deinde omnes per ordinem: quibus finitis, Sacerdos dicat: *Dominus vobiscum*, & sic canent offertorium, & peragatur Missa ordine suo.)

VII. Pridie Nonas Maji *festum S. Johannis ante portam Latinam*, in Dionysianis consuetudinibus notatur cum tribus tantum Lectionibus, licet ei cederent in feria V. S. Dionysii officium, & Sabbato B. Mariæ. In codice tamen Colbertino inscribitur cum XII. Lect., sicut in Ordinario S. Petri supra Divam, & Tullensi S. Apri, in Calendario Lyrensi, & Beccensi, sed in recenti Corbejensi *in albis*, in consuet. S. Ger-

S. Germani in *albis de quinque cereis*; verum non exprimitur in vetusto Corbejensi Calendario. Cassinenses duplex hac die festum celebrabant, Translationem S. Matthæi, & Passionem S. Johannis ante portam Latinam de quorum officio hæc præscribunt in antiquo Ordinario: „ (In Translatione S. Matthæi, & Passione S. Johannis „ ante portam Latinam, qui pergunt ad S. Martinum, „ legant in duabus vigiliis de Translatione S. Matthæi: „ in tertia de Passione S. Johannis. Qui autem stant ad „ S. Benedictum, in duabus vigiliis legant de S. Johanne, „ in tertia de S. Matthæo cantent in nocte, & die, & „ cetera alia sint communia, & post orationem Apostoli „ unius, dicatur alterius.)

VIII. VIII. Idus Maji in vetustissimo Corbejensi Calendario signatur *Inventio Sancti Michaelis Archangeli in monte Gargano*, de quo Cassinense Ordinarium: „ (In Inventione S. Michaelis Archangeli ... octo Lectiones de „ Inventione ipsius, nona, & decima ex commentario S. „ Hieronymi, reliquæ ex sermone S. Epiphanii . . . ad „ Tertiam antiphona: *Cælestis miles*. Lect. *Factum est „ prælium*, induti albis lineis intrent.) Alibi Inventionem S. Michaelis non legimus, pro qua in recenti Corbejæ Calend. habetur festum Translationis S. Gentiani, *duplex* XII. Lect.

IX. VII. Idus Maji *Translatio S. Nicolai*, notatus in Calendario Lyrensi, Beccensi, & recenti Corbejensi, cum tribus Lect.; & in Ord. S. Petri supra Divam, cum sola commem.

X. VI. Idus Maji in vetusto Corbejensi Calendario inscribitur *Natale S. Gordiani, Cirilli, & Petri*; in recenti, in Beccensi, & Lyrensi, consuet. S. Dionysii, & S. Germani, Ordinario Tullensi, *Gordiani, & Epimachi*, cum tribus Lect.; in Ord. S. Petri supra Divam, cum sola commem.

XI. V. Idus Maji consuet. S. Germani a Pratis signant *festum S. Majoli Abbatis* XII. Lect. Dionysianæ SS. Confessorem *Majoli, & Mamerti* XII. Lect.; Ord. S. Petri supra Divam commemor. *S. Majoli*, item *S. Mamerti*; Ord. Tullense *S. Gengulfi*, cum XII. Lect., & commem. *S. Majoli*.

XII. IV. Idus Maji vetus Corbejense Cal. *Natale SS. Nerei, & Achillei, & S. Pancratii Martyrum*; signatur etiam in recentiori, Lyrensi, Beccensi, Ord. Tullensi, & consuetud. S. Germani, cum tribus Lect.; in Ord. S. Petri supra Divam, cum sola commem. Dionysianæ consuetudines habent officium „ (de Sancto Hypolito, Nereo, „ Achilleo, & Sancto Pancratio], cum XII. Lectionibus Missa matutinali de Sanctis Martyribus ad altare S. Hypoliti; & majori ad majus altare de solo S. Hypolito.

XIII. III. Idus Maji in eodem veteri Corbejensi calendario legitur: „ (Dedicatio Basilicæ S. Mariæ, & Natale „ S. Martini Presbyteri.) In recenti *sancti Servatii Episcopi* cum tribus Lect.

XIV. XVII. Calendas Junii in recenti Corbejens. cal. *sancti Honorati Episcopi* cum XII. Lect. In Dionysianis cons. S. Peregrini Episcopi, & Martyris cum XII. Lect., & Missa majori in *cappis* ejus in oratorio, Mat. de eodem ad majus altare.

XV. XVI. Calendas in vetusto, & in recenti Corbejensi calendario *sanctæ Potentianæ Martyris*, & in Dionysianis, Compendiensibusque cons. cum tribus Lectionibus; in Ord. S. Petri supra Divam, & in Tullensi cum sola comm.; sed in Beccensi calendario legitur *sancti Dunstani Archiepiscopi* cum XII. Lect.

XVI. XIV. Cal. Junii *sancti Austregesili* cum tribus Lectionibus in Dionys. consuet. in Ord. autem sancti Petri supra Divam cum sola comm.

XVII. XIII. Cal. in cal. Lyræ *sancti Ethelberti Regis, & Mart.* 3. Lect.

XVIII. X. Cal. in eodem Ordinario S. Petri supra Divam comm. *sancti Desiderii Episcopi & Martyris*.

XIX. IX. Cal. ibid. comm. *SS. Donatiani & Rogatiani fratrum Martyrum*, quorum officium cum tribus Lectionibus describitur in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus.

XX. VIII. Calendas Junii in veteri Corb. calendario legitur: *Natale sancti Urbani Episcopi*, in aliis plurimis *Papæ & Martyris*, cujus officium cum tribus Lectionibus notatur in recenti Corbejæ calendario, & in Beccensi, in S. Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii consuetudinibus, in Ordinario S. Petri supra Divam; hic tamen, si post Pentecosten celebretur, alioquin cum sola comm.; in Ord. Tullensi cum XII. Lect.; in calendario Lyrensi cum IV. Lectionibus, & VIII. de *sancto Adelmo Episcopo*.

XXI. VII. Cal. Junii in calendario Beccensi rubeis litteris scriptum est natale *sancti Augustini Anglorum Apostoli* cum XII. Lect., in Ord. S. Petri supra Divam propriæ erant.

XXII. VI. Cal. Junii in eodem cal. Becc. *sancti Hildeverti Episcopi* tres Lect.

XXIII. V. Calendas Junii in vetusto Corbejæ calendario: *Parisius depositio sancti Germani Episcopi & Confessoris*, cujus officium cum tribus Lectionibus notatur in recenti calendario, & in Ordinario S. Petri supra Divam, modo post Pentecosten contingat, in Dionysianis consuet. cum XII. Lectionibus. Parisiis vero in suo ipsius monasterio solemnissime celebrabatur, ut festum Sancti Vincentii supra 22. Januarii, cum octavis.

XXIV. IV. Cal. in Dionys. cons. *sancti Maximi Episcopi, & Conf.* cum tribus Lect.; in Ord. Tullensi *sancti Maximi* cum XII. Lect.

XXV. III. Cal. vetus Corbejæ cal. *Cœnobio Centula SS. Confessor, Caidoci Adriani, Madelgisli*.

XXVI. Pridie Cal. Junii in eodem calendario *Natale sanctæ Petronillæ Virginis*; notatur etiam in recenti, in Dionysianis, Compendiensibusque cons., in Ordinario Tullensi, & S. Petri supra Divam cum tribus Lect. Huc ad diem pertinet laudabile Joffridi Abbatis Croylandensis statutum, quod refert Petrus Blesensis in continuata Ingulphi historia Croylandensi his verbis: „ (Ego Joffridus „ peccator, Ecclesiæ gloriosi Confessoris, & piissimi A- „ nachoritæ Guthlaci Abbas dictus, divino consilio, & „ fratrum meorum consensu, a Deo mihi commissorum; „ stabilivi pro salute, & requie animarum Patrum, & „ Matrum nostrarum, Fratrum, & Sororum nostrarum, „ parentum, & omnium benefactorum nostrorum, & „ pro omnibus, quibus obnoxii, & debitores sumus, & „ quibus eleemosynas, Missas, & orationes spopondimus, „ & quorum eleemosynas recepimus; *in ultimo die mensis Maji* mandatum pauperibus facere, & eos pascere, & unicuique pro Christi amore unum denarium „ erogare, ut ipsi nos pascant, & reficiant in nostra ulti- „ ma necessitate . . . . . precor ergo devoto corde, & „ verbo dulcissimo fratres, & successores meos, ut istud „ bonum statutum teneant, & custodiant, ut animæ eo- „ rum semper in Christo Domino requiescant.)

CAPUT VI.

De Festis mensium Junii, & Julii.

I. CAlendas Junii ita signat vetus Corbejense calendarium: *Calendis Junii denunciatio jejunium*, (a) *& dedicatio S. Nicomedis Martyris*. De jejunio mensis Junii diximus in superiori libro: S. Nicomedis autem nomen reperitur in Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus, & in Rituali recenti Corbejensi cum tribus Lectionibus. In Ordinario vero Tullensi hac die scribitur *Translatio S. Apri* cum commemoratione S. Nicomedis. Hanc Translationem solemniter celebrabant, itant: „ (ad „ primas Vesperas Domnus Abbas a principio Vesperarum „ indutus alba, & cappa faceret officium, ℞. a Cantore, „ & alio fratre in albis & cappis concineretur;) Abbas ad Magnificat incensum faceret, præcedentibus eum duobus Responsorii Cantoribus, duobus item Thuribulariis in albis; post orationem Dominicam non preces dicerentur, sed ℣. *Secundus Dei Aper*, vel alius; ad nocturnos invitatorium „ (a quinque cantaretur fratribus in albis, & „ cappis; scilicet a Cantore, & duobus Hebdomadariis, „ & aliis duobus in tabula nominatis;) In Laudibus incensum ab Abbate præcedente eum Hebdomadario Missæ alba, & cappa induto, cum Thuribulario in alba deferretur; nec post orationem Dominicam preces, sed ℣. diceretur. Missa matutinalis de S. Nicomede; major in cappis de festo, cujus Introitus triplicari debebat, ab Abbate, cum quo procedebat Hebdomadarius Missæ, celebrabatur. Cum in vigiliam Pentecostes incideret, primam Missam de festo cantabat Prior, secundam de vigilia Abbas.

II. IV. Nonas Julii in veteri Corb. calendario *Natale SS. Marcellini, & Petri*, habetur etiam in Beccensi, & Lyrensi, in Ordinario Tullensi, & in cons. S. Cornelii cum tribus Lect.; in Dionysianis, & calendario recenti Corbejensi cum XII. Lect.

III. Nonis Junii in eodem veteri Corbejæ calendario *Natale Sanctæ Filuculæ Virginis*; deinde altera manu *Translatio S. Præcordii Confessoris*. Hæc Translatio in recenti calendario notatur in *cappis*. Eodem die Dionysianæ cons. signant *festum S. Bonifacii Martyris* cum tribus Lect.

IV. VI. Idus Junii in veteri Corbejensi calendario legitur *Natale S. Medardi Episcopi*, altera manu additur *&* Gildar-

(a) leg. *jejunii*.

Gildardi, horum nomen in recenti etiam inscribitur cum officio in *albis*; in Dionysianis Compendiensibusque consuetudinibus cum XII. Lect.; in conf. S. Germani *S. Medardi* solius cum XII. Lect., in Ord. Tullensi cum III. Lect.

V. V. Id. Junii in eodem Corbejæ calendario antiquo *Natale SS. Primi & Feliciani*, exstat etiam in recenti, in Beccensi, in Lyrensi, in Ordinario Tullensi, in S. Germani, & S. Cornelii consuetudinibus cum III. Lect. In Dionysianis vero cum sola comm. & Missa matutinali: major enim in cappis cum officio XII. Lectionum de SS. Dionysio, & sociis, quorum hac die detectionem recolebant, celebrabatur.

VI. IV. Idus Junii in S. Germani, & S. Dionysii conf. *festum sancti Landerici Episcopi, & Confessoris* cum XII. Lect.

VII. III. Idus Junii in veteri Corbejæ calendario legitur: *Depositio Barnabæ Apostoli*; cujus officium ubique cum XII. Lectionibus legitur; sed sine solemnitate; in solis S. Germani consuetudinibus inscribitur *in albis de tribus cereis*.

VIII. Pridie Idus Junii *Natale SS. Basilidis, Cirini, Naboris, & Nazarii*, scribitur in nostris Calendariis, consuetudinariis, & in Ordinario Tullensi cum tribus Lect.

IX. XVIII. Calendas Julii notatur in vetustissimo Corbejæ calendario *Translatio S. Aniani Episcopi*; deinde altera manu *Rufini, & Valerii*. In recenti, & in Dionysianis, Compendiensibusque consuet. habetur *SS. Rufi, & Valerii* nomen cum tribus Lect.

X. XVII. Cal. Julii in eodem Corbejensi calendario altera manu scribitur *Natale S. Viti Martyris*. Reperitur etiam cum tribus Lect. in Ord. Tullensi, & in conf. S. Germani: In calendario Beccensi, & Lyrensi *SS. Viti, & Modesti Martyrum* cum tribus item Lect.; denique in Dionysianis, Compendiensibusque consuet. *SS. Viti, Modesti, atque Crescentiæ* cum tribus Lect.; in recenti cal. Corbejensi cum XII. Lect.

XI. XVI. Calendas Julii in cal. Lyrensi, & Beccensi natale *SS. Cirici, & Julitæ* Martyr. cum tribus Lect.; similiter in Dionysianis, Compendiensibusque conf., & in recenti Corbejæ calendario; sed in conf. S. Germani hac die notatur *festum SS. Martyrum Ferreoli, & Ferrutionis, Festum in albis de quinque cereis*.

XII. XV. Cal. Julii in veteri Corbejæ calendario *Natale sancti Aviti, & Marcelliani Martyris*, quo die in Dionysianis consuetudinibus præscribitur officium trium Lectionum *de S. Avito Presbytero, & Confessore*.

XIII. XIV. In eodem Corbejensi calendario notatur *Natale SS. Marci, & Marcelliani*, quod in nostris calendariis, & consuetudinariis cum tribus Lectionibus inscribitur.

XIV. XIII. Calendas Julii ibidem scribitur *Natale SS. Gervasi, & Protasi*; exstat etiam in recenti Calendario, & in Ord. Tullensi cum tribus Lectionibus; in conf. S. Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii, & in Ordinario Cass. cum XII. Lect.; octo scilicet *de passionibus eorum, & quatuor de S. Ambrosio*; sicut & in Calend. Lyrensi, & Beccensi, in quibus rubeis scribitur litteris. In Ordinario S. Petri supra Divam signatur *in albis*.

XV. XI. Calendas Julii præfatum Corbejense vetus calendarium signat *Natale S. Eusebii Episcopi*, de quo tres Lectiones hac die præscribunt Dionysianæ consuetudines. Pro eo in calendario Beccensi notatur festum *S. Leufredi* cum tribus Lectionibus; in caland. Lyrensi cum XII; in conf. S. Germani in *cappis parvis* cum officio proprio, & octava; vestimenta autem ministrorum erant viridia.

XVI. X. Cal. Julii in veteri Corbejæ calendario altera manu *Natale S. Paulini Episcopi*; habetur etiam in recenti his verbis inscriptum, *Paulini Nolani Episcopi, & Confessoris*, cum tribus Lect.; sed in Dionysianis consuetudinibus legitur natale *SS. X. millium Martyrum* cum tribus Lectionibus, & comm. S. Paulini; in codice Colbertino autem, sicut & in consuet. S. Cornelii Comp. XII. Lectiones præscribuntur. In calendario Lyrensi hac die notantur tres Lectiones *S. Acatii, sociorumque ejus*.

XVII. IX. Calendas Julii vigilia S. Johannis Baptistæ, nimirum tanta est Præcursoris Domini prærogativa, ut etiam ejus vigilia ejus festivitas celebraretur. Hanc vigiliam nostri solemnem faciebant in monasterio S. Petri supra Divam; ita ut ad nocturnos Invitatorium a duobus Hebdomadariis *in albis* cantaretur, ad Laudes classicum pulsaretur, ad *Benedictus* incensum a Sacerdote in *alba*, & *manipulo* portaretur, Missa *quasi in albis* concineretur. De hac Missa, quæ propria erat, observandum quod legitur in Ord. Cassinensi: „ (In vigilia sancti Johannis Baptistæ ad Missam adjungatur Introitus pro sancta Phebronia & oratio.)

XVIII. VIII. Cal. Julii Nativitas S. Johannis Baptistæ quam omni semper solemnitate celebravit Ordo monasticus, maximeque Benedictinus, ob singularem, quo Sanctus Pater, ac Legislator noster Præcursorem Domini prosequutus est, honorem; ad cujus gloriam proprium Oratorium super prostrato Apollinis, & Veneris delubro erexit, in quo etiam post mortem sepultura donari voluit. Quapropter ad primas hujus solemnitatis Vesperas, quæ totæ, & integræ erant de S. Johanne, cum proprio officio ad omnes horas, R. ex Dionys. conf. a quatuor in cappis cantabatur, ad *Magnificat* duo thuribula deferebantur, antiphona bis recitabatur. Ad nocturnos Invitatorium etiam a quatuor in *cappis*; singula R. a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque decantabatur. Ex Compend. etiam S. Cornelii consuetudinibus in I. Vesperis R., & in nocturnis Invitatorium a quatuor in cappis dicebatur. In monasterio S. Germani a Pratis totum officium, sicut Inventio S. Crucis, celebrabatur. Ad Horas diurnas propter ex Dionysianis, & Compendiensibus consuetudinibus, hymni de S. Johanne concinebantur; scilicet ad Tertiam: *Ut queant laxis*; ad VI. *Antra deserti*; ad IX. *Ceteri tantum*. Ex Tullensi vero S. Apri Ordinario solitis Horarum hymnis hæc addebatur stropha:

> *Baptista veri luminis*
> *Ac præco justi judicis*
> *Ut devientes corrigat*
> *Se supplicantes audiat.*

XIX. „ (Ad Missam vero omnes induti pluvialibus „ intrant chorum,) inquit Cassinense Ordinarium: ex consuetudinibus etiam S. Dionysii, calendario Lyrensi, & Ordinario S. Petri supra Divam omnes in *cappis* Missæ tenebantur interesse. Ex conf. autem S. Germani, S. Cornelii, & Ordinario S. Apri *in albis*. Hanc ante Missam, scilicet *post Tertiam*, addunt Dionysianæ consuet. „ (fiat „ processio in cappis ad oratorium S. Johannis, cum parva „ cruce, & aqua benedicta, & thuribulo, & candelabris „ & Diaconus feret reliquias sancti Johannis, & cum eo „ quatuor Diaconi ... & si Dominica fuerit, fiat processio „ per claustrum in cappis.) ..

XX. Ne quid vero hujus festi solemnitati deesse videretur, etiam cum octava celebrabatur: de qua pauca hæc Cassinense Ordinarium: „ (Intra octavam, tam die, quam „ nocte omnia fient de S. Johanne cum psalmis de fe„ria. Dominica intra octavam in prima, & secunda vi„gilia omnia de S. Johanne fiant, cum psalmis de feria; „ in tertia vigilia, & Evangelium de Dominica, & Mis„sa ad Tertiam: reliqua de S. Johanne: Ad processio„nem R. *Præcursor*;) & Udalricus l. 1. c. 32. „ (Cele„bratur autem ejus Nativitas cum octavis, nec sunt plures „ SS. pro quibus hoc fiat, tantum aliæ quatuor festivita„tes similiter aguntur, idest Natalis SS. Apostolorum Pe„tri, & Pauli, Translatio S. Benedicti, Assumtio S. „ Mariæ, & Depositio S. Martini; de quibus ut primo „ dicam, quid omnes communiter habent; prima nocte „ post Laudes, & præcedentes Vesperas agitur processio „ ad altaria singulorum, excepto natali Apostolorum Petri „ & Pauli, in quorum honore est ipsum altare principale. „ Agitur autem cum aliquo R., collecta quoque aliqua „ sequente, cum tonali pronunciatione. Per totum singularum festivitatum septimanam venia non prostat ad „ initia Horarum, nec procumbitur super formas ad pre„ces. Item ad singulas Horas de psalmodia non minus „ omittitur, quam in Paschali tempore, quotient XII. Le„ctiones non fiebant. Octavus dies totus est solemnis XII. „ Lectionibus agendus: In ea quoque Dominica si quæ „ venerit, non aliud legitur, vel cantatur, quam de „ ipsis. In privatis noctibus etiamsi sit tempus æstivum, „ tamen tres Lectiones cum tribus R. fiunt; principalis „ quoque collecta, quæ in primo die ad majorem Missam „ dicebatur, postea usque ad octavum diem semper est „ dicenda ad Laudes, Tertiam, majorem Missam, & „ Vesperos. Præfatio autem tantum in primo die ad utramque Missam, in octavo die ad solam majorem. Hoc so„lum minus habent, & ab aliis dissimile Nativitas San„cti Johannis, & Translatio Sancti Benedicti, quod in „ octava nocte novissima nocturnorum R. sunt de his mi„noribus; ut est: *Justus ut palma*. Quod tamen omnibus „ eisdem festivitatibus, quæ in æstate veniunt, est commune, „ Dominica interveniente, similia R. cantentur.) Idem videre est in veteri Corbejæ Ordinario, & conf. S. Benigni c. 68. Præterea intra octavam ad Missam Evangelium: *Dixit Zacharias*, cantabatur tam ex Lyrensibus conf., quam ex rituali Beccensi monasterii. De Dominica

nica vero infra octavam hæc habet Ord. S. Petri supra Divam: „ (Si autem Dominica dies in ipsa occurrerit, „ servitium integre fiat de ipsa Dominica; & memoria de o- „ ctava cum secundo tantum nocturno, in Missa matutinali.)

XXI. VII Calendas Julii in Calendario Becensi de Translatione S. Eligii assignantur VIII. Lectiones, & IV. de octava S. Johannis. De hac S. Eligii translatione hæc habet Ordinarium S. Petri supra Divam: „ (In secundis „ Vesperis, post collectam de die fiat commem. de Do- „ minica, si est, in choro, de sancta Maria; deinde „ procedant in infirma. Processio ad S. Eligium ad cappel- „ lam S. Eligii, cantando ℟. *Miles Christi*. Finitis ita- „ que omnibus dicant ibi tres nocturni, vel quatuor Ve- „ speras, & in crastino totum servitium de S. Eligio, „ cujus ordinatio ipsa die recolitur; sed de ipsa festivitate „ nihil agitur in conventu.)

XXII. VI. Calendas Julii vetustissimo Corbejensi calendario notatur *Natale SS. Johannis, & Pauli*, habetur etiam in recenti, in Becensi, in consuet. S. Dionysii, & S. Cornelii, & in Ord. Tullensi cum tribus Lectionibus; ita tamen ut ad nocturnos hymnus, & antiphonæ essent *de S. Johanne Baptista*, reliqua *de SS. Martyribus*. In Dionysianis tamen Consuetudinibus codicis Colbertini, & in Sangerm. S. Germani SS. Martyribus assignantur XII. Lectiones; in Ordinario Cassinensi XI. Lect. *de passionibus eorum*, *duodecima de S. Johanne*. In Ordinario S. Petri solemniter celebrandum in *cappis*, cum secundo nocturno, memoria, & Missa matutinali de SS. Martyribus Johanne, & Paulo. Ante majorem processio facienda describitur in hæc verba. „ (Sacerdos Missam celebraturus cum stola „ & manipulo deferat caput S. Wamberti: Deinde duo in „ cappis sequantur deferentes feretrum cum corpore, præ- „ cedentibus aqua benedicta, cruce, candelabris, & in- „ censo, in ceteris ad hoc pertinentibus. Cum vero per- „ venerit ad januam Galileæ, transeant omnes subtus fe- „ retrum, & sic venientes in chorum Cantor incipiat offi- „ cium sacræ Missæ.)

XXIII. IV. Calendas Julii in vetustissimo Corbejensi calendario signatur *vigilia S. Petri, & Pauli*. Quo die in Dionysianis consuetudinibus tres de S. Leone Lectiones ad nocturnos, cum Missa matutinali præscribuntur, sed in Compendiensibus tres nocturnorum Lectiones octavæ S. Johannis Baptistæ attribuuntur cum sola S. Leonis comm.; in Ordinario etiam Tullensi nihil præter commemorationem S. Leonis. Porro major Missa ubique de vigilia SS. Petri, & Pauli, & quidem ex Ordinario S. Petri supra Divam solemnis *quasi in albis*. De utraque hujus diei Missa ita antiquum Corbejensis monasterii Ordinarium „ (In vi- „ gilia summorum Apostolorum Petri, & Pauli est deposi- „ tio Leonis Papæ, de quo Missa matutinalis cantatur, ad „ quam generalis oblatio non omittitur, sed pax ab uno „ suscipitur, post primam collectam ceteræ, quæ sequun- „ tur omnes sunt de defunctis; quod similiter fit quoti- „ ens eadem Missa in diebus privatis non dicitur pro de- „ functis; nam in XII. Lect. nihil inde fit. Omnino eo- „ dem modo agitur de festivitate B. Eusebii Presbyteri „ in vigilia Assumptionis B. Mariæ. Major Missa ita so- „ lemniter agitur, sicut in suis similibus vigiliis, ad „ quam infantes albis induuntur.) His consentiunt Divionensis S. Benigni consuetudines c. 68. excepta solemnitate ad majorem Missam, & matutinali, quæ de S. Hirenæo cum comm. S. Leonis dicenda decernitur. Idem etiam videre est apud Udalricum l. 1. c. 33., qui Missæ majoris solemnitatem ita describit: „ (Ad majorem Missam pul- „ santur omnia signa, & propter quod non angelicus hy- „ mnus, nec alleluja cantatur, alia solemniter omnia fiunt. „ Chorus, ut ajunt, ab uno tenetur in cappa; ℟. a duo- „ bus cantatur in cappis; Subdiaconus vestitur tunica; „ Diaconus dalmatica: unus offert, omnes accipiunt pa- „ cem, *Kyrie eleison. Sanctus: Agnus Dei*, singula cum „ quotidiana melodia cantantur.) Circa hanc Missam notandum, quod in antiquo Cassinensi Ordinario præscribitur: „ (In vigilia Apostolorum Petri, & Pauli ad Mis- „ sam repetatur Introitus S. Johannis, & oratio; deinde „ oratio S. Leonis.) Observandum etiam, quod in Rituali Corbejensis monasterii legitur: „ (In dicta vigilia, & „ in die omnes Presbyteri debent suas Missas dicere de di- „ ctis Apostolis; sed quia ad dictam vigiliam, & ad di- „ ctam diem veniunt plures Presbyteri Religiosi, & secu- „ lares cum devotione ad lucrandas indulgentias; ideo „ permittunt Religiosi ecclesiæ Corbejæ, quod prædicti „ peregrini Presbyteri dicant Missas suas, & in hoc bene fa- „ cient; quia Religiosi Ecclesiæ Corbejæ possunt post præ- „ dictos duos dies devote dicere illas Missas suas lucrando „ indulgentias, sicut faciunt extranei Presbyteri peregrini „ si velint; quia a vigilia B. Johannis Baptistæ, usque „ ad primam Dominicam mensis Julii inclusive, tantæ „ sunt indulgentiæ in qualibet die, sicut sunt in die SS. „ Apostolorum Petri, & Pauli; (& postea:) Item in „ dicta vigilia post VI. pulsabuntur duæ campanæ ter, „ & fiet sermo ad conventum, & ad populum; & post „ sermonem Dominus Abbas debet dicere Missam, & „ erit luminare principale, & ornamenta rubea.)

XXIV. III. Calendas Julii in vetusto Corbejensi calendario inscribitur *Natale S. Petri*, & sequenti die *Natale S. Pauli*. In aliis vero Calendariis hac die notatur *Passio*, seu *Natale Apostolorum Petri, & Pauli*, & sequenti *commemoratio S. Pauli*. Quanta veneratione SS. Apostolos Petrum, & Paulum hactenus coluerit Ordo Benedictinus, testantur innumera prope eorum in honorem constructa monasteria; ut mirum videri non debeat, si apud eos illorum fere omnium SS. solemnitatem superaverit hoc festum, quod totum officium habebat proprium. Ad primas ejus Vesperas ℟. a quatuor in cappis decantabatur; antiphona ad *Magnificat* bis dicebatur, duoque thuribula deferebantur. Ad nocturnos invitatorium a quatuor in cappis, singula ℟. a duobus, quartum a tribus; octavum a quatuor, duodecimum a quinque concinebatur. Lectiones ex Ordinario Corbejensi, & Dionysianis consuet. VIII. de sermone S. Leonis Papæ: *Omnium quidem SS. solemnitatem*, quatuor ex Evangelio; *Venit Jesus in partes*: sed Cassinenses octo primas *de passionibus eorum*, legebant, nonam ex commentario S. Hieronymi super Matthæum: *Venit Jesus*; tres ultimas de sermone S. Augustini. At omnium solemnissime nocturnas vigilias SS. Apostolorum celebrabant nostri Cluniacenses, in quibus, teste Udalrico l. 1. c. 41. integram noctem insumebant: „ (In Natali „ SS. Apostolorum Petri, & Pauli, *inquit*, nocturni & „ Matutinæ Laudes tantæ sunt prolixitatis, ut semper die „ adhuc clara incipiamus, & numquam nisi die adhuc „ clara finiantur.) Invitatorium ex Ord. Tull. a quinque concinebatur in cappis. Ad horas diurnas hymnis omnibus addebatur hic versiculus: *Vos sæculi justi judices*. Utraque Missa communiter de SS. Apostolis celebrabatur; sed apud Cassinenses matutinalis de S. Johanne; major de SS. Petro, & Paulo cantabatur, ad quam *omnes induti pluvialibus sicut in choro*, inquitur in Ordinario. Idem præstabant in Dionysiano, Lyrensi, & S. Petri supra Divam monasterio; sed in Parisiensi S. Germani, & in Compendiensi S. Cornelii Missa solum erat in *albis*. Missam in nonnullis monasteriis præcedebat solemnis processio, maxime in iis, quæ sanctis Apostolis erant consecrata. Solemnissimam nobis repræsentant Dionysianæ consuetudines his verbis: „ (Post Tertiam fiat processio in cap- „ pis, ut in Assumtione B. Mariæ, & deferantur tria „ vexilla, & aqua benedicta, & duo candelabra, & thu- „ ribulum, & Sacerdos quidem ferat brachium S. Simeo- „ nis, & cum Diacono sex Diaconi, & cum Subdiacono „ totidem Subdiaconi, & Cantor incipiat ℟. *Stirps Jesse*, „ & fiat statio ad oratorium B. Mariæ, & ibi dicatur „ ℣. a duobus pueris: *Post partum*, & a Sacerdote ora- „ tio: *Famulorum tuorum*: Descendendo de capitio dica- „ tur ℟. *Isti sunt duæ olivæ*, & eant in navem, & ibi „ cantetur ℟. *Cornelius*, ℣. *Cum messet* a tribus, post „ dicat Sacerdos ℣. *Tu es Petrus* oratio: *Deus qui* „ *Ecclesiam tuam*. Ad introitum chori antiphona: *Ho-* „ *die illuxit nobis*. Post incipiatur Missa: tres Cantores „ in choro assistant &c.) Ante Evangelium dicebatur antiphona; *Hodie illuxit*. Ex Rituali vero Corbejensi processionem inter, & Missam sermo publice ad conventum, & populum pronunciabatur. In secundis Vesperis duæ dicebantur collectæ: una *de S. Petro*, altera *de S. Paulo*; licet Vesperæ *de ambobus Apostolis* communiter agerentur.

XXV. Sequenti die, ut diximus, fiebat commemoratio S. Pauli cum XII. Lectionibus, & officio proprio. Ad nocturnos unicam tantum super sex psalmos, & tria cantica antiphonam præmittebant nostri Dionysiani, & Compendienses: Parisienses vero S. Germani singulos dicebant psalmos cum singulis antiphonis; singulisque antiphonis versiculos adjungebant. Lectiones in primo, secundoque nocturno desumebant nostri Dionysiani, & Compendienses *de sermone Johannis Episcopi: Beatus Paulus*, in tertio ex Evangelio: *Ecce nos reliquimus omnia*. Corbejenses ex veteri Ordinario octo Lectiones *de sermone S. Augustini Episcopi: Filioli audite nos, & liberate vos*. Cassinenses etiam *octo de passionibus ejus*: *Cum venissem Romam*; tres sequentes de homilia; duodecimam vero cum suo ℟. *de S. Johanne*.

XXVI. Quartum ℟. apud Dionysianos a duobus, octavum a tribus, duodecimum a quatuor simul cantabatur.

XXVII. In Laudibus fiebat comm. S. Johannis Ba-

pistlæ, quam cum antiphona, cantico *Benedictus*, & oratione faciebant Cassinenses. Nonnulli commemorationem de S. Petro adjungebant, alii penitus obmittebant; quidam etiam memoriam de S. Martiali Episcopo, & Confessore addebant, ut Corbejenses ex antiquo Ord., Beccenses, atque Lyrenses ex Calendario suo; sed in monasterio S. Petri supra Divam præter commemorationem, secundum etiam habebat nocturnum cum Missa matutinali. Missam vero matutinalem de S. Johanne cantabant Cassinenses, & Dionysiani.

XXVIII. Major Missa de S. Paulo, & quidem ex Ord. S. Petri supra Divam, & ex consuet. S. Germani *in albis*, ex Dionysianis *in cappis*. Hanc apud S. Dionysium prævaniebant processione, de qua consuetudines: „ (Post „ Tertiam fiat processio ad S. Paulum in cimiterio in albis, cantando R. *S. Paule &c.*)

XXIX. Calendis Julii octavas S. Johannis Baptistæ cum XII. Lectionibus signant Calendarium Beccense, Lyrense, recens Corbejense, cons. S. Germani, S. Dionysii, S. Cornelii, Ord. Cassinense, Tullense S. Petri supra Divam, sed Dionysiani, Compendienses, & Beccenses tertium nocturnum cum Laudibus, & Missa matutinali de SS. Apostolis, Petro, & Paulo faciebant: alii vero solam eorum memoriam in Laudibus cum Missa matutinali: Tullenses addebant comm. *de S. Theobaldo* Confessore. Unica ad singulos nocturnos, & Laudes antiphona contenti erant nostri Compendienses, & Dionysiani: Cassinenses vero in Ordinario suo hæc habent: „ (In octava „ S. Johannis ad nocturnos antiphonæ tres in prima vigi„ lia, & tres in secunda de S. Johanne. Et in prima „ quidem vigilia legantur de sermone ipsius; in secunda „ de Apostolis, in tertia tractatus S. Ambrosii; *habet SS.* „ *editio* ... Evangelium, & cetera omnia, sicut in die „ ejus.)

XXX. VI. Nonas Julii in veteri Corbejensi calendario scribitur *Natale SS. Processi, & Martiniani*, de quibus solam memoriam cum Missa matutinali præscribunt Ordinaria S. Apri Tullensis, & S. Petri supra Divam; tres Lectiones calendarium Beccense, consuet. S. Germani, & S. Dionysii hoc modo: „ (In nocturnis Invitatorium *Re*„ *gem Martyrum*, hymnus, & antiphonæ de Apostolis, „ Lectiones, R., capit., V., & oratio, de S. Martyri„ bus.) In consuet. S. Cornelii hac die notatur *festum* *S. Martialis Episcopi, & Confessoris* cum octo Lectionibus de ipso, & quatuor *de SS. Processo, & Martiniano*, quibus etiam tertium nocturnum consecrabant nostri Lyrenses; duos priores vero *S. Swithuno Episcopo*. In recenti Corbejensi calendario inscribitur solemnitas Visitationis B. Mariæ *Principalis*, cum comm. *SS. Processi, & Martiniani*.

XXXI. V. Nonas Julii in veteri Corbejensi calendario legitur altera manu scriptum: *Apud Edessam Sancti Thomæ Apostoli*; & in recenti: *Translatio S. Thomæ Apostoli commemoratio*. Principale ergo officium de SS. Apostolis Petro, & Paulo agebatur, de quibus quomodo celebrarentur octavæ, paucis accipe ex Ord. Cassinensi: „ (Intra „ octavas Apostolorum......antiphonæ ad nocturnum, & „ per omnes canonicas horas, una S. Petri, & alia S. Pau„ li dicatur; similiter Responsoria, & Matutinum; sed „ & Lectiones breves eodem modo dicantur. Dominica „ infra octavam Invitatorium, hymnus ut supra, anti„ phonæ de ipsis Apostolis; una ex uno, alia ex altero: „ psalmi de Dominica; Lectiones fiant de sermonibus fe„ stivitatis eorum; tertia vigilia cum Evangelio, & Mis„ sa ad Tertiam de Dominica, reliqua de Apostolis;) & ex libro consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 68. „ (Infra octavam diebus privatis ad nocturnos si evenerit „ ut psalmi sint in ipso nocturno, ad quos istæ pertinent „ antiphonæ, dicantur: *Clamaverunt*; *Constitues*: *Princi*„ *pes*: *Dedisti*: si non istæ: *Tollite jugum meum*: *Jam* „ *non dicam*; *Jugum enim*; *Tradent*. V. Responsorium „ primum, & tertium de S. Petro; secundum de S. Pau„ lo. Ad Laudes, & Vesperas, & ad ceteras antiphonæ „ communes de ambobus, vel de pluribus Apostolis: sed „ in Dominica infra octavam ad horas non aliæ antiphonæ „ quam; *Hoc est præceptum meum*, & quæ sequuntur: „ collectæ, & capitula ad Horas de pluribus Apostolis, „ & Missæ; per octavam de pluribus Apost., præter col„ lectam, quæ est de ipsis;) quibus conformis est Udalricus l. 1. c. 33., & Corbejense Ord.

XXXII. IV. Nonas Julii in veteri Corbejensi calendario signatur *Translatio S. Martini*; in Ordinario S. Petri supra Divam *Ordinatio S. Martini*, in recenti Corbejensi calendario, *Ordinatio, & Translatio S. Martini*. Festum Translationis S. Martini notatur in omnibus nostris calendariis, ordinariis, & consuetudinariis, cum XII. Lectionibus ex quibus quatuor postremas de SS. Apostolis cum Laudibus dicebant nostri Beccenses, & Compendienses, aliis sola commemoratione SS. Apostolorum, & Missa matutinali contentis.

XXXIII. Pridie Nonas Julii octava Apostolorum Petri & Pauli cum XII. Lect. de qua Divionenses S. Benigni consuetudines: „ [In octava eorum Introitum de plури„ bus Apostolis, hymni sicut in prima die, antiphonæ ad „ nocturnos vicissim de ambobus dicuntur: videlicet pri„ ma de S. Petro: *In plateis*, secunda de S. Paulo: „ *Qui operatus est*; atque in hunc modum aliæ alternatim „ subsequuntur: R. vero in unoquoque nocturno primum „ de S. Petro, secundum de S. Paulo, tertium commu„ ne de ambobus, quartum Ambrosianum de pluribus „ Apostolis: Antiphonæ ad cantica, seu ad Laudes, & „ ad ceteras Horas, de ambobus communes, vel de „ pluribus Apostolis dicuntur, sicut & capitula, & col„ lectæ.) His consentiunt Udalricus l. 1. c. 33., & vetus Corbejense Ordinarium. In Dionysianis, & Compendiensibus consuetudinibus unica super psalmos, & cantica in singulis nocturnis, & Laudibus antiphona præscribitur; Lectiones vero assignantur octo de sermone Sancti Maximi, & quatuor de homilia in Evangelium; In ordinario vero Cassinensi octo de sermone Sancti Maximi, nona ex commentario Sancti Hieronymi, reliquæ tres de sermone S. Aug. Si vero ipsa octava in Dominicam incidisset, octo Lectiones de Apostolis, cum R. *Constitues*; „ (vi„ gilia tertia de Dominica, & Evangelium, & Missa ad „ Primam; reliqua de octavis.)

XXXIV. Nonis Julii in Ordinario S. Petri supra Divam inscribitur *Translatio S. Thomæ Cantuariensis, festum in albis*. In Dionysianis, & S. Germ. consuet. *festum S. Martialis* cum XII. Lect.

XXXV. VIII. Idus Julii in eodem ordin. „ [SS. Mar„ tyrum Kyliani Episcopi, Colonati Presbyteri, & Thotnani „ Diaconi festum in cappis.)

XXXVI. VI. Idus Julii *Natale SS. VII. fratrum*, de quibus in nostris communiter calendariis, Ordinariis, & consuetudinariis tres assignantur Lectiones; sed Cassinenses hos SS. Martyres cum XII. Lectionibus recolebant: ex quibus octo de passionibus eorum, nona de homiliis S. Gregorii, tres ultimæ de passionibus *SS. Rufinæ, & Secundæ*, erant, quarum commemorationem in primis Vesperis cum antiphona, *Magnificat*, & oratione faciebant. In nocturnis vero ad Tertiam vigiliam antiphonam, canticaque de virginibus, cum tribus ultimis Lectionibus, ut diximus, & R. suis cantabant: Reliqua omnia de Martyribus.

XXXVII. V. Idus Julii legitur in veteri Corbejensi calendario *Natale S. Benedicti Abbatis*. Id est festum Translationis ejus in Gallias, cujus celebritas per omne Francorum regnum olim recepta erat, teste Orderico Vitali l. 4. p. 517. „ (Benedicti Translationem Cisalpini „ Cœnobitæ singulis annis solemniter, & devote celebrant „ v. Idus Julii;) & Tortario monacho in libro Mir. S. P. Benedicti c. 44. sæc. 2. part. 2. „ [Translatio Pa„ tris ejusdem agebatur, quæ æstatis tempore per omnem „ Galliam singulis celebratur annis.) Immo non solum apud Gallos; sed apud ceteras etiam nationes, ut discimus ex ejusdem Tortarii c. 12., & 32.: „ (Mense Julio Trans„ latio ejusdem gloriosi Patris non modo apud Gallos, sed „ etiam apud complures nationes celebriter recolitur.) Et certe de Anglia res manifesta est, ex Ingulfi historia Croylandensi ad an. 975.; ut mirum sit, quonam scrupulo moveri potuerint Casinenses Benedicti monachi, qui hoc festum sub nomine *Venerationis B. Patris Benedicti* celebrabant.

XXXVIII. Festum Translationis S. Patris Benedicti in calendario Lyrensi, Ordinario S. Petri supra Divam, & Dionysianis consuetud. inscribitur *in cappis*, alii ut minimum celebrabant *in albis*, & quidem cum proprio officio, & cum octava omnes. De festi autem hujus officio audiendæ sunt in primis Divionenses S. Benigni consuetudines: „ (Depositio Præceptoris nostri Sancti Benedicti cum sit „ in XL., non est opportunum propter ipsam XL., ut „ ita solemniter, & cum octava celebretur, propterea, „ quod tunc non possumus, in ejus Translatione facimus; „ de qua qualiter facta fuerit, vel cujusmodi persona in „ Gallias ejus sacrosancta ossa attulerit, manifesto scriptu„ rarum testimonio non caremus, quod in ipsius festivitatis „ prima nocte legitur ad nocturnos; in aliis noctibus per „ octavam legitur pulcherrimus sermo Beati Odonis Abba„ tis de eodem Sancto Patre. In vigilia ad Vesperos R. „ *Sanctus Benedictus*; & sciendum, quod illi, qui cantant „ R. ad Vesperos, tam in hac, quam in omnibus festis „ sunt in frocis, vel cucullis, Collecta: *Intercessio*, quæ „ ad

ad Evangelium, & Laudes, & Tertiam, & secundos Vesperas dicitur; & sicut in prima die, sic per totas octavas. Ad Tertiam non habentur manipuli, nisi contingat in die Dominica, sicut nec in aliquo festo in cappis, in quo non fit processio, exceptis pueris, & Conversis, qui de thuribulo serviunt, & candelabris; hi enim quandocumque revestiantur, habent manipulos, sequentia cum neuma canitur: *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Sanctus*, sine omni additamento funt, tam in hac, quam in omnibus festis, *Agnus Dei* cum versibus canitur, propter moram fratrum pacem accipientium. Illi tres cerei, qui ad alias Horas accenduntur, quoties illi viginti quatuor de ciborio ad Matutinas illuminantur, ad solum Completorium non illuminantur.] Idem videre est apud Udalricum l. 1. c. 34., & in antiquo Corbejensi Ord. in quo illud additur: „(antiphona de *Magnificat*, & *Benedictus* ter repetitur, sicut in omnibus festis in cappis, quæ habent proprietatem cantus, excepta fest. S. Johann. Evang., & SS. Innoc., & Circumcisione, & in Inventione, & Exaltatione S. Crucis; finito *Suscepit Israel puerum*, semel repetitur, finito *sicut locutus est*, iterum, finito *seculorum amen*, tertio,) In Dionysianis, Compendiensibusque consuetudinibus antiphona ad *Magnificat* bis tantum dicenda præscribitur, nec nisi unica ad singulos nocturnos, ad Laudes, & ad Vesperos præmittebatur. Fontanellenses post orationem S. Benedicti commemorationem faciebant S. Scholasticæ. Hac die nostri Tullenses comm. S. Hidulfi faciebant.

XXXIX. IV. Idus Julii Dionys. consuetudines tres habent Lectiones de S. Martyribus *Hermagora*, & *Fortunato* hoc modo: „(Invitatorium; *Regem Martyrum*, hymnus, & antiphonæ de oct. S. Benedicti; V., Lectiones, R. capitulum, V., & oratio de SS. Martyribus.)

XL. III. Idus Julii in consuetudinibus S. Germani a Pratis festum *S. Thuriavi Episcopi* in *parvis cappis*, cum officio proprio, octava, & ornamentis coloris viridis.

XLI. Pridie Idus in Dionysianis conf. tres Lectiones de *S. Foca Martyre*, ut supra de SS. Hermagora, & Fortunato.

XLII. Idibus Julii in Ord. Tullensi *Divisio Apostolorum* cum XII. Lect.

XLIII. XVII. Cal. Aug. ibid. *S. Aproniæ* Virg. cum XII. Lect. In vetustissimo Corbejensi calendario, *Adventus B. Cassiani Episcopi*.

XLIV. XVI. Cal. Augusti Beccense Calendarium *festum S. Alexii* inscribitur cum XII. Lect. *in albis*. Compendienses consuetudines *festum S. Sperati*, & *sociorum ejus*, in cujus primis Vesperis R., & in nocturnis Invitatorium a quatuor *in cappis*, & major Missa *in albis* cantabatur.

XLV. XV. Calendas Aug. octava S. Benedicti cum XII. Lectionibus. Eodem die *S. Arnulfi Episcopi*, & *Martyris*, cui in Calendario Beccensi, consuet. S. Dionysii, & S. Cornelii adscribitur tertius nocturnus; sicut in Calendario Lyrensi *SS. Arnulfo*, & *Claro Mart.* In Ord. S. Petri supra Divam Sancto Arnulfo tribuitur secundus nocturnus, commemoratio, & Missa matutinalis, sed Parisienses S. Germani sequenti die S. Arnulfi festum *in albis* celebrabant.

XLVI. XII. Calendas Augusti in vetustissimo Corbejensi Calendario signatur *Natale S. Vulmari Confessoris*; in recenti *Sanctæ Margaritæ Virginis* cum tribus Lectionibus, & commem. *S. Vulmari*; in Dionysianis etiam consuetudinibus assignatur S. Margaritæ tres Lectiones; in Compendiensibus, in Calendario Beccensi, & Lyrensi XII.; in Ord. S. Petri supra Divam celebrabatur *in albis*; in conf. Sancti Germani, sicut festum S. Johannis Baptistæ; sed in Ordinario Tullensi comm. tantum de illa notatur pridie Idus Julii.

XLVII. XII. Cal. Augusti in vetusto Corbejæ Cal. *Natale S. Praxedis*. Notatur etiam in recenti, in Lyrensi, Beccensi, conf. Dionys., Comp. & in Ordinario Tullensi cum tribus Lectionibus, cujus loco in Ord. S. Petri supra Divam inscribitur *festum S. Victoris* celebrandum *in albis*; in conf. S. Germani, sicut festum S. Johannis Baptistæ cum octava, & cum comm. *S. Praxedis*.

XLVIII. XI. Calendas Augusti *S. Mariæ Magdalenæ* in Beccensi, Lyrensi, & recenti Corbejensi Calend. XII. Lect.; in nostris etiam ordinariis, & conf. inscribitur *in albis*; in conf. S. Dionysii *in cappis*, cum quatuor procedentibus, & duobus Cantoribus ad Missam. Ex eisdem conf. R. in 1. Vesp., Invitat. in nocturnis *a quatuor in cappis*, singula R. a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque concinebatur. Notatur in eisdem etiam consuet., in Calendario Lyrensi, Beccensi, & recenti Corb. commem. de S. Wandregesilo; in Ordinario S. Petri supra Divam, & in consuetudinibus S. Germani comm., & Missa matutinalis.

XLIX. X. Cal. Augusti in vetusto Corbejensi Calendario *Natale S. Apollinaris*; extat etiam in recenti, & Dionys. conf. cum XII. Lect.; in Calendario Lyrensi, Beccensi, conf. S. Germani, S. Cornelii, Ordinario S. Petri supra Divam cum tribus tantum Lect.

L. IX. Calendas Augusti in recenti Corbejensi Calendario, Compendiensibusque consuetudinibus notatur *festum S. Cristinæ Virginis* cum tribus Lect.; in Dionysianis cum XII.

LI. VIII. Calendas Augusti in veteri Corbejæ Calendario legitur *Natale S. Jacobi Zebedæi Apostoli, fratris Johannis*, & *Sancti Christophori*, & *Sancti Firmini Episcopi*; in recentiori, in Beccensi, & Lyrensi, in antiquo item Corbejensi Ordinario, S. Petri supra Divam, in Compendiensibus conf. *S. Jacobi Apostoli*, *Christophori*, & *Cucufatis Martyrum*; in Ordinario Tullensi *S. Jacobi*, *S. Christophori*, & *S. Glodesindis*; in conf. S. Dionysii *S. Cucufatis Martyris*; in Parisiensibus S. Germani *Translatio S. Germani*, *festum S. Christophori*, & *Cucufatis Martyrum*. Et quidem in Calendario Beccensi, Lyrensi, recenti Corbejensi, Ordinario S. Petri supra Divam, & in Tullensi festum S. Jacobi inscribitur *in albis* cum comm. SS. Martyrum, de quibus prætarea Missam matutinalem præscribunt Ordinarium vetus Corbejense, & S. Petri supra Divam. Tullense vero de S. Christophoro, cum comm. S. Glodesindis; in quo plane notatu dignum est, quod de benedictione pomorum ibidem præscribitur „(In hac Missa novorum pomorum fiat benedictio, quæ poma a Sacrista præparanda sunt; benedicenda enim sunt infra canonem, post ista verba: *Infra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte*; postea fiat a Sacerdote benedictio pomorum ita dicendo: *Benedic Domine & hos fructus novos pomorum, quos tu Domine rore cœli* &c. usque ad finem, & in fine orationis dicatur: *Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus S. Deus per omnia secula seculorum amen*; postea dicatur: *Per quem hæc omnia*.) In Compendiensibus etiam S. Cornelii conf. præscribitur facienda pomorum benedictio, sed non infra matutinalem, verum post majorem Missam; in Dionysianis post Missam matutinalem.

LII. Parisienses vero S. Germani hac die solemniter celebrabant Translationem S. Germani, sicut festum S. Vincentii, cum officio proprio, comm. SS. Christophori, & S. Cucufatis, & cum octave; si tamen facta non fuisset in prædicti Sancti Transitu; quo casu „(fiet *inquiunt ejusdem monasterii consuet.*, tribus diebus sequentibus post translationem, sicut tribus diebus post Pascha in omnibus;) sequenti vero die S. Jacobi Apostoli *festum in albis de tribus cereis* recolebant, sicut & Dionysiani, qui hac die S. Cucuphatis celebritatem solemniter agebant cum proprio officio, in cujus primis Vesperis R. a quatuor *in cappis*, antiphona ad *Magnificat* bis decantabatur, duo thuribula deferebantur, In nocturnis Invitat. a quatuor in cappis, singula R. a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque concinebatur, Missa matutinalis ad majus altare de S. Cucuphate, cum memoria S. Christophori, sicut etiam in Vesperis, & Laudibus: Major in cappis celebrabatur. Sequenti vero die cum eadem, aut fere eadem solemnitate S. Jacobi festum agebant. E contra Compendienses hac die S. Jacobi, sequenti SS. Martyrum Christophori, & Cucufatis solemnia cum XII. Lect. recensebant.

LIII. VI. Calendas Augusti in conf. Comp. tres Lectiones de S. Hermolao, & sociis ejus.

LIV. V. Calendas Augusti „(Duplex festum B. Pantaleonis Martyris, *inquiunt eædem consuetudines*, Palliis melioribus Ecclesia adornetur in capitio, & in choro, & in navi; & oratorium ejus palliis adornetur ad Vesperas ..... R. *Miles Christi* a quatuor in cappis ... (post Vesperas) fiat processio ad oratorium ipsius; R. *Sanctissimi*, V. a quatuor in cappis ... Invitat.: *Vincentem mundum* a quatuor in cappis ... Lect. de passione ejus, tota passio legatur. (Ad Missam) omnes sint in albis, & tres Cantores in choro.) Hæc carptim Compendienses Cornelii consuetudines, ex quibus idem festum cum octava recolitur. Reperitur etiam Natale S. Pantaleonis in Calendario Lyrensi, & Beccensi cum comm. *S. Sansonis*, de quo S. Petri supra Divam Ordin. XII. Lectiones præscribit cum memoria, secundo nocturno, & Missa matutinali de S. Pantaleone. In recenti Corbejæ Calenderio tres Lect. assignantur de SS. Nazario, Celso, Pantaleone Martyre cum comm. S. Samsonis. In conf. S. Germani XII. Lect. *SS. Martyrum Nazarii*, *Celsi*, & *Pan-*

& Pantaleonis: in Dionysianis xii. Lect. de consecratione majoris altaris cum commem. Sancti Pantaleonis, de quo etiam in Ord. Tullensi iii. Lect. notantur.

LV. IV. Calendas Augusti signatur in veteri Corbejensi Calendario *Natale SS. Simplicii, Faustini, & Beatricis*; in recenti *Falicis, Simplicii, Faustini, & Beatricis*: de quibus tres Lectiones assignant Calend. Lyrense, Beccense, recens Corbejense, cons. S. Dionysii, S. Germani, & Ord. Tullense.

LVI. III. Calendas Aug. in eodem veteri Calendario Corb. *Natale SS. Abdon, & Sennes*: extat etiam in recenti, in Beccensi, Lyrensi, cons. S. Germani, S. Dionysii, S. Cornelii, & in Ord. Tullensi cum tribus Lect.

LVII. Pridie Calendas Augusti legitur in eodem veteri Calendario *Natale S. Germani Episcopi, & Confessoris*, de quo est. Lectiones assignantur in recenti Calendario, in Ord. S. Petri supra Divam, & in Tullensi, in consuetudinibus S. Germani, & S. Dionysii; viii. in Compendiensibus cum quatuor de octava S. Pantaleonis; tres in Lyrensi Calendario: In Beccensi vero viii. Lectiones de S. Neoto Abbate, & iv. de S. Germano.

CAPUT VII.

De Festis Augusti mensis.

I. MEnsis Augusti festis integrum hoc caput consecramus, utpote quibus plurimum præ cæteris mensibus abundat, iisque non inferioris gradus; comprehendit enim Apostolos, illustres Martyres, Confessores, & Virgines insignes, & super omnes horum sanctorum excellentissimam Reginam Deiparem Virginem Mariam; Regemque SS. omnium Sanctissimum ejus Filium, cujus gloriosam Transfigurationem hoc mense festivis honoribus recolimus: ex his occurrit primum.

II. Calendis Augusti in vetustissimo Corbejensi Calendario *Passio SS. Machabæorum* vii. *fratres cum matre sua*; deinde altera manu *S. Petri ad vincula*. S. Petri ad vincula festum in omnibus nostris Calendariis, Ordinariis, & consuetudinariis reperitur: SS. vero Machabæorum in Calendario Lyrensi, & in Ordinario S. Patri supra Divam reticetur; quorum etiam loco in antiquo Corbejensi Ordinario, recentiqua Calendario substituuntur comm. *S. Justini Martyris*; sed in Ordinario Tullensi, & in consuetudinibus S. Germani a Pratis illis additur memoria *S. Eusebii Episc., & Mart.*

III. S. Petri ad vincula festum in Ordinario Tullensi, S. Petri supra Divam, & consuet. S. Germani inscribitur *in albis*; ut Dionysiani Missam cantabant *in cappis*. In Corbejensi monasterio erat subprincipale festum, ex recenti Calendario.

IV. Missæ matutinalis erat de SS. Machabæis, quorum etiam memoriam in Vesperis, & Laudibus faciebant. Cassinenses vero totum hujus diei officium ita disponebant: In primis Vesperis: „ (antiphona ad *Magnificat*: *Petrus „ autem*, deinde antiphona de SS. Machabæis: *Fulgebunt*: „ *Magnificat*, & oratio. In nocte in prima, & secunda „ vigilia omnia fiunt de Sanctis. Antiphona ad Cantica, „ *Petrus autem*, Lectiones quatuor fiant de homilia .... „ Ad Benedictus antiphona: *Quodcumque Benedictus*, & „ oratio, & antiphona de SS. Ad Primam cantatur Missa de SS.)

V. IV. Nonas Augusti in veteri Corbejæ Calendario *Natale S. Stephani, scilicet Papæ, & Martyris*, quod in omnibus fere Calendariis, Ordinariis, & consuetudinariis nostris notatur cum tribus Lectionibus; & quidem de Evangelio: *Homo quidam nobilis*, ex Ordinario Tullensi.

VI. III. Nonas Augusti in veteri Corbejæ Calendario altera manu scriptum legitur: „ (Hierosolymis Inventio „ B. Protomartyris Stephani, Gamalielis, Nicodemi, at„ que Abibæ.) Reperitur etiam in omnibus nostris Calendariis, Ordinariis, & consuetudinariis cum xii. Lect.; in recenti vero Corbejensi Calendario, in Tullensi Ordinario, & in consuetudinibus S. Germani inscribitur *in albis*. Officium in omnibus communiter monasteriis erat proprium. Dionysiani, & Compendienses unicam dumtaxat ad singulos nocturnos, & Laudes antiphonam dicebant. Parisienses S. Germani principale officium de S. Stephano, cum comm. *SS. Gamalielis, Nicodemi, atque Abibonis* in Vesperis, & Laudibus, & cum Missa matutinali de eisdem faciebant.

VII. Pridie Nonas Augusti Compendienses S. Cornelii consuetudines signant xii. Lect. *de octav. S. Pantaleonis*; Dionysianæ tres *de S. Justine Martyre*.

VIII. Nonis Augusti in veteri Corbejæ Calendario legitur *depositio S. Cassiani Episcopi, & Confessoris*: in Lyrensi *Dominici Jacobini*; in Ordinario Tullensi, & cons. S. Dionysii tres Lectiones *de S. Memmio*.

IX. VIII. Idus Augusti vetus Corbejense Calendarium signat *Natale S. Xysti, & S. Felicissimi, & Agapiti*. Reperitur etiam in recenti, in Beccensi, in Lyrensi, & in Ordinario Tullensi, cum tribus Lectionibus; at in his omnibus desideratur festum Transfigurationis, sicut & in Ordinario S. Patri supra Divam; quod tamen est antiquissimum, maxime apud Græcos. Ejus mentionem faciunt Petrus Venerabilis in statuto 5. antiquum Cassinense Ordinarium, cons. S. Dionysii, S. Germani, & S. Cornelii; in quibus inscribitur cum xii. Lectionibus: Dionysiani tamen, & Compendienses tertium nocturnum, cum Laudibus, & Missa matutinali de SS. Martyribus cantabant; quibus Parisienses S. Germani solam comm. cum Missa matutinali concedebant. Totum officium erat proprium de *Trinitate*, ex cons. S. Dionysii, S. Cornelii, & S. Germani; sed Dionysii, & Comp. unicam tantum ad singulos nocturnos, & Laudes antiphonam dicebant.

X. Ad Missam omnes erant *in albis* ex cons. S. Germani, & Ord. Cassinensi, in quo hæc afferuntur: „ (In „ Transfiguratione Domini .... hora tertia omnes albis „ induti stent in choro. Hac die benedicantur uvæ novæ ad „ Missam.) Isthæc uvarum solemnis benedictio reperitur etiam in omnibus fere Ordinariis, & consuetudinariis nostris; ut in antiquo Corbejæ Ordinario, in Tullensi S. Apri, in cons. S. Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii, & apud Udalricum l. 1. c. 35., & quidem infra canonem, sive matutinalis, sive majoris Missæ facienda. Ritum ita describit antiquum Corbejense Ordinarium: „ (In hac festi„ vitate benedicuntur uvæ, quæ primum lavantur diligen„ ter a custode Ecclesiæ, & in scypho ponuntur argenteo. „ Ad horam postmodum benedictionis, antequam scilicet „ dicatur ad Missam: *Per quem hæc omnia Domine semper „ bona creas*, sumuntur ab Armario, & altari cum reve„ rentia applicantur: Benedictio vero ita silenter dicitur, „ ut nec a Diacono, vel Armario audiatur. Benedictione „ peracta, Armarius uvas ab altari reportat, & Secretario „ reddit. Sacerdos vero illas ad mensas, a prioribus inci„ piens, unicuique distribuit, ut servitoribus aliquantum „ remaneant. Ipsi vero, cum fuerit in sede sua, unus ex „ prioribus, vel Armarius dat,... servitoribus ille dat, „ qui ad primum versum dedit benedictionem. Quod si „ in festo S. Sixti nondum possunt inveniri uvæ, quando „ primitus inveniri potuerint, eodem modo benedicentur.) Uvæ istæ benedictæ in refectorio distribuebantur, ut hic, & in Ordinario S. Apri dicitur; idque loco hostiarum, sive oblatarum, ex Udalrico l. 1. c. 35. Est autem uvarum hæc die benedictio antiquissima tam apud Græcos, quam apud Latinos, cujus auctorem faciunt Eutychianum Papam; qua de re vide Menardi notas in lib. Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ p. 173.

XI. Præter hanc uvarum benedictionem, „ (sunt & „ aliæ tres species, *inquit Udalricus loco citato*, quæ ex mo„ re in refectorio benedicuntur; idest novellæ fabæ, no„ vellus panis, & mustum (& hoc modo) Lectio prius „ inchoatur, post cujus versum primum, stat Sacerdos in „ medio refectorii ante mensam principalem, & præmis„ sa salutatione, singula benedicit; fabas ita: *Benedic „ Domine hos fructus*; pro pane: *Benedic Domine crea„ turam istam panis*; pro musto: *Domine omnipotens Je„ su Christe, qui ex quinque panibus, & duobus piscibus, „ quinque millia hominum satiasti* &c.) De hac benedictione hæc subjungit vetus Corbejense Ordinarium: „ (Quan„ do autem primitus mustum est benedicendum, non „ inde caritas facienda est ad prandium, sive ad collatio„ nem; sed potius mittendum est in justis, talique per „ omnia modo benedicendum, sicut benedicuntur fabæ „ novæ, & panis novus; post primum versum videlicet „ lectionis. Hæc benedictio sine stola fit in refectorio.) Quonam vero tempore ageretur ista benedictio, nos latet.

XII. VII. Idus Augusti vetus Corbejense Calendarium signat *Natale S. Donati*, scilicet Episcopi, & Martyris: extat etiam in recenti, Lyrensi, Beccensi, cons. S. Dionysii, S. Germani, S. Cornelii, & in Ord. Tullensi cum tribus Lect.

XIII. VI. Idus Augusti in eodem veteri Corbejensi Calendario *Natale S. Ciriaci*; recens addit: *Largi, & Smaragdi Mart.*, sicut & Lyrense, Beccense, Dionysianæ cons., Compendienses S. Germani, & Ordinarium Tullense, ubi notatur cum tribus Lect.

XIV. V. Idus Augusti in eodem veteri Corbejensi Calendario *vigilia S. Laurentii*; in recenti, Beccensi, Lyrensi *S. Romani Martyris* cum *vigilia S. Laurentii*; in Ordinario S. Petri supra Divam, S. Apri Tullensis, cons. S. Germa-

Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii officium trium Lect. notatur de S. Romano, cum Missa matutinali: Major vero de vigilia, & quidem solemniter: *quasi in albis* ex Ord. Sancti Petri supra Divam.

XV. IV. Idus Augusti in omnibus nostris Calendariis, Ordinariis, & consuetudinariis, reperitur *Natale S. Laurentii Martyris* cum proprio officio XII. Lect., inscribiturque *in albis*, tam in Calendario Lyrensi, Corbejensi recenti, quam in cons. S. Germani, & in Ordinario Tullensi. Similiter Cassinense Ordinarium in festo S. Laurentii „ (ad „ Missam omnes induti albis lineis intrant chorum,] Sed in consuetudinibus S. Dionysii, & Ordinario Sancti Petri supra Divam notatur *in cappis*.

XVI. Festo S. Laurentii in nostris fere omnibus libris octava adscribitur, multisque jam ante sæculis id usus obtinuit, ut patet ex Aimonio l. 1. de Mirac. S. Benedicti n. 22. Quonam vero modo officium intra octavam fieret, ita præscribit antiquum Cassinense Ordinarium: (Intra octavam ita fiat: Invitatorium, hymnus, antiphona ad nocturnos, & post omnes canonicas horas de S. Laurentio dicantur; Lectiones duæ legantur de Sanctis, qui veniunt intra ipsas octavas, cum R. suis; tertia vero de S. Laurentio, Matutinum, & Missa de SS. fiant; & adjuncto Introitu, & oratione de S. Laurentio:] Aliter vetus Corbejense Ordinarium: „ (Hæc festivitas habet jejunium in vigilia, de qua & notandum est, quod cum habeat octavas XII. Lect.; tamen nulla memoria inde fit, donec in octava die, propter imminentes festivitates.) Econtra in utroque Sancti Petri supra Divam, & Sancti Apri Tullensis Ordinario quotidie de Sancto Laurentio commemoratio facienda præscribitur.

XVII. III. Idus Augusti vetus Corbejense Calendarium signat *Natale S. Tyburtii, & S. Gaugerici*, similiter & recens cum tribus Lect. Lyrense *S. Taurini Episcopi in albis* cum comm. *S. Tyburtii*; item Beccense *S. Taurini* cum XII. Lect., & comm. *S. Tiburtii*; cui secundum nocturnum cum comm., & Missam matutinali tribuit Ord. S. Petri supra Divam; reliquum vero officium *S. Taurini*; sed Ord. Tullense, cons. S. Germani, S. Dionysii, & S. Cornelii, hac die notant tres Lect. *de S. Tyburtio*.

XVIII. Idibus Augusti in veteri Corbejæ Calendario *Natale S. Hypoliti*; in aliis additur: *sociorumque ejus*; notaturque in Calendario Beccensi, Lyrensi, Ord. Tullensi, & S. Petri supra Divam cum tribus Lect.; in recenti Corbejæ Calendario, & cons. S. Germani cum XII.; in Dionysianis *festum duplex* cum proprio officio, saltem quo ad antiphonas, R., & Lectiones, quæ erant XII. *de passione ejus*. Primæ Vesp. in ejus oratorio cantabantur R. a quatuor *in cappis*, dum thuribula deferebantur post Vesperas redeundo in chorum antiphona, & *Magnificat* de Beato Dionysio. In nocturnis, qui in ejus pariter oratorio dicebantur, Invitatorium a quatuor, singula R. a duobus, quartum a tribus, oct. a IV., duodecimum a quinque. Post Laudes revertendo in chorum antiphona, *Benedictus* de S. Dionysio; postea Matutinæ de omnibus SS. Missa matutinalis ad majus altare de S. Hypolyto. Major in ejus oratorio *in cappis*, cum quatuor procedentibus, & tribus Cantoribus.

XIX. XIX. Calendas Septembris vigiliam Assumtionis Gloriosissimæ Virginis Mariæ solemniter celebrabant antiqui, non secus ac vigiliam ipsius Natalis Domini, Paschæ, aut Pentecostes. Quapropter primas etiam Vesperas, aut saltem commemorationem pridie obtinebat, ut patet tum ex Ordinario S. Petri supra Divam, S. Apri Tull.; tum ex Dionysianis consuetudinibus. Ad nocturnos, Invitatorium a duobus *in albis* concinebatur, ex Ordinario S. Petri supra Divam, cons. Dionysii, & S. Cornelii. Tres Lectiones dicebantur ex Evangelio, *Factum est, cum loqueretur Dominus*, ex Ord. Tullensi; seu: *Extollens*, ex consuetudinibus S. Germani; vel: *Exurgens Maria*, ex Dionysianis, Compendiensibusque cons. Primam Lectionem in Dionysiano monasterio cantabat *Diaconus*; tertiam *Abbas*, vel *Prior*. Hic obiter observandum, quod habent cons. S. Germani: Matutinis „ (omnes debent interesse, & imbecilles retro chorum.)

XX. Ad Laudes pulsabatur classicum, antiphonæ a prioribus imponebantur, ad *Benedictus* incensum offerebatur, commemoratio cum Missa matutinali de S. Eusebio.

XXI. Ad Primam hymnus *Memento salutis author*, ex cons. S. Germani, post quam psalmi familiares quidem; sed non septem pœnitentiales recitabantur, ex eisdem consuetudinibus, & Compendiensibus.

XXII. „ (In capitulo, *inquit Ord. S. Petri supra Divam*, ad Lectionem primam debent omnes adunari, & Prior debet plus pertendere campanam, quam cæteris diebus; cum autem audierint Assumtionem B. Mariæ pronunciari, cadant omnes in facies suas, & faciat unusquisque orationem, prout Deus donaverit.)

XXIII. „ [Major Missa, *ait idem Ordinarium*, de vigilia quasi in albis magnifice celebretur;) & Dionysianæ cons.: „ (Magna Missa de vigilia, & sint omnes in albis. Hebdomadarius habeat festivam cappam, ministri altaris festivis induantur ornamentis.) Idem habent Compendienses S. Cornelii cons. Introitus Missæ apud Parisienses S. Germani, & Tullenses S. Apri: *Salve sancta parens*; apud Dionysianos, & Compendienses: *Vultum tuum*: Hi legebant Evangelium in Lectorio. De præmittendis autem hanc ad Missam audienda sunt Divionenses S. Benigni consuetudines cap. 68. „ (In vigilia Assumptionis S. Mariæ ante Missam vertuntur formæ, & alia cooperiuntur; letania non dicitur, neque postquam Missa incipitur, fratres super formas prosternuntur; infantes albis induuntur, Cantores, qui cum cappis cantaturi sunt R. stant super pavimentum Presbyterii, sicut in hujusmodi festis, alter a dextris, & alter a sinistris. Ad finem Missæ: *Benedicamus Domino* dicitur, nisi dies Dominica sit) Idem habet antiquum Corbejensis monasterii Ordinarium, in quo illud additur: „ (Similiter alba cappa est Hebdomadarii, qui præest choro, & casula Sacerdotis, & dalmatica Diaconi, & tunica Subdiaconi.) Et hæc de vigilia Assumtionis privatis diebus. Cum vero in Dominicam incidisset, integræ Matutinæ cum psalmis Dominicalibus de B. Maria, tam ex Dionysianis, quam ex Compendiensibus consuetudinibus dicebantur; vel duo primi nocturni de octava S. Laurentii, tertius cum Laudibus, horis, & majori Missa de vigilia, ex cons. S. Germani; vel integri duo primi nocturni, cum canticis, & Missa matutinali de Dominica; cetera de vigilia, ex Ord. S. Petri supra Divam; vel denique nihil de ipsa vigilia præter comm. in Vesperis, & Laudibus, & majorem Missam de vigilia, ex Ord. Tullensi; quo casu „ (Sabbato præcedenti post Vesperas diei, *inquit*, pro Vesperis omnium SS. dicentur Vesperæ de S. Maria, & post Laudes Dominicæ diei pro Laudibus omnium SS. Laudes de Sancta Maria.)

XXIV. XVIII. Calendas Septembris Assumtio Gloriosissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ in nostris omnibus Calendariis, Ordinariis, & consuetudinariis notatur; eratque apud Nostros una ex quinque præcipuis anni festivitatibus; in qua proinde eosdem omnino ritus observabant, quos in Natali, in Resurrectione Domini, in Adventu Spiritus sancti, & in festis patroni cujusque loci descripsimus; quos proinde hic repetere videtur otiosum: eos dumtaxat referemus, qui ad hanc festivitatem noscuntur singulariter attinere. Nihil itaque de solemnitate Vesperarum, quæ cantabantur in albis, ex Dionysianis, Compendiensibusque cons.; nihil de nocturnorum, in quibus Invitatorium a quatuor, vel septem in cappis, R. a pluribus, quædam etiam in cappis concinebantur; & ad quartam cujusque nocturni Lectionem incensum offerebatur, ut videre est in Ordinario Tullensi; nihil de Laudibus; nihil de processione solemni ante majorem Missam, quæ omni cum apparatu fieri solebat. Primum ergo observabimus, quod præscribit Tullense S. Apri Ordinarium: „ (A principio, *inquit*, Vesperarum vigiliæ hujus Assumtionis, usque post magnam Missam, in die ardeat cereus ante altare Sanctæ Mariæ.) Hoc in aliis etiam monasteriis in quibusdam SS. festis usus obtinuit, sed amplius aliquid habent Divionenses S. Benigni consuetudines: „ [Illi magni cerei, *inquiunt c. 68.*, qui sunt post majus altare, & circa crucem, tam in hac festivitate, quam in sui similibus, & in festivitate S. Trinitatis, in vigilia ante Vesperas accenduntur, & ipsa die post Completorium extinguuntur.) Idem habet antiquum Corbejensis monasterii Ordinarium; videnturque hunc ritum a Romana S. Mariæ majoris Ecclesia accepisse; nam ut tradit Petrus Venerabilis l. 2. Mirac. c. 30. „ (mos est Romanorum festum illud Assumtionis Matris Domini inter universas anni festivitates præcipuo honore colere, speciali devotione venerari. Unde est, quod inter plura devoti animi sui erga præcelsam Virginem signa, cereos maximos faciunt, & eos ante paratos vigilia festivitatis ad nominatam Ecclesiam deferunt, atque vespertina hora, vel circa accendunt ..... manent ergo Romanorum cerei a Vespertinis, ut dixi, horis usque ad sequentis diei Sextam, vel Nonam horam in Ecclesia Matris Domini, ad honorem utriusque accensi; & festive Missæ solemniis consummatis, singuli a propriis Dominis ab Ecclesia reportantur.)

XXV. Ad Primas Vesperas unica ex Benignianis consuetud., Ordin. Corbejensi, atque Tullensi dicebatur antiphona super psalmos; plures in secundis Vesperis a Prio-

ribus

ribus post Cantorem imponendæ: ex Dionysianis vero, Compendiensibusque consuetudinibus plures tam ad primas, quam ad secundas Vesperas. Psalmi in primis Vesperis de feria; in secundis Vesperis, ex Ordinario Corbejensi, & Udalrico: *Dixit Dominus: Lætatus sum: Nisi Dominus ædificaverit: Memento* similiter, ex Dionysianis consuet. in quibus additur alia die *Lauda Jerusalem*, scilicet ultimo loco; ex Ordin. Tullensi *Dixit Dominus: Laudate pueri: Lætatus sum: Memento*; ex consf. S. Germani: *Dixit Dominus: Laudate pueri: Lætatus sum: Nisi Dominus.* Hymnus ad utrasque Vesp. *Ave maris stella*, vel ut in Ord. Tullensi l. 1. c. 36. *O quam glorifica*: „ (Ad omnes vero hymnos horarum, *inquit Udalricus*, additur: „ *Gloria tibi Domine, qui natus es*;) vel *matrem per integerrimam*, ut habet Tullense Ord.; vel *Memento salutis*, & *Gloria tibi Domine*, ut Dionysianæ consf. Ad nocturnos hymnus: *Quem terra, pontus*, & *O gloriosa*, simul ex Ordinario Tullens. Lectiones XII. ex adscripto S. Hieronymo sermone: „ [Cogitis me o Paula, qui, *ut ait Udalricus*, „ cum tantæ sit excellentiæ, ad nonam Lectionem nequaquam pronuntiatur Evangelium; sed omnes Lectiones de eodem sermone fiunt.) Idem habet Corbejense Ordinarium; idem etiam non obscure colligitur ex Benignianis consuetud.: In Dionysianis tamen assignatur tantum ad octo primas: ad tertium vero nocturnum quatuor Lect. ex Evangelio: *Intravit Jesus.* Aliud Evangelium præscribitur apud Udalricum, & in antiquo Corbejensi Ord., nempe: *Repleta est Spiritu*; idem tamen cum Dionysianis habent Evangelium consuet. S. Germani, & Tullense Ordinarium.

XXVI. Post Laudes comm. de S. Laurentio tam ex Ord. Cassinensi, quam ex consf. S. Germani; sed Dionysiani nullam omnino faciebant commemorationem.

XXVII. Ad Missam „ (omnes vadunt ad pacem, *inquiunt Divionenses S. Benigni consuetudines c.* 68., & „ ad communionem, præter illos, quibus quid dormiendo contigerit, sicut in Pentecoste, & Natali Domini, „ & festo omnium SS.; in Pascha vero, & in tribus præcedentibus diebus numquam propter illud dimittitur pax, „ vel communio.) Idem habet antiquum Corbejense Ordinarium, confirmatque Johannes monachus in vita S. Odonis libro 2. num. 21. sæc. 5. his verbis: „ [Præterito „ isto mense Augusto ipsa die Assumtionis B. Mariæ, in „ Aventino Monasterio fuit Pater noster. Rogatus est „ autem a Domno Baldaino Abbate, ut ipsa die ob amorem S. Mariæ ibi Missam celebraret, & suis manibus Corpore, & Sanguine Domini nos communicaret, „ &c.] Hæc Romæ acta sunt; & tamen Tullense S. Apri Ord. „ (Die Assumtionis B. Mariæ, *inquit*, fratres, qui „ privatas Missas voluerint celebrare, a mane usque ad „ Tertiam cantare possunt, ut Tertiæ possint interesse cum „ ceteris; (addit nihilominus postea.) „ Hac die Diaconus tot hostias consecrandas apponat, ut ipsa die fratribus, qui non celebraverunt, Conversisque, & Sororibus „ sacra communio sufficiat.) Hæc sunt præcipua, quæ ad Assumtionis Deiparæ Virginis diem festam singulariter pertinet; unum hic addo ex Benignianis consuetud. c. 68., aliis tamen festis commune: „ (Sciendum est, *inquiunt*, „ quod in quinque præcipuis festis non debent equitare „ fratres, vel Monasterium ingredi, vel egredi: quod si „ aliquis interveniente necessitate, vel negligentia in aliqua „ v. festivitatum Monasterium ingressus fuerit, sicut ille, „ qui pisces advehit, benedictionem per Horas non accipiat.) Idem habet Corbejense Ordinarium. Assumtio B. Mariæ in Dionysianis, & S. Germani consuetudinibus solemnes habent octavam ab omni alio festo vacantes, sed neque in antiquo Corbejensi Ordinario alicujus Sancti officium in ea reperi, neque in Ordinario S. Petri supra Divam. Tres post festum ipsum dies ex Dionysianis, & S. Germani consuetudinibus erant prorsus solemnes, quemadmodum in Resurrectione, & in Pentecoste, in quibus Dionysiani quidem Missam cantabant *in cappis*; Parisienses S. Germani *in albis*. Singulis diebus nova legebantur Evangelia, de quibus ad Nocturnos tres cantabant Lectiones, scilicet secunda die ex Dionysianis consuet.: *Cum esset desponsata*, ex Sangermanensibus: *Repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.* Tertia die ex Dionys. consuet.: *Missus est*; ex Sangermanens.: *Extollens vocem.* Quarta die ex Dionysianis consuet.: *Factum est dum loqueretur*; ex Sangermanensibus: *Stabant juxta crucem.* Quinta die ex Dionysianis consuet.: *Erat Joseph, & Maria Mater*; ex Sangermanensibus: *Repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.* Sexta die ex Dionysianis, atque Sangermanensibus consuet.: *Stabant juxta crucem.* Septima die ex Dionysianis: *Exurgens Maria:* Octava in utrisque: *Intravit Jesus.* In antiquo Corbejensi Ordinario duo dumtaxat assignantur Evangelia vicissim repetenda, scilicet: *Repleta est*, & *Intravit.* Vide Petri Venerabilis Statutum. In eodem Corbejensi Ordinario, & in Benignianis consuetudinibus illud insuper habetur: *Per totas octavas locutio est in claustro*; Corbejense Ordinarium addit: *excepta die octava.*

XXVIII. Nonnulli tamen occurrentes hanc in octavam festivitates celebrabant: ita in Compendiensibus S. Cornelii consuetudinibus XVI. Calendas Septembris festum *S. Balsemis* solemniter celebrandum inscribitur; in Ordinario Tullensi *S. Arnulphi* cum XII. Lect., & commem. octavæ Assumtionis: „ (Tunc pro Vesperis omnium Sanctorum, „ *inquit*, Vesperæ de Sancta Maria dicentur, & pro Laudibus omnium Sanctorum, Laudes de Sancta Maria,] idemque aliis in festis infra hanc octavam incidentibus præscribit.

XXIX. XVI. Calendas Septembris vetus Corbejense calendarium signat *octabas S. Laurentii*, de quibus solam commemorationem præscribunt consf. S. Germani, Lyrense, atque Beccense calendarium; tres Lectiones cum suis ℟. Tullense Ordinarium; ita tamen ut hymnus, & antiphonæ nocturnorum essent de B. Maria: Cassinenses vero octavæ S. Laurentii officium ita disponunt: „ (In octava autem omnia fiant de S. Laurentio. Psalmi de feria, tres Lectiones de S. Maria. Si autem ipsæ octavæ die Dominica „ venerint; Invitatorium, hymnus, antiphonæ tres in prima „ vigilia, & tres in secunda vigilia de S. Laurentio dicantur. In secunda de S. Maria, in tertia de Dominica, & „ Evangelium. Matutinum de S. Laurentio, deinde antiphona, & oratio de S. Maria; postea vero antiphona: „ *Benedictus*, & oratio de Dominica. Ad Primam antiphona, & Missa de S. Laurentio, adjuncta oratione S. Mariæ. Ad Tertiam Missa de Dominica, reliqua omnia de „ S. Laurentio;) sed in recenti Corbejæ calendario octo Lectiones assignantur de S. Laurentio, & quatuor de S. Maria. Dionysiani autem nequidem comm. de S. Laurentio faciebant.

XXX. XV. Calendas Septembris in vetustissimo Corbejensi calendario legitur *Natale S. Agapiti, & S. Martini Papæ*, in recenti tantum *S. Agapiti Martyris*, de quo in consf. S. Germani, in Ord. Tullensi, in Lyrensi, atque Beccensi calendariis sola præscribitur commemoratio.

XXXI. XIV. Calendas in vetusto Corbejæ calendario altera tamen manu, & in recenti *Magni Martyris*, de quo commemorationem notant cal. Lyrense, atque Beccense, & Ord. Tullense.

XXXII. XIII. Calendas Septembris in præfato Corbejæ calendario vetusto *Natale S. Filiberti*, similiter & in recenti, de quo memoriam notat Ord. Tullense; XII. Lect. calend. Lyrense; octo Beccense cum quatuor de B. M.

XXXIII. XII. Calendas Septembris vetus Corbejense calendarium *Natale S. Thimothei, & S. Symphoriani*; ubi, quod certe mirum est, nihil de octava B. Mariæ Assumtionis, quam ubique cum XII. Lectionibus signatam reperimus, & quidem cum majori Missa *in albis* ex consf. S. Germani, S. Cornelii, & calendario Lyrensi; immo *in cappis* ex consf. S. Dionysii, & Ordinario S. Petri supra Divam. Minor, seu matutinalis Missa *de SS. Martyribus Timotheo, & Symphoriano*, de quibus memoriam etiam in Vesperis, & Laudibus agebant; Sangermanenses vero de S. Timotheo dumtaxat, rejecto S. Symphoriano in diem sequentem festo; de quo officium solemne *in albis de quinque cereis* celebrabant. Cassinenses de SS. Martyribus nil omnino fecisse videntur, ex quorum antiquo Ordinario hæc dumtaxat excerpsi: „ (In octava omnia fiant, sicut in die ejus. Octo Lectiones fiant de sermone Autperti Abbatis: *Adeste dilectissimi fratres*, quatuor vero de homilia. Si „ ipsæ octavæ die Dominico evenerint; in prima, & secunda vigilia omnia fiant de S. Maria, sicut in die ejus. „ Tertia vero vigilia de Dominica, & Evangelium, & Missa ad Primam; reliqua omnia de octava.) De Dominica autem infra octavam hæc habentur: „ (VIII. Lect. legantur de S. Maria; octava tamen, si quidem evenerit intra „ octavam, legatur de S. Laurentio. In tertia vigilia homilia de Dominica, & Evangelium. Matutinum de sancta „ Maria, & Missa ad Primam.)

XXXIV. X. Calendas Septembris in Lyrensi, Beccensi, & recenti Corbejæ calendario, & in Ordinario Tullensi *festum SS. Timothei & Apollinaris Martyrum* cum tribus Lect. notatur; in Dionysianis *S. Osmannæ Virginis* cum officio XII. Lect. cujus Invitatorium a quatuor in *cappis*, singula ℟. a duobus, quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque cantabatur. Major Missa *in cappis* cum quatuor Præcedentibus, & tribus Cantoribus. Sed in codice Colbertino officium S. Osmannæ in diem 9. Septembris rejicitur, & pro eo hac die legitur officium solemne *S. Bernardi* Abbatis cum XII. Lect. cujus Invitato-

rium

rium e duobus *in cappis*, quartum ℟. e duobus, octavum a tribus, duodecimum a quatuor cantabatur. Major Missa in *cappis*.

XXXV. IX. Calendas Septembris in vetustissimo Corbejensi calendario inscribitur *Natale sancti Bartholomæi Apostoli, & depositio Audoeni Episcopi*. Sancti Audoeni festum in sequentem diem rejiciebant nostri Dionysiani, XII. Lectiones hodie de S. Bartolomeo facientes, cum quarto ℟. a duobus, octavo a tribus, duodecimo a quatuor, & majori Missa *in cappis*. De S. Audoeno nihil omnino in Ordinario Tullensi; commemoratio tantum cum Missa matutinali in consuet. S. Germani, S. Cornelii & in Ord. S. Petri supra Divam, quatuor postremæ Lectiones in Lyrensi, atque Beccensi calendariis: festum vero S. Bartolomæi in Ordinario Tullensi, S. Petri supra Divam, consuet. S. Germani, & recenti Corbejæ calendario inscribitur *in albis*.

XXXVI. VIII. Calendas Septembris in vetustissimo Corbejæ calendario *Natale sanctæ Hunegundis*: habetur etiam in recenti cum tribus lect. In Ordinario Tullensi *S. Genesii Martyris* tres Lectiones. In calendario Beccensi *S. Ludovici Regis* XII. Lectiones; inscribitur etiam in consuetudinibus S. Germani *in albis de quinque cereis* cum XII. Lectionibus, Evangelio: *Confiteor tibi Pater*, & comm. cum Missa matutinali de sancto Genesio. Dionysiani vero XII. Lect. de sancto Audoeno, ut diximus, faciebant.

XXXVII. VII. Calendas Septembris Parisienses S. Germani XII. Lect. officium de S. Philiberto Abbate celebrabant.

XXXVIII. VI. Calendas Septembris in veteri Corbejensi calendario signatur *Natale S. Rufi*, similiter in recenti, Beccensi, & Lyrensi, Ordin. Tullensi, consuetudinibus S. Dionysii, & S. Cornelii cum tribus Lectionibus, pro quo consuetudines S. Germani habent „ (festum SS. „ Martyrum Georgii, Aurelii atque Nataliæ, festum in „ parvis cappis,) cum proprio officio; saltem quoad antiphonas, & ℟. & cum octava. In primis Vesperis accendebantur lampades aureæ non extinguendæ, usque in crastinum post Completorium. In Laudibus, & Missa matutinali comm. *S. Rufi* faciebant.

XXXIX. V. Calendas Septembris in antiquo Corbejensi calendario notatur *Natale S. Hermetis*; in recenti, & in antiquo Ordinario *S. Augustini Episcopi, & SS. Martyrum Hermetis, & Juliani*, de quibus tertius Nocturnus præscribitur, sicut & in Dionysianis consuet., in Ordinario vero S. Apri Tullensis, *S. Hermetis* solius, de quo etiam secundum Nocturnum cum Missa matutinali notat Ordin. S. Petri supra Divam; sed in Calendario Lyrensi, atque Beccensi de S. Hermete comm. tantum legitur, in consuet. S. Germani de SS. Hermete, & Juliano. E contra in Compendiensibus S. Cornelii consuet. solemne officium de S. Hermete assignatur, cum comm., & Missa matutinali de S. Augustino. S. Augustini festum in Ordinario S. Petri supra Divam, consuet. S. Germani, Calendario Lyrensi, atque Beccensi inscribitur *in albis*. In antiquo Cassinensi Ordinario duodecima Lectio de Passione S. Hermetis cum Missa ad Primam legitur.

XL. IV. Calendas Septembris vetus Corbejense Calendarium signat *Natale Sanctæ Sabinæ, & S. Johannis Baptistæ*. De S. Sabina solam commemorationem cum Missa matutinali ad summum reperimus in libris nostris: Cassinenses addunt octavam Lectionem cum suo ℟. Integrum vero officium ubique notatur de S. Johannis Baptistæ Decollatione cum XII. Lectionibus: scilicet ex Ordinario Cassinensi VII. *de homilia Bedæ*, octava de *S. Sabina*, nona ex commentario S. Hieronymi, tribus sequentibus de Sermone S. Augustini. Quartum ℟. apud Dionysianos a duobus, octavum a tribus, duodecimum e quatuor cantabatur. In Laudibus commemorationi S. Sabinæ præmittebant Parisienses S. Germani memoriam *S. Mederici*. In eorum consuetudinibus, ut in Calendario recenti Corbejæ, & in Ordinario S. Petri supra Divam, festum Decollationis S. Johannis Baptistæ inscribitur *in albis*, quibus consonat antiquum Cassinense Ordinarium: Dionysiani autem Missam cantabant *in cappis*, Tullenses propter Dedicationis festum, Decollationem S. Johannis Baptistæ, & memoriam S. Sabinæ in sequentem diem rejiciebant.

XLI. III. Calendas Septembris in veteri Corbejæ Calendario *Natale S. Felicissimi, & Adaucti*; in recenti Calendario *Felicis, & Adaucti*, de quibus tres notat Lectiones, sicuti Compendienses, & Dionysianæ consuetudines; XII. Calendarium Beccense: Lyrense autem VIII. de *S. Agile*, & quatuor de prædictis Martyribus; consuetudines S. Germani VIII. Lect. *S. Fiacrii*, & IV. de Martyribus de quibus commemorationem tantum habet Tullense Ordinarium.

XLII. Pridie Calendas vetus Corbejæ calendarium signat *Natale S. Paulini, Episcopi*, de quo tres Lectiones præscribunt consuet. Dionysianæ, memoriam tantum Tullense Ordinarium.

CAPUT VIII.

De Festis, Septembris, & Octobris mensium.

I. CAlendis Septembris in vetustissimo Corbejæ calendario signatur *Natale S. Prisci, & Translatio S. Nazarii*: alterum manu additur *Natale S. Firmini Episcopi*. In recenti vero *Firmini Episcopi VIII. Lect., Prisci Martyris IV. Lect., Ægidii Abbatis commemoratio. SS. Prisci, & Ægidii* notatur etiam comm. in Ordinario Tullensi; sed in calendario Lyrensi, atque in Ordinario S. Petri supra Divam duodecim Lectiones adscribuntur S. Ægidio Abbati; S. Prisco autem sola commemor. Illi tamen in calendario Beccensi tertius conceditur nocturnus, duobus primis S. Ægidio consecratis. Similiter in consuet. S. Germani tertius nocturnus S. Prisco attribuitur; duo autem primi *S. Lupo Episcopo*, S. Ægidii officio XII. Lect. in sequentem diem rejecto. Sed Dionysiani, & Compendienses utriusque officium, SS. scilicet *Confessorum Ægidii, & Lupi*, cum comm. S. Prisci, hac die cantabant; & quidem Compendienses *in albis*. In Ordinario etiam S. Petri supra Divam *festum S. Ægidii* inscribitur *in albis*.

II. IV. Nonas Septembris in Beccensi, & recenti Corbejæ calendario *S. Antonii Martyris* tres Lectiones præscribuntur.

III. III. Nonas Septembris in eodem recenti Corbejæ calendario notatur *Ordinatio S. Gregorii Papæ* cum tribus Lect.; in consuet. S. Germani cum XII.: in Ord. S. Petri supra Divam *in albis*. In Ordinario autem Tullensi *festum S. Mansueti in albis*, cum octava, & comm. S. Gregorii; item S. Remacli.

IV. Pridie Nonas Septembris in consuet. S. Dionysii *S. Marcelli Martyris* cum tribus Lect.; in calendario recenti Corbejæ *S. Bonifacii Episcopi, & Martyris* cum tribus item Lectionibus; in consuet. S. Germani *S. Bernardi Abbatis* XII. Lect.

V. Nonis Septembris in Dionysiani, Compendiensibusque consuet. *S. Bertini Abbatis* tres Lect.; in recenti Corbejæ cal. XII.

VI. VII. Idus Septembris in eodem recenti calendario *Sancti Evurtii Episcopi, & Confessoris* tres Lectiones; in Dionysianis consuet. SS. Confessorum *Evurtii, & Clodoaldi* XII. Similiter in consuet. Sancti Germani VIII. Lectiones de Sancto Clodoaldo; tertius nocturnus cum Laud. de S. Evurtio; sed major Missa de vigilia B. Mariæ ab Abbate celebranda, de qua sic scribunt: „ (Ad Missam magnam „ debent esse tapeta super formas, & debent accendi „ tres cerei ad pronos, & duo ante corpora SS. Dominus „ Abbas, vel Prior, qui celebrabit Missam, habebit in„ dumenta alba, cum ministris suis, & Cantor, vel Sub„ cantor, qui tenebit chorum, & illi, qui cantabunt ℟. „ vel alleluja: scilicet bini, & bini, induti erunt cappis „ albis. Introitus: *Salve S. Parens*: *Gloria in excelsis Deo* „ &c.) & infra memorandum aliud suæ ergo Deiparam Virginem pietatis monumentum adduor: „ (Debemus in „ hac vigilia Nativitatis, & in omnibus ejus vigiliis „ Beatæ Virginis jejunare.) Nostri etiam Compendienses vigiliam Nativitatis B. Mariæ cum tribus Lectionibus celebrabant.

VII. VI. Idus Septembris in vetustissimo Corbejæ calendario signatur *Natale S. Adriani, & Nativitas S. Mariæ*. De S. Adriano solam commemorationem invenimus in nostris libris, cum Missa matutinali in quibusdam. Totum autem officium de Nativitate B. Mariæ, cui in recenti Corbejæ calendario inscribitur solemnitas *Principalis*; in Ordinario S. Petri supra Divam, & consuetudinibus S. Germani *Annualis*. In his, & Dionysianis, Compendiensibusque, atque etiam in Rituali Corbejensis monasterii solemnis ante Missam processio præscribitur; & quidem in Dionysianis *sicut in die Assumtionis*; in Sangermanensibus sic: „ (Dum cantabitur Tertia, Cantor præparabit Sanctuaria ad majus altare; post Tertiam Abbas incensabit „ majus altare, & Sanctuaria; postea revertetur in cho„ rum, & ordinabitur processio: Cantor incipiet ℟. *Stir*„ *ps Jesse*, & ibit conventus processionaliter ad capellam. „ Abbas asperget altare capellæ aqua benedicta, & thu„ rificabit; postea revertatur ad stallum suum, & dicet „ ℣. *Post partum Virgo*: *Dominus vobiscum*: oratio: „ *Supplicationem servorum tuorum*. Cantor incipiet ℟. „ *Hodie nata est*; si opus fuerit per claustrum: *Ad* „ *nutum Domini*, & *Salem justitia*, & hoc in medio navis; quo „ cantato, incipiatur ab Abbate, vel Cantore antiphona: „ *Nati-*

Nativitas tua. Conventus veniet cantando in chorum.) Sequebatur Missa solemnis in *cappis*, tam ex his consuetudinibus, & Dionysianis, quam ex Ord. Cassinensi, Tullensi, S. Petri supra Divam, & calendario Beccensi; & quidem apud Dionysianos sex Procedentibus, & tribus Cantoribus, & antiphona: *Nativitas tua* ante Evangelium, quam etiam cantabant nostri Compendienses.

VIII. V. Idus Septembris in utroque Corbejensi calendario legitur *Natale S. Gorgoni, & depositio S. Audomari Episcopi*. S. Gorgonii officium XII. Lectionum notatur in Ordinario Tullensi, & in Dionysianis consuetud.; sed in his tertius nocturnus cum Laudibus B. Mariæ octavæ tribuitur: In codice tamen Colbertino præscribitur hac die S. Osmannæ officium, ut supra diximus, rejecto S. Gorgonii festo in diem sequentem, de quo solam memoriam scribunt consuetudines S. Germani, S. Cornelii, Ordin. S. Petri supra Divam, & Calend. Beccense.

IX. III. Idus Septembris in utroque Corbejæ cal. *Natale SS. Proti, & Jacincti*, de quibus solam memoriam habent nostri codices, excepto Cassinensi Ordinario, in quo notatur cum XII. Lect., præter duodecimam, quæ „ (de „ S. Eugenia dicatur „ inquit, & ad Matutinum, & Mis- „ sam addatur cantus, & oratio pro ea.)

X. Pridie Idus Septembris octavam B. Mariæ cum XII. Lect. celebrabant nostri Compendienses.

XI. Idibus Septembris in Dionysianis cons. notatur memoria *de sancto Maurilio*, de quo duodecim Lectiones præscribunt Ordin. S. Petri supra Divam, & consuetudines S. Germani: in quibus tamen tertius nocturnus cum Laudibus octavæ Nativitatis B. Mariæ tribuitur.

XII. XVIII. Calendas Octobris in vetusto Corbejensi calendario signatur *Exaltatio S. Crucis, & Natale SS. Cornelii, & Cypriani*. De SS. Cornelio, & Cypriano in antiquo Cassinensi Ordinario, in Corbejensi item antiquo, in Tullensi S. Apri, & S. Petri supra Divam notantur duo primi nocturni, cum Missa matutinali, & comm. in utrisque Vesperis, & Laudibus; & quidem in Cassinensi cum antiphona, *Magnificat*, vel *Benedictus*, & collecta: reliquum officium de S. Cruce. In Calendario Beccensi, & recenti Corbejensi quatuor primæ Lectiones Exaltationi S. Crucis tribuuntur, VIII. posteriores SS. Martyribus. E contra Dionysiani, & Compendienses primum nocturnum cum Missa matutinali de SS. Martyribus cantabant, reliquum officium de S. Cruce: Compendienses autem vigiliam SS. Martyrum *in albis* solemniter celebrabant.

XIII. In calendario Lyrensi VIII. primæ Lectiones Exaltationi S. Crucis: IV. posteriores SS. Martyribus assignantur; sed consuetudines S. Germani integrum de Exaltatione S. Crucis officium habent, SS. Martyrum festo alterum in diem translato.

XIV. „ (Ad majorem Missam, inquiunt *Cassinenses in „ veteri Ordinario*, adoratur crux cum ligno Domini eo- „ dem ordine, quo in Inventione ejus.) Id communis Ordinis Benedictini usus obtinuit; quamvis in modo variæ fuerint monasteriorum consuetudines. Divionenses sancti Benigni c. 68. suum ita exprimunt: „ (In Exaltatione „ S. Crucis post Tertiam, sicut in Parasceve, statim in- „ tus chorus, & pavimentum ante altare tapetibus sterni- „ tur, antequam officium Missæ incipiatur, & crux ab „ Armario duobus fratribus, dum Missa minor cantabatur, „ cooperta apportatur a duobus albatis, qui de post ma- „ jus altare exeunt usque ad gradum ante altare princi- „ pale. Tunc a tenentibus discooperta cruce, & ab Arma- „ rio incepta antiphona: *Ecce lignum crucis* omnes petunt „ veniam super genua. Finita autem supradicta antipho- „ na, sequitur alia, idest *Crucem tuam*, quæ & repeti- „ tur per singulos versus psalmi: *Deus misereatur*. Si „ vero hoc finito, nondum omnes adoraverint, incipit „ Armarius Antiphonam: *O crux splendidior*, & *O Crux „ viride lignum*, atque alios cantus de Cruce, donec sani, „ & infirmi omnes adoraverint. Adorata autem Cruce „ ab omnibus, quemadmodum in Parasceve, etiam infan- „ tibus, sicut eorum ordo exigit, adorant infirmi, qui „ quocumque modo, aut per se possunt, aut alio susten- „ tante accedere. Quo completo, illi qui tenebant cru- „ cem, eleventes eam recedunt, eadem hora ab Armario „ incepta antiphona: *Super omnia ligna*, quæ dum incipi- „ tur, iterum venia ab omnibus petitur. Post hæc si qui „ convenerint populares, defertur eis in alium locum, & „ adorant. Antiphona autem finita, illico omnia signa „ pulsantur, & Missa incipitur.) Idem habetur in antiquo Corbejensi Ordinario, a quibus vix discrepat Udalricus l. 1. c. 38. Beccensium ritus in libro Usuum ita describitur; „ (In Exaltatione S. Crucis ante Tertiam sint „ omnes albis induti, uti mos est in hujusmodi solemni- „ tatibus. Post Tertiam Sacerdos Hebdomadarius deponat „ stolam, & cum Diacono majoris Missæ eat ad locum „ ubi Crux habetur valde adornata, quam prius incensatam „ ab eodem Sacerdote, afferant ad sinistram altaris par- „ tem, & discooperientes ipsam dicant antiphonam: *Ecce „ lignum*, quam repetentes omnes flectant genua. Secre- „ tarius autem habeat tapete stratum ante altare. Choro „ repetente præscriptam antiphonam, afferant eam ipsi „ ante altare, a quibus post Domnum Abbatem primum „ adoretur; cum vero adoratur, cantentur, antiphona: „ *Crucem tuam*, psalmus: *Deus misereatur nostri*: *O „ Crux splendidior*. Postquam omnes adoraverint, inchoet „ Sacerdos excelsa voce antiphonam: *Super omnia*, & o- „ mnes flectant genua, ℟. *Tu sola*. Reposita autem Cru- „ ce in loco suo, sonet classicum, & solemniter celebre- „ tur Missa.) Paulo aliter Ordinarium S. Petri supra Di- „ vam: „ (Post VI., vel, si Dominica est, post III., „ Sacerdote ante altare, cum Cruce, aqua benedicta, „ candelabris, & incenso, incipiat Cantor antiphonam: *O „ crux gloriosa*, & fiat processio circa claustrum, & per „ Galileam ante Crucifixum, præcedentibus senioribus or- „ dinatim; finita itaque antiphona, incipiat Abbas anti- „ phonam: *Sanctifica nos*; deposita deinde cruce in loco „ decenter ornato, adorent eam cum una tantummodo „ venia; Cantore interim incipiente antiphonam de Lau- „ dibus, & ceteras, quæ sequuntur. Quibus rite peractis, „ Abbas, vel Sacerdos erigens crucem incipiat antipho- „ nam: *Super omnia ligna*, pulsatis itaque signis, & ac- „ censis luminaribus, celebretur Missa solemniter;) & Tullense S. Apri: „ (Interim dum Missa matutinalis canta- „ tur, Sacrista præparet reliquias super altare S. Mauri- „ tii. Finita Missa, cantatur Tertia in choro. In- „ terim induant fratres albas, & ponantur in lancea reli- „ quiæ, & vexilla; duo pueri teneant cereos juxta lanceam, „ unus hinc, & alius inde: Thuribularius sit ibi. Finita „ Tertia, qui præest, incenset reliquias, & incipiatur a „ Cantore antiphona: *Isti enim*, & reliquiæ elevantur „ in altum. Finita antiphona, qui præest, dicat ℣. *Glorio- „ sus Deus*, & collectam: *Propitiare*. His peractis, Sacrista „ cappa indutus accipiat crucem argenteam, & fiat proces- „ sio per claustrum cantando ℟. *Per tuam crucem* cum ℣. „ nulla fiat statio, etiam si sit Dominica. Ad introitum „ chori incipiatur antiphona: *Venerabilis Aper*. Proces- „ sione facta, omnes qui in choro sunt, eodem ordine, „ quo ad communionem accedunt, crucem adorant, geni- „ bus primo flexis ante crucem, & moram non facientes „ surgunt, & crucem osculantur. Interim cantentur istæ „ antiphonæ: *Salve crux*: *O Crux viride*: *O Crux splen- „ didior*. His dictis, Sacrista elevet crucem in altum, & „ Cantor incipit ℟. *Tuam crucem*, chorusque prosequitur. „ Finita repetitione post ℣., qui præest, accipiat crucem „ de manu Sacristæ, & incipiat antiphonam: *Super om- „ nia*, & cantatur ab omnibus; ipse vero crucem reportat „ ad locum suum. Finita dicta antiphona, sequitur Mis- „ sa.) Denique cons. S. Dionysii in Francia: „ (Post „ Tertiam adoretur Crux ita: Tres Sacerdotes in cappis „ deferant clavum, & coronam, & reliquias Crucis; & „ deferantur duo candelabra, cum thuribulo; & cantetur „ antiphona: *Ecce lignum*: & sic eant ante altare S. Tri- „ nitatis, ibique adoretur Crux a conventu, & dum ado- „ ratur, cantetur psalmus post antiphonam: *Beati imma- „ culati*, & ℣. *Crux fidelis inter omnes*, & hymnus: „ *Pange lingua gloriosi*, & alii ℣. qui sequuntur, quantum „ opus fuerit. Post adoratam crucem eant Sacerdotes cum „ reliquiis in claustro, & faciant benedictionem, & post „ cantatur magna Missa.) Permanet hactenus apud nostros Dionysianos hæc consuetudo laudabilis, eamdem videre est in cons. S. Germani, & Grandimontensium c. 59. quibus describendis supersedeo.

XV. Duo hic adducit Divionenses S. Benigni consuetudines, primum: „ (sciendum est, *inquiunt*, de hac festi- „ vitate, quoniam multum congruere videtur, ea die je- „ junium debere fieri, quo Crux adoratur; propter quod „ constitutum est apud nos, ut si jam dicta festivitas e- „ venerit in IV., vel VI. feria, aut Sabbato; ea septimana „ jejunium quatuor temporum agatur, etiamsi ejus rectus „ terminus minime sit; & quando hoc evenit, de SS. „ Cornelio, & Cypriano ad Missam, de S. Cruce post „ primam collectam, una tantum collecta dicitur, sicut „ fieret, si eadem die sepelitio fratris accideret, etiamsi je- „ junium non esset.) Quod institutum S. Odiloni tribuitur apud Udalricum l. 1. c. 38., & in antiquo Corbejæ calendario, in quo hæc adducuntur: „ (Ad Missam autem „ de jejunio, cum, ut dictum est, festum evenit, non ve- „ dit ad offerendam, nisi solus Prior, & unam tantum „ hostiam offert; ad pacem quoque solus vadit. Eodem

quo-

„ quoque modo fit in omni jejunio, cum evenit festivitas „ XII. Lectionum.) De jejunio IV. temporum quando incipi debeat, diximus alibi.

XVI. Alterum quod habent Benignianæ consuetudines ita exprimitur: „ (nec ignorandum, quod in idibus Septembris, quæ sunt una die ante hanc festivitatem, ea ipsa die incipit jejunium monachorum, & postmodum diebus privatis non nisi semel comeditur, in quibus eodem modo nos habemus, quemadmodum per totam æstatem, quoties jejunium fiebat. Similiter in XII. Lect. quibus bis comedimus, per omnia facimus usque ad Calendas Octobris.) Hic duo continentur. I. Jejunium Monachorum Regulare ipso Iduum die, sive pridie ante Exaltationem S. Crucis incipere. II. Retinendas esse æstatis consuetudines usque ad primam mensis Octobris diem; quod utrumque etiam de Cluniacensibus refert Udalricus l. I. c. 39. Contrarium tamen legimus in Dionysianis consuetudinibus, in quibus post dispositum Exaltationis S. Crucis officium hæc adduntur: „ (Ab hac die usque in Pasche semel in die comedunt fratres, & amodo non dormiunt post prandium, quando jejunant.) Codex Colbertinus addit: „ (nisi in Dominicis diebus usque ad festum S. Remigii.) Et in Ordinario S. Petri supra Divam ad festum Exaltat. S. Crucis: „ (Ipsa namque die secundum Regulam jejunia nostra inchoantur, & consuetudo æstivi temporis transmutatur.) Vid. commentarium nostrum ad cap. 41.

XVII. XVII. Cal. Octobris in vetusto Corbejensi calendario signatur *Natale S. Nichomedis*; in aliis nostris calendariis inscribitur octave Nativitatis B. Mariæ in *albis*, sicut in Ord. S. Petri supra Divam, & cons. S. Germani cum comm., & Missa matutinali de S. Nichomede; sed in Tullensi S. Apri Ordinario ejusdem S. Apri officium sollemniter decantandum hac die inscribitur hoc modo: „ (Ad primas Vesperas D. Abbas a principio Vesperarum indutus alba, & cappa faciat officium, & in ejus absentia Prior. Cantor, etiam alius frater ab ipso rogatus induti albis, & cappis regant chorum: ad ipsas autem Vesperas prima antiphona super psalmos incipiatur ab uno regentium chorum, scilicet ab illo, in cujus choro hebdomada est, & alter regens chorum intonat psalmum; alias autem antiphonas regentes chorum fratribus superioribus injungant descendendo; unus vero chorum regentium intonet psalmum, scilicet, ille in cujus choro antiphona incipitur . . . . ℟. *Gloriosus vir* cantetur a duobus fratribus in albis, & cappis, quibus regentes chorum injunxerint; dictoque a Cantoribus: *Gloriosus vir*, regentes chorum reincipiant modice altius: *Gloriosus vir*, chorusque reliqua Responsorii prosequatur . . . Ad *Magnificat* antiphona: *S. Aper*; duo chorum regentes intonent *Magnificat*: si vero Abbas præsens non fuerit, antiphona ad *Magnificat* a Cantore incipiatur, & alius frater chorum regens intonet solus *Magnificat*. Hic portetur incensum a duobus in albis, & cappis. Si Domnus Abbas faciat officium, duo Cantores ℟. procedant cum eo; si vero Prior faciat officium unus Cantor ℟. cum eo procedat. Thuribularii sint in albis, qui primo incensent regentes chorum, postea quisque eorum suum incenset chorum: Post *Pater noster* preces non dicantur; sed loco precum dicitur ℣. *Sacerdos Dei Aper*, vel *Ora pro nobis* . . . . Post Vesperas fiat processio sine incenso ad S. Mariam . . . . & pro Vesperis omnium SS. dicantur Vesperæ de S. Maria hoc ordine: super psalmos antiphona: *Felix valde*; psalmi: *Lætatus sum*: *Nisi Dominus*: *De profundis*: *Memento*: *Lauda Jerusalem*; cap. de ipso festo, ℟. *Specie tua*, hymnus *Ave maris*, ℣. *Ora pro nobis*, ad Magn. antiphona: *Nativitas tua*, ℣. post antiphonam *Benedicta tu*, vel alius; sed *Post partum* non dicitur; collecta: *Famulis tuis*, postea fit commemoratio de omnibus SS.

XVIII. „ (Hac nocte post Completorium portet Sacrista incensum, sicut ordinatum est in Ordinario de officio Sacristæ.)

XIX. „ (Hac nocte ante Matutinas quisque frater dicat solus sub silentio XV. psalmos; Invitatorium: *Accedant omnes* cantetur a VII. fratribus in albis, & cappis; scilicet a Cantore, & duobus Hebdomadariis, & aliis quatuor fratribus in tabula nominatis . . . Notandum, quod si hebdomada in dextro choro fuerit, & prima antiphona I. noct., & ad cantica antiphona, & prima antiphona Laudum, & ad horas diei antiphonæ a Cantore incipi debent; si vero hebdomada in sinistro choro fuerit, ab Hebdomadario incipiantur . . . . In quolibet nocturno ad quartam Lectionem incensum debet portari a duobus Presbyteris indutis albis, & cappis, quibus Sacrista injunxerit, qui Sacrista incipiet a junioribus Presbyteris, gradatim ascendendo.)

XX. „ (Post Laudes non fiat processio; pro Laudibus omnium SS. dicantur Laudes de S. Maria; & ad ejus Laudes antiphonæ, psalmi, capitulum, ℟., hymnus, ℣., & ad B. antiphona, sicut prima die Nativitatis ejus dicantur, collecta: *Famulis tuis*. *Verba mea*, & psalmi familiares hac die non dicantur.)

XXI. Missa matutinalis de oct. B. Mariæ: „ (Post Missam matutinalem cantetur Tertia. Interim Cantor dividat cappas; dictaque Tertia, expectamus Canonicos majoris ecclesiæ, qui debent esse in sinistro choro, & nos in dextro; qui Canonici debent chorum regere, & totum officium Missæ adimplere. Hac die ad processionem ℟. *Tua sunt*, & fit processio eodem modo, & ordine, quo dictum est in Dedicatione. In hac processione canonici vadunt ante nos, & nos post ipsos; sed Decanus, & aliæ personæ vadunt post Priorem . . . . sequitur Missa: *Statuit*, Introitus debet triplicari, duo Cantores regant chorum, *Cunctipotens* a tribus cantetur; infra *Gloria in excelsis*, tres cantent ℣. *Insons* &c. Si hoc festum cadat in feriam IV.; tres Missas habebimus in conventu: prima erit de octava B. Mariæ, secunda de S. Apro, & tertia de jejunio, quam inter Sextam, & Nonam celebrabit Hebdomadarius magnæ Missæ.)

XXII. Post secundas Vesperas „ (pro Vesperis omnium SS. dicantur Vesperæ de S. Maria.)

XXIII. Postridie „ (finita Missa, quatuor Presbyteri a Sacrista rogati in albis, & stolis reponant feretrum S. Apri in restia sua. Interim pulsentur timpana magnæ turris, & cantetur aliquod ℟. de S. Apro. Quo finito, Sacerdos, qui Missam celebravit, cappa indutus incenset feretrum, & dicat ℣. cum collecta de S. Apro, postea cantetur VI, nisi sit jejunium IV. temporum.) Hæc omnia fusius forte, quam par fuit, retulimus, eo quod singulares aliquos ritus ab aliorum monasteriorum ritibus diversos contineant, quos rescire alicujus fortassis operæ pretium fuerit.

XXIV. XVI. Calendas Octobris in vetusto Corbejæ calendario signatur *Natale S. Eufemiæ*, & *SS. Lucii*, & *Geminiani*, de quibus tres Lect. notantur in recensi, & in cons. Dionysianis, item in calendario Lyrensi, & Beccensi tres Lect. de *S. Euphemia*, Parisienses S. Germani hac die festum SS. Cornelii, & Cypriani cum XII. Lect. celebrabant, ex quibus IV. postremæ, cum Laudibus, & Missa matutinali de SS. Lucio, & Geminiano & memoria S. Euphemiæ: Compendienses vero de octava SS. Martyrum Cypriani, & Cornelii tres cantabant Lect. Tullenses tres item de octava S. Apri cum commem. S. Euphemiæ; item SS. Lucii, & Geminiani.

XXV. XV. Calendas Octob. in vetusto Corbejensi Calendario notatur *Natale S. Lamberti Episcopi*, de quo tres Lect. assignantur in recenti, & Beccensi, in Ord. S. Petri supra Divam, & consuet. S. Dionysii, XII. in consuet. S. Germani, sola commem. in Ord. Tullensi.

XXVI. XII. Cal. Octob. vigilia S. Matthæi, de qua nihil præter Missam, quæ etiam Missæ Quatuor Temporum cedere debebat. Ad nocturnos autem tres Lectiones *de SS. Martyribus Fausta*, & *Evilasio* notant Dionysianæ consuetudines.

XXVII. XI. Calendas Octob. in veteri Corbejensi Calendario inscribitur *Natale S. Matthæi*; inscribitur etiam in aliis Calendariis, Ordinario S. Petri supra Divam, S. Apri Tullensis, & consuet. S. Germani *in albis*; in Calendario quidem Lyrensi, atque Beccensi, cum commem. *S. Laudi Episcopi*, cui insuper tribuit matutinalem Missam Ord. S. Petri supra Divam; ex consuet. S. Dionysii ad Missam omnes erant *in cappis*; sed reliquum officii non erat ita solemne. Compendienses vero hac die octavam SS. Cornelii, & Cypriani celebrabant *in albis*; festum vero S. Matthæi in sequentem diem; S. Mauritii in tertium transferebant. Si autem „ (S. Matthæi solemnitas in aliquo dierum jejunii IV. Temporum evenerit, *inquit Ord. S. Petri supra Divam*, Missa matutinalis fiet de Apostolo solemnis, *Credo* quoque, & *Præfatio* de Apostolis dicatur; & major Missa, cum sic evenerit, de jejunio celebretur.)

XXVIII. X. Cal. Octob. vetus Corbejæ Calendarium habet *Natale S. Mauricii cum sociis suis*, de quibus XII. Lectiones notantur in nostris Calendariis, & in consuet. S. Germani, & S. Cornelii. In Ordinario autem S. Petri supra Divam, inscribitur *in albis* cum proprio servitio; sed Dionysiani solemne ejus officium fere totum proprium celebrabant cum octave, ex quo primas Vesperas, Nocturnos, & majorem Missam *in cappis*, cum quatuor Procedentibus, in SS. Martyrum oratorio cantabant: ad Noct. autem Invitatorium a quatuor *in cappis*, singula ℟. a duobus quartum a tribus, octavum a quatuor, duodecimum a quinque

quæ concinabatur. Tullenses etiam S. Mauritii festum cum Missa majori *in cappis* octava, & eadem fere celebritate qua festum S. Apri recolebant; matutinalem autem Missam *in albis* de octava S. Apri cantabant.

XXIX. IX. Cal. Octob. in veteri Corbejæ Calendario legitur *Natale S. Lini Papæ, & Natale S. Marci Evangelistæ*, pro quibus in recenti tres Lectiones de S. Thecla sicut in Dionysianis consuet. præscribuntur.

XXX. VIII. Cal. in consuet. S. Germani *festum SS. Martyrum, Andochii, Tirsi, & Felicis* cum XII. Lect; in Dionysianis *S. Germani Abbatis* cum tribus.

XXXI. VII. Cal. Octob. in veteri Corbejæ calendario signatur *Natale S. Firmini Episcopi*; in recenti inscribitur *in albis*; in Dionysianis consuetud. *in cappis*; in Compendiensibus simplex XII. Lect.

XXXII. VI. Cal. Octob. in veteri Corbejæ Calend. *Depositio S. Eusebii Episcopi*; in Dionysianis consuet. tres Lect. *de SS. Martyribus Cypriano, & Justina*.

XXXIII. V. Calendas Octobris in vetustissimo Corbejensi Calendario *Natale SS. Cosmæ, & Damiani*, de quibus XII. Lectiones assignantur in recenti, & consuet. S. Germani; tres in Calend. Beccensi, & in Dionysianis consuet. commemoratio tantum in Ordinario Tullensi.

XXXIV. IV. Calendas Octob. in consuet. S. Dionysii *octava S. Mauritii* cum XII. Lect., cujus comm. cum Missa matutinali sequenti die faciebant nostri Tullenses.

XXXV. III. Calendas Octobris in veteri Corbejensi Calendario legitur *Dedicatio Basilicæ S. Michaelis Archangeli*. Consignatur in nostris omnibus libris cum proprio officio XII. Lect. solemni; & quidem in Ordinario S. Petri supra Divam cum octava; in Tullensi cum octava & Missa de vigilia; in recenti Corbejæ Calendario, in Ord. S. Petri supra Divam, & consuet. S. Dionysii inscribitur *in cappis*, in consuet. S. Germani, S. Cornelii, & in Ord. Tullensi *in albis*. Unum hoc in festo fuit istud singulare, quod videlicet „ (finito versu offerendæ majoris Missæ, „ *inquiunt Divionenses S. Benigni consuetudines c. 68.*, „ & repetito: *Et ascendit fumus aromatum*, duo Levitæ cum „ duobus thuribulis, in quibus abundantes in choro Armarius, vel Domnus Abbas, si celebrat Missam, thus „ misit, incensant altare; alter a dextris, & alter a sinistris; ac feretre contra se invicem thuribula librantes, quorum alterum mittit illuc Armarius de choro, alter vero „ est, qui legit Evangelium, qui non prius incensationem dimittunt, donec offerenda finiatur.) Ejusdem ritus meminere Dionysianæ consuetudines his verbis: „ (A „ principio offerendæ usque in finem thurificent duo Sacerdotes majus altare, & altare B. Martyrum, & conventum.) Compendienses: „ (Offertorium: *Stetit Angelus*, „ a principio usque in finem Diaconus, & Subdiaconus thurificent altare; deinde more solito Diaconus thurificet „ Sanctuarium, & cetera.) Parisienses S. Germani: „ (Quidam Diaconus post Evangelium induet se stola, manipulo, & dalmatica alba; & incipiet post finem offertorii coram altari majori: *Et in conspectu Angelorum*: postea „ Diaconus majoris Missæ, & alius Diaconus, qui incipit ℣., majus altare incensabunt, deinde incensabunt altare S. Michaelis in turri majori, & ibunt per medium „ chorum, & revertantur in chorum, & incensabunt „ Priorem. Postea Diaconus, qui incepit: *In conspectu*, „ deponet omnia vestimenta sua, & Diaconus alius pro „ celebratione Divini Officii remanebit.) Ordinarium Sancti Petri supra Divam: „ (Ad majorem Missam post „ Evangelium canant prosam duo in medio chori: *Salus* „ *Deo nostro*. Qua finita, Diaconus stans ad dextrum „ cornu altaris, thurificansque ipsum, incipiat offertorium „ *Stetit Angelus*, & sic canetur communiter in choro.) Denique ejusdem ritus mentionem faciunt antiquum Ord., & Rituale Corbejensis Monasterii, quibus referendis supersedeo. Divionenses Sancti Benigni consuetudines addunt: „ (In hac etiam festivitate per consuetudinem dum „ fratres cœnant, debet Camerarius ponere unam novam „ pelliciam ad lectum eorum, quibus novit se debere.)

XXXVI. Psalmi in secundis Vesperis, ex Statutis Lanfranci, consuet. S. Dionysii, S. Cornelii, & Rituali Beccensi: *Dixit*: *Confitebor*: *Beatus vir*: *Confitebor*; ex Ord. Tullensi: *Dixit*: *Confitebor*: *Laudate pueri*: *Confitebor*: ex consuet. S. Germani: *Dixit*: *Beatus vir*: *Laudate pueri*: *Confitebor*.

XXXVII. Pridie calendas Octobris *festum S. Hieronymi* cum XII. Lectionibus, quod in Calendario Beccensi, consuet. S. Germani, & Ord. S. Petri supra Divam inscribitur *in albis*. „ (Hac die, *inquiunt Benignianæ consuet.* „ *c. 68.* ultimum vale meridiana suscipit, & propinatio „ aquæ in refectorio.)

XXXVIII. Calendis octobris in vetustissimo Corbejensi Calendario consignatur *Natale S. Remigii Episcopi, & Translatio S. Vedasti Episcopi, & Natale Sancti Piatone & Sancti Germani Episcopi*. De SS. Confessoribus *Germano & Remigio* duodecim Lectionum officium assignant Dionysianæ consuetud. Similiter *de SS. Remigio, Vedasto, & Germano* antiquum Corbejæ Ordinarium, consuet. S. Germani, & S. Cornelii, Calend. Lyrense, & Beccense; item *de SS. Remigio, Germano, Vedasto, & Bavone* Ordin. S. Petri supra Divam. In recenti vero Corbejæ Calendario *de SS. Remigio, Germano, & Vedasto*, VIII. Lect. notantur, *de SS. Bavone, & Piatone*, IV. Sed Tullense Ord. XII. Lectiones de solo *S. Remigio* præscribit, cum comm. *SS. Vedasti, & Germani*. Hac die novæ incipiebant consuetudines, de quibus videri possunt Udalricus l. 1. c. 40., consuet. S. Benigni cap. 69., & Corb. antiquum Ord.

XXXIX. VI. Nonas Octobris *festum S. Leodegarii Episcopi, & Martyris*, de quo XII. Lect. notant Calendarium Beccense, recens Corbejense, consuet. S. Dionysii, & S. Germani; tres Cal. Lyrense, Ord. S. Petri supra Divam, consuet. S. Cornelii; solam comm. Ord. Tullense. In vetusto Corbejæ Calend. consignatur tantum V. nonas *Passio S. Leodegarii Martyris*.

XL. IV. Nonas Octobris in consuet. S. Germani, & S. Cornelii XII. Lectiones de S. Francisco assignantur: in Cal. Lyrensi tres.

XLI. III. Nonas vetus Corbejæ Calendarium habet *Natale Sanctæ Cristæ*.

XLII. Pridie Nonas octobris *S. Fidis Virginis, & Martyris*, tres Lect. notantur in Calendario Beccensi, Dionysianis, & Compend. consuetudinib. Hac die octavam S. Michaelis cum XII. Lectionibus recolebant nostri Tullenses.

XLIII. Nonis Octob. in vetusto Corbejæ Calendario signatur *Natale Sancti Marci, & Marcelli*: in recenti additur: *& Apulleji Martyrum*, de quibus tres Lectiones scribit. De *S. Marco Papa* tres Lectiones præscribunt Beccense, & Lyrense Calend., consuet. S. Dionysii, S. Germani, & S. Cornelii, atque Tullense Ord.

XLIV. VIII. Idus Octob., in recenti Corbejæ Calendario, in Beccensi, & cons. S. Germani tres Lect. *de S. Demetrio*; in Ord. Tullensi tres de *S. Liberia Virgine, & Martyre*; sed nostri Dionysiani hac die vigiliam SS. Martyrum solemniter celebrabant. Hæc vigilia primas habebat Vesperas, Invitatorium a duobus in albis, tres Lectiones cum tribus ℟. primam Lectionem Diaconus, tertiam Abbas, vel Prior, primum ℟. Hebdomadarius, tertium Cantor ipse cantabat. Laudes erant solemnes, sicuti major Missa; quæ *in albis* cum duobus Procedentibus celebrabatur.

XLV. VI. Idus Octobris *Passio, SS. Dionysii, Rustici, & Eleutherii*, in Ordinario Tullensi, & Calendario Beccensi, inscribitur cum XII. Lect.; in Calendario Lyrensi *in albis*; in Ordinario S. Petri supra Divam *in cappis*; in recenti Corbejæ Calendario, & consuetudinibus S. Germani, atque S. Cornelii *festum solemne cum octava*; in Dionysianis ipsis solemnissimum, sicut festa Nativitatis Domini, & Assumtionis B. Mariæ. Infra octavam tres sequentes dies erant solemnes, unde & ad Nocturnum Invitatorium a duobus, & major Missa *in cappis* cantabatur. Solemnior etiam ipsa dies octava, in ea siquidem ℟. in Vesperis, & Invitatorium in nocturnis a IV. *in cappis* cantabatur, singula ℟. a duobus quartum a tribus *in frocis*, octavum *a quatuor prioribus in frocis*, duodecimum a quinque *in frocis*. Major vero Missa Græca, in qua Epistola, & Evangelium Græce, & Latine legebantur, tres Cantores regebant chorum cum IV. Procedentibus: Codex Colbertinus habet VI. Procedentes. Unum hic notant Benignianæ consuet.: „ (In festivitate S. Dionysii renovari omni anno incipiunt froci, & cucullæ fratrum.) Idem habet antiquum Corbejæ Ordin.

XLVI. VI. Idus in recenti Corbejæ Calendario *Elevatio S. Adalardi Abbatis* festum duplex cum XII. Lectionibus. In Ord. Tull. *S. Gereonis* tres Lect.

XLVII. V. Idus Octobris in Lyrensi, & Beccensi Calendario consignatur *in albis festum SS. Nigasii, & sociorum ejus*.

XLVIII. III. Idus Octobris in cons. S. Germani *festum S. Venantii Abbatis*, cum tertio Nocturno, & Laudibus de octava S. Dionysii.

XLIX. Pridie Idus Octobris in vetusto Corbejæ calendario *Natale S. Calesti Episcopi*. De S. Calixto Papa, & Martyre tres Lectiones notantur in recenti Corbejæ, in Lyrensi, & Beccensi calendariis, in cons. S. Germani, & Ordinario Tullensi.

L. XVII. Calendas Novembris in vetusto Corbejæ calendario legitur *Natale S. Lucii*, pro quo in calend. Beccensi S. Mi-

S. Michaelis XII. Lect.; in Lyrensi *S. Michaelis secundo in albis*; in Ord. S. Petri supra Divum *in monte Tumba S. Michaelis Archangeli*.

LI. XVI. Calendas Novembris in Dionysianis consuet. codicis Colbertini festum S. Demetrii *in cappis*; sed melior codex desideretur.

LII. XV. Calendas Nov. natale *S. Lucæ Evangelistæ* in nostris omnibus libris notatur; sed in cal. Lyrensi, Ord. S. Petri supra Divam, & consuet. S. Germani inscribitur *in albis*.

LIII. XIV. Calendas Nov. consuet. S. Germani hæc leguntur: „ (Festum SS. Martyrum Saviniani, & Potentiani „ sociorumque suorum. Illud festum est XII. Lect., licet „ Petrus quondam Abbas hujus monasterii fecerit fieri tem„ pore suo XII. Lectiones, motus devotione, quia oriun„ dus erat de diœcesi Senonensi.)

LIV. XIII. Calendas Novembris Beccense calendarium consignat *festum Austrebertæ Virginis* XII. Lect.

LV. XII. Calendas Novembris in Ord. Tullensi *SS. Undecim millium Virginum* officium trium Lect.; in consuet. S. Cornelii duplex *in albis*; in Dionysianis codicis Colbertini duplex *in cappis*, cum R. in primis Vesp., & Invitatorio, in nocturnis à quatuor in cappis, R. i a duobus IV. a tribus, VIII. a quatuor, XII. a quinque, cum tribus Cantoribus, & IV. procedentibus ad Missam. Hac die nostri Sangermanenses *festum Translationis SS. Martyr. Gregorii, Aurelii, atque Nataliæ* celebrabant *in albis*.

LVI. XI. Calendas Nov. in Dionysianis consuet. tres Lect. *de S. Mellone Episcop., & Conf.*

LVII. X. Calendas Novembris in vetusto Corbeiæ calendario consignatur altera manu *Natale S. Gratiani*; in recenti *Gratiani Martyris* IV. Lect. *Severini Episcopi, & Confess.* VIII. in Beccensi, & Lyrensi *Romani Episcopi, & Confessoris* XII. Lect. in Dionysianis consuet. III. Lect. *de SS. Confessoribus Romano, & Severino*.

LVIII. IX. Calendas Nov. in Dionysianis, & S. Germani consuet. *S. Maglorii Episc.* festum XII. Lect.

LIX. VIII. Calendas Novembris in vetustissimo Corbeiæ calendario legitur *Natale SS. Crispini, & Crispiniani*. Notatur etiam in recenti, & Lyrensi, & consuet. S. Cornelii cum XII. Lect.; in Beccensi, Ord. Tullensi, & consuet. S. Germani cum III.; sed Dionysiani sequenti die III. Lect. de SS. Martyribus faciebant; hac die vero officium proprium solemne in cappis *de S. Hilaro*, sicut in festo SS. Undecim millium Virginum.

LX. VII. Cal. Novembris in veteri Corbeiensi Calendario *Translatio S. Amandi*.

LXI. VI. Calendas Novembris vigilia Apostolorum *Simonis, & Judæ*, quo die in Ord. Tullensi tres Lectiones notantur *de S. Eucharie*; & in consuet. S. Germani *Translatio S. Vincentii Martyris* inscribitur *in albis*, cum Missa matutinali de vigilia.

LXII. V. Calendas Novembris vetus Corb. calend. consignat *Natale Apostolorum Simonis Cananei, & Simonis Zelotis*. Reperitur etiam in aliis; & quidem in recenti, atque Lyrensi, consuet. S. Germani, Ord. S. Petri supra Divam inscriptum *in albis*; unde miror, quod in Dionysianis consuet. non inscribatur *in cappis*, & quod ad nocturnos duo tantum *in cappis* ad Invitatorium notentur. Hac die comm., & Missam matutinalem cantabant nostri Compendienses de S. Pharone, de quo sequenti tres Lect. faciebant Dionysiani.

LXIII. IV. Calendas in consuet. S. Germani *S. Lucani Martyris* tres Lect.

LXIV. III. Cal. in veteri Corbeiæ cal. *depositio S. Leonis Papæ*.

LXV. Pridie cal. ibid. *Natale S. Quintini Martyris*; de quo in recenti, & consuet. S. Germani XII. Lectiones; in Dionysianis, Compendiensibus, Ord. Tullensi, cal. Beccensi, & Lyrensi tres assignantur, cum majori Missa de vigilia.

CAPUT IX.

De Festis mensis Novembris.

I. HOc caput a nobilissima omnium festivitatum solemnitate incipimus, scilicet a festo omnium SS., quod Calendis Novembris beatorum, ex institutione Gregorii Papæ Tertio, celebrent cum universa Ecclesia ipsi etiam monachi, eadem, aut certe pene eadem, solemnitate ac in quinque præcipuis festis descripsimus; quam prorsus hic non repetimus, ea quæ isti festivitati sunt propria pauca referentes. I. In primis Vesperis psalmos feriales cum propriis antiphonis cantabant nostri Dionysiani; sed ex Udalrico lib. I. c. 43., consuet. S. Benigni c. 70., ex Corbeiensi Ordinario, ex Tullensi, & consuet. S. Germani, eidem ad utrosque Vesperos psalmi, eædem antiphonæ dicebantur, nempe quæ per totum annum ad Vesperas de omnibus SS. de quibus vid. l. I. c. 10.

II. Secundo „ (*Kyrie eleison* quoque, cum per totum „ annum ante Dominicam orationem ad omnes horas re„ gulares dicatur decem, & octo vicibus, in hac festivi„ tate XII. tantum vicibus. Ad Vesperas, & Laudes di„ citur, sicut per totum annum tenetur,) inquit antiquum Corbeiæ Ordin., & cum eo antiquæ S. Benigni consuet. c. 70.

III. Tertio „ (ad eosdem Vesperos, & Matutinos, *addit idem Ordinarium*, non aliæ preces dicuntur, quam „ *Post partum virgo*, & *In conspectu Angelorum*, & re„ liquæ, neque suffragia SS. dicuntur, neque processio „ fit post Vesperas, & Matutinos; sed tantum in choro „ comm. fit de cruce.) Benigniani commemorationi de cruce præmittebant commemorationem de S. Benigno, & de S. Cæsario.

IV. Quarto, Rituale Corbeiensis monasterii præscribit, „ (ut in die omnium SS. ad quamlibet horam dicant Re„ ligiosi extra chorum dicere in principio horarum suarum „ *Ave Maria*, & duos versus *Memento salutis*, & *Glo„ ria tibi Domine*.)

V. Quinto, „ (die omnium SS. *inquit Tullense S. Apri Ord.*, qui privatas Missas celebrare voluerint, à „ mane usque ad Tertiam possunt cantare, ut Tertiæ „ possint interesse cum cæteris.] Et infra: „ (In hac „ die Diaconus tot hostias consecrandas apponet, ut in „ ipsa die fratribus, qui Missas non celebraverint, Con„ versisque, & sororibus sacra communio sufficiat.)

VI. „ Sexto, „ (ipsa die quidquid panis, & vini re„ manet de cœna, totum ad eleemosynam datur,] *inquit Corbeiense Ord.*

VII. Septimo, „ (In prædicta solemnitate, idest in festo „ omnium SS. dimittitur mandatum trium pauperum, „ usque in caput jejunii, panis tamen, & vinum omni „ die detur tribus pauperibus, & pedes eis e famulo „ Eleemosynarii lavantur,) inquit idem Ord. & consuet. S. Benigni c. 70. Idem quoad mandati dimissionem habent consuet. S. Dionysii, S. Cornelii, & S. Germani.

VIII. IV. Nonas Novembris solemnem omnium fidelium defunctorum commemorationem egimus, pro qua pridie post omnium SS. Vesperas „ (pulsatis omnibus si„ gnis diutius, *inquit Udalricus l.* I. *c.* 42., cantantur „ quoque Vesperi defunctorum, & in nocte post Matuti„ nas Laudes de omnibus SS., officium simul cum Matu„ tinis Laudibus, & matutinalis Missa, solemnissime pro „ omnibus fidelibus defunctis, pro quibus & singuli Sa„ cerdotes privatas Missas sunt cantaturi. Sed nec ad „ Vesperos, nec ad alias vices de collectis est amplius „ dicendum, quam una tantummodo collecta idest *Fide„ lium* .... XII. pauperes uberius sunt reficiendi de pa„ ne, vino, & carne; & quotquot pauperes alii super„ venerint, omnibus de pane, & vino misericordia im„ pendenda. Et quia refectio nostra non injuria lautior „ est propter omnes sanctos, quam propter omnes fideles „ defunctos, in ipsa festivitate omnium SS. quidquid pa„ nis, & vini superest ad mensam, ad eleemosynam da„ tur.) Eadem omnino continent Divionenses S. Benigni consuetudines c. 70., & antiquum Corbeiæ Ord. In aliis etiam monasteriis solemniter cantabatur defunctorum officium, & quidem cum *Incenso* ad *Magnificat*, & *Benedictus*, ex consuet. S. Germani; & Missa matutinalis ab Abbate, vel Priore, celebranda, ex Ord. Tullensi, quo finito, inquit, „ (Prior indutus alba, stola, & cappa more solito faciat „ exequias. Cantor autem, & alius frater cantent ℣., „ postea fiat processio per claustrum, & per portellas in„ gredimur ecclesiam, imusque in cimiterium, ante tem„ plum, & inde in commune cimiterium, pueris, qui por„ tant crucem, aquam benedictam, & thuribulum præ„ cedentibus, cum Priore. In hac processione seniores „ præcedunt, & juniores subsequuntur.) Compendienses solo defunctorum officio solemnissimo contenti, Missam pro eisdem non cantabant. Dionysiani etiam hac die officium *S. Eustachii* solemniter celebrantes, officium defunctorum, & Missam non ita solemnem in sequentem diem transferebant. Hac die etiam S. Eustachio XII. Lectiones faciebant nostri Sangermanenses; tres, Beccenses, atque Lyrenses. In antiquo etiam Corbeiensi Ordinario, & recenti calendario inscribitur officium *S. Cæsarii, & S. Eustachii, facientque tres* XII. Lect. Compendienses de S. Eustachio sequenti, idest III. Nonas Novembris VIII. Lectiones legebant, IV. cum Laudibus de omnibus SS.; sed nostri Divionenses hac die solemnissimum de Sanctissimo Patrono suo Benigno celebrabant officium, pro quo

pridie post Vesperas solemnes de omnibus SS., inquiunt in suis consuetudinibus c. 70. „ (Imposito ab Armario R. „ *sancte Benigne*, fiat processio ad corpus Sancti; sed „ illi qui in cappis sunt, vadunt primi post infantes, ut „ finito R. cantant versum: *O sancte Benigne* ante altare; quo dicto cum *Gloria Petri* redeunt in chorum; „ Finita repetitione, pronunciat unus Præcentorum V. „ *Magna est gloria ejus in salutari tuo*; deinde imposita ab Abbate antiphona: *Ave Pater*, cantatur *Magnificat*, post cujus inceptionem incensatur altare ab Abbate, & socio suo cum duobus thuribulis, inde redeuntes in loca sua reddunt conversis thuribula, ut circumferant ea per chorum. Finito cantico cum antiphona, cujus finalis melodia tunc nequaquam dicitur, „ dicit Abbas solemniter collectam: *Omnipotens sempiterne.*, „ præmissa salutatione. Post hoc fit de cruce mentio, „ & deinde dicuntur psalmi familiares. In crastinum „ vero agitur in cappis magnifica translatio festivitatis S. „ Benigni;) de qua quia 10 Calendas Novembris incidit, communiter in officium de omnibus SS. actum erat. De S. Benigno etiam secunda die Novembris tres Lect. faciebant nostri Tullenses, XII. Parisienses S. Germani cum proprio officio die tertia, in qua signatur in antiquo Corbejæ calendario, *Translatio S. Hucberti Episcopi*, de quo tres Lect. faciebant nostri Tullenses.

IX. Pridie Nonas Novembris in calendario Beccensi tres notantur Lect. *S. Clari Martyris*; in Ord. S. Petri supra Divam, & in cons. S. Dionysii XII.; sed in his tertius nocturnus cum Missa matutinali de omnibus SS., in Sangermanensibus vero XII. Lect. *de S. Marcello*. Eodem die, aut sequenti, tres Lectiones de *S. Amantio* nostri Tullenses.

X. VIII. Idus Novembris in cal. Lyrensi tres Lect. *de S. Leonardo*; in Beccensi, & recenti Corbejensi XII.; similiter in Ord. S. Petri supra Divam, sed cum comm. *S. Melanii* Episcopi.

XI. VII. Idus in Dionysianis cons. notantur XII. Lect. *de S. Marcello Episcopo, & Confessore*; XII. item de *Vuillibrordo* in Ord. Tull.

XII. VI. Idus in veteri Corbejensi calendario consignatur *Natale SS. Quatuor Coronatorum*, de quibus tres Lect. notant cons. S. Germani, recens Corbejæ cal. & Beccense: his etiam in Ord. Tullensi assignatur tertius nocturnus; duo autem primi *S. Hidulpho*. In calendario Lyrensi, atque Ordin. S. Petri sup. Divam de SS. IV. Coronatis sola comm.; reliquum vero officium solemne *in cappis* de SS. monasterii reliquiis: & in his omnibus nulla octavæ omnium Sanctorum mentio, quam hac die recolebant Dionysiani, & Compendienses.

XIII. V. Idus Novembris in vetusto Corbejæ calendario inscribitur *Natale S. Theodori*, de quo tres Lect. in recenti, Beccensi, Lyrensi, cons. S. Germani, & S. Cornelii; cui etiam Tullenses tertium nocturnum cum Laud., & Missa matutinali tribuebant; duos primos *S. Vitono*. Dionysiani hac die oct. S. Eustachii cum comm. Sancti Theodori faciebant.

XIV. III. Idus Novembris in antiquo Corbejensi calendario signatur *Natale S. Menna & depositio S. Martini Episcopi*. De S. Menna in nostris libris non reperimus, nisi comm. & Missam matutinalem: De S. Martino totum officium proprium. Hunc sanctum cum singulari devotione semper coluit Ecclesia, imprimis certe Ordo Benedictinus eum ut vitæ monasticæ in Galliis authorem, Ecclesiæ Occidentalis decus, ipsis Apostolis parem, omni reverentia, & honore dignum suspexit, proprio S. Patris Benedicti motus exemplo, qui tanto erga sanctum Episcopum amore simul & devotione ferebatur, ut in Cassino proprium ei sacellum consecrandum duxerit. S. Patris in S. Martinum pietatem, & cultum plurimum auxit apud nostros S. Odo Abbas Cluniacensis, qui cum Turonis esset oriundus, S. Martini alumnus, & ibidem Canonicus extitisset, novum de eo composuit officium, octavasque instituit, ut cum Udalrico l. 1. c. 43. testantur cons. S. Benigni c. 71., & antiquum Corbejense Ordinarium: exhinc in omnibus Ordinis nostri monasteriis solemnissimum semper extitit S. Martini festum, & cum octava celebratum fuit passim in cappis, ut præscribitur in Ord. Cassinensi, S. Petri supra Divam, calendario Lyrensi, consuet. S. Dionysii, vel minimum *in albis*, ut in Compendiensibus, & in Ord. Tullensi. Ad nocturnos XII. Lectiones erant de vita S. Martini, quæ cum „ (sit luculento stilo composita, de ipsis adeo virtutibus admiranda, *inquit Udalricus*, SS. Patres nostri, sicut in Assumtione S. Mariæ, „ ita hic quoque voluerunt, ut in ejus depositione aliud „ Evangelium pronunciaretur, vel alia homilia, quam „ ipsa vita legeretur;) cui consentiunt Divionenses S. Benigni cons., & antiquum Corbejæ ordinarium.

XV. Addit Udalricus: „ (Omnibus horarum hymnis „ hic V. apponitur: *Martine par Apostolis*;) quod in omnibus passim monasteriis observabatur.

XVI. De officio infra octavam S. Martini audiendum est imprimis Cassinense Ord. „ (Die altero fiunt de S. „ Menna duæ Lectiones, & tertia de S. Martino. Matutinum, & Missa de S. Menna, addito introitu, & „ oratione S. Martini. Similiter de S. Johanne fiat. Infra „ oct. . . . . . duæ legantur Lect. de Prophetis cum duob. „ R.; tertia vero de S. Martino ex dialogo Severi, ab „ eo loco ubi dicitur: *Ego plane*, cum R. Matutinum, „ Missa, & Vesperæ de S. Martino, in quibus horis genua non flectantur: Reliqua omnia de quotidiano.)

XVII. „ (Dominica intra octavam in secunda vigilia „ legantur quatuor Lectiones de S. Martino cum R. suis; matutinæ quoque Laudes, & Missa ad Primam: Reliqua omnia de Dominica . . . . Si venerint in ea „ S. Menna, aut S. Johannes; in secunda tres Lectiones „ legantur de illis, octava vero de S. Martino, Matutinæ Laudes de SS. canantur, cum antiphona, & oratione „ S. Martini; dehinc *Benedictus*, & oratio de Dominica. „ Ad Missam de SS. addatur Introitus, & oratio S. Martini.) Hactenus Cassinense Ordinarium. Porro in gratiam solemnitatis solitum jejunium per totam octavam relaxabant, & post Matutinas, sive nocturnos, lectos repetebant ex Udalrico, cons. S. Benigni, & antiquo Corbejensi Ordinario.

XVIII. Præterea „ (vigilia S. Martini, *inquiunt Benigniana cons.* ponit Camerarius ad lecta omnium fra„ trum unos pedules.) Idem habet Corbejæ vetus Ordo.

XIX. Pridie Idus Novembris calendarium Beccense XII. de *S. Tiburtio* Lect. assignat.

XX. Idibus Nov. in antiquo, & recenti Corbejæ calendario legitur *Depositio S. Bricii Episcopi*, de quo XII. Lect. reperimus in libris nostris: tertium tamen nocturnum octavæ sancti Martini adscribunt cons. Compendienses.

XXI. XVIII. Cal. Decembris in calendar. Beccensi *de S. Laurentio Episcopo* XII. Lect. assignantur.

XXII. XVII. Cal. Decembris de *S. Eugenio* solemne officium celebrabant nostri Dionysiani; de quo etiam XII. Lectiones, cum tertio tamen nocturno, & Laudibus de S. Martino faciebant nostri Compend.

XXIII. XVI. Cal. Decembris in Calendario Lyrensi rubeis inscribitur Natale *S. Edmundi Confessoris*.

XXIV. XV. Calendas in veteri Corbejæ calend. *Depositio S. Anniani*, de quo tres Lectiones notant cons. S. Germani, S. Dionysii; commemorationem Compendienses, & Ord. S. Apri.

XXV. XIV. Calendas in eodem cal. *Natale S. Eusebiæ Virginis*. Hac die octavam S. Martini cum XII. Lect. nostri recolebant.

XXVI. XIII. Cal. in Ord. Tullensi tres Lect. *S. Odonis Abbatis*, & memoria S. Elizabeth.

XXVII. XII. Cal. Decembris in Lyrensi, Beccensique calendariis, cons. S. Dionysii, & S. Cornelii XII. Lect. *de S. Edmundo Rege, & Martyre*; in Compendiensibus tamen cum tertio nocturno *de sancta Maxentia*.

XXVIII. XI. Cal. in Ord. Tullensi *S. Columbani* XII. Lect.; in consuet. Dionys. & Compend. tres. Hac die in recenti Corbejæ calend. inscribitur festum Præsentationis B. Mariæ duplex majus.

XXIX. X. Cal. in antiquo calendar. consignatur *Natale S. Cæciliæ Virginis*, de qua XII. Lect. notant nostri libri; in cons. S. Germani inscribitur *in albis*.

XXX. IX. Cal. in præfato Corbejæ calendario vetustissimo legitur *Natale S. Clementis, & Felicitatis, & S. Columbani*. De sancto Clemente duodecim Lect. assignantur in calend. Lyrensi; Beccense, recens Corbejæ, cons. S. Cornelii, addunt comm. *S. Felicitatis*, sicut & Ordinarium S. Petri supra Divam, in quo inscribitur *in albis*. Sed Tullense, & consuetudines S. Germani tertium nocturnum cum Laud., & Missa matutinali adscribunt *S. Felicitati*: Dionysiani vero solemne de S. Clemente officium, cum Missa matutinali, & processione, in qua brachium S. Simeonis deferebatur, ante majorem Missam celebrandam cum XV. procedentibus.

XXXI. VIII. Calendas Decembris in veteri Corbejæ calendario signatur *Natale S. Chrysogoni Martyris*, de quo tres Lectiones notantur in recenti, in Beccensi, in Lyrensi, in Ordinario Tullensi; sed in cons. S. Germani hac die recolitur festum *S. Columbani Abbatis*, cum tertio nocturno, Laudibus, & Missa matutinali de S. Chrysogono. Dionysiani vero proprium de S. Romano officium solemne, cum Missa in cappis hac die faciebant.

XXXII.

XXXII. VII. Calendas Decembris *S. Catharinæ Virginis* xii. Lectiones præscribunt calendarium Beccense, tacens Corbejensi, Consf. S. Dionysii. In Compendiensibus, calendario Lyrensi, Ord. Tullensi inscribitur *in albis*; in cons. S. Germani *duplex*; in Ord. S. Petri supra Divam *in cappis*.

CAPUT X.

In quo referuntur singulares quædam aliquorum monasteriorum consuetudines, quæ hoc in libro exciderunt.

Ex Baudonivia in vita S. Radegundis lib. 2. n. 31. sæc. 1. p. 334.

I. MOs est in festivitate Beati Hilarii reliquis monasteriis circumcirca proximis, quæ sunt ibi, usque in mediam noctem vigilias celebrare; de media nocte unusquisque Abbas cum suis fratribus ad suum revestitur monasterium cursum celebrare.

Ex libro Miraculor. S. Albini n. 8. apud Boll. 1. Martii.

II. Ad festum S. Albini plures quoque alii advenerant Abbates cum monachis suis, qui mox solutis Primæ horæ debitis orationibus, intraverant capitulum, sicut a SS. Patribus est constitutum.

Ex Jona in vit. S. Columbani n. 16. sæc. 2. p. 12.

III. Erat ejus consuetudinis, ut cum Dominicis festis, vel quorumlibet Sanctorum sacratæ solemnitatis appropinquaret adventus, ab aliorum societate segregatus, & abditis locis receptus, vel longiori spatio eremi secreta sectabatur.

IV. Triplicem de S. Eloquio Abbate Latiniacensi festivitatem una die celebratam, scilicet diem Depositionis, diem Translationis, & Dedicationem templi, vide in Chronico Valciodorensi Spicil. tom. 7.

Ex Anonymo in Chronico S. Benigni Divionensis ad an. 981. Spicil. tom. 1. p. 429.

V. Quibus advenientibus, ita ordinavit Domnus Episcopus, (Bruno Lingonensis) ut die Translationis S. Benigni, monachis cum sibi subjectis clericis, ante sepulchrum sæpefati Martyris in crypta nocturnale officium peragentibus, ipsi in superiori choro ante principale S. Mauritii altare matutinalem inciperent synaxim. Vid. gesta S. Aldrici Episc. Cœnomanensis num. 20. tom 3. Misc. Baluz.

Ex MS. S. Apri Tullensis Ordinario ad diem Inventionis S. Stephani Protomartyris.

VI. „ Hac die ante Vesperas, & in crastino post Primam eant Cantor cum aliis quinque fratribus de honestioribus, & melius cantantibus, quos secum voluerit ducere; sine cruce tamen, apud S. Stephanum, ut hac die sint ad Vesperas, & in crastino ad magnam Missam: famulus vero Secristæ ab eodem Sacrista missus præcedat eos ad eamdem ecclesiam S. Stephani, portans sex albas de honestioribus, & sex cappas sericas de melioribus, quas induent prædicti sex fratres, qui debent esse in dextro choro inter Archidiaconos, & Canonicos, & ibi manere in albis, & cappis ad Vesperas usque post *Benedicamus Domino*, & ad Missam usque post elevationem Sacramenti. Portitor vero albarum, & capparum nostrarum debet habere duos denarios Tullenses, quos ei debet dare Espalarius.

Ex tripartito libro Miraculorum S. Roberti Abbatis Casæ-Dei, auctore Bertrando Monacho apud Bolland. 24. Aprilis.

VII. „ Decreverat idem Præsul (Ranco Claromontanus Episcopus), & omnes Canonici, ut tam ipse, quam omnes successores sui (scilicet S. Roberti) Abbates Casæ Dei cum sex sociis suis monachis, & septem famulis festivitate Assumtionis venerabiliter ab ipso Abbate celebrata, in refectorio cum Canonicis ad mensam principalem procurarentur.

Ex MS. Cassinensis monasterii Ordinario tempore Oderisii Abbatis descriptio.

VIII. „ In SS. Chrysanthi, & Dariæ. Ad Vesperas post orationem de SS. pergant omnes pariter ad Ecclesiam S. Bartholomæi, cantando antiphonam: *O quam multip.*, deinde *Magnificat*, & orationem de ipso Apostolo.

IX. „ In octava in prima vigilia, & secunda omnia canantur de pluribus Martyribus, & legantur octo Lectiones de passionibus eorum; deinde similiter pergant ad S. Bartholomæum, cum antiphona, & canticis, & faciant ibi tertiam vigiliam de Translatione S. Bartholomæi.... Evang. de Apostolo, ad Laudes: *Rex in Christum* per ordinem, & post hæc revertantur ad ecclesiam majorem, antiphona de SS., & *Benedictus*, & oratione. Ad Primam canatur Missa de Apostolo. Si dies Dominico evenerit, duodecima tantum Lectio fiat de Dominica, & Missa ad Primam, adjuncto Introitu, & oratione de Apostolo, cetera ut supra.

Ex MS. Historia Monasterii S. Germani a Pratis authore Jacobo Brolio ejusdem Monasterii Monacho ad annum 1416.

X. „ Locus nunc exigit, ut de Mareschallis Franciæ, seu Tribunis militum, (sunt autem quatuor numero Comiti stabuli, sive, ut Neoterici malunt, Stabili subditi,) aliquid dicamus. Illi enim quantumcumque genere, & dignitate illustres tenebantur, in festo Sancti Germani nobilem ac insignem virum, cum propter majus aliquod negotium nos impeditos esse constaret, exhibere; qui honoris caussa ante Abbatem processionis, & Missæ tempore virgam albam deferret; propter quod obsequium duodecim panes conventuales, vini quoque duodecim sextarios, ac totidem solidos Parisienses ab Abbate recipiabat, quæ Laudabilis consuetudo usque ad annum Incarnati Verbi 1418. inviolata permansit; sed tandem Mareschallis sua dignitate prætumidis, & spe tantillæ mercedis obsequium negligentibus, seu certe denegantibus, Religiosisque non admodum hac de re sollicitis, sublata est.

Ex Heriulpho in Chronico Centulensi l. 3. c. 3. Spicil. tom. 4. p. 488., ubi postquam omnes Monasterii sandales recensuit, hæc subdit:

XI. „ Hæc sunt nomina militum Monasterio Beatissimi Richarii famulantium, quos ubique Abbas, vel Præpositi secum ducebant, quique consuetudinaliter in die festi S. Richarii, & in Nativitate Domini, vel in Resurrectione, seu in Pentecoste semper Monasterio aderant, accurere, prout quisque poterat, ornati, & ex sua frequentia Regalem pene curiam nostram Ecclesiam facientes.

XII. Superest, ut de Dedicatione Ecclesiæ, cui nulla potest assignari fixa, ac determinata dies, aliquas consuetudines referamus; & primo observandum, quod eadem omnino solemnitate, quam in quinque præcipuis anni festivitatibus descripsimus, passim celebraretur. Secundo „ (ad singula altaria, *inquit antiquum Corbejæ Ordinarium* singuli cerei apponuntur, ex quo in vigilia Vesperi incipiuntur pulsari, donec crastinum Completorium finiatur.)

XIII. Tertio licet ad primas Vesperas psalmos de feria cantandos assignent Dionysianæ, Compendiensesque consuetudines; in antiquo tamen S. Apri Tullensis Ordinario iidem in primis, qui in secundis Vesperis præscribuntur psalmi; nimirum: *Lætatus sum*: *Nisi Dominus*: *Laudate Dominum, quoniam bonus*: *Lauda Jerusalem* & in consuetud. S. Germani a Pratis speciales ad primas, & alii iterum ad secundas Vesperas designantur; nimirum ad primas: *Dixit Dominus*; *Laudate pueri*: *Credidi propter*: *In convertendo*; ad secundas: *Lætatus sum*: *Nisi Dominus*: *Laudate Dominum quoniam*: *Lauda Jerusalem*. In antiquo vero Corbejensi Ordinario, & in Dionysianis consuetudinibus ad secundas Vesperas ii notantur psalmi; *Dixit Dominus*: *Lætatus sum*: *Nisi Dominus*: *Lauda Jerusalem*.

XIV. Quarto „ (post Vesperas, *inquit Tullense Ordinarium*, fiat trina processio cum incenso in hunc modum: prima processio est ad altare S. Benedicti, & cantatur ℟. *Fundata est domus*: ℣. *Domum tuam*, vel alius; collecta: *Deus, qui Ecclesiam*, vel alia. Secunda processio fit ad altare S. Petri Apostoli, & cantetur ℟. *Hæc est domus* ..... Tertia processio fit ad altare S. Crucis, & cantetur ℟. *Terribilis*, &c.]

XV. Quinto „ (hac nocte, *ait idem Ord.*, post Completorium portet Sacrista incensum, sicut ordinatum est „ in Ordinario de officio Sacristæ.)

XVI. Sexto pro canticis in tertio nocturno tres in antiquo Corbejensi Ordinario, & consuet. S. Germani a Pratis assignantur psalmi, scilicet: *Lætatus sum: Nisi Dominus: Lauda Jerusalem*. Cantica vero in Ord. Tullensi hæc notantur: *Domine miserere: Urbs fortitudinis*, atque *Humiliavit: Miserere Domine*; similiter in Dionysianis: *Domine miserere*.

XVII. Septimo Evangelium ad Nocturnos, ex consuet. Dionysianis legendum: *Non est arbor bona*.

XVIII. Octavo „ (In ipsa die ad unumquodque altare est celebranda Missa de solemnitate,) ait antiquum Corbejæ Ordin. Idem habent Benignianæ consuet. c. 5., & Fontanellenses.

XIX. Nono „ (Finita matutinali Missa, Hebdomadarior Missæ faciat aquam benedictam, quæcumque sit „ dies; & pro *Asperges me*, cantetur antiphona *Vidi aquam*, idque mense Augusto, aqua benedicta per officinas non portetur,) Ita Tullense Ord.

XX. Decimo, in Dionysianis consuet. ad Tertiam, assignatur hymnus; „ (*Veni Creator*, & post Tertiam, „ *sequitur*, fiat processio per claustrum, & deferantur tria „ vexilla, cum thuribulo, & candelabris; & sex procedentes cum Diacono in dalmaticis, & totidem Subdiaconi cum Subdiacono in tunicis; & quidem Sacerdos, „ qui ferat brachium S. Simeonis, & incipiatur a Cantore ℟. *Concede nobis*, &c.) Solemnem etiam cum Reliquiis processionem in cappis faciebant nostri Tullenses.

XXI. Undecimo „ (Postea, *subdunt eædem consuet.*, „ fiat sermo populo, & benedictio; deinde cantetur Missa. Ad Missam tres Cantatores assistant in choro, & „ incipiant ante officium: *Veni sancte Spiritus*.)

XXII. Duodecimo, si Dedicatio Ecclesiæ post Septuagesimam eveniat, „ [Diaconus pro dalmatica, & Subdiaconus pro tunica, sicut in aliis festivitatibus, ad „ Missam casulis utuntur,) inquit antiquum Corbejæ Ordin.

XXIII. Decimotertio denique, octava Dedicationis celebretur in albis, ex consuetudinibus Fontanellæ.

LIBER

LIBER QUINTUS,

DE RITIBUS,

Incertis temporibus contingentibus.

CAPUT I.

De Electione Abbatis.

I. HActenus antiquos Monachorum Ritus, quibus fixum, statumque tempus aliquod adsignatum erat, pro modulo nostro retulimus; superest, ut extravagantes, ut ita loquar, sive incertis temporibus contingentes hoc ultimo libro prosequamur; cujus primum caput ab ipso Monasterii capite exordiri animus fuit, hoc est ab Abbate, de cujus Electione, & Benedictione ante omnia dissaremus; deinde, quia Abbas sine Monachis esse non potest, de receptione, & professione noviciorum, oblatione puerorum, juvenumque custodia, deque tonsura, quæ ipsis tum primum conferebatur, agemus. Postea, quia per Monasticam professionem mundo civiliter moritur Monachus; de mortuis tractabimus, hoc est de ritu administrandorum Sacramentorum fratribus ad mortem ægrotantibus, de modo adjuvandi infirmos morti proximos, de mortuorum sepultura, de precibus pro defunctis fratribus faciendis, deque societatibus Monasteriorum. Et quia per mortem viam ad æternitatem ingredimur, subjungemus aliquid de fratribus in viam directis; aliosque hujusmodi ritus, ex quibus hic Liber est componendus, investigabimus. Et ut ad electionem Abbatis, quam hoc primo capite tractare suscepimus, veniamus; ex Udalrico; consuetudinibus MS. Cluniacensis Monasterii, S. Benigni Divionens., S. Benedicti Floriacensis, Rituali Beccensis Monasterii, ex electione Johannis Abbatis S. Albani in Anglia, & nonnullis factis ea maxime depromemus, quæ hic relaturi sumus.

II. Primo ergo defuncto Abbate, ut absque omni perturbatione, & secure futura Abbatis electio procederet, in Rituali Beccensis Monasterii præscribitur, ut „ (cum omnino mortuus fuerit, provideant fratres seniores, scilicet & sapientiores domus, ut mittant ad Dominum terræ sub omni festinatione, cum litteris sigillatis sigillo conventus, continentibus mortem Prælati, & liberam petentibus electionem.) Ita Fuldenses olim Monachi Ratgario feroci, & indigno Abbati successorem dignum substituere cupientes, miserunt „ (Adalfridum virum bene morigeratum, & cum eo fratres, ad Imperatoris clementiam, si forte dignaretur, quod indignis de Abbatis electione præmonstrare; quibus sane clementer susceptis electionem concessit,) ut scribit Candidus in vita Egilis Abbatis Fuldensis nu. 6. sæc. 4. part. 1. Ita etiam defuncto Willelmo S. Albani in Anglia Abbate, Prior, & conventus ejusdem Monasterii duos ad Regem Henricum Monachos destinarunt, qui licentiam ab eodem Rege peterent sibi successorem eligendi: extant eorum hanc in rem litteræ apud Spelmannum tom. 2. Conc. Angl. 1235. sub hac forma,

III. „ Excellentissimo Domino, & in Christo Reverendissimo Henrico Dei gratia illustri Regi Anglorum, Domino Hyberniæ, Duci Normanniæ, & Aquitaniæ, Comiti Andegaviæ, devoti sui semper, & humiles Prior Sancti Albani, & ejusdem loci conventus, cum omni humilitate, & devotione æternam in Domino salutem. Vestræ innotescimus Excellentiæ, quod Venerabilis Pater noster W. quondam Abbas Ecclesiæ nostræ in fata decessit: idcoque dilectos fratres nostros N. & N. latores præsentium ad vos destinamus, Excellentiæ vestræ omni, qua possumus, devotione, & lacrymarum effusione, flexis genibus supplicantes; quatenus divinæ pietatis intuitu, nobis gratiam impertientes eligendi pastorem, liberam nobis concedatis facultatem, ita ut domus nostræ misericorditer, si placet, compatiantes juxta necessitates, quas dicti fratres nostri vobis duxerint exprimendas. Valeat Regia dignitas in æternum.

IV. Plurima nobis alia suppetunt exempla, quibus saltem aliquibus in Monasteriis probetur de consuetudine fuisse, ut, sive ante licentia electionis faciendæ, sive post factam ejus approbatio a Rege, seu Principe postularetur. Ita S. Marius in ejus vit. nu. 2. sæc. 1. „ (Gondobadi Burgundionum Principis *consensu* a fratribus Bodanensis Cœnobii, quod est situm in Cistaricensi Episcopatu, in Patrem eligitur.) Ita S. Austrudis Abbatissa Laudunensis in ejus vit. sæc. 2. p. 977. „ (cum consilio hujus Laudunensis Ecclesiæ Pontificis, & Francorum Procerum, qui præerant huic Provinciæ, atque *adsensu*, & electione, & acclamatione sororum tunc in hoc loco degentium, *sub Regali licentia* benedictione Episcopali sacratur in Abbatissam.) Ita S. Aigulfo Floriacensis Monacho a Lyrinensis Monasterii fratribus in Abbatem postulato, ad Regem, Proceresque ejus delata est Monachorum postulatio, cui ille consensit, in ejus vit. n. 7. Ita denique S. Hermelando Antrensis Monasterii in vit. ejusdem sæc. 3. „ (per Regis licentiam (curam exnente) fratres sibi Abbatem elegerunt nomine Adalfredum, Regali annuente præcepto.)

V. Secundo „ (Peracto funeris (Abbatis defuncti) obsequio, *addit Rituale Beccensis Monasterii*, si fratres de curia Domini Regis redierunt, & prospera de curia nuntiaverint, statim consilio majorum Prior statuat diem electionis, & mittat litteras suas patentes Prioribus omnibus cismarinis, ut ad diem statutum conveniant.) Duo hic dicit, 1. ut certus, & determinatus ad electionem dies præfigatur, 2. ut absentes a Monasterio, qui de jure ad electionem interesse debent, convocentur. Idem habent Bernardus Abbas Casinensis, Nicolaus de Fractura, & Petrus Boherius in suis super Regulam S. Benedicti Commentariis ad caput 64. Formulas autem convocationis absentium habemus tum in electione Johannis S. Albani in Anglia Abbatis, hoc modo,

VI. „ Frater E. Prior S. Albani, ejusdemque loci conventus dilecto sibi in Christo tali, vel tali Priori salutem in Domino sempiternam. Quoniam Venerabilis Pater noster W. quondam Abbas Monasterii nostri, divino nutu diem clausit extremum: & oportet per commune consilium Ecclesiæ nostræ providere de Pastore, mandamus quatenus in crastino Annunciationis Dominicæ proximo affuturæ compareas personaliter apud S. Albanum, una nobiscum super electione Abbatis. Quod si forte non poteris justa ex causa impeditus, tunc te sub hac forma excuses per litteras tuas patentes: Viris nobilibus Domino E. Priori de S. Albano, ejusdemque loci conventui Frater N. Prior talis, vel talis loci salutem. Præpeditus negotio certo, vel assignato, vel gravi detentus infirmitate, in crastino Annunciationis Dominicæ apud S. Albanum personaliter interesse non possum, una vobiscum super electione Abbatis tractaturus; itaque non expectata præsentia mea, in dicto negotio, quod vestrum est, exequimini. Valete.

VII. Tum ex Nicolao de Fractura, prout sequitur:

„ Dilecto in Christo Fratri tali Monacho Cassinensi Frater talis Decanus, & conventus Cassinensis salutem in Domino. Fraternitati tuæ tenore præsentium innotescat, quod die tali, talis mensis, indictione tali, talis quondam Abbas Cassinensis, sicut Domino placuit, viam fuit universæ carnis ingressus; propter quod ne Cassinensis Ecclesia sic ex defectu Pastoris patiatur in spiritualibus, & temporalibus læsionem, disposuimus, ad electionem futuri Abbatis in ipso Monasterio procedere, & eidem Ecclesiæ Cassinensi, quantum cum Deo poterimus, per electionem canonicam de persona idonea providere; quapropter fraternitatem tuam attente requirimus, & sollicitamus expresse, quod die tali, talis mensis, quem communiter ad electionem celebrandam in Ecclesia ipsa statuimus, te conferas, ut una nobiscum ad electionem celebrandam eamdem procedas; alioquin, tua absentia non obstante, procedere ad celebrandam electionem curabimus, & eidem Ecclesiæ, seu Cassinensi Monasterio de persona idonea canonice providere, nos enim fidei, & relationi veridicæ talis nuntii nostri jurati latoris præsentium super vocatione hujusmodi stare promittimus, ut est juris. Datum &c.

VIII.

VIII. Eamdem fere habet Petrus Boherius, ex quo etiam formulam exhibemus in hæc verba: „ Venerabili Religioso tali, & conventui talis monasterii. Frater N. ejusdem monasterii monachus salutem tam omni reverentia, & honore. Arduis, & variis negotiis præpeditus, electioni futuri Abbatis nostri, die tali faciendæ in nostro capitulo vobiscum non possumus personaliter interesse; ideoque vices meas in toto dicto negotio discreto Religioso fratri N. commonacho vestro committo, concedens eidem specialem potestatem super hoc jurandi in animam meam, si necesse fuerit, & viderit expedire. In quorum testimonium sigillum meum, &c.

IX. Notat vero Boherius eum, qui vocandus est, personaliter esse citandum, si sit in loco, de quo vocari debet; si nescitur, citandum in loco, ubi communiter morari consuevit; vagabundum vero, qui quandoque est in loco, de quo vocari debet, quandoque extra, necessario non esse citandum, licet sit tutius ipsum citare.

X. Porro tam ipse Boherius, quam Nicolaus de Fractura sentiunt de hujusmodi convocatione publicum instrumentum esse conficiendum, cujus formulam repræsentat his verbis prædictus Nicolaus.

XI. „ Anno Dominicæ Incarnationis &c., mense tali, die quinto ejusdem mensis, & indictionis talis, apud monasterium Cassinense nos talis Judex, talis notarius, & subscripti literati, vel illiterati testes; videlicet talis, & talis, de tali loco, ad infra scripta vocati specialiter, & rogati, præsenti scripto publico declaramus, notum facimus, & testamur; quod prædictus nuntius prædictorum Decani, & conventus monasterii Cassinensis in capitulo Cassinensi in nostra præsentia personaliter constitutus, de veritate dicenda prius per eum corporali ad sancta Dei Evangelia præstito juramento, retulit, & asseruit Decano, & conventui præsentibus, & ipsum interrogantibus de prædictis juxta formam, & mandatum ipsorum traditam, & assignatam sibi in scriptis, vocasse, & citasse personaliter apud talem locum, talem, & talem monachos Cassinenses; ut in tali die ad celebrandam electionem in monasterio Cassinensi de futuro Abbate per Dictum Decanum, & conventum præfixa, per se, vel procuratores suos idoneos, si per se forsan non possent commode insimul, convenirent: testes autem, coram quibus dictus nuntius se asserit monachos vocasse, & citasse prædictum, sunt hi, videlicet talis, & talis, &c. unde ad futuram memoriam &c.

XII. Tertio, Electioni preces, atque jejunium præmittendum esse dicunt Bernardus Cassinensis, & Petrus Boherius. Triduanum Antiqui præmittebant, ut discimus ex Electione S. Lantberti Abbatis Fontanellensis, & postea Episcopi, quæ refertur in vita S. Ansberti Episcopi, n. 13. sæc. 2. Bened. pag. 1052. sæt. 2. idque innuere videtur Beda Venerabilis, cum ait, Ceolfrido Abbate Wiremuthensi regimina sponte cedente, tribus post diebus Huetbbertum a fratribus electam fuisse. Triduanum etiam observabant, observantque etiam nunc Carthusienses monachi ex Statutis Guig. c. 15. ex nova collect. statutorum part. 2. c. 2. n. 19. Vide vitam S. Hugonis Abbatis Cluniacensis auctore Hildeberto n. 4. apud Boll. 29. Aprilis.

XIII. Quarto, „ (Die ad eligendum præfixa (adveniente) *inquit Bern. Cassinensis*, præmissis jejuniis, & orationibus devotis, debet celebrari solemniter Missa de S. Spiritu, quasi in ipso diei assignati principio, seu diluculo; qua expleta, & campana, ut moris est, ad capitulum congregandum pulsata; debent universi Fratres in capitulum convenire. Lecta igitur in capitulo lectione consueta de Natalitiis SS., debet legi hoc præsens capitulum: *De ordinando Abbate*. Quo lecto, & rite actis, quæ in capitulo ad solvendum silentium fieri habent, proponi debet ad exhortationem debitam verbum Dei: quo completo, cum reverentia surgunt omnes, & flexis genibus attentis ad Deum mentibus, incipiat ille, qui præsidet hymnum: *Veni creator spiritus*; quo expleto, silentur apud se devote Deum orent & implorent in suum suffragium, & auxilium merita Beatæ Virginis, & patrocinia B. Benedicti, & sic resideant ordinate.) Quinque hic dicit: primum, ut adveniente electionis die, summo mane celebretur Missa de Spiritu sancto solemniter. Idem ait Boherius, Nicolaus autem de Fractura generatim, ut *Spiritus sancti gratia, prout moris est, primitus* invocetur.

XIV. Secundum, ut finita Missa, ad campanæ pulsum congregentur omnes in capitulo, cui concinit Boherius, Nicolaus autem de Fractura, ut „ (immediate post Primam cantatam . . . in capitulo, si habuerint, sin autem in majori Ecclesia) conveniant. Cum electionem per compromissum faciebant, compromissarii rem in Ecclesia conficere solebant, ut postea dicemus; morisque fuit antiquum sollemnes hujusmodi congregationes in Ecclesia celebrare; ita in majori B. Mariæ sacello monasterii S. Germani a Pratis celebratum Provinciale capitulum Provinciæ Senonensis an. 1407. testantur acta ejusdem capituli, quæ in prædicto monasterio ego legi. Cavent autem tam editæ apud Udalricum l. 3. c. 1., quam MS. consuet. Cluniacenses, Benignianæ, & Floriacenses, ne quis hujusmodi Electioni intersit præter eos solos, *qui sunt ipsius monasterii professi*.

XV. Tertium, ut post lectum Martyrologium, & recitatas preces ad solvendum silentium, pronuncietur capitulum ex Reg. S. Benedicti *de Ordinando Abbate*. Idem præscribit Rituale Beccensis monasterii, idem Boherius, & Nicolaus de Fractura, qui insuper volunt legi *Generale concilium: Quia propter*; hoc est caput 24. Concilii Generalis Lateranensis sub Innoc. III. quod incipit: *Quia propter*, ubi agitur *de electione facienda per scrutinium, & compromissum*.

XVI. Quartum, ut proponatur exhortatio verbi divini. Brevem hanc præscribit Rituale Beccensis monasterii; „ (Fratres, ut videtis, acephali sumus, & oportet, ut nobis per Dei gratiam de Rectore provideamus, & Pastore. Ideo juxta approbatam, & antiquam Ecclesiæ nostræ consuetudinem in electione procedendum est.) Prolixiorem haud dubium alii faciebant, eratque potissimum de virtutibus, & meritis eligendi, deque dotibus a S. Benedicto in Abbate requisitis. Quintum, ut omnibus genuflexis divinum implorent auxilium per hymnum *Veni creator Spiritus* &c. Alias preces assignant Divionenses S. Benigni consuet. c. 1., MS. Cluniacenses, & editæ Floriacenses, scilicet, ut „ (totus conventus prostratus in capitulo de canticis xv. graduum septem primam decantet: quo facto, Prior, aliis adhuc jacentibus, exurgens hanc dicat orationem, sine oratione Dominica: *Adsumus Domine sancte Spiritus, adsumus* &c. Hac finita respondeatur ab omnibus *Amen*.) Idem observatum fuisse in electione S. Hugonis in Abbatem Cluniacensem tradit Udalricus l. 3. c. 1., ubi etiam integram refert orationem: *Adsumus*.

XVII. Quinto, ad electionem ipsam, quod spectat, tribus potissimum modis fieri posse innuit Innocentius tertius in supra citato capite 24. Concilii Lateranensis; scilicet per inspirationem, cum scilicet omnes quasi divinitus inspirati, uno ore, talem, aut talem sibi postulant Abbatem; per scrutinium eligendo tres de ipso conventu, qui suas primum, deinde singulorum secrete scrutentur voluntates; & per compromissum, cum nonnulli de conventu fratres nominantur, qui Abbatem eligant. Prima procedendi via apud monachos fere invia, ultima maxime pervia, & trita. Hanc viam incedebant nostri Cluniacenses, Divionenses, Floriacenses, ut satis in suis consuetudinibus indicant, cum decernunt, „ (ut iterum considente conventu, spiritales fratres eligere debeant in monasterio, qui magis eis videbitur idoneus.) Ex hoc modo electus est in Abbatem Cluniacensem S. Hugo; nam cum S. Odilo in extremis rogatus esset, quid sibi de successore videretur; quemquam ipse nominare recusavit, sed „ (tantum cum aliquot personarum majorum, & probabiliorum, excepto Priore, meminisset, probavit, ut quisquis per illas eligeretur, ceteri omnes consentirent. Quod cum relatum esset eadem vice in capitulo, a quodam fratre, qui ad finem S. Patris interfuit; per hanc occasionem, Priore dissimulato, compulsus est claustralis Prior a ceteris majoribus, ut primus ediceret, quid ipse de gerenda electione sentiret: Ille autem hæsitans, & tandem ratione convictus, cum mutare non posset, ut non responderet, Priorem nominavit, & elegit. De cetero nullus erat, qui hanc sententiam, vel aliquantulum mutiret; sed omnes pariter laudaverunt.) Hæc Udalricus l. 3. c. 1. Prior erat autem ipse S. Hugo. Eamdem etiam sequebantur viam Beccenses, & S. Albani in Anglia monachi. Ritum vero eligendi compromissarios habemus tum in Rituali Beccensis monasterii, tum in electione Johannis Abbatis S. Albani apud Spelmannum; in rituali quidem Beccensi ita: Post exhortationem a Priore factam, in cujus fine eum producendum esse ad electionem dixisset, consequenter subjungit: „ (Præcipimus itaque tibi frater, & nominet quem voluerit, ut vadas ad electionem faciendam; Surgat frater ille statim, quem Prior nominaverit, & vadat stare ante analogium. Postea præcipiat Prior ceteris, quibus voluerit, ita ut sint duodecim, & stent omnes in ordine suo ante analogium. Si quis de con-

„ ventu

vento suspectam habuerit aliquam personam a Priore nominatam, quam non sit utile Ecclesiæ personam illam electoribus annumerari, & contradixerit; dicat Prior: vade sessum; dignum est enim, ut omnes in eos sententiant, qui debent universitati, quæ ad Abbatiam pertinet, providere; postea provideat Prior alium, & nominet, qui locum suppleat amoti. Consentientibus igitur omnibus, & concordantibus in illos XII. dicat Prior illis XII. Præcipimus vobis ex parte Dei omnipotentis, & S. Virginis Mariæ, B. Benedicti, & omnium SS., & in virtute obedientiæ, qua Deo, & Ecclesiæ isti tenemini secundum Sacramentum professionis vestræ, quatenus omni favore postposito, eatis in Ecclesiam, & nobis Pastorem eligatis de monachis Ordinis nostri professis secundum Regulam B. Benedicti, juxta testimonium etiam conscientiarum vestrarum, quem magis noštis idoneum, & sufficientem ad regimen animarum nostrarum, & domum nostram interius, & exterius gubernandam, qui, ut modo audistis ex regula, sit eruditus lege divina, qui sit, & sciat, unde proferat nova, & vetera, castus, sobrius, & misericors.) In electione vero Johannis Abbatis S. Albani sic: „(Hæc est consuetudo eligendi Abbatem in Ecclesia S. Albani: Confessores tres, vel quatuor jubentur districte, & in virtute Spiritus sancti, utpote qui cognoscunt corda, & renes singulorum, ut ipsi eligant XII., modo ex de conventu fratres electos, fideles, & peritos, ut ipsi, vel de se ipsis, vel de ipso conventu Ecclesiæ, vel de cellis unum idoneum eligant in Abbatem. De ipsis, inquam, quia sic non consueverunt antiquitus; immo de aliis, quam de se ipsis, quod absurdum fuit, & dissonum rationi. Et in hoc variata est antiqua consuetudo, & in melius commutata: Ut enim electio, & labor tantæ deliberationis super hoc negotio nullatenus irritus habeatur, & inanis; literas habent de conventu penes se sigillo conventus roboratas, ut ipse convantur illum, quem ipsi XII. eligerent in Abbatem, sine contradictione, aut difficultate unanimiter in Pastorem suscipient, & gratanter.) Hoc modo electi compromissarii in Ecclesiam se recipiebant, in qua januis omnibus clausis, electionem faciebant; ut patet ex consuet. Floriacensis monasterii, in quibus decernitur, ut „(in primis omnes januæ Ecclesiæ claudantur, (& paullo post subjungitur:] Iterum considente conventu, spirituales fratres eligere debent in *monasterio* „[idest in Ecclesia], qui magis eis videbitur idoneus;) tum ex supra citato Rituali Beccensis monasterii, in quo additur: „(Iis dictis, pergant electores in Ecclesiam, & stent ante majus altare, & incipiat Prior in ordine hymnum: *Veni creator* moderata voce, qui magis redoleat compunctionem, contritionem cordis, quam modulationem, & ab omnibus XII. devotione summa prædicatur. Postea dicto ab eo, qui prior est ordine: *Benedicti*, tractent de electione cum summa diligentia. Conventus, qui remansit sit in capitulo post discessum electorum, cum in Ecclesia fuerint, Priore incipiente, dicant: *Veni creator*, postea dicant VII. psalmos flexis genibus; postea sedeant per ordinem in sedibus suis, sicut sedere debent in capitulo, quum loquuntur de ordine, præstolantes electorum adventum. Si electores de aliqua persona tractare voluerint, quæ sit de numero ipsorum, dicat Prior ipsorum in ordine: Bonum est, ut tractemus de iis, qui nobiscum sunt; hoc tamen fieri debet, si in alium non consenserint absentem; & dicat illi, de quo tractare volunt, & quilibet alii de numero electorum, ut vadant in capellam B. Virginis. Si omnes in unam personam de illis missis consenserint, bene; sin autem, alias duas emittant, & sic de singulis, donec in unam consentiatur ab omnibus personam. Omnibus igitur electoribus in unam personam unanimiter consentientibus, veniant in capitulum electores, & stent ante analogium per ordinem, & dicat major ordine: *Ex precepto vestro, & unanimi assensu processimus in electione Patris nostri, & Pastoris, fecimus, quod potuimus, & secundum conscientias nostras elegimus virum idoneum videlicet honori, & sufficientem oneri; sed antequam persona nominetur, petimus, & instanter postulamus, ut universitas vestra manibus extensis ad Deum, & in sublime porrectis, promittat, quod nullus vestrum nec publice, nec privatim contradicat*. Quo ad voluntatem eligentium solemniter peracto, nominet personam prior in ordine eligentium.)

XVIII. Hactenus ritum electionis faciendæ per compromissum retulimus; quomodo autem per viam scrutinii procedendum sit, docet Bernardus Cassinensis his verbis in cap. 64. Reg. S. Ben.: „[Si scrutinii viam acceptent, debent eligere tres fide dignas personas de ipsis fratribus, qui primo suas scrutentur invicem secreto voluntates, & scribant secrete, postmodum vota singulorum scrutari debent, & redigere in scriptis, quæ vota, mox ad capitulum sedentes, antequam ad alios actus divertant, publicari debent in communi; quam publicationem subsequi debet collatio hoc modo: Talis, & talis nominant talem in Abbatem; talis, & talis talem; in tali parte nominantium talem sunt Præpositus, Decanus, Cellerarius, Vestiarius, & Abbas talis loci, & Præpositus talis Ecclesiæ: Talem, & talem fratres. Item ex parte nominantium talem sunt talis, & talis; Illi, qui talem nominant, habent tot pro sua parte; talis qui nominatur a talibus, est persona sanctitate vitæ approbata, scientiæ eminentis, seu competentis, in administratione temporalium bene experta; talis vero, qui nominatur a talibus, habet, & tales conditiones. Inveniunt, quod in talem convenit major, & sanior pars. Isti, qui eum nominant, præsumuntur talem zelum habere; Eligamus talem, quia major, & sanior pars consentit in eum; vel invenitur, quod omnes consentiunt in talem; Eligamus ergo ipsum. Si vero nulla venit ad majorem partem, debent dicere fratres: Licet talis sit nominatus a majori parte respectu partium, tamen nullus reperitur nominatus a majori parte respectu totius Congregationis; & ideo electio subsequi non potest: Interim ergo videamus, si Deus daret nobis gratiam, quod concordare possemus ...... Quando autem per viam scrutinii, vel per viam compromissi viderint electionem subsequi posse, & debere; tunc unus de electoribus in via scrutinii, recepta ab omnibus eligendi potestate, vice omnium verba electionis proferat in hunc modum: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego talis vice omnium, vel eorum, qui in talem consentiunt*, si non consentiant omnes, *eligo talem in Abbatem monasterii, & Pastorem*. Quod si per viam compromissi fuerit processum, unus de compromissariis vice omnium sibi compromissariorum dicat; *Ego talis vice talium sociorum meorum, & mea, quibus est a tote conventu providendi concessa potestas, de tali persone provideo huic monasterio, & ipsum vice mea, & sociorum meorum in Abbatem eligo, & Pastorem*.) Eadem fere habent Nicolaus de Fractura, & Petrus Boherius in cap. 64. Reg. S. Benedicti.

XIX. Sexto, Electione facta, & electo pronuntiato; „(Imposita antiphona: *Confirma hoc Deus*, deducitur in monasterium, idest in Ecclesia, *inquiunt Divionenses S. Benigni consuetudines c. 1.*, alta voce conventu cantante: *Exurgat Deus*, quem sequitur oratio: *Actiones nostras*. Tunc statuto Electo in loco, & statione Abbatis, incipitur hymnus: *Te Deum laudamus*, ad cujus secundum ℣. singuli fratres veniam petentes incipiunt eum osculari; deinde fratribus reversis in capitulum, omnes Obedientiarii monasterii ponunt ad pedes ipsius claves suas; ipse vero præcipit iis, ut resumant eas.] Ita in electione S. Hugonis Abbatis Cluniacensis teste Udalrico l. 3. c. 1. „(Imposita antiphona: *Confirma hoc Deus*, cantatus est psalmus LVII.: *Si vere utique*, alta voce, & sic deductus est in Ecclesiam, secuta est oratio: *Actiones nostras quæsumus Domine*. Statuitur electus in loco Abbatis, & imponitur hymnus: *Te Deum laudamus*. Ad cujus secundum versum singuli fratres veniam petentes inceperunt eum osculari.) In MS. Cluniacensis monasterii consuetudinibus hæc præmittuntur: „(Electo Prior omnium aliorum dare debet baculum pastoralem in manu, & incepta antiphona: *Confirma hoc Deus*, deducitur in monasterium,) &c. ut in *Benignianis consuet*. Paulo aliter *Floriacenses S. Benedicti consuetudines*: „(Definito consilio, *inquiunt*, apertisque januis omnibus, qui interesse voluerint; Prior debet eum, qui eligitur, nominare, & ad Abbatis sedem deducere, & electus cantante conventu deducitur ad altare Patris Benedicti, & accipit virgam pastoralem desuper altare. Deductoque eo postea in chorum in statione Abbatis; deinde reversis fratribus in capitulum, faciet ipse fidelitatem super textum S. Evangelii, quod secundum posse suum servabit jura, & consuetudines Ecclesiasticas, & res alienatas revocabit. Post hæc singuli fratres veniam petentes incipiunt eum osculari, & obedientiam promittunt, præter infantes. Et Abbas ita electus benedicetur a quocumque Episcopo voluerit, & valuerit, excepto Aurelianensi Episcopo, & Senonensi Archiepiscopo. Obedientiarii autem omnes ministerii claves ad pedes ejus ponunt, quas tamen omnibus omnes restituet.) Aliter etiam in Rituali Beccensi, in quo hæc leguntur: „(Nominet personam (ele-

„ctam)

„ ctam) major in ordine eligentium, & vadant electores sessum in ordine suo, & stet electus solus ante analogium. Si Prior fuerit electus, statim nominata persona incipiat Cantor: *Te Deum laudemus*, si vero claustralis fuerit Prior, vel obedientiarius; stet ante analogium, & dicat ei Prior: *Præcipimus tibi authoritate Dei, & in virtute obedientiæ, ut electioni canonice de te factæ consenties*: & illo dicante: *Paratus sum in omnibus iis, quæ de me providistis secundum Deum parere*; dicat Prior: *Deus omnipotens augeat tibi gratiam suam, ut ad salutem animarum nostrarum, & ad honorem Ecclesiæ nostra nobis esse Prelatum gaudeamus*: Et omnibus respondentibus: *Amen*, incipiat Præcentor: *Te Deum*. Quo incepto, ducatur honeste in Ecclesiam, & absque strepitu a senioribus, toto conventu cum omni humilitate, & reverentia præcedente; & offeratur Deo ad majus altare pulsatis campanis. Postea redeat in capitulum, & vocentur, qui sunt ex parte Domini terræ, & ex parte Domini Rothomagensis, & dicat eis Prior: Petivimus a Domino terræ licentiam eligendi, & obtinuimus per Dei gratiam; & elegimus unanimi assensu virum istum, & nominet illum. Si autem aliquam fecerint mentionem de personis eligentium; Ii qui fuerint ex parte Domini terræ, sive ex parte Domini Archiepiscopi, provideatur sapienter a sapientibus, ut eis omnes electores ostendantur, si viderint expedire, vel saltem maturior pars eorum. His peractis, eant ad divinum obsequium, & stet electus juxta stallum Abbatis, & terminet orationes, & teneat refectorium, & capitulum, & sicut Abbas.] Aliter denique etiam Bernardus Abbas Cassinensis: Pronunciatus „ (electus suscipietur a majoribus monasterii personis, & in Ecclesia deportetur, & hymnus: *Te Deum laudamus* solemniter decantetur, & ante altare ducetur. Qui electus usque ad finem hymni devote in oratione debet esse ante altare prostratus, post cujus hymni expletionem, dicto Kyrie eleison, & oratione Dominica; subjungit Præpositus, vel Decanus, vel Sacerdos capitula, scilicet: *Confirma hoc Deus* &c. item: *a Domino factum est istud*, & orationem: *Actiones nostras quæsumus* &c. & item: *Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo* &c., qua finita, surgat electus, & collocetur in seda; deinde ducatur ad sedem capituli, ibique ipsius cum gravitate debita requiratur assensus; itaque decretum in hunc modum.

XX. „ In nomine Domini nostri Jesu Christi amen. Vacante monasterio tali per obitum memoriæ bonæ talis ejusdem monasterii Abbatis, & ejus corpore tradito ecclesiasticæ sepulturæ, tali die ad eligendum præfixo, vocatis omnibus, qui de jure, vel consuetudine nostri monasterii, jus in electione habere noscuntur: Proposito verbo Dei, Spiritus sancti gratia invocata, lecta Regula B. P. Benedicti *De ordinando Abbate*, de provisione nostri monasterii præhabito tractatu, per viam scrutinii elegimus viduato nostro monasterio providere. Præsentibus ergo omnibus, qui voluerunt, & debuerunt, & potuerunt commode interesse, elegimus tales tres de collegio nostro; qui secreto, & sigillatim scrutarentur vota singulorum, & in scriptis redigerent, ut est juris; qui secedentes in partem, duo ex ipsis tertii voluntatem perscrutati fuerunt, & sic scrutatis singulorum voluntatibus, & in scriptis redactis, processerunt ad vota singulorum nostrorum secrete, & sigillatim cum debita reverentia perscrutando. Quæ omnia diligenter in scriptis redacta, mox in capitulo coram omnibus publicaverunt. Habita igitur collatione numeri ad numerum, zeli, ad zelum, meriti ad meritum, tam circa personas eligentium, quam personas in scrutinio nominatas; inventum est, quod talem nominaverunt talis, & talis, & talem talis, & talis talem: Comperto ergo, quod major, & sanior pars nominaverat talem, de legitimo matrimonio natum, in tali sacro ordine constitutum, virum religiosum, bonæ conversationis, & probatæ vitæ, providum, & discretum, & scientiæ competentis, vel eminentis. Si ita sit, commisimus tali fratri nostro, ut vice omnium, vel vice eorum prædictorum, qui nominaverant, eumdem eligeret in Abbatem, qui potestate accepta, idem frater talis facto signo crucis, elegit præfatum talem per hæc verba: Ego frater talis vice, & nomine totius conventus, vel talis Decani, & etiam, qui talem nominaverunt, & mea, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti amen, præfatum talem eligo in nostrum, & hujus monasterii Abbatem, & Pastorem. Quo dicto, nos omnes, vel præfati tales electioni factæ consentientes hymnum: *Te Deum laudamus* decantando eumdem ad Ecclesiam solemniter deportavimus, ut moris est. Ego frater talis Dominum talem in Pastorem talem, & talem Abbatem talis monasterii eligo, & subscribo. Ego frater talis Decanus electioni factæ de Domino tali in Abbatem nostri monasterii talis consentio, & subscribo. Ego frater talis Præpositus Presbyter electioni factæ (&c. ut prius) consentio, & subscribo; & sic singuli secundum ordinem, & officia sui personatus, quæ habent, & ordinem, in quo sunt, exprimentes subscribere debent .... Post hæc vero si electio sit concors, sigillo conventus, erit decretum sigillandum, alias solas subscriptiones, etiam sua manu publica, sufficere puto de jure.

XXI. „ Si autem per viam compromissi in electione procedatur, ut dictum est, in decreto per viam scrutinii ponendum erit per viam compromissi, & erit conficiendum decretum sic:

XXII. „ Vacante tali monasterio &c., ut prius, usque ibi commodum interesse. Elegimus tres, vel tot, quibus unanimiter, & concorditer providendi nobis, & monasterio nostro de Pastore, & Abbate contulimus potestatem; qui potestate providendi recepta, & in parte secedentes, postmodum ad capitulum sunt reversi. Quorum frater talis de mandato, & voluntate prædictorum talium verba provisionis protulit in hunc modum: Ego talis vice mea, & sociorum meorum talium, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti amen, eligo talem in Abbatem, & Pastorem, & de ipso provideo huic monasterio secundum potestatem mihi, & sociis præfatis datam. Compromissarii vero in decreto primi post illum, qui pronunciavit, subscribent in hunc modum, & primo ille, qui pronunciavit, subscribat sic: Ego talis frater eligo talem in Abbatem, & Pastorem, & de persona ejus huic monasterio provideo, & subscribo. Deinde: Ego talis, in quem extitit compromissum, electioni, & provisioni factæ de eo consentio, & subscribo. Et per istum modum subscribent omnes, sicut est superius tactum in via scrutinii.) Eadem fere videre est apud Nicolaum de Fractura, & Petrum Boher., qui etiam improbant electum, sive in Ecclesia, sive in capitulo constitui in sedem Abbatialem; sed tantum in propria. His omnibus addo, quod in electione Abbatis S. Albani statuitur apud Spelm. t. 2. Conc. Angl. an. 1235.: „ (Postquam electores nominarunt electum proprio nomine cum aliquo adjecto, ita scilicet, ut unus electorum loquatur pro omnibus aliis electoribus; præstito assensu Prioris, & totius conventus, surgat electus, & accepta venia supplicet omnibus, ut orent pro eo, quod Deus det illi, sic curam, & officium hoc suscipere, ut ad honorem Dei, & Ecclesiæ, & animæ suæ fiat salvationem. Facta oratione a Priore, quod sic fiat, & in fine orationis respondente conventu: *Amen*, incipiatur solemniter hymnus: *Te Deum laudamus*, & ducatur modeste, & ordinate, assistante Priore ex uno latere, Subpriore ex alio cum aliis dignioribus Ecclesiæ personis, propinquius in Ecclesiam, & præsentetur Deo, & S. Martyri Albano ad majus altare, pulsato classico, accensisque cereis circa altare, & discooperto feretro. Et toto corpore prostratus electus oret breviter; sed præcordialiter, ut dignus tanto honore habeatur. Et finito sonitu, dicatur ab omnibus: *Pater noster*, & Prior: *Et ne nos*, ℣. *Salvum fac servum tuum, Deus meus*: *Mitte ei Domine auxilium de sancto, & de S. t. eum*: *Dominus vobiscum*, & oratio: *Omnipotens sempiterne Deus dirige hunc famulum tuum in viam salutis æternæ, ut te donante placita tibi cupiat, & tota virtute perficiat, per Dominum*: *Dominus vobiscum*: *Benedicamus Domino*; Deinde erigat se, & sine aliquo offendiculo, aut mora ducatur in Cameram videlicet Prioris, quæ sua, dum electus est, debet appellari, donec in Abbatem creatus in suam magnam cameram secedat. Et tunc poterit electus providere sibi de sociis, & de nunciis ad curiam Romanam destinandis, & invitare, quos voluerit ad refectionem; sed tamen, qui vocati sunt, de licentia Prioris venient; nec exeat aliquis, nisi de licentia Prioris, exceptis magnis obedientiariis. Electus autem etsi fuerit unus de ultimis novitiis, in loco supremo illico statuetur. Et si fuerit de parte Prioris, quam nos chorum appellamus, transferetur ad partem chori Abbatis, ubi supremus statuetur: Solus in refectorio prandebit supremus, Priore prandente ad magnam mensam; in processionibus supremus ex parte Abbatis procedet, non in medio, choralem ferens baculum, ut antiquitus temere consuevit; ne forte in posterum cassatus retrocedat, & tunc cum rubore incipiat locum novissimum tenere.)

XXIII. Septimo. His omnibus ita peractis Electos

„ (quan-

„ (quam citius tum poterit, edeat Dominum terræ cum litteris conventus, & faciat ei, quod facere tenetur, *addit Rituale Beccensis monasterii.*) Ita olim Venerabilis Eigil in Abbatem Fuldensis monasterii electus, *turba fratrum comitante*, Imperatorem addit Ludovicum Pium, cujus exhortationem tam ad monachos, quam ad ipsum electum refert Candidus in vit. Eigilis num. 11. sæc. 4. part. 1.; quam gratanti animo, ac cum omni benevolentia Ludovicus approbavit. Plurima nobis hujusmodi suppetunt exempla, quibus manifestum fit, præter Congregationis electionem, requisitum fuisse Regis, aut Principis consensum, ut videre est in sæpe citata vita S. Austrudis Abbatissæ Laudunensis sæc. VII.; S. Aigolfi Abbatis Lyrinensis, & Hermelandi Abbatis Antrensis sæc. VII. Idem etiam videre est in electione Johannis in Abbatem S. Albani, quem statim Henrico Anglorum Regi fratres præsentarunt, datis sequentibus litteris. „ Illustri Domino suo, ac magnifico Henrico Dei gratia Regi Anglorum &c. devoti sui semper, & humiles E. Prior S. Albani, & ejusdem loci conventus cum omni humilitate, & devotione æternam in Domino salutem. Regiæ Excellentiæ vestræ Dominum Johannem Priorem de Hartford, virum idoneum, & honestum, quem de benignitate, & licentia vestra nobis concesse est, in Patrem nobis eligimus, & pastorem præsentamus cum omni humilitate, & devotione; supplicantes, quatenus ex innata vobis benignitate, solitaque clementia erga nos, & Ecclesiam nostram concepta, & habita, dictum Johannem electum nostrum in gratiam recipiatis, vestrumque idem consilium, auxilium & favorem, divinæ, si placet, intuitu pietatis impendentes. Valeat &c.

XXIV. Præter Regis approbationem nonnullis etiam in locis Diœcesani Episcopi consensus requirebatur, ut pateat ex Concilio Beccanceldense in Anglia anno 695. celebrato apud Spelm. tom. 1. Conc. Angl. cap. 5. „ (Sicut in canonibus præcipitur, servandum est, ut quando aliquis de Prælatis defungitur; Episcopus, Abbas, vel Abbatissa, intimetur Archiepiscopo propriæ Parochiæ, & *cum ejus consilio, & consensu*, vita & munditia ejus examinata, qui dignus invenetur, eligatur; & nullo modo, *sine consensu, & consulto* Archiepiscopi promoveatur, neque enim hæc in re pertinet ad decretum, vel imperium Regis;) Ex Concilio Calchutense anno 787. cui præsidebant Adriani Papæ Legati can. 4. „ (Ut si, quod sæpe evenire solet, Abbas, aut Abbatissa de hac luce migraverint; tunc cum *consilio Episcopi*, cujus in Parochia ipsum monasterium situm est, probatæ vitæ, & religiosi secundum Dominum ex ipsis eligantur pastores &c.) Ex Concilio apud Celichyth sub Welfredo Cantuariensi Episcopo an. 816. (extat apud Radul. de Diceto in imag. hist. ad hunc an., & apud Matth. Paris. in hist. Ang.) „ (ut habeat unusquisque Episcoporum potestatem in sua propria Diœcesi Abbatem, vel Abbatissam eligere, & hoc cum consensu, & consulta familiæ;) Ex Provinciali Synodo Normanniæ anno 1190.: „ (In conventualibus Ecclesiis Abbates, vel Priores, aut Abbatissa cum assensu Diœcesani Episcopi eligantur;) Ex diplomate Ludovici Pii Imperatoris, quo privilegium Aldrici Cœnomanensis Episcopi pro monasterio S. Salvatoris confirmat: „ (Quandoquidem autem divina vocatione Abbas, qui præsenti tempore præfectus est, aut qui futuris temporibus subrogandi sunt, ab hac luce migraverint, une *cum consensu ejusdem* Aldrici Episcopi, successorumque ejus licentiam habeant ex se ipsis eligendi Abbates;) gesta Aldrici Episc. n. 35. tom. 3. Misc. Baluz. Denique ex vit. S. Theodulfi Abbatis Remensis, qui *Præsule annuente, & monachorum caterva petente* ordinatus est; & ex vit. S. Medarici Abbatis n. 5. sæc. 3. Bened. part. 1. p. 11. Et hæc quidem quibusdam in locis ut diximus; non tamen ubique, utpote quibus refragatur Concilium Carthaginense ann. 534. sub Reparato celebratum t. 1. Anal. p. 1. decernens, ut „ (quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum eligendi sunt, judicio Congregationis eligantur, nec officium hujus electionis sibi vindicet, aut præsumat Episcopus.

XXV. Confirmatio tamen, sive Benedictio Abbatis ad ipsum Episcopum pertinebat, idque ex antiquo usu, ut probant acta S. Maximini Abbatis Miciacensis in app. ad sæc. 1. Bened. pag. 595. Eusebius Episcopus Aurelianensis „ (insuper, & benedictionem, qua Patres, Abbatesque monachorum confirmari, solent, superaddidit;) vita S. Marii Abbatis Bodanensis num. 2. sæc. 1. p. 105. n. 22. „ (a suo Pontifice in Abbatem communi fratrum voluntate consecratur;) S. Valerius in vita S. Fructuosi Bracarensis Episcopi sæc. 2. p. 589. n. 4., qui morti proximus Decentium „ (jussit vocari, & imponens ei manum, ordinavit eum Abbatem in præcipuo Turonio monasterio;) Acta S. Eusebiæ sæc. 2. p. 985., in quibus Hatta a Vindiciano Pontifice „ [Cœnobii S. Vedasti Confessoris Christi Abbas Benedictus dicitur;] Beda Venerabilis in vita S. Benedicti Episcopi Abbatis l. 1. n. 11., qui suum successorem *accita* Episcopo Abbatem *consueta benedictione firmari* precatus est. Vide eumdem l. 2. & in præf. in Samuelem, Regulam Magistri c. 93., Menardi observat. in Concord. Reg. c. 4. §. 4., & Mabillonii in vit. Eigilis Fuldensis Abbatis num. 15. sæc. 4. part. 1. vide vitam SS. Harlindis, & Reinulæ n. 10. sæc. 3. Bened. part. 1. p. 658.

XXVI. Octavo. Accepto Regis, seu Principis consensu antequam impenderetur electo benedictio, ejus a proprio Episcopo confirmabatur electio. Sin autem exemptum esset monasterium, a Summo Pontifice, cui seipsum, si posset, ipse se præsentare debebat; alioquin aliquos eidem destinare, si non posset; ut decrevit Innocentius III. in Concilio Lateranensi ann. 1215. c. 26. *Hujusmodi* autem destinati procuratorias literas nomine conventus ad Episcopum deferebant, quarum formulam nobis repræsentat Bernardus Cassinensis his verbis. „ (Si est exemptum monasterium, scribatur sic: Sanctissimo in Christo Patri &c. Dudum bonæ memoriæ Domino tali Abbate nostro, sicut Deo placuit, viam universæ carnis ingresso, & post ejus obitum nostro monasterio vacante, quod ad Sedem Apostolicam nullo medio noscitur pertinere; corpore ipsius Patris nostri tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, die ad eligendum præfixa, &c. ut supra, usque ad subscriptiones, & tunc dicatur: de qua electione fecimus decretum nostris subscriptionibus roboratum, quod per tales fratres nostros ad Sanctitatis vestræ præsentiam destinamus; ipsos namque fratres nostros prædictos fecimus, constituimus, & ordinavimus procuratores nostros ad petendam confirmationem electionis factæ de tali, qui quidem est persona religiosa, & bonæ conversationis, & vitæ, vir providus, & discretus, & spiritualibus, & temporalibus, salubriter, & utiliter gubernans. Quocirca sanctitatem vestram suppliciter exoramus, quatenus electionem ejus valeat confirmare, & ipsum nobis in Abbatem præficere, & Pastorem. Eodem modo quando monasterium non est exemptum, scribere Archiepiscopo, vel Episcopo Diœcesano verbis convenienter mutatis.) Similem habet Nicolaus de Fracture.

XXVII. Pontifex autem hujusmodi literis acceptis, aut per se, aut per alium factam electionem examinabat, utrum esset canonica: Ita in electione Johannis Abbatis Sancti Albani, „ (quia de persona electi Domino Papæ non constabat, dedit in mandatis Elyensi, & Londoniensi Episcopis, ut rite facta examinatione de persona electi, eumdem in Abbatem confirmatum benedicerent, plene in omnem tam spiritualium, quam temporalium administrationem instituentes.) Quod Londoniensi impedito præstitit Episcopus Eliensis solus, constituto die, & loco, in quo simul, & electus examen subiturus, & Episcopus conveniret. Forma autem Confirmationis hæc est:

XXVIII. „ In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Inquisitis secundum formam literarum Domini Papæ, quæ circa personam Johannis electi S. Albani sunt requirenda, tum per juratos, tum per propriæ personæ examinationem, invenimus, ipsum ad regimen dictæ Ecclesiæ sufficientem; unde electionem de ipso factam auctoritate Apostolica confirmamus.

XXIX. „ Quo facto, misit Eliensis Episcopus conventui S. Albani ad majorem certificationem litteras sub hac forma. H. Dei gratia Eliensis Episcopus dilectis in Christo Priori, & conventui S. Albani salutem in Domino. Noverit discretio vestra, nos, juxta formam mandati Apostolici, electionem de Fratre Johanne de Hertford in Abbatem monasterii vestri canonice celebratam authoritate Apostolica confirmasse; quocirca authoritate Apostolica, qua fungimur, vobis mandamus in virtute obedientiæ districte præcipientes, quatenus eumdem electum vestrum in Abbatem, & Pastorem devote admittatis, obedientiam, & reverentiam debitam eidem humiliter impendentes. Valete.)

XXX. Extant apud Spelmannum ejusdem ad Regem, item ad cunctos Christi fideles hac de re Episcopi litteræ, quas hic prætermittimus, utpote quas ibidem quisque consulere possit. Pro facienda autem hujusmodi confirmatione electi, tam Divionenses S. Benigni c. 1., quam MS. Cluniacensis monasterii consuetudines decernunt, ut „ (*In sequenti die* electionis invitetur in capitulum Episcopus, qui eum benedicturus est, qui inquisito ab omni conventu, utrum omnibus electio placeat, & maxime a spiritualibus fratribus, auditaque concordia, maxime

spiri-

spiritualium super hoc cursus incipiat antiphonam, & psalmum supradictum præcipit, & sic cantando procedunt ad Ecclesiam,) quod confirmat Udalricus referens S, Hugonis Abbatis Cluniacensis electionem: „ (In sequenti autem die Bisontiensis Archiepiscopus invitatur ad capitulum, nunciatur ei de electione; rogatur, ut electum pro solemni ritu ipse benedicat: annuit voto se impensissimo facturum, non quod rogaretur, sed quidquid a quolibet ipsorum parvissimo præciperetur. Ter autem omnes adjuravit Episcopali authoritate, ut si cui aliud, quid de persona, quæ erat electa, videretur, pro quo ejus ordinatio non posset esse legitima, & secundum Deum, non taceret, nec dissimularet; sed ad præsens ad medium proferret. Sed cum neminem invenisset, qui quid hujus generis dixisset, electione in præsentia Archiepiscopi rursus confirmata, cursus quoque imposita est antiphona: *Confirma hoc Deus*, cum psalmo supradicto in Ecclesiam procedendo.)

XXXI. Nono. Confirmatus Abbas triduo post ab Episcopo præsentibus duobus aliis Abbatibus benedicebatur, ut patet ex Benignianis consuetudinibus c. 5. „ (Tertia vero die electus induitur alba, stola, & cappa; & Episcopus similiter, & alii duo Abbates, qui ipsum electum ad benedicendum in manibus deducant. Quo facto, stratis ante altare tapetibus, simul omnes quatuor prosternunt se ad orationem. Cantatur brevis letania; post novissimum *Kyrie*, & post Dominicam orationem, surgit Antistes dicturus: *Et ne nos: Salvum fac: Mitte ei Domine: Hic accipiet benedictionem a Domino: Domine exaudi orationem meam: Dominus vobiscum*. Inde sequitur benedictio. Qua impleta, susceptaque de manu Episcopi virga pastorali, iterato psallitur: *Te Deum laudamus*, & sicut prius omnes osculantur eum, qui benedictus est.) Vide Udalric. l. 3. c. 1. Ipsa vero Abbatis benedictio extat in ordine Romano; fiebatque intra Missarum solemnia, ut colligitur ex libro Miracul. S. Wlfranni n. 10. sæc. 3. part. 1.

XXXII. Decimo. Abbas confirmatus, & benedictus subjectionem, & obedientiam Episcopo proprio promittebat; hujus promissionis, seu professionis formulam habemus in electione Johannis Abbatis S. Albani apud Spelmanum hæc in verba: „ (Ego Johannes monasterii Sancti Albani Abbas hac hora in antea fidelis, & obediens ero Sancto Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo Papæ G. G., Successoribusque ejus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel in facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium etiam, quod mihi credituri sunt per se, aut per nuncios suos, sive per litteras, ad eorum damnum scienter nemini pandam. Papatum Romanum, & regulam S. Petri adjutor eis ero ad retinendam, & defendendum, salvo ordine meo, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo; vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina singulis trienniis visitabo, aut per me, aut per meum nuncium, nisi absolvar Apostolica licentia. Possessiones etiam ad monasterium meum spectantes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.)

XXXIII. Hanc prædictus Johannes professionem emisit anno 1235. aliam habemus in MS. historia monasterii S. Theodorici prope Remos, quam Radulphus Abbas ejusdem monasterii an. 1337. pronunciavit in hæc verba:

XXXIV. „ (Ego Radulphus Abbas monasterii S. Theoderici prope Remis, ordinis S. Benedicti, confirmatus, & Abbas benedictus a R. Patre Guillelmo Noviomensi Episcopo, Vicario Generali Domini Johannis Archiepiscopi, promitto obedientiam, reverentiam, & subjectionem Matri meæ Ecclesiæ Remensi, R. Patri ac Domino Domino Johanni Dei gratia Remensi Archiepiscopo, & Successoribus canonice instituendis, ejusque Vicariis, officialibus, & ministris, & Sanctæ Sedi Remensi secundum statuta Patrum, & regulam S. Benedicti; & hæc propria manu firmo, juro, & promitto, anno Domini 1337. feria tertia post festum S. Remigii in vindemiis.)

XXXV. Similem professionem fecere ejusdem Radulphi successores, quorum formulas videre est in præfata MS. historia.

XXXVI. Undecimo, quam Abbas Episcopo, eamdem Abbati benedicto obedientiam monachi promittebant, ut videre est in vita S. Germani Abbatis, quam S. Valdebertus Abbas Lexoviensis (sæc. 2. p. 531.) monachum suum Grandivallensi monasterio præficient, „ (fratres ex hortabatur, ut eos de sua obedientia absolutos redderet; & S. Germano pro Dei intuitu obedientiæ colla submitterent;) in vit. S. Filiberti Abbatis Gemmeticensis sæc. 2. p. 824. „ (qui unum de discipulis suis electum, Aicadrum nomine, virum idoneum direxit Gemmeticum; ut ipse Pastorali officio illius subrogaretur in loco; & licet mœrentes monachi de Prioris Patris corporali absentia, tamen præsentes per gratiam viri sancti impleverunt decreta, & eidem Aicadro promiserunt obedientiam.) Et in vita ejusdem S. Aicadri n. 21. sæc. 2. p. 963. „ (Qualiter Abbas fuerit ordinatus, & totus ordo illius sancti loci monachorum omnes concorditer promiserint ei obedientiam, omnemque subjectionem, scriptum reperitur;) & num. 59. Probum Quinciaco monasterio sibi substituisse dicitur, cui ab Ansoaldo Episcopo ordinato fratres „ (*Regulariter* obedientiam promiserunt, & subditos esse ultroneos se dederunt.)

XXXVII. Duodecimo, observandum, quod sicut nonnullos legimus Abbates pluribus monasteriis præfectos; ita plures in eodem monasterio Abbates aliquando institutos fuisse; cujus rei luculentum habemus testimonium in vita S. Romani Abbatis Jurensis, qui, ut scribit antiquissimus vitæ ejus Scriptor n. 8. apud Boll. 28. Feb. una cum fratre Lupicino Condadiscenle, sive Jurense simul cum Lauconense ita regebant cœnobium, ut *in utroque monasterio ambo præsules essent*; in vita S. Fulgentii Ruspensis Episcopi cap. 8. apud Boll. 1. Jan.; hunc enim „ (Felix Abbas cum gaudio suscipiens, imparemque se ejus virtutibus sciens, & nomen, & potestatem ei tradidit Abbatis. Ille plenus studio humilitatis recusabat privilegium potestatis, & post multa certamina pietatis, ex consensu totius Congregationis passus violentiam caritatis, vix consensit esse collega boni consortis. Ita duo viri sanctissimi ...... jugum bonum gubernandæ Congregationis suscipiunt .... B. Fulgentius docendis fratribus peculiariter vacabat, alter in quotidiano ministerio sollicitus laborabat &c.;) & ibidem capite 14. in Viventeo seu Vincensi monasterio: „ (Duo Presbyteri peculiares, & merito mirabiles, & immaculatæ senectutis honore venerabiles Abbatis officio fungebantur, numquam de cœnobio recedentes; sed ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes;) & apud Bedam lib. 1. n. 7. sæc. 2. in vita S. Benedicti Biscopi Abbatis Vviremuthensis, qui „ (Presbyterum Easterwinum de monasterio B. Petri eligens Abbatem, eidem monasterio regendi jure præfecit: ut quem solus non poterat, laborem socia dilectissimi commilitonis virtute levius ferret. Nec abs re videantur cuiquam, duos unum monasterium simul habuisse Abbates.) Denique in chronico S. Benigni Divionensis, quod monasterium ante medium sæculum IX. regebant Episcopi Lingonenses, eique sub se Abbatem, & Chorepiscopum præficiebant, Spicil. to. 1. p.403., quales fuere Herlebertus, Ingelsemus, & Bertilo, sub quo „ (considerans Domnus Isaac Episcopus Lingonensis, Bertillonem Coepiscopum, & Abbatem ad utrumque officium non posse sufficere; quoniam tunc temporis res Ecclesiasticæ simul, & publicæ in magno erant discrimine, ob infestationem Paganorum perturbato utriusque statu; Saronem Abbatem constituit ei socium ad regimen, & curam animarum, ut dum adjuncto eum fratrum divinis studet intendere theoriis, ille liberius ecclesiasticis inserviret ministeriis.) His tamen repugnat Concil. Cabilonense sub an. 650. in cujus c. 11. decernitur, ut „ (duo Abbates in uno monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis, simultas inter monachos, & scandala generentur. Verumtamen si quilibet Abbas sibi eligeret successorem; ipse qui eligitur, de facultatibus ipsius monasterii ad regendum nullam habeat potestatem.) Monachorum etiam monasteriis Abbates sæculares præfecti sunt, qua de re vide in præf. sæc. 3. part. 1. n. 111.

XXXVIII. Decimotertio, observandum, quod licet Abbas ex ipso monasterii gremio eligendus esset; aliquando tamen ex aliis monasteriis de jure futurus Abbas accipiendus erat, & non de proprio, ut videre est in vita S. Ansberti ex Abbate Fontanellensi Episcopi Rothomagensi, authore Aigredo sæc. 2., & apud Boll. 9. Feb., „ (sub cujus etiam regimine B. Hermelandus ex prædicto monasterio Fontenella, rogante Venerabili Pontifice Paschario Namnetensis urbis, in eamdem regionem Namnetensem, in quadam insula alvei Ligeris, quæ vocatur antrum, juxta nominis ejusdem proprietatem, monachorum venerabile ædificavit cœnobium. In cujus largitione prædictus antistes Pascarius statuit, ut post decessum ejusdem venerandi Hermelandi, ex monaste-

„ rio

„ rio Fontanellæ per cuncta succedentia tempora sibi insti-
„ tuant rectores universi loci habitatores, velut largitiones
„ ejusdem loci, quæ adhuc in præfato monasterio Fonta-
„ nelle servantur, apertissime declarant.]

XXXIX. Decimoquarto, observandum, quod licet Abbatis electioni nullus præter ejusdem monasterii monachos expresse professos interesset, nonnumquam tamen in ea suffragium tulisse etiam externos, ac vicinos reperimus, ut patet ex Anonymo in vita S. Mederici Abbatis Æduensis n. 5.: mortuo Æduensis monasterii Patre, „ [tunc Episcopus ejusdem civitatis præsulatus sui religione intentus „ jussit ejusdem loci habitatoribus pastorem sibi perquirere .... sicque factum est, ut omnes ejusdem loci incolæ, ac *vicini*, qui hujus rei gratia ad monasterium „ confluxerant, Beatum Medericum Patrem sibi exposcerent &c.) & ex Charta charitatis, in qua statuitur, ut „ (ad electionem Cisterciensis Abbatis, præfixa & prænotata die, ad minus per quindecim dies convocentur ex „ Abbatibus, quorum domus de Cistercio exierunt, & „ ex aliis, quos prædicti Abbates, & fratres Cistercienses „ idoneos noverint: Et Congregati in nomine Domini „ Abbates & Monachi Cistercienses eligent Abbatem.) His accedit, quod legitur in quodam diplomate Ludovici Augusti pro monasterio Cormariensi (citatur in elog. Alcuini c. 10.] quo nimirum annuit, ut „ (licitum sit (monachis ejus loci) secundum Regulam S. Benedicti, de „ eadem Congregatione Cormariensi Abbatem eligere, cum „ consensu (tamen) Abbatis, ac Congregationis sancti „ Martini.)

XL. Decimoquinto, cum S. Benedictus Reg. c. 64. agens de Ordinando Abbate, vicinos Episcopos, Abbates, & Christianos in testimonium admittat contra electionem vitiosi Abbatis; non solum vicini monachi, & Abbates; sed etiam vicini Episcopi, & magnates in electione Abbatis aliquando locum habere, ut patet ex diplomate Leonis Papæ VII. pro monasterio Floriacensi, extat in fin. sæc. 5. Bened. p. 907. in quo præscribitur, ut „ (in ordinando Abbate, tam Rex, quam Episcopi, vel boni Prin- „ cipes, vel laici hanc potestatem juxta B. Benedicti „ præceptum habeant, ut parvorum non permittant præ- „ valere consensum; sed talem constituant, qui secundum „ regulam, & religiosam prædictorum Patrum consuetudi- „ nes præesse studeat;) & ex vit. S. Petri Urseoli n. 21. in qua post mortem Guarini Abbatis monasterii S. Michaelis de Coxano sæc. 5. p. 888. „ (Inclitus vir Oli- „ va ... ab omnibus monachis, & *illius regionis incolis*) electus dicitur, unde etiam in litteris de electione S. Odilonis in Abbatem Cluniacensem subscripsisse reperiuntur Rodulphus Rex, Borchardus Archiepiscopus Lugdunensis, Hugo Episcopus Genevensis, Aymricus Episc. Lausanensis, Hugo Episcopus Matisconensis, Tento Abbas Fossatensis, Rishefredus Abbas, Ermenfredus Episcopus, Burchardus Comes, Lambertus Comes, Adalbertus Comes, Leotaldus Archiepiscopus, Walterius Episcopus Aduensis, Hugo Abbas, Wago Abbas, Theobaldus Abbas, Werembertus Abbas, Willelmus Abbas, Maiolus Præpositus, Walterius Præpositus, Gundulphus, David, Aynricus, Sendelenus, & cum eo monachi centum septuaginta septem. Vid. S. Maioli elogium historicum n. 49. sæc. 5. Bened. & ejusdem vit. authore Syro l. 2. n. 2. ubi post factam de eo a fratribus electionem, & datum ab eo assensum, S. Aymardus *multitudinem convocare Nobilium, Pontificum, & Abbatum* adhibuisse consilium dicitur.

XLI. Decimosexto, observandum, quod etsi electio Abbatis ad proprios monachos communiter pertineret; aliquando tamen ab ipsis monasteriorum Fundatoribus Abbates instituebantur. Ita in Puellari Habendensi monasterio Mactefledem Abbatissam instituit S. Amatus ex ejus vit. n. 18. sæc. 2.; S. Bercharius Dervensis Parthenonis fundatos sanctimonialibus virginibus neptem *matronæ Vualdildis solemniter Abbatissam præfecit*, ex ejus vita n. 14. sæc. 2. Ita denique S. Aldaricus Cœnomanensis Episcopus in constructo a se „ (monasterio Telipiaco Præpositum suum „ nomine Jacob Archipresbyterum Abbatem constituit, qui „ monachorum curam ibi gereret.) Vid. hist. fundationis Walciodorensis apud Boll. in vit. B. Macealini 21. Jan. Aliquando ab ipsis Episcopis, quorum in Parochia situm erat monasterium. Ita in monasterio S. Symphoriani Augustodunensis S. Germanus Abbas a Nectario Episcopo adsciscitur, teste Fortunato in ejus vit. n. 4. sæc. 1. Bened.; S. Droctoveus ab ipso S. Germano Parisiorum tunc Episcopo Abbas S. Vincentii delectus est, ex ejus vit. n. 2. sæc. 1.; S. Audoenus Gemetici Abbatem præfecit pro S. Filiberto tunc exulante, ex vit. S. Filiberti c. 25. sæc. 2. Sanctum Austregesilum Æterius Lugdunensis Episcopus „ (Presbyterum, & Abbatem B. Nicetii Epi- „ scopi, & Confessoris ordinavit,) ex ejus vit. n. 4. sæc. 2. S. Clarus Viennensis „ (Abbas factus est in monasterio „ S. Marcelli a sancto Pontifice urbis illius) ex ejus vita n. 4. sæc. 2.; S. Leodegarius regimen Abbatiale S. Maxentii jussu Pontificis suscepit, ex ejus vita authore Ursino n. 3. sæc. 2. Aliquando ab ipsis Regibus, & Principibus; atque ita suasu Fredegondis Reginæ a proceribus palatii S. Ebrulfus Abbas S. Fusciani præficitur, ex ejus vita n. 5. sæc. 1.; S. Agilus auctoritate Regis Luxovio eductus Abbas Resbacensis monasterii ab ipso Rege institutus est, ex ejus vita n. 16., & sequentibus sæc. 2.: alia hujus rei exempla habes apud Ingulfum in hist. Croyland. vid. Cangii glossar. in verbo *monasterium*.

Tom. IV.

XLII. In iis autem monasteriis, in quibus Abbates ex collatione Regia instituebantur; defuncto Abbate, baculus pastoralis ad Regem ipsum deferebatur, quem ille mittebat, ei quem Abbatia investire cupiebat; cujus rei egregium habemus exemplum apud Ingulfum Croylandensem in hist. Croyl. ad an. 1048. „ (Vix egressus erat sermo ex ore „ Regis, & ecce nuntiatur in aula ejus obitus Brichtmeri Abbatis monasterii Croylandensis, cujus pasto- „ ralis baculus per Priorem monasterii, ac duos alios „ fratres eum concomitantes Regi extitit præsentatus; a „ tempore namque Regis Ethelredi Patris sui cœperunt „ Abbates in Regum curiis elatius agnosci, & in dies „ contingebat, Regum ministros per monachos nonnullos „ dignitatum, & prælatiarum nimium ambitiosos, variis „ xeniis, & blandis salutationibus deinceps abundantius „ honorari, ac inter præcipua monasteria tunc magno „ nomine prædicabatur Croylandia, tot, & tanta in „ tempore tribulationis Danicæ in Regis curiam semper „ manu potentissima effuderat donaria, & tributa. A „ multis itaque annis retroactis nulla electio Prælatorum „ erat mere libera, & canonica; sed omnes dignitates, „ tam Episcopatuum, quam Abbatum per annulum, & „ baculum Regis curia pro sua complacentia conferebat. „ Recipiens ergo piissimus Rex Eduvardus baculum pa- „ storalem monasterii Croyland. in præsentia Domini Ge- „ rardi Prioris Croylandiæ, duorumque commonachorum „ suorum, qui cum ipso ad curiam venerant, & cete- „ rorum monachorum Pegelandensium, quos sicut olim „ suos compatriotas, & carissimos convicinos monachi „ Croylandenses optime noverant, prædictum Venerabilem „ Patrem Dominum Wlgatum Abbatem de pastorali re- „ gimine Croylandensis monasterii per eius pastoralem „ baculum investivit, & super hoc litteram suam Croy- „ landensi conventui direxit his verbis &c.) Ita etiam Henricus Imperator Richardo Abbati S. Vitoni Virdunensis apud Boll. 25. Jan. „ (Stabulensis regiminis pedum „ mox porrexit, atque Popponi pro successionis indicio „ deferret, indixit,) ut scribit Everhelmus in vita S. Popponis Abbatis Stabulensis n. 28. His affine est, quod Urbanus Papa secundus in Concilio Turonensi præcepit perpetuo decreto, ut Cormaritensis Abbas „ (electus de „ B. Martini sepulcro baculum sumat, itemque defuncto „ Abbate semper ad eumdem locum baculus referatur, „ ut super illa sanctissima Confessoris Apostolici mem- „ bra, communi Decani, & capituli jussu signum illud „ pastoralis regiminis semper accipiatur,) ut videre est in litteris Pontificiis Spicil. tom. 6.; & quod inter privilegia ab Edgaro Rege Glastoniensi monasterio concessa, „ (monachis electionem sui Abbatis perpetuo manere „ censuit, sibi vero, suisque hæredibus tribuendi fratri electo pastoralem baculum potestatem retinuit) teste Malmesburiensi de gestis Reg. Angl. l. 2. c. 8. apud Spicil. tom. 2. an. 970. p. 483. Ita S. Galterus Abbas Pontisarensis a fratribus electus baculum a Philippo Francorum Rege accepisse dicitur os primo ejus vita n. 5. apud Bollandum 8. Aprilis.

XLIII. Decimoseptimo, cum extra proprium monasterii gremium aliquis in Abbatem eligeretur, Abbatis illius monasterii, unde electus extrahebatur, consensus requirebatur; unde Ingulfus Abbas Croylandensis suam in historia Croylandensi electionem enarrans ad an. 1052. „ (Deposito, *inquit*, de regimine pastoralis officii Venerabili „ Patre Domino Wlketulo Abbate Croylandensi præde- „ cessore meo, inclytus Dominus meus Rex Willelmus ad „ Venerabilem Patrem præfatum meum Dominum Gerbertum Abbatem monasterii Fontanellensis, pro exilitate mea nuntium dirigens, *quod petiit, obtinuit*, & me „ tristissimum ad tam grave onus subeundum ... super candelabrum Croylandensis Ecclesiæ in Christi templo sacratissimo collocavit;) & defuncto eodem Ingulfo Henricus Rex „ (evocans ex monasterio S. Ebrulfi in Normannia Dominum Joffridum dicti loci Priorem ... per „ Epistolam suam Venerabili Patri ejusdem monasterii Ab-

„ bati Manerio directam præfatum Venerabilem virum „ Priorem Joffridum . . . . prædicto monasterio præficiens „ in Latiorem saluberrime subrogavit;) nec multo post defuncto Abbate Thorneyensi, & Roberto monacho Sancti Ebrulfi a Rege in Abbatem electo, & nominato „ (Missum per Regem in Normanniam ad monasterium S. „ Ebrulfi, pro prædicto religiosissimo monacho, & quantocius admissum est.) Ut scribit Petrus Blesensis in continuata Ingulfi historia; denique Henricus Imperator ad Abbatialem Stabulensis monasterii sedem S. Popponem promovere volens, ipsum ab Richardo Abbate suo postulavit, nec nisi ægre obtinuit, ut docet Everhelmus in vita S. Popponis n. 28. apud Boll. 25. Jan., & Vuillelmus Rex Angliæ Vuestmonasterio Vitalem Abbatem monasterii Bernaceosis in Normannia, quod a Fiscamnensi pendabat, præficiens, scripsit ad Johannem Abbatem Fiscamnensem Anal. tom. 1. p. 219. petens, ut: „ (Liceat mihi, „ *inquit*, illud fieri, quod de eo communi consilio meo- „ rum providi procerum *Licentia tua, & bona volun-* „ *tate, & conventus fratrum*, (additque:) volo etiam ti- „ bi notum esse, me elegisse Osbernum, fratrem scili- „ cet Vitalis, ut habeat Abbatiam de Bernaco, & hoc tua „ licentia mihi fieri liceat;) ubi observat etiam noster Mabilonius, „ (Principes atque Reges etsi in Abbatias a „ majoribus suis conditas, sibique subjectas, aliquando „ Abbates nominarent, ad rem tamen exsequendam postu- „ lasse consensum, & confirmationem monachorum, qui- „ bus electio competebat;] & certe eum nominatus a Rege ad Abbatiam Thorneyensem Robertus in Angliam venisset „ (a toto conventu unanimi omnium consen- „ su electus est;) inquit Petrus Bles. loco citato. Vid. vit. S. Ethelvvoldi Episc. c. xi. sæc. 5. p. 613.

XLIV. Decimo octavo, in monasteriis majori, ac principali alicui cœnobio subjectis, præter voluntatem, & electionem conventus, requirebatur etiam Abbatis principalis monasterii consensus, saltem aliquibus in locis; ita Gregorius Papa VII. Gigoiacense cœnobium Hugoni Cluniacensi Abbati pussimo emendandum commisit, ac Cluniaco subjecit, ea conditione, „ (ut nullus ibidem Ab- „ bas eligatur, aut ordinetur, nisi vel prius Cluniacensis „ Abbas affuerit, eumque approbaverit, vel per legatum „ suum assensum præbuerit.) Extat ejus facti diploma Pontificium in Archivo Cluniacensi datum anno 1076. citaturque in S. Bernonis elogio historico n. 15.

XLV. Decimonono tandem pro capitis hujus conclusione antiquum Abbatem eligendi modum in Farfensi monasterio ex antiquis ejusdem monasterii consuetudinibus integrum hic subjiciam, cum Guigonis Prioris Cartusiæ, & S. Stephani institutoris ordinis Grandimontensis statuto de eligendo Priore.

Ex antiquis consuetudinibus monasterii Farfensis ad ordinandum Abbatem.

XLVI. Primum eligitur ab omni congregatione in præsentia Episcopi ejusdem Diœcesis, & senioris, ad quem Abbatia pertinet, absque ullo munere, vel persona, quia maledictus qui dat, maledictus qui accipit. Tunc percepta ab eo donatione, & roborata ab omnibus electione, incipit Episcopus antiphonam, *Confirma hoc Deus quod* &c., quem subsequitur omnis chorus psallentium canendo excelse psalm.: *Exurgat Deus*, sicque cum tanto triumpho tenens Episcopus eum, qui ordinandus est, manu deducat eum in secretarium, remanentibus aliis in choro, atque psallentibus. Cum vero *Exurgat Deus* fuerit cantatus, dicatur oratio: *Oremus actiones nostras*; tum vestiant se Episcopus, & Electus, veniant uterque ante altare, & legitur iterum electio in ambone, ut audiatur, & roboretur a monachis, & a clero, & ab universis utriusque sexus. Tunc stratis ante altare tapetibus, prosternant se simul Pontifex, & qui ab eo benedicendus est Abbas, incipiuntque, qui in choro stant, vii. pœnitentiales psalmos, subjungentes letaniam non prolixam sed sub brevitate. Quibus decursis, dum novissimus Kyrie eleison dixerint, & orationem Dominicam impleverint, erigat se solus Pontifex, prostrato eo, qui benedicendus est, ita dicat: *Et ne nos inducas in tentationem*, cap.: *Salvum fac servum tuum: Mitte ei Domine: Hic accipiet benedictionem: Domine exaudi: Dominus vobiscum.* Inde subsequatur benedictio: *Concede quæsumus omnipotens Deus*, at *famulum: Cunctorum institutor Deus: Omnipotens sempiterne Deus affluentem Spiritum: Suscipiat te surgente hodie Dominus: Deus cui omnis potestas, & dignitas: Omnium Deus fons bonorum, justorumque.* Qua solemnitate expleta, incipiat Episcopus, aut unus ex Abbatibus, qui adfuerint, excelsa voce: *Te Deum laudamus*, statuentes eum in statione, vel loco, qui Abbati in choro deputatus est. Cum vero ad secundum ℣. ventum fuerit, ubi dicitur: *Te æternum Patrem omnis terra veneratur*, incipient eum osculari cuncti fratres congregationis per ordinem, reverenter petentes ei veniam. Isto quippe ordine revestire se debent Episcopus, & Abbas in hac ordinatione albis stolis, & cappis; teneatque Episcopus baculum suum in manu; & idem baculus, quem Abbati debet dare, sit juxta Abbatem in tapete, dum prostratus jacet ad consecrandum. Consecratus autem accipiat eum de manu Episcopi hæc verba dicentis: *Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis saviens, & cum iratus fueris, misericordiæ memor eris.*

Ex Statutis Guigonis cap. 15. De ordinando Priore.

XLVII. Cum Priorem domus hujus obire contigerit, post ejus sepulturam convocatis fratribus, triduanum cunctis indicitur jejunium; maneque, & vespere in Ecclesia psalmus: *Ad te levavi*, expleto officio communi devotione cantatur, procumbentibus super formas omnibus Kyrie eleison: *Pater noster*, & preces: *Salvos fac servos tuos: Mitte eis Domine auxilium de sancto: Nihil proficiat inimicus in eis*, & oratio: *Prætende Domine*, supponuntur. Quarta autem die, mane Missa de Spiritu paraclito in conventu devotissime celebratur; inde in capitulum convenientes, majorum, meliorumque consilio ex se ipsis unum eligunt, aut Sacerdotem, aut ad sacerdotium promovendum, statimque in prædecessoris transferunt locum, totamque diem illam gaudio dedicantes, bis, nisi præcipuum jejunium fuerit, in refectorio comedunt. Quiqeamvis omnibus verbo, & vita prodesse debeat, & cunctorum sollicitam gerere curam, monachis tamen, ex quibus sumtus est, quietis, & stabilitatis, & ceterorum quæ ad eorum vitam pertinent, exercitiorum exemplum maxime præbere debet. Quatuor itaque septimanas in cella cum ceteris monachis exactis, quintam facit cum Laicis; quo spatio ejus erga fratres officium aliquis ab eo jussus exequitur . . . . In adventu autem & Quadragesima propter artiorem sui custodiam, e prædicta etiam abstinet visitatione, nisi aliqua magna necessitas coegerit, vel utilitas; sed & ceteris temporibus non passim, aut leviter, & pro quacumque, vel persona, vel caussa ad domum descendit inferiorem,

Ex Regula S. Stephani Grandimontensis c. 60.

De electione Prioris,

XLVIII. Cum Prior eligendus est, fratres ex singulis cellis conveniant in Grandimontem, quemadmodum ad conventum bini venire consueverunt. In eisdem vero locis remanentes totius electioni conventus se pro certo, ceteris abeuntibus, promittant. Adunato itaque conventu post invocationem nominis Domini duodecim fideles, & religionis amatores, sex videlicet Clerici, & sex Conversi, ad eligendum Priorem designentur. Qui postquam audierint ab omnibus, electionem suam a nullo fore contradicendam, seorsum inter se de ea pertractent. Talis itaque Pastor eligatur, qui antea fidelis hujus religionis disciplinæ extiterit, ut alios ex seipso considerans, prout opus fuerit, sciat unicuique utilia providere. Si vero inter ipsos duodecim, aliqui in electione dissenserint, majori parti concedendum est, quæ scilicet fidelior, sanioreque intelligitur, nihil ibi nisi communem utilitatem considerans, illis dissentientibus a concilio, & etiam extra conventum, ut totum sine eis fiat, ejectis. Ex ipso tamen conventu totidem concilio adjiciantur, quot ejecti fuerint, & de aliisdem sive Clericis, sive Conversis, ut in duodecim semper electio consistat.

CAPUT II.

De Novitiis ad habitum recipiendis.

I. UT institutum a nobis hujus initio libri ordinem prosequamur, post electionem, benedictionemque Abbatis, de Novitiis consequenter tractare debemus; de quibus tria nobis inquirenda sunt. 1. Quo ritu ad habitum reciperentur. 2. Qualis esset eorum tempore probationis disciplina. 3. Quo modo solemnem emitterent professionem. Primum hoc capite investigabimus, secundum, & tertium duobus aliis capitibus exsequemur. Etsi Beatus Benedictus, aliique omnes antiqui vitæ Monasticæ cultores non ante voluerint Novitios sæcularem deponere vestem, quam solem-

solemni votorum emissione Deo perpetuum consecrarentur, ut ostendimus in comm. ad cap. 58. contrariumque usum expressis verbis prohibet congregata sub Ludovico Pio Aquisgranensis Synodus; postea tamen in omnibus passim Monasteriis usus invaluit, Novitios in ipso sui tyrocinii exordio habitu Monastico, a veste tamen professorum distincto induendi; idque non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos, ut patet ex eorum Euchologio, & ex vita S. Lucæ junioris Taumaturgi apud Boll. 7. Febr., quem Athenis cujusdam Monasterii Præfectus „ (in Monachum detondet, tum habitu Monastico induit illo, hactenus qui Novitiorum habetur, quam & moris est appellare minorem habitum,) ut ait discipulus illius Anonymus in ejus vita nu. 13. Tanta porro fuit Monasteriorum in conferendo Novitiis Monastico habitu diversitas, ut eorum singulos ritus integro referre non ab re videatur.

II. In primis Hildemarus antiquus Regulæ S. Benedicti Commentator vult primum per quinque dies ad portam Monasterii venientem ad conversionem probari; „ (deinde suscipiatur, inquit, in cella hospitum adhuc Laicus; debet enim illum suscipere ille, qui hospitalem tenet, & debet illi imperare, ut discalciet hospites, & debet ille frater Hospitalis illum ammonere, qualiter obediens, & mortificatus esse studeat. Si autem illum cognoverit frater Hospitalis per duos menses, tunc debet dicere Abbati ejus vitam, & ejus sollicitudinem; tunc debet illi legi Regula, ... & debet dicere illi: ecce lex sub qua militare vis ... Deinde postquam in hospitali legerit Regulam; tunc, si adhuc steterit, tunc debet se indui suis bonis vestimentis, & lorica, & scutum, & lancea, & spatam, & balteum, & debet se præparare, sicut diximus, & debet venire in capitulum, sicut præparatus est sæcularibus vestibus, & armis, & debet stare in capitulo. Tunc debet Abbas facere illi sermonem de regno Dei, ... & tunc debet dicere illi Abbas: *Quid vis?* Ille respondens dicit: *Volo arma deponere, & Deo omnipotenti servire.* Tunc ille Abbas debet illi dicere: *Audi frater, tu vis arma deponere, vide forte, si non potes observare Regulam, tunc non licebit tibi ad sæculum revertì, quia Canones Nicæni Concilii dicunt: Si homo postquam arma deposuerit, reversus fuerit ad sæculum, decem annos pœniteat, & reliq. Melius est, ut quamvis hoc Regula non dicat, donec tibi spatium, & cogites hoc apud te, si forte non potes adimplere.* Et tunc debet dare illi inducias: & iterum si deliberaverit, tunc debet iterum venire in capitulum, & ibi coram fratribus, aut balteum, & armillas, aut spatam solummodo deponat. Jam si ille dixerit: *Nullatenus ad sæculum revertor*; tunc ibidem deponat omnia illa sua vestimenta, & debet radi; & tunc debet aliis vestibus, idest clericalibus suis indui, & postmodum mitti in cella novitiorum, & debet habere Magistrum novitiorum, idest qui aptus sit ad lucrandas animas.)

III. Statute Lanfranci, consuetudines Cluniacenses MS., & Divionenses S. Benigni eosdem prorsus ritus complectuntur, quos hic ex libro consuet. S. Benigni c. 30. verbo tenus describimus consequenter: „ (Venientes ad conversionem de sæculo, sicut & alii supervenientes, suscipiuntur in hospitio, quorum voluntatem cognire, frater, qui cellæ hospitum procurator est, Domno Abbati intimat, vel si non affuerit, ei Priori, qui ordinem claustri tunc tenuerit. Eadem enim potestas est in hoc ei, quicumque sit, si Abbas, & major Prior defuerint, quæ & ipsi Priori magistro. Qui ad eos exiens secundum qualitates conditionum, & ætatum, singulorum perseverantiam probat. Quo facto, a Camerario prius, quæ ad hujusmodi opus sit, præparatis, quæ sibi videbitur die, fratribus in capitulo residentibus, de eis annunciat, & prædictum hospitum susceptorem, cui hoc pertinet, qui eos qualiter petitionem faciant, edoceat, emittens ad eos, præcipit intromitti. Qui venientes in capitulum petunt veniam coram eo, qui capitulum tenet. Ipsoque dicente: *Quid dicitis?* respondent: *Dei misericordiam, & vestram miserationem, vestramque societatem volumus habere*; & ille: *Noster Dominus det vobis societatem electorum suorum*; & toto conventu respondente: *Amen*. Exsurgentes provolvunt se pedibus ejus bini, & bini, si tot sunt. Indeque redeuntes, stent, ubi prius veniam petierant. Quibus secundum jussionem S. Benedicti dura, & aspera que prædicendo, quam districte omnis observatio Regulæ ab eis exigatur, & si negligentes, vel rebelles fuerint, quam severe, & duriter judicentur, innotescens rogat, ut super his voluntates suas in præsentia conventus aperiant. Illis vero usque ad mortem se obedientiam servaturos promittentibus, respondet: *Deus, qui in vobis quod promittitis, perficiat, ut ad æternam vitam pervenire mereamini*; & fratribus respondentibus: *Amen*; iterum, sicut prius, provolvuntur pedibus ejus. Tunc eo præcipiente, magister novitiorum ducit eos in ecclesiam, ibique coram quolibet altari sedent, donec capitulum finiatur. Finito autem capitulo, si clerici fuerint, ducit eos prius rasos magister novitiorum in Cameram ad mutanda vestimenta; Camerarius vero cum famulis suis recipiens eorum vestimenta, induit eos religionis habitum. Quo facto, expectare debent, donec pulsetur signum ad horam, & tunc ipse Camerarius ducat eos in ecclesiam; ibique ordinantur a magistro suo, vel ab eodem Camerario in choro. Qui vero Laici sunt, præstolentur benedictionem coronarum suarum. Est enim consuetudo, quatenus priusquam Missa incipiatur, ante gradum illum, ubi petitur venia, cum redituri de electione, ponantur tot sedes, quot fuerint, quorum coronæ benedicendæ sunt; & finita letania, si talis dies fuerit, vel si alia fuerit, ante officii inceptionem adducantur in chorum, & sedeant super pedes versis vultibus ad altare. Tunc nisi Domnus Abbas sponte sua advenerit, non expectabitur, sed Sacerdos, qui celebraturus est majorem Missam, sicut est revestitus, stans post illos, verso quoque vultu ad altare, benedicit eis coronas, dictisque duabus collectis, cum tondebit eis capillos, dicet conventus hanc antiphonam: *Tu es Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi*, cum versu psalmi: *Conserva me*, & *Gloria Patri*, & iterum repetit eam. Postea dicit Sacerdos aliam collectam, qua finita, benedicit eis & barbas, atque in fine osculatur eos: possunt quoque aliqui de Prioribus tondere de capillis eorum, si ipsorum magister duxerit ad ipsos eosdem novitios. Mox autem ducantur ad mutanda vestimenta, ordine quo superius dictum est.) Vid. Udalricum lib. 2. cap. 8.

IV. Alios nobis ritus exhibet antiquum Rituale Anianensis Monasterii his verbis conceptum: „ (Incipit ad induendum de novo Monachum habentem primam tonsuram. Si quis desiderat habitum Monachalem, & Religionem assumere, veniet ad Monasterium cum Patre, si habet, vel si non habet, cum uno, vel duobus de propinquioribus suis, & mane ante Primam, seu Tertiam adducatur in veste sæculari ante altare S. Salvatoris, præsente Abbate, & conventu; & tunc ibi a parentibus offeratur Deo, & involvant manus ejus in palla altaris, & osculato ab eo, qui est monachandus, altari, reverenter cum candela, & accensa; oblatoque super altare pulchro panno aureo, vel cappa processionali facta de eo, ducatur induendus ad Sacristam. Quo induto *vestibus albis* ex toto præter cucullam, iterum reducatur in Ecclesiam ante altare, & existente Domno Abbate, & conventu, induto froco, & habente stolam in collo, & baculum pastoralem, incipiatur ab Abbate antiphona: *Hæc est generatio*; & tunc dicatur psal.: *Domini est terra*; cumque ventum fuerit ad versum illum: *Hic accipiet benedictionem a Domino*, fiet silentium; & tunc Domnus Abbas ponat utramque manum super caput induendi, & dicat solus hunc versum: *Hic accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo*. Quo dicto, finiatur psalmus a circumstantibus cum *Gloria Patri*, & *Kyrie eleison*; *Pater noster*; *Et ne nos*: *Domine exaudi orat. Dominus vobiscum*: *Oremus*, *Adesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum bene † dicere digneris, cui in tuo sancto nomine habitum religionis imponimus*. Et tunc habeat præparatam cucullam, & induat eum, & benedicat: *Ut te largiente, & devotus in ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

„ *Domine exaudi orationem meam*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*. *Præsta quæsumus Domine famulo tuo renuntianti sæcularibus pompis, ut gratia tua januas aperire digneris, qui despecto diabolo confugit sub jugo Christi. Jube venientem ad te sereno vultu suscipi, ne de eo valeat inimicus triumphare. Tribue ei brachium infatigabile auxilii tui. Mentem ejus fidei lorica circumda, et felici muro vallatus mundum se gaudeat evasisse, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Et bene ✠ dictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper. Amen*; & aspergat super eum aquam benedictam.

V. „ Si vero induendus tonsuram non habuerit; offeratur Deo a parentibus, sicut est superius ordinatum; & tunc fiat sibi per Dominum Abbatem tonsura hoc modo: Stet induendus flexis genibus coram altari, & tunc Domnus Abbas inchoet antiphonam: *Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso*; *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Et ne nos*. ℣. *Salvum fac servum tuum*:

alius V. *Mitte ei Domine auxilium de sancto: Domine exaudi orationem meam: Dominus vobiscum.* Oratio: „ *Dilectissimi fratres Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo suo, qui ad deponendam comam capitis sui pro ejus amore festinat, ut donet ei Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eo perpetuum conservet, & a mundi impedimento, vel sæculari desiderio cor ejus defendat, & sicut mutatur in vultu, ita manus dextera ejus virtutis tribuat incrementum, & ab omni cæcitate humana oculos ejus aperiat, & lumen ei æternæ gratiæ concedat; Per Christum Dominum nostrum.*

„ Alia: *Omnipotens sempiterne Deus respice propitius super hunc famulum tuum, qui ad deponendam capitis sui comam propter amorem tuum festinat; da ei Spiritum Sanctum tuum, qui habitum religionis in eo in perpetuum custodiat, & a mundi impedimento vel sæculari desiderio efficiatur... Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

VI. „ Postea dicat tonsurandus antiphonam: *Tu es Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi*, psal.: *Conserva me*, & cum ventum fuerit ad illum versum: *Dominus pars*: fiat silentium; & tonsurandus dicat solus V. illum, quo dicente, Domnus Abbas tenens forcipes, accipiens florem de medio capitis, tondat illum; & subsequenter a circumstantibus compleatur psalmus. Quo finito, repetatur antiphona; *Tu es Domine, qui. Kyrie eleison: Pater noster: Et ne nos inducas: Salvum fac servum tuum; Domine exaudi orationem meam: Dominus vobiscum. Omnipotens sempiterne Deus propitiare peccatis nostris, & ab omni servitute sæcularis habitus hunc famulum tuum libera, & dum ignominiam deponit, tua semper fruatur gratia, ut sicut similitudinem coronæ eum gestare facis in capite; sic tua virtute hæreditatem subsequi mereatur in corde. Per Dominum.*

„ Oratio. *Præsta quæsumus omnipotens Deus huic famulo tuo, cujus hodie comam, & barbam pro divino amore tondedimus, ut in tua dilectione perpetua maneat, & eum sine macula in sempiternum custodias. Per.*

„ Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui benedixisti caput David Regis, & unxisti eum oleo exultationis per Samuelem Prophetam, adesto nunc super hunc famulum tuum, cujus hodie coma capitis tonditur ad laudem, & gloriam nominis tui, & benedictionis tuæ super eum ostende virtutem. Per.*

„ *Et benedictio Dei omnipotentis Pa✝tris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat, & maneat super te. Amen.*

VII. Hanc Monachorum Anianensium ritum confirmat antiquum Statutum capituli generalis Cœnobii Gellonensis circa annum MCL. conditum de Monachis induendis, & quid deferre debeant.

Ex MS. Codice Gellonensi descriptum in hæc verba:

VIII. „ Statutum fuit in nostro capitulo generali, & hoc volumus perpetuo, & inviolabiliter observari, quod quandocumque aliquis receptus in Monachum voluerit intrare Monasterium, & assumere Monachalem habitum, parentes ejus debent venire ante altare B. Guillelmi cum illo, qui fuerit induendus, & ipsum offerre humiliter, & devote Deo, & B. Guillelmo Christi gloriosissimo Confessori. Similiter debent offerre cum eodem unam cappam deauratam processionalem bonam, & honorabilem, & hoc, antequam ille, qui monachandus fuerit assumat habitum monachalem; debet etiam habere, & secum ad Monasterium deferre ille, qui fuerit monachandus pro suis vestibus, & Arnelio duas cucullas, & floccum unum, duo scriptionalia cum pennis, duas tunicas duo paria staminiorum, duo paria femoralium, & duo paria tribucum, & duo paria celsonum, & totidem caligarum; debet etiam deferre, & habere pro lecto suo palassam novam, & duas flessiatas, & duo lintcamina, unam culcitrem novam de terlisio cum plum........ & unum pulvinare, & unum aureele; item tria paria sotularium, quo omnia supradicta sibi sufficiant ad duos annos.

IX. Quamvis Cistercienses in ipso sui ordinis exordio nullum novitiis ante emissam professionem habitum Monasticum indulserint, ut probavimus in comm. ad c. 58.; non diu tamen postea aliqualem eis permiserunt vestem novitialem: nimirum *cappam, mantellum, vel pilles*, ut discimus ex libro Usuum c. 102. Quosnam autem ritus in hoc eis habitu præbendo observarent, non aperit præfatus liber in quo pauca hæc dumtaxat describuntur: „ (Monachus qui fieri volens, facta petitione, non nisi post quatuor dies ducatur in capitulum, qui dum adductus fuerit, prosternat se ante analogium. Interrogatus ab Abbate, quid quærat? respondeat: *Misericordiam, Dei, & vestram.* Cui ad jussum Abbatis erecto, exponat Abbas asperitatem ordinis, voluntatem ejus exquirens: quod si responderit, se velle cuncta servare, dicat Abbas post cætera: *Qui cœpit in te Deus, ipse perficiat*, & responso a conventu: *Amen*, inclinet recedens ad hospitium. Eodem modo se agat: quoties post lectam Regulam venerit in capitulum. Tertio vero die ducatur in cellam noviciorum, & abhinc annus incipiatur probationis.) Hujus rei praxim videre est in vita S. Hildegundis Virginis Ordinis Cisterciensis num. 20. apud Boll. 20. April. Cum enim in Schonaugensi Monasterio se in Monachum suscipi rogavisset, votis ejus annuerunt Abbas, & reliqui fratres: „ (sicut moris est, ad capitulum introductus, veniam petens, quid quæreret interrogatur. Qui cum respondisset; *Dei gratiam*, petitio admittitur; hinc ad hospitium paucos ibi dies facturus deducitur, hinc secundum ordinis consuetudinem Monachi tonsura suscepta monasticis vestibus, suis depositis, induitur, in congregatione recipitur; deinceps inter novitios sub regulari disciplina moribus, & vita claustrali deponitur,) ut ait Anonymus coævus vitæ Scriptor.

X. Fusior rem prosequuntur in ceremoniali suo Bursfeldenses: „ (Monachus, *inquiunt*, quis fieri volens, si diligenter insistendo pulsaverit; & facta sibi difficultate perseveraverit, post quartam, aut quotam sit introitus diem ducatur in capitulum. Quo cum fuerit adductus, prosternet se ibidem super mattam; & interrogatus a Præsidente, quid quæris? respondebit: *Misericordiam Dei, & vestram confraternitatem.* Tunc surgere jussus, a Præsidente proponatur ei asperitas ordinis, & totius observantiæ nostræ, ut sciat, qualibus subdi habeat institutis, vel præceptis. Qui si a proposito suo nullo aus rhorrabilis timore evertitur, quæretur ab eo coram omnibus vel ad partem in iis, in quibus Abbas expedire judicaverit, an exierit de ordine aliquo, an sit conditionis servilis, an illegitimus, aut alicui mulieri fidem spoponderit, si sit adstrictus aliquo voto, vel cuiquam obligatus ad ratiocinia, occultum, aut incurabilem habeat morbum, aut in susceptione, vel executione ordinum patiatur impedimentum; præmissorum enim quædam, si reperiantur in volentibus monachari, prorsus impediunt: quædam vero non mediocriter difficultant eorum admissionem. Igitur, si interrogatus, dixerit, nihil horum in se habere, fueritque scholasticalibus competenter imbutus, & tam maturæ ætatis, ut ad comportanda onera conventus judicetur idoneus, non erit ejus petitioni assensus expresse denegandus, nisi canonicum aliud obsistat. Nec tamen certificari adhuc debet de sua admissione; sed honeste dimitti a capitulo ad maturius deliberandum, & probari ad tempus in habitu suo. Et si perseveraverit insistens petitioni, solita humiliatione etiam privatim coram fratribus exhibita, post aliquot dies cum Abbati visum fuerit, super susceptione illius ad novitiatum vota fratrum requirantur. Sin autem defectum aetatum patientes, sive adolescentiores ætate, aut scientia, vel moribus admodum rudes ad conversionem venerint, dummodo in eis bonæ spei præsagia reluceant, admitti; sed non tam facile, ut cæteri, quin immo durius probandi sunt, etiam ante tonsurationem, & habitus noviciorum exhibitionem: ne postea cum confusione majori, & scandalo eos dimitti oporteat. Turpius enim ejicitur, quam non admittitur hospes, profecto, quia & illis naturalis vitii fomes crebro adhærere, & in illis instituendis, & disjudicandis plurimum esse laboris consuevit. Postquam igitur præhabitis necessariis cautelis, Abbas de consilio fratrum aliquem ad novitiatum suscipere voluerit, primo vestiatur in secreto juxta modum nostrum; deinde veniens in capitulum superinductus superpellicio, illic mox se prosternet in terram. Interrogatus autem, quid quærat? respondeat *Misericordiam Dei, & vestram confraternitatem*; quem ad jussionem Abbatis erectum, Abbas difficultates ei ingerendo ipsum præmoneat de molestiis, & tentationibus in conversatione regulari, in cohibendis propriis voluntatibus, & obedientia sectanda sibi occursuris; cum quanta districtione observantia regulæ a professis exigatur, quam severe negligentes, & rebelles judicentur, & duriora quædam ordinis. Et consequenter avisat eum, quod liceat ei ante professionem, si velit libere exire, & nobis, si forsan eius displicuerit conversatio, etiam invitum dimittere. Quod si adhuc imperterritus manens responderit, se de sola pietate Dei, fratrumque oratione confisum ea, prout divina clementia concesserit, impleturum: Abbas dicat: *Dominus qui in te cœpit, perficiat*; dimittensque eum admoneat, ut confessus ad communionem se præparet, & sic suscipietur in choro sub summa

„ Missa,

„ Missa, in qua introducatur a Magistro in chorum sub „ Evangelio, seu Credo, si cantetur; finitoque Evangelio, „ seu Credo, ascendat in Presbyterium, & retro Abbatem „ prosternat se pronus in terram, & cantetur antiphona: *Veni sancte Spiritus*, Prælato flexis genibus eadem imponente. Post cujus continuationem per conventum „ super formas procumbentem, subjungat versus, & collectas in collectario descriptas; quibus finitis erigatur, „ & flexis genibus ante Prælatum exuatur, & reinduatur „ modo, & forma in collectario descriptis; ex tunc annus probationis currere incipiat.)

XI. In consuetudinibus Casæ Benedicti cap. 42. pauca hæc habentur: „ (Ordinamus quod nullus suscipiatur ad „ noviciatum, seu induatur habitu monachali sine consensu majoris, vel sanioris partis Fratrum professorum, „ comparata voce Prælati; & volumus, quod comperato „ tempore hospitalitatis non sint in habitu sæculari plus „ tribus hebdomadis; sed aut vestiantur, aut remittantur; „ prius tamen per Medicum, & Chirurgum visitentur. „ Induatur ergo novitius sero ad collationem in capitulo, ubi tunc fiet brevis exhortatio, & lavabuntur pedes „ ejus a Prælato, a quo, & singulis fratribus osculabuntur, sed non manus; & cantabitur interim: *Mandatum novum do vobis*, &c. sicut in Cœna Domini. „ Mox illi tradetur habitus novitiorum, videlicet tunica „ nigra, cum scapulari stricto, & curto, ut supra dictum „ est in cap. de vestimentis, & floccus absque manicis. „ Quod si professus fuerit alicujus alterius Monasterii S. „ Benedicti, qui velit apud nos recipi, faciat ipse petitionem suam in capitulo, & si convenerint fratres, detur „ ei floccus, & scapulare longum, & capitium; non tamen ei fiet mandatum, nec dictæ ceremoniæ.)

XII. Denique, ut de Carthusianis etiam aliquid dicamus; volunt in primis, in nova collect. Statut. part. 2. c. 7. nn. 11., ut noviter quis veniens ad conversionem, maxime, si ignotus sit, per mensem probetur: deinde „ postquam sufficienter fuerit probata conversatio postulantis, certo die proponentur conventui, ac primum quidem „ coram toto conventu interrogabitur, si in aliquo ordine „ professionem fecerit, si liber, & non servilis conditionis, „ si matrimonii vinculo solutus, si absque incurabili morbo, si possit ad sacros ordines ascendere, si de debitis „ satisfecerit: sciturus, quod si super his veraciter non „ responderit, si aliquid celaverit, poterit etiam post professionem expelli.

VIII. [sic] „ Postquam ad hæc responderit, (n. 12.) secedit, & conventus de ejus deliberat receptione. Quem „ si recipiendum judicaverit, rursus eum revocat, & tunc „ ipse toto corpore prostratus misericordiam postulabit. „ Deinde ad jussum Prioris surgens, supplicabit propter „ amorem Dei, se ad probationem sub habitu monachali recipi pro præbendario, & humillimo omnium servo. Cui tunc Prior proponet, quot, & quanta sint „ dura, & aspera in ordine nostro toleranda .... „ (n. 13.) Ad quæ, si imperterritus manens, responderit „ se de sola Dei pietate, fratrumque orationibus confisum, ea, „ prout divina concesserit clementia impleturum; tum demum ad pedes Prioris genua flectens, junctas manus inferat infra manus Prioris, & Prior ex parte Dei, & „ ordinis, & sua, & fratrum concedat ei societatem Ordinis, & proponat eidem, quod ante professionem liberum poterit exire, & quod vicissim erit in nostra libertate ipsum emittere, si nobis, quod absit, non placeret conversatio ejus. Quo facto, recipitur in osculo „ pacis a Priore prius, deinde a ceteris omnibus. Qui si „ statim non sit paratus indui, certus ei, usque ad quem „ venisse debet, terminus non nimis remotus dabitur; ad „ quem, si non venerit, nos non teneamur eidem; „ addatum autem terminum veniens statim post supplicem „ in conventu postulationem induitur.

XIV. „ Sciendum autem, (n. 4.) quod absente Priore „ nullus novitius potest recipi, nisi de speciali licentia „ Prioris. Recepti tamen ad statutum terminum venientes, Priore multum remoto, nec brevi reversuro, possint a Vicario, & conventu indui, & incellari.

XV. „ Die, quo induitur novitius, (n. 15.) postquam „ indutus est, & præparatus, ducitur ad ecclesiam, & instruitur, ut ad gradum altaris faciat orationem suam. „ Interim conventus cantat in ecclesia versum: *Veni sancte Spiritus*. Quo finito, Prior dicit preces consuetas „ in prima parte descriptas, quibus dictis, ducitur novitius „ ad cellam conventu cantante psalmos: *Miserere mei Deus: Quam dilecta: Memento*. Si tamen unus, aut „ duo sufficere possunt, unus tantum, aut duo dicantur. „ Eunda ad cellam præcedit Prior cum stola, & aspersorio, „ sequitur novitius; deinde conventus, præcedentibus senioribus. Veniens autem Prior ad cellæ ostium, aspergit „ novitium, & ipsam cellam dicens: *Pax huic domui*, „ tenensque manum novitii, introducit eum, & ducit ad „ oratorium. Ubi flexis genibus orat, & interim finito a „ conventu psalmo, vel psalmis, Prior consuetas, ut alibi habentur, preces dicit, quibus completis, injungit „ novitio cellæ, & aliorum, quæ ad ordinem nostrum „ pertinent, observantiam, & exercitium in remissionem „ peccatorum.) Antiqua Statuta, in quibus eadem, paucissimis forte exceptis, quæ hic habentur, addunt: „ (Et audita ejus confessione, absolvit eum a votis factis „ in sæculo, si perseveraverit in ordine.)

XVI. Preces autem in susceptione novitii faciendæ hæ habentur in 1. parte c. 55. nn. 18. „ (Finito in ecclesia, *Veni sancte Spiritus*, sine *alleluja*, dicit Prior: *Confirma hoc Deus*, & respondetur e conventu, *quod operatus es in nobis: Dominus vobiscum; Et cum spiritu tuo. Oremus: Actiones nostras, & Deus, qui corda*. Finito vero „ psalmo cum *Gloria Patri*, in ingressu cellæ sequitur; *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison: Pater noster: Et ne nos: Salvum fac servum tuum: Mitte ei: Esto ei: Nihil proficiat; Domine exaudi: Domine Deus virtutum: Dominus vobiscum: Oremus: Deus, qui justificas impium*, &c. *Prætende Domine famulo tuo: Exaudi nos sancte Pater: Per Christum Dominum nostrum.*)

XVII. Ex his omnibus observandum primo, olim vitæ monasticæ candidatos non ante veste novitiali indutos fuisse, quam duos sub cura Præfecti hospitum menses in hospitio transegissent, ut patet ex Hildemaro, ac proinde decem dumtaxat mensibus novitiorum habitum gestasse, annus quippe probationis ab eo incipiebat die, quo in hospitio recepti erant.

XVIII. Secundo, integram eis lectam fuisse Regulam, antequam habitu novitiorum induerentur, ex eodem Hildemaro.

XIX. Tertio, nullum ab Abbate susceptum esse ad habitum, quam habito prius fratrum consensu, aut saltem consilio, ut innuunt Cluniacenses, & Benignianæ consuet. MS. cap. 19. decernentes, ut Abbas „ (qua sibi videbitur „ die, fratribus in capitulo residentibus, de eis „ (scilicet „ pulsantibus,) annunciet, seu ut *ut ait Lanfrancus in Statutis*, ostendatur res fratribus in capitulo, *quorum audito consilio*, si suscipiendum eum esse Abbas decreverit, &c.) Ita cum S. Ansbertus Fontenellam ad S. Wandregesilum venisset in ejus vitæ num. 8. sæc. 2. S. Ben. „ (audiens „ Venerandus Pater sanctam, & Deo dignam ejus postulationem, inducias consulendi super hoc dicebat habere „ se velle, ut sicut apostolica, & monastica docet Regula, „ sciret, ad quid venerat; quibus expletis, spiritualium „ fratrum *consulto* suscipiens inclitus Pater, pia ejus vota, „ veluti postulaverat, impleverunt, clericatusque habitu decorabilem reddiderunt;) & S. Bonifacio Monasterii ingressum postulanti „ (protinus Pater Monasterii inito „ fratrum consilio, & eorum accepta, sicut regularis vitæ „ poposcit Ordo, benedictione, consensum præbuit, & effectum,) ut scribit Willibaldus in ejus vita c. 1. n. 5. sæc. 3. part. 2. p. 6.

XX. Consensum expressis verbis requirunt Bursfeldenses, Casalini, & Cartusienses.

XXI. Quarto, novitios habitu monastico non publice, sed privatim indutos fuisse, ut patet ex conf. Benignianis & Cluniacensibus MS., & ex Statutis Lanfranci c. 19.; licet contrarium decernatur in Anianensi S. Salvatoris Rituali.

XXII. Quinto, Tonsuram laicis publice ad gradus altaris collatam fuisse, idque ab Abbate ex eodem Rituali, quod postea fusius demonstrabimus, cum de Rasura dicemus. Abbate tamen non præsente, id ipsum Sacerdoti celebranti permittunt consuet. Benignianæ. Statuta autem Lanfranci decernunt c. 16., ut benedicatur corona „ (vel „ in Ecclesia ante Introitum Missæ ad gradum, ubi benedictionem fratres accipiunt, vel in capella infirmorum vel „ in capella Abbatis, secundum quod ipsi Abbati placuerit.)

XXIII. Sexto, non solum coronam capitis, sed ipsam insuper barbam fuisse benedictam, ut patet tum ex conf. S. Benigni, tum ex Rituali Anianensis Monasterii, tum ex vita S. Godehardi nu. 12. apud Boll. 4. Maji.

XXIV. Septimo, non solum infantes, sed etiam adultos, saltem aliquibus in Monasteriis, oblatos a parentibus fuisse, quod probat prædictum Anianæ Rituale, Statutum capituli generalis Monasterii Gellonensis, & insuper Anonymus in vita S. Willelmi Ducis, & Monachi Gellonensis, n. 51. sæc. 4. part. 1., qui duas sorores, Albanam scilicet, & Bertanam Deo in Monasterio obtulisse, dicitur.

XXV. Octavo, notandus est modus incellandi novitios apud Cartusienses.

XXVI. Nono, interim dum novitii privatim induerentur,

teneur, „ [a fratribus, quibus injunctum fuerit, septem poenitentiales psalmi in directum dicantur,) inquit S. Lanfrancus in Stat. c. 19.

XXVII. Decimo. His omnibus addenda est antiqua apud Monachos novitiis sæculi nomen immutandi consuetudo, quam eidere est in vita S. Dosithei num. 6., qui jam Monasterio admissus, & Dorotheo erudiendus ab Abbate cum fuisset traditus, Boll. 23. Febr., tunc ille „ (suscepit ipsum cum gaudio, & secum habuit in valetudinario, atque Dositheum appellavit.) Clarius in vita S. Leonis Lucæ num. 8. Boll. 1. Mart. quem Christophorus Abbas Mulensis Monasterii in Calabria „ [festinavit sanctæ conversionis habitu induere, & *juxta ejusdem Monasterii ritum*, imponitur ei nomen, *Lucas*), ut ibidem legitur; & in vit. S. Philareti, Boll. 6. April., qui in sæculo appellatus Philippus, post susceptum habitum Basilianum, Philaretus nuncupatus est. Idem etiam apud Nostros in usu fuisse colligitur ex vita S. Walfridi Abbatis Palatioli n. 6. sæc. 3. part. 1., ubi Monachum Gimfridum nomine habuisse dicitur, qui infantulus a parentibus Hieronymus vocabatur. Ita S. Lullo ab Eaba Abbate pronomen *Jetel*, impositum est, quod ejus in memoriam revocat Anonymus, quidam ipsius amicus in epistola, quæ inter Bonifacianas est 88.

CAPUT III.

Quæ novitiorum tempore probationis disciplina.

I. PLurima jam de novitiorum legibus disseruimus in Commentario ad cap. 58.; pauca, quæ nobis dicenda supersunt, ex citatis superiori capite libris hic sunt supplenda; & primo quidem ex libro consuetudinum S. Benigni Divionensis c. 30., in quibus hæc decernuntur: „ (Interim (dum novitii vestimenta mutent,) in cella novitiorum lecti parantur. Peractisque, quæ in Ecclesia geruntur, cuique proprius ostenditur, & deinde in refectorium ducuntur; non enim in dormitorio Fratrum jacent, donec benedictionem susceperint. Capitulum vero non intrant, nisi tantum ad collationem, & mandatum, & etiam cum aliquando aliquis magnus homo propter societatem venit in capitulum, si forte pauci fuerint ultra modum, intra capitulum adducuntur, & ipsi continuo recedunt data societate. Per certos terminos in sua cella a magistro addiscunt ordinem suum; in horis competentibus nequaquam, nisi ea die, qua veniunt, vel in eratione. In choro non legunt lectionem, nec alicubi in conventu; non cantant R̸., non incipiunt antiphonas, non portant ante Domnum Abbatem scutellam, nullo modo loquitur quis eorum ante benedictionem cum quolibet de sæculo, nec etiam post benedictionem per eorum unum annum, nisi habeat magistrum, qui omnia, quæ dixerit, audiat. In aliis omnibus conventum tenent, videlicet coquinam faciunt, mandatum pauperum sicut ceteri, de thuribulo, & candelabris, quibus hoc pertinet, serviunt. Claustrum egredi, nisi tantum ad processionem, non licet eis. Dum fratres in capitulo sunt, nisi major fuerit multitudo, in majori Ecclesia sunt, in loco sibi deputato, & quoniam ibi silentium semper tenetur, de inutilibus loqui, vel in aliquo alio vagandi facultatem non habeant. Si vero multi fuerint, in cella novitiorum manent, Magistro suo, non tamen, ut ea toto capitulum desecat si necesse fuerit, interim eos docente.

II. „ Pertinet etiam ipsis, si Secretarius eos summonuerit, eligere frumentum multum diligenter, unde fiant hostiæ, & hoc faciunt, dum fratres sunt in capitulo. Post capitulum autem diebus, quibus fratres in claustro loquuntur, separatim in quadam parte claustri debet Magister eorum sedere, ibique de ordine docere; unde nulli fratrum licet aliquem ipsorum avocare, vel ibidem cum eo loqui, nisi cum licentia Magistri. Si vero quis de eis clamare, vel, ut in aliquo meliorentur, exhortari voluerit: licet, ut veniat, & eorum Magistro edicat: factoque clamore, quemadmodum fratres in capitulo, continuo surgentes veniam petunt, non iterum sessuri, donec emendationem promittentibus Magister præcipiet. Et de levibus quidem negligentiis, sicut sunt inordinatus habitus, vel incessus, hoc agitur: nam si rebellis in aliquo, vel inobediens, vel sæpe admonitus, negligens quis inter eos repertus fuerit, aut in capitulum ducitur, & regulariter ibi vindicatur; aut Priore in cella novitiorum ad eos eunte, simile judicium ibidem accipit. Sciendum quoque, quod novitio, qui nondum est benedictus, quandiu sine benedictione fuerit, non est usus, aut consuetudo, ut fiant cocturæ, aut detur ei caro ad manducandum, etiamsi in infirmaria sit multum debilis, vel fiat ei ulla hujusmodi medicina, præter sanguinis minutionem, nisi forte tanta fuerit necessitas, pro cujus magnitudine impietas videatur, non infringere consuetudinem. Cum autem eos benedicere Domno Abbati placuerit, prius auditis confessionibus eorum, qua die voluerit, sedente eo in capitulo, ablatis capitiis frocorum, veniunt Magistro præeunte, & ipsis sequentibus, sicut sunt priores. Et facta petitione eodem omnino modo, quo prius; si ipsa die benedicendi sunt, statim ducuntur in Ecclesiam a Magistro, ut mos est, præstolaturi ibi horam benedictionis. Quod si placuerit Domno Abbati, ut probandi caussa ponat eos, ut mos est, in cella novitiorum; facta, ut dictum est, petitione, reducuntur a Magistro in eadem cella, eodem modo, quo in capitulum venerunt, idest magistro omnes præeunte, illis autem altero post alterum, sicut sunt, priores sequentibus. Quo facto ex hac hora non jam, ut prius, inter alios in conventu conversationem habent; nam etiam a toto claustro educti, Magistro eis loco Prioris præsidente, in cella sua eodem ordine, & eadem hora, qua fratres reficiunt, legunt, loquuntur, scribunt, & cetera, quæ assolent, & congruunt, exercent. Nec uno momento usquam sunt, aut eunt, sine Magistro, qui præcedat eos, ipsis semper, ut dictum est, sicut priores fuerint altero, post alterum sequentibus, excepto solum pro necessitate corporis, ut est, cum sunt in monasterio, si quis eorum voluerit in dormitorium cellæ suæ ire, accepto secum uno de consodalibus. Solus vero numquam vadit, si nox est, non sine laterna, semper alter post alterum. Signo pulsato ad horam, post alios ingrediuntur monasterium, post alios exeunt. Quocumque autem, vel ubi, ubi sint, eadem omnino reverentia inclinandi eis, & recedendi ad ipsos, vel cujusque rei exhibendæ illis, quæ & infantibus, ipsi eadem omnibus exhibent. In Ecclesia separatim in loco sibi deputato manent, scilicet inter chorum, & crucifixum. Conventu de Ecclesia exeunte, ipsi in ea parte, per quam exitur, ordinati inclinantur super genua, donec omnes pertranseant; conventu quoque eamdem inclinationem eis faciente. Fratribus in capitulum venientibus, ipsi quoque conveniunt; sed post infantes, qui sicut mos est, semper ultimi veniunt. Lecta autem Lectione, factoque inde sermone, a magistro suo in cellam suam reducuntur, & ex quo capitia ablata sunt eis, ibidem tenet capitulum de eis adeo rigide, & severe, sicut fit in capitulo fratrum; datque etiam delinquentibus aspere judicia, quorum prius nihil agebat, nisi præcepto Domni Abbatis, aut Prioris. Sciendum præterea, quod quemadmodum in omnibus locis a ceteris distincti sunt, ita quoque in capitulo per se sedent secus ingressum ad unam portam. Finitoque mandato, vel collatione, fratribus in exeundo illis inclinantibus, ipsi quoque inclinant, & ultimi, sicut mos est exeunt. Diebus Dominicis aliis ad processionem exeuntibus, ipsi in exitu Ecclesiæ, inter ipsam Ecclesiam quidem ordinati stant inclivi, donec pertranseant fratres, eodem modo ipsam humiliationem exhibentes in transeundo; & ita toto conventu transacto, ipsi postremiores sequuntur, sicut ubique faciunt. Ad aquam benedictam, sicut post Completorium ultimi accedunt, neque ad offerendam, neque ad pacem, neque ad communionem vadunt. Expleto opere Dei in Ecclesia, progressisque ad mensam fratribus, primi exeuntes ad coquinam vadunt, Magistro, sicut aliis in omnibus, præeunte, ibique statim priusquam in refectorio ministrentur, fabas suas accipit unusquisque; Et sic videlicet, si in coquina non possunt omnes se expectare invicem propter multitudinem, accipiunt egredientes: ordinetur alius prope alium ad parietem refectorii, ab ostio ejusdem refectorii usque ad gradus dormitorii, si tot fuerint, donec universi congregentur, receptis fois fabis expectantes; quo facto ad mensam vadunt. De fratribus autem unus, qui legat, & alter, qui serviat, aut plures, si opus fuerit, deputati sunt, qui etiam justas, & scyphos afferunt eis, & referunt in refectorium, cum opus est. Cum pulsatur scilla refectorii, pulsatur scilla eorum; sed ante dimittitur, quam illa de refectorio, ut non audiatur: *Benedicite* eorum. Pro generali medietas eorum vadit, præcedente uno de fratribus, qui serviunt illis, & altera medietas pro pulmento: cum autem Magister eorum audierit finem lectionis, quæ in refectorio legitur, aliquantisper properantius surgentes gratias agunt, & antequam conventus de refectorio exeat, ordinantur ad eumdem parietem, ad quem dictum est se se

„ invi-

„ invicem expectasse, cum de coquina fabas afferrent, & incurvi stantes eodem modo, sicut in Dominicis in Galilea ad processionem, post alios fratres, Magistro eorum in medio cum quibusdam de Prioribus stante, donec totus conventus eamdem incurvationem illis faciens pertransiit, sequuntur præcedente Magistro, ut mos est; & hoc modo se habere est illud, quod solet dici esse in cella noviciorum.) Ex his nonnulla tradit Udalricus l. 2. c. 1. aliqua habentur in cons. MS. Cluniacensis Mon.: Sed pro eo, quod cons. Benigoianæ ajunt: „ (Dum fratres in capitulo sunt, nisi major fuerit multitudo, in majori Ecclesia sunt &c.) confuet. Cluniacenses habent: „ Dum fratres in capitulo sunt, nisi major fuerit multitudo, in coquina regulari sunt, ut si quid circa ignem, ubi tunc fabæ, & pulmentum aliquando apposita sunt, faciendum viderint, faciant, & quoniam ibi summum silentium semper tenetur, de utilibus loqui, vel in aliquo alio vagandi facultatem non habeant.) Lanfrancus etiam in Statutis plurima de noviciorum legibus disserit; sed præter ea, quæ ex Benignianis cons. retulimus, singulare nihil continent. Liber Usuum Cisterciensium pauca hæc habet: „ (Novitius in Ecclesia, in labore, ad collationem ordine suo, sicut monachi, conventum sequatur, ante monachos de choro, post horam exeat, post Completorium orationem extra chorum faciat, iisdem horis, quibus monachi, laboret, quiescat, legat, dormiat; iisdem cibis vescatur, iisdem pannis induatur; excepto habitu monachali, pro quo cappam, & mantellum, vel pelles habeat: Cum monachis non significet, nec coronam, nec ordines accipiat. Si contigerit, ut aliquis conjugali nexu ligatus, monachis hoc ignorantibus, suscipiatur, dum cognitum fuerit, ejiciatur: quod si postea sigillum Episcopi sui, vel certum testem adduxerit, quod uxor ejus castitatem vovens eum absolverit, recipi poterit, annum integrum in probatione denuo peracturus: quod si habitum monachi jam accepit, similiter recedat. Si in cella moritur, de eo, sicut de monacho, fiat. Si novitius laicus monachalem habitum non ausus suscipere, Conversum se fieri petierit, potest recipi.) Plura Bursfeldenses in ceremoniali dist. 3. c. 1.: Infra probationis annum, inquiunt „ (legatur ei Regula per ordinem ter in capitulo quotidiano, juxta distinctionem ejusdem Regulæ capitulariter factam, & acceptatam, & pro vice qualibet in proximo capitulo præavisatus veniam petat, Abbateque interrogante, quid quærat, respondeat: *Dei misericordiam, & vestram confraternitatem*: jussusque surgere, dicat ei Abbas: *Ecce frater ex Regula tibi lecta audisti legem, sub qua oportet te militare, si adhuc tibi placet, dic palam, alioquin liber abscede.* Si responderit, se cuncta velle observare; dicat Præsidens: *Deus qui cœpit in te, ipse perficiat*, atque subjungat: *Ita, & deliberate melius*. Quo dicto, novitius inclinando se recedat. Novitii admoneantur generalem de omnibus peccatis, etiam prius confessis, facere confessionem Abbati. Novitii inter se ordines suos, nec non obilibes in conventu, sibi deputata loca observent. Iisdem horis, quibus monachi, laborent, legant, psallant, comedant, & quiescant: iisdem vescantur cibis, & eisdem pannis induantur, excepto habitu novitio, qui distinctus sit a cuculla monachica, ut infra patebit. Novitio nulla committatur obedientia, nec sine caussa magna mittatur extra monasterium. Ordines in novitiatu non recipiat, nec in jam susceptis ordinibus sacris administret, donec secundum ritum, & consuetudinem nostram diligenter instructus fuerit, & consenserit Abbas. Vestes, & res aliæ, quas secum detulerit in monasterium, non in sua, sed Abbatis, vel Vestiarii sint custodia; nec quovis modo distrahantur, donec se plene stabilierit, ut si quando ante professionem exire consenserit, eas recipiat; exutus prius rebus monasterii, ac abrasa corona. Quod si ante professionem aufugerit, etiam latenter, non est persequendus; postea si pœnitentia ductus sponsæ redimit, facile non est admittendus: si tamen iterum suscipiatur, fugitivis monachis debitam subire pœnitentiam non cogatur.) Alia præscribunt constitutiones Congregationis Casinis Benedicti: nimirum „ (novitii per totum annum sui novitiatus, nihil aliud discant præter regulam B. P. N. Benedicti, ceremonias nostræ societatis, officium divinum, & quæ ad illud pertinent, vitas Patrum, & collationes eorumdem; quibus fidelis deputabitur præceptor, qui in talibus eos instruet. Ordinamus insuper, quod duo fratres uterini in uno eodemque monasterio nostræ Congregationis non recipiantur. Sed & noviciorum, qui ad probationem recepti fuerint, ter ad minus, aut quater infra sui professionis annum, tam morum, quam corporum agitabitur quæstio in conventu, audita primum super hoc Magistri noviciorum opinione. Prohibemus insuper, ne qui habitum reliquerint semel, aut expulsi fuerint, in aliquo monasteriorum nostrorum ulterius recipi debeant; & si qui recipiantur ad professionem, fiat eis protestatio, quod si alias expulsi fuerint, professio eorum censebitur nulla. Et quia non habemus loca distincta, ubi novitii meditentur, manducent, & dormiant; in refectorio comedent cum monachis similiter, & in dormitorio dormient. Nec minus uno anno fratres chori probabuntur; Conversi autem duobus annis. Si tamen aliqua ex caussa bonum videatur, ut ante finem biennii, quod destinatum est probationi eorum, admitti debeant ad professionem, id solum fiat de consilio, sive permissione Capituli Generalis, aut saltem Patris Visitatoris; & hoc cognita caussa, & non alias.) His pauca superaddo ex nova collectione Statutorum Cartusiensium c. 17. n. 19., & 20. „ (Novitius nec reprehendit, nec publice reprehenditur; sed cum offendit, instruitur a Priore, vel a Magistro. Non debet manere in colloquio communi, nec de negotiis domus se intromittere, nec quærere licentiam, ut aliquem possit visitare. Infra tempus probationis non Missam in conventu, non Evangelium, non Epistolam dicit, (*a*) nec ad ordines mittitur; sed hebdomadam cantus facere, & tam in Ecclesia, quam refectorio legere potest, quam cito sibi fuerit injunctum a Priore. Et si Sacerdos fuerit, potest ad arbitrium sui Prioris Missas privatas celebrare.) Maxime vero notandum, quod præscribant Statuta Guigonis, novitios ad probationem non esse admittendos, quam sub hac conditione; ut si pondus ordinis intolerabile sibi judicaverint, saltem alterius religionis jugum subire teneantur: „ [Ad datum, *inquit*, terminum veniens, post supplicem in conventu postulationem, in examinatione ad minus annua ponitur, suis integre usque ad diem professionis omnino reservatis; quod ei non nisi sub tali sponsione conceditur, ut si forte nostrum nequiverit, aut noluerit tolerare propositum, ad sæculum nequaquam redeat, sed aliquod potius religionis genus, quod ferre possit, accipiat.) Ex his omnibus tria sunt præcipue notanda. 1. Olim noviciis anno probationis tempore nemini sæcularium hominum loqui licitum fuisse. 2. Carnes nec etiam graviter infirmos manducasse. 3. Eis potissimum commendatam fuisse curam seligendi frumenti ad sacram Eucharistiam conficiendam. Quæ tria videre licet in consuet. S. Benigni.

CAPUT IV.

De noviciorum benedictione, sive professione.

I. Plurima jam de noviciorum professione in commentario a cap. LVIII. digessimus, ubi varias ejus formulas, varios in ea observari solitos ritus retulimus. Hos hic iterum recudere, nec præsentis est otii, nec forte operæ pretium: alios igitur prætermissos hoc loco superaddemus.

Ex antiquo Cassinensi Ordinario tempore Oderisii Abbatis descripto.

II. „ Incipit ordo ad monachos faciendum. In primis novitii in genibus ante Abbatem stantem, hanc illis admonitionem faciens dicat:

III. „ Dominus noster Jesus Christus pietate sua pro peccatoribus semetipsum exinaniscens carnem sumens, & in mundo humillimus, & sine peccato apparere voluit. Reconciliavit nos Deo Patri, & fecit filios adoptionis, qui eramus filii iræ; per baptismum autem donavit nobis remissionem omnium peccatorum, & iram, quam merebamur, convertit in misericordiam; sed quia post baptismi regenerationem multa commisimus, & ab eo recedentes quodammodo adoptionem filiationis perdidimus; gratuita pietate sua ostendit nobis humilitatis, & pœnitentiæ modum, per quod iterum Deo reconciliari possimus. Nullus itaque vestrum peccatorum pondere prægravatus de ejus pietate desperet; quia qui peccatoribus voluit incarnari, pro eis etiam Patrem quotidie interpellat.

IV. „ Vos ergo, filii, qui relicto sæculo confugium fecistis ad Deum, ecce coram eo, & coram hoc sacrosancto altari stantes ante præsentiam fratrum, qui hic consistunt, proprio ore dicite, si vultis abrenuntiare sæculo huic, & pompis ejus.

(*a*) Antiqua Statuta 2. par. c. 23. addunt: „ (Nec ad privatas Missas serviunt, nisi forte quandoque Priori aliter videatur, considerata qualitate personæ.)

Respon-

„ *Respondeant*: Volumus.
„ Vultis assumere conversionem morum vestrorum, & affectionem parentum relinquere, & abrenuntiare?
„ *Respondeant*: Volumus.
„ Vultis profiteri obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, abrenuntiando etiam propriæ voluntati?
„ *Respondeant*: Volumus.

V. „ *Dicat Abbas*: Dominus auxilietur vobis. Mox altari assistentes in præsentiam Abbatis, & cunctæ Congregationis, professiones suas legant, sicut regula præcipit.

VI. „ Ego frater ille Diaconus, vel Presbyter, promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, in hoc ejus venerabili monasterio Casinensi, in præsentia Domini Abbatis ille. Quam perlectam super altare ponant, & mox ponendo genua ante altare inclinando dicant hunc versum: *Suscipe me Domine secundum*. Quem versum omnis congregatio tertio respondeat, adjungendo *Gloria Patri*: Deinde super scapulare coram altari posita dicat Abbas benedictionem.

VII. „ Domine Jesu Christe, qui tegumentum nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod SS. Patres ad innocentiæ, vel humilitatis indicium abrenunciantes ferre sanxerunt, ita benedicere digneris, ut hi famuli tui, qui hoc usi fuerint, te induere mereantur, qui vivis.

VIII. „ Et postquam benedicta fuerint vestimenta, aspergantur aqua sanctificata: & dicat Abbas singulis, quibus extrahit sæcularem habitum: *Exuat te Dominus Jesus Christus veterem hominem cum actibus suis*; & exuat se propria vestimenta. Iterum dicat Abbas induendo eos habitum monasticum: *Et induat te novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit eum*.

IX. Tunc ipsis novitiis prostratis in terram fiant litaniæ. [Subjiciuntur breves SS. letaniæ cum VII. orationibus: *Deus qui B. Benedictum* &c. *Deus indulgentiæ pater* &c.: *Deus qui per coæternum* &c. *Domine Jesu Christe, qui es via* &c. *Domine S. Spiritus, qui te* &c.: *Omnipotens, & misericors Deus* &c.: *Effunde Domine cœlestem benedictionem*: ex quibus 2. 3. 4., & 5. extant in nostro rituali.] „ (Deinde tribus diebus silentium teneant, in quibus quotidie ad Missam offerant, atque communicent: tertio vero die ad Missam cum ad pacem venerit, tollat Abbas caputia de capitibus eorum, & det eis pacem. Ipsi vero prosternant se Abbatis vestigiis; deinde omnium fratrum. Ipsi autem eis osculum dent pacis. Dum Abbas extrahit de capitibus eorum caputia, dicat hanc orationem: *Dominus Jesus Christus, qui humilitatis nostræ* &c. *regnatui percipiatis, præstante eodem Domino Jesu Christo* &c.)

V. His Casinensium ritibus affine est antiquum fragmentum, ex vetustissimo cod. Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ Albiensis sæculo IX. exarato, quod hic subjicimus.

Quomodo suscipiantur in ordine monachi.

XI. „ Suscipiendus in oratorio frater coram omnibus sic interrogatur: Promittis de stabilitate tua, & conversatione morum tuorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis ejus.
„ *Ipse novitius respondeat sic*: juxta Dei adjutorium, & meam intelligentiam, & possibilitatem, promitto.
„ Credis, ut si aliquando aliter feceris, a Domino putas te damnandum, quem irrides?
„ *Et ipse respondeat*, Credo ....

XII. „ Ego Domne Abba obedientiam vobis, vel caritatem, & secundum Regulam S. Benedicti, in quantum mihi Deus adjutorium, & intelligentiam dederit, coram Deo, & Sanctis ejus promitto custodire, & in quo positum, usque in finem profiteor conservare.

Ex MS. consuetud. Farfensis monasterii; Quomodo agendum sit de novitiis.

XIII. „ Mox, ut ipsi exierint de cella novitiorum, vel antea in claustro fuerint, ad capitulum non sunt introducendi, nisi quando Abbas jusserit. Mox, ut ipse in capitulo finierit sermonem, veniant, & inquirat uniuscujusque voluntatem. Sed tamen ante habeant ipsi omnia sua facinora patefacta. Tunc cappellis de tunicis ablatis, in Ecclesia tandiu sedeant, quoad usque ad [a] consecrationem venerit. Verbi gratia, si fratres reficiunt sexta hora, illico ut dicta fuerit Tertia, faciat; si vero nona, mox ut dictæ fuerint letaniæ, veniant novitii ante altare, & stent per ordinem, quemadmodum venerunt; & legat unusquisque suam professionem: Si non scit, alius subrogetur, qui pro se faciat; ipse tamen novitius signum faciat, & super altare imponat. Deinde non habeat licentiam auferendi; ex inde dicant hunc V.: *Suscipe me Domine*, per vices, & semper genua flectant, adjungentes *Gloria Patri*, volventes tertia vice se supra genua in girum; & tunc prosternant se omnes per ordinem. Tunc Abbas habeat stolam, & stet ex latere dextro altaris, & dicat: *Kyrie eleison, Pater noster: Et ne nos*, & psalmum: *Miserere mei Deus*, qui dicendus est ab omnibus usque ad finem. Dein capitula, & orationes, sicut in codice habentur. Et statim, ut fuerint finitæ, tunc surgant ipsi novitii, & Abbas benedicat cucullas, & aspergat aquam benedictam super ipsas. Exhinc veniat ad ipsos, & incipiat dicere hunc V.: *Exuat te veterem hominem Dominus*, tunc induantur cuculla, & dicat: *Induat te Dominus*, & osculetur eum Abbas, & omnes per ordinem fratres, & maneant velati usque ad tertium diem. Ad offerendam omnes velandi procedant, pacem accipiant, & eant ad communicandum, in ultimo loco stent in choro, atque refectorio. Ad capitulum mox ut dictum fuerit: *Aliquid ex nostro usu tenemus* [illegible], tunc apprehendat illos frater, qui sollicitudinem gerat super eos, & extra capitulum ducat, atque in Ecclesia collocet. Hoc faciat usque in tertium diem, in quo Abbas agat Missam, & post pacem velamentum cum adjutoribus auferat, & communionem tribuat. Deinde capitulo velut locis omnibus socientur fratribus. Nam ipsi novitii primo anno non loquantur cum ullo homine, sine sua custodia, nec cum ipsis fratribus, qui claustrensi sunt, nisi cui jussum fuerit. Nam & ipse custos sedeat inter ipsum, & illum, qui cum illo loqui cupit. In capitulo non præsumat loqui, nisi de aliqua causa interrogatus fuerit, usque annum transactum, seu quinquennium.

Ex MS. Codice S. Benigni Divionensis n. 280.

XIV. „ *Benedictio ad plures monachos faciendos*. In primo veniant ante altare induti frocis, sine cucullis, & deferant in manibus suis professiones scriptas propriis manibus suis .... Cum induti fuerint fratres, accipiant pacem ab omnibus, nec tollantur caputia de capitibus, usque in diem tertium. Illis tribus diebus teneantur silentium tenere, & induti jacere, & sacrum Dominicum corpus recipere. In die vero tertia, debet Abbas Missam cantare, & dum dicitur: *Pax Domini*, tollantur capitia de capitibus, & sic communicent.

Ex MS. consuetudinibus ejusdem monasterii c. 30.

XV. „ Cum vero Domno Abbati placuerit dare eis benedictionem, in capitulum eo præsente venientes, per omnia eodem modo, quo prius, petitionem faciunt, & inquisita iterum voluntate eorum, & obedientia perseverantia usque ad mortem, & audita, revertantur in cellam novitiorum, donec ad placitum Abbatis, scilicet ante Missæ introitum, vel post Evangelium benedicantur. Post benedictionem autem cucullis induti, osculantur fratribus universis per chorum, eunt ad offerendam; ad pacem vero ultimi accedunt, & inde pergunt primi ad communionem: non enim osculantur tunc alios fratres, aut se invicem, sicut alii faciunt. Et ex illa hora sequuntur per omnia conventum, excepto quod donec in albis sunt, exeunt capitulum facto sermone, euntes in Ecclesiam. Si vero inter eos quis ut est, ipse non exit, quia bene scit silentium tenere. Egressis autem de albis, Magister ipsorum in capitulo facit coram Abbate memoriam de illis, dicens, quatenus si ipse præciperet, possent in conventu legere, atque cantare ex illa hora. Quo respondente: *Eia fiat cum Dei benedictione*, vel aliquid tale, quod ei libuerit, inclinant versus eum de sedibus suis, nisi ipse præcipiat, ut veniant ante eum. Et notandum, quod hæc permissio non est, nisi tantum legendi, & cantandi in conventu; sacerdotes enim, si qui sunt, non cantant Missas, nisi aliam licentiam habeant.

XVI. „ Cum autem de cellis ad monasterium pertinentibus adducuntur novitii ad benedicendum, una nocte in hospitio jacent, sicut mos est de omnibus quicumque sint, qui ex toto remansuri sunt in monasterio. In „ crasti-

[a] *Scilicet* novitiorum.

„ cæteri novitii vero ducuntur in capitulum ablatis prius extra claustrum capitiis suorum si ipsa die benedicendi sunt, aut si aliqui fuerint in cella novitiorum, ita ut dictum est. Qui & eodem modo faciunt petitionem ad Abbatem, sive ad Priorem præcepto Abbatis, si non fuerit ei commodum tunc in capitulo esse, quo supra diximus de aliis.

XVII. „ Similiter omnino veniunt in capitulum, & faciunt petitionem; sed non ablatis capitiis, hi, quos præ timore mortis, vel pro aliqua rationabili, necessariaque causa Abbas extra monasterium ad cellas, ad quas veniunt ad conversionem, benedixit. Quamvis enim benedictionem ab Abbate susceperint, veniunt tamen, ut professionem omnes, hi scilicet, qui ad prioratus, qui sunt, sine Abbate venerint ad conversionem, faciant ad capitale monasterium. Verumtamen quos Abbas eos benedixit, cum faciunt in capitulo benedictionem, non eunt ad pedem ejus, qui tenet capitulum, si ipse Abbas non affuerit, nec faciunt ternas genuum curvationes, sive Abbas affuerit, sive non, sicut nec ille, qui ex toto recipitur, aliquis videlicet monachus extraneus, nec fit eis illa secunda sermocinatio, quæ novitiis solet fieri, & qua finita iterum ad pedes tenentis capitulum eunt, videlicet prædicatio de duris, & asperis, sed dicitur tantum, ut eant sessum, hoc solum verbis brevibus intimato ipsis, quod oportet eos in omnibus conventus morem addiscere, & sequi. Et est mos, ut ultimi sedeant, nisi Abbas elevet eos.

XVIII. „ Si vero venerit qui addiscendi ordinem rensa, aut morandi quantumlibet tempore, non jacet una nocte foris; sed datur ei in primis societas capitulo, & ipsa, sicut quilibet extraneus, faciat ternas genuflectiones, & sic concedente Abbate habet capitulum, & cetera fratrum consortia. Similiter non jacet foris monachus illius Abbatis, cui a Domno Abbate data est Abbatia, nisi quæsita licentia a suo Abbate ad hoc veniant, ut velit professionem facere, & ex toto manere: sed sine omni petitione, & licentia venit in capitulum, & manet per quot dies voluerit, in monasterio. Et hoc ideo, quod fertur pene tantumdem valere conversionem, professionemque illam, quæ facta est ad illum Abbatem, cui D. Abbas baculum pastoralem dedit, quantum si ad ipsum capitale monasterium fieret.

XIX. „ Præterea non est ignorandum, quatenus omnis, qui a tenente capitulum absolvitur in ipso capitulo de qualibet re, vel post cujus petitam veniam absolvitur quia, seu sanus, seu infirmus, sive defunctus, vel etiam si fit et stanti ante se ab Abbate, vel Priore aliqua precatio, vel benedictio, ad cujus finem conventus respondeat: *Amen*, ad pedes illius debet ire, excepto eo, qui de infirmaria adductus pro timore mortis absolvitur, & eo, qui postquam de infirmitate convaluit, rediens in conventum petit, ut mos est, veniam, si carnem comedit & dicit, quod non servavit ordinem, sicut oportuisset. Nec mirum, cum ista faciat statim tres inclinationes conventui, non tamen positis genibus ad terram. Ille vero adeo infirmus est, quod vix etiam adducitur in capitulum. Sciendum vero, quod hi tales cum veniunt, si inveniunt novitios nondum benedictos, propter benedictionem, quam habent, super eos sunt, donec professionem faciant. Facta autem professione, statim redit quisque in ordine, quo venit, sive benedicti sint novitii, quos invenit, sive non. Quando autem aliquis alterius monasterii professus, vel quicumque facit professionem in monasterio; illico facta professione quicumque sit, sive Prior, sive Abbas, debet stare omnium ultimus, donec Abbati placeat, ut reddat ei locum, in quo prius stabat, vel det alium, quem voluerit.

Item ex cap. 31. consf. S. Benigni.

XX. „ Postea cum ei visum fuerit, jubet eos ante se in capitulum venire, quibus venientibus, & veniam petentibus, postquam surrexerint, iterum quoque, ut prius, aliquanta insinuat de austeritate disciplinæ regularis, & inter alia non tacet melius esse, ut sine benedictione ad sæculum redeant, quam accepta benedictione de cetero non perdurent. At si ipsi contra, omnem obedientiam, & stabilitatem pollicentur, annuit tandem eos benedictione confirmare: Commendat fratribus, ut in orationibus suis recordentur eorum, & aliquando, si videtur, unum psalmum per singulas horas in illo die cantari, veniunt, ad pedes bini, vel terni. Post Evangelium majoris Missæ, si Domnus Abbas cantat Missam, benedictio ita est agenda: si ea die cantatur: *Credo in unum Deum*. finito Evangelio, & incepto *Credo in unum Deum*, veniunt omnes in chorum, atque ordinate stantes ante gradum Presbyterii præstolantur, donec finiatur. Quo finito, continuo sicut sunt priores ibidem, legunt professiones suas. Unusquisque legit in brevi sua, & ipsam brevem mittit super altare jugiter reservandam. Si literas nescit, legit alius pro eo; signum tamen aliquod propria manu facit in brevi, positaque super altari, ibi capit unam veniam super genua sua ante altare, ac redit in locum suum. Quo facto ab omnibus statim, sicut mos est, ter dicunt omnes insimul: *Suscipe me Domine*, petentes venias super genua sua, & respondente conventu tertio eumdem, in fine dicitur: *Kyrie*, cum *Gloria Patri*. Tunc omnes, sicut sunt, girum faciunt poplitibus flexis, & prosternunt se ad orationem. Tunc dicto ab omnibus *Pater noster*, dicit Domnus Abbas: *Et ne nos*, & psalmum L. idest: *Miserere mei Deus*. Quo finito cum *Gloria Patri*, prosequitur capitula, uti mos est, cum collecta, in extrema quarum cum dicit: *Per Dominum nostrum* finem faciens spargit super unumquemque aquam benedictam. Deinde sine mora cucullis benedictis, et sparsa in eis aqua benedicta, accepto thuribulo, incensat tam novitios, quam ipsas cucullas. Ad quos accedens sigillatim unumquemque, manum eidem porrigendo elevat; & exuens cum tunica induit cuculla; osculans, mittensque in choro ad osculandum fratres. Inter exuendum quoque ad unumquemque dicit: *Exuat te Deus veterem hominem cum actibus suis*; (ad induendum vero subsequitur:) *Et induat te novum, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*. Interim vero totus conventus stat versis vultibus ad altare, & tam ad exuendum, quam ad induendum respondet: *Amen*. Quibus expletis, statim incipit: *Dominus vobiscum*, & incipitur ab Archichoro offerenda. Hoc idem cui complacuerit, finito Evangelio ante *Credo in unum Deum* potest facere. Cum autem non celebrat Missam, aliquando ante Introitum Missæ, aliquando finito Evangelio, sola stola ad collum benedicit eos, & eodem modo. Usque in diem tertium caput non denudant capello jugiter coopertum; in cucullis dormiunt; nihil omnino loquuntur; ad offerendam vadunt, & ad pacem, & ad communionem; quod nequaquam dimittunt, etiam si tale quid eis contigit dormiendo. Tertio tandem die cum Sacerdos eos fecerit osculatos, post *Pax Domini* de capitibus eorum abstrahit capellos, & de cetero licet eis, sicut aliis fratribus, loqui & exuere cucullas. Si quis infirmus, & ut ajunt, *ad succurrendum*, benedictionem accepit, & pro infirmitate silentium tenere non potuit, cum alii, qui benedicuntur, capita contegentibus, ipse quoque contegit; & omnia, quæ illi faciunt, eo triduo, similiter facit, ut quod prius omissum erat, suppleatur. Ergo ab illo die nequaquam ulterius a capitulo separantur, & Domnus Abbas secundum gratiam quæ singulis data est, jubet eos de cetero in Ecclesia servire, scilicet ut legant, & cantent, qui sciunt; & qui ad aliud non valent, candelabra, & thuribula portent. De his tamen, qui Sacerdotes sunt, vel Levitæ, diligenter examinat quomodo sunt ordinati, qualis sit eorum scientia, qualis conscientia; & post aliquod tempus probat eorum conversationem priusquam eis hujus ministerii licentiam permittat; præcipue qui Sacerdos erat, antequam veniret, omnino ad hoc officium non admittitur, usque dum sæpius prospiciens addiscat, quam multiplici studio tale Sacramentum tractatur a nobis.

XXI. „ Hactenus Benigniacæ consuetudines, ex quibus quidquid de novitiorum diversitate retulimus, videtur etiam reperiri apud Udalricum l. 2. c. 1. ritus autem benedictionis c. 26. 27. 28.

Ex Statutis Lanfranci c. 19.

XXII. „ Transactis plerisque diebus, si vita ejus fratribus, & fratrum conversatio sibi placuerit, monendus est a Magistro suo, quatenus roget Priorem, & aliquos majores fratres, ut & ipsi pro eo intercedant apud Abbatem pro benedictione tribuenda, & professione suscipienda. Quod si eum benedicere Abbati non placuerit, statuta die in capitulo, finito sermone in loco, ubi solet, se prosternat, prostratusque pro impetranda benedictione petitionem faciat: Jussus eo surgere, narrentur ei rerum dura, & graviæ, quæ in nostro ordine a sanctis Patribus sunt instituta. Qui si hæc omnia, & adhuc graviora, si non necesse fuerit, humiliter, & patienter se ferre paratum esse responderit: Interroget Abbas considentes fratres, quid inde sentiant? Et utrum preci-

bus

„ bus ejus annuendum esse concedant? quibus respondentibus se libenter concedere, adjungat: *Et nos concedimus in nomine Domini*. Quo dicto, vadat ad pedes Abbatis, vel ejus, qui ordini præest, si Abbas deest; dehinc versus in locum, in quo stabat, flexis ad terram genibus, humiliter inclinet ante, & ad dexteram, & ad sinistram, gratias referens fratribus pro misericordia eorum precibus sibi impensa. Postea præcipiente Abbate cum magistro suo exeat, finitoque capitulo, si scribendi scientiam habet, professionem suam scribat; aut si nescit scribere, alium roget, qui pro se scribat; ipse tamen in fine ipsius professionis signum crucis faciat. Deinde ablato a tunica caputio usque ad horam benedictionis suæ extra chorum maneat. Cantor vero procurare sibi debet membranam, & incaustum, & scriptorem, si nescit scribere: Hora benedictionis in arbitrio Abbatis est, videlicet aut ante Introitum Missæ, si Missam non celebret; aut post Evangelium, si Missam celebret, sive non: Ipse tamen in consecratione monachi, si ei commodum est, Missam celebrare debet, sicut canones præcipiunt. Lecto igitur Evangelio, intrante chorum novitio, præcedente eum Magistro suo, incipiente dextro choro, dicat conventus psalmum: *Miserere mei Deus*, novitius ante altare veniens super gradum se prosternat, dictoque psalmo surgens professionem suam legat, & super altare ponat: quod si ignarus litterarum est, Magister suus debet eam pro eo legere, & ipse novitius super altare ponere. Quo facto, flexis coram altari genibus, veniam petat, & postea ad locum, ubi se prostravit, rediens versum: *Suscipe me Domine*, ter dicat, ibique inter dicendum ter genua flectat. Quem versum ter repetens conventus, adjunget ad ultimum *Gloria Patri*, *Kyrie eleison: Christe eleison: Pater noster*. Conventu incipiente *Gloria Patri*, novitius inclinatus provolvat se in circuitum, & statim prosternat se. Abbas dicto: *Et ne nos inducas in tentationem*, & responso: *Sed libera nos a malo*, incipiat psalmum *De profundis*, quo finito a conventu cum *Gloria Patri*; adjunget: *Salvum fac servum tuum: Mitte ei Domine auxilium de sancto: Nihil proficiat inimicus in eo: Esto ei turris fortitudinis: Domine exaudi orationem meam: Dominus vobiscum*: Deinde collectam: *Deus indulgentiæ Pater*; Item aliam: *Deus qui per coæternum*; Item aliam: *Domine Jesu Christe, qui es via*. Dictis his tribus collectis singulis cum integro *Per Dominum nostrum*, incipiat Abbas hymnum: *Veni Creator Spiritus*. Quo a conventu devote, & solemniter decantato, dicat collectam: *Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum*; qua dicta, surget novitius, & spargat super eum Abbas aquam benedictam, eoque stante benedicetur cuculla, & aspergatur aqua benedicta; qua benedicta, accedet novitius ad Abbatem, & flexis genibus stet ante eum, quem tunica exuens Abbas dicat: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis*, & induens eum cuculla subjunget: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*. Ad utramque respondeant audientes fratres: *Amen*, subsequetur super eum flexis genibus inclinatum oratio: *Deus misericors, Deus clemens*. Qua dicta osculetur eum Abbas, induens caput ejus caputio; dehinc ducatur per chorum ad osculandum omnes fratres, ultimus collocetur: tribus diebus communionem Corporis, & Sanguinis Christi accipiat: tertio die ad pacem Missæ auferet ei caputium de capite Abbas, vel cui Abbas præceperit, si ipse id faciendi opportunitatem non habet: Ante hanc horam, ex quo benedictus est, summum silentium teneat, de capitulo, facto sermone, exeat, ad processionem non vadat, cuculla indutus, cucullato capite dormiat: In primo autem capitulo, quo ei licet loqui, debet Magister ejus de eo memoriam habere coram Abbate dicens: *Domine si placeret vobis præcipere, posset iste frater ab hac die in antea legere, & cantare in conventu, sicut alii fratres*. Respondente Abbate: *Faciat cum Dei benedictione*, inclinet ipse novitius ad Abbatem de loco, in quo sedet. Ex illa die cujuscumque ordinis sit, habeat licentiam exequendi omnia, quæ sui ordinis sunt, nisi sit Sacerdos; ipsi enim infra primum suæ conversionis annum Missam celebrare non licet, nisi in sæculo probatæ castitatis fuerit, & Abbas pro hac re specialem ei licentiam dederit.

Ex Rituali Anianensis Monasterii.

Incipit ordo ad Monachum faciendum, sive professionem faciendam expresse.

XXIII. „ Postquam exeunt fratres novitii de cella novitiorum secundum jussionem Abbatis, stent in ecclesia ante altare, ibique legat unusquisque petitionem suam secundum S. Benedicti Regulam. Et hæc est petitio. Ego frater ille promitto stabilitatem, & obedientiam, & conversionem morum meorum, secundum Regulam S. Benedicti, in hoc monasterio, quod est consecratum in honore Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, in præsentia Domini Abbatis.

XXIV. „ Qui vero nescit scribere, vel legere, roget unum ex fratribus, qui scribat, vel legat pro eo, ipso tamen affirmante. Perlecta autem ipse frater manu sua propria ponat cartulam super altare; postea vero non habeat licentiam auferendi. Deinde prosternant se ante altare dicendo hunc versum: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea*. Quo ter a singulis per ordinem repetito, dicatur a circumstantibus: *Gloria Patri*; Psalm. *Sicut*: *Pater noster*: *Et ne nos*; Psalm. *Miserere mei Deus*; Psalm. *Ad te levavi*; Psalm. *Legem pone*, usque *Memor esto*: *Gloria Patri*: *Sicut erat*: ℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*; Psal. *Et salutare tuum da nobis*: *Respice in servum tuum, & in opera tua*; Psalm. *Et dirige filios eorum*: ℣. *Ecce quam bonum, & quam jucundum*; Psalm. *Habitare fratres in unum*; ℣. *Convertere Domine, & eripe animam meam*, Psalm. *Salvum me fac propter misericordiam tuam*; ℣. *Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam*; Psalm. *Quia lex tua meditatio*; ℣. *Erravi, sicut ovis quæ periit*; Psalm. *Quære servum tuum Domine quia mandata tua non sum oblitus*; ℣. *Eripe me Domine, de inimicis meis Deus meus*; Psalm. *Et ab insurgentibus in me libera me*: ℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis*; Psalm. *A facie inimici*; ℣. *Domine Deus virtutum converte nos*; Psalm. *Et ostende faciem tuam, & salvi erimus*. Oratio: *Deus qui per Beatum Benedictum regulare magisterium præcipue sanxisti, quæsumus clementiam tuam, ut ipsius, & omnium Sanctorum intercessione placatus clementer super hunc famulum tuum ill. sæcula renuntiantem respicias, cor ejus a sæculi vanitate convertas, ad supernæ vocationis ignem accendas, & gratiam, qua in te perseveret, infundas, ut protectionis tuæ munitus præsidio, quod te donante promittit, impleat, & factum promissionum executor effectus, ad ea, quæ perseveranti in te promittere dignatus es, pertingere mereatur. Per*.

XXV. „ Aliæ: *Deus indulgentiæ Pater &c. Deus qui per coæternum &c. Domine Jesu Christe, qui es via &c. Sancte Spiritus, qui te &c.*, ut supra in rituali Cassinensi.

XXVI. „ Monachi vero benedicendi stent coram altari; capite tamen nudo, & reverenter inclinato, floxis indutis, ita tamen quod capitium floxi non appareat. Collatione facta, cucullas eorum, quæ sunt omnino novæ, benedicat hoc modo: ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*; Psam. *Qui fecit*; ℣. *Domine exaudi*; Psalm. *Et clamor*; ℣. *Dominus vobiscum*; Psalm. *Et cum*. Oratio: *Domine Jesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres ad innocentiæ, vel humilitatis indicium abrenunciantes ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris; ut hi famuli tui, qui hoc usi fuerint, te induere mereantur. Qui vivis*. *Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✝ tris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super has vestes*. Deinde aspergatur aqua benedicta. Hic induit eum: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, & induat te novum, qui renovatur de die in diem secundum imaginem ejus, qui creavit eum*; ℣. *Sit nomen Domini benedictum*, Psal. *Ex hoc nunc*: ℣. *Domine exaudi*; Psal. *Et clamor*: *Dominus vobiscum*. Oratio: *Præsta quæsumus Domine, famulis tuis renuntiantibus sæcularibus pompis gratiæ tuæ januas aperire digneris, qui despecto diabolo confugiunt sub jugo Christi, jube venientes ad te sereno vultu suscipi, ne de eis inimicus valeat triumphare; tribue eis brachium infatigabile auxilii tui, mentes eorum fidei lorica circumda, & felici muro vallati mundum se gaudeant evasisse. Per eumdem*.

XXVII. „ Alia oratio: *Clementissime Dominator Domine tuam invocamus pietatem super hos famulos tuos, quos a sæculo conversos in numero sanctorum tuorum accersire dignatus es, quæsumus, ut conversationis suæ fidem di-*

„ gne

„ *gne custodiant, & quidquid pro salute animarum suarum fuerint deprecati, obtineant, ut vita probabiles, amen: Sint sapientes, & humiles, amen: Obedientia clari, amen: Convenientes in doctrina, amen; In increpationibus immobiles, amen: In gravitate decori, amen: In passione pissimi, amen: In operatione cauti, amen: In dispositione solliciti, amen: In tentationibus fortes, amen: In injuriis patientes, amen: In pace fixi, amen: In eleemosinis prompti, amen: In orationibus frequentes, amen: In morte efficaces, amen: In subditis pii, amen: Nec sint immemores quod a te de suis erunt facitis judicandi, amen: Earum quoque Domine deprecamur, ut munera placatus suscipias, & quidquid a te petierint, clementer impertias: Per. Et benedictio Dei omnipotentis Pa † tris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super hos professos, & eos nunc, & semper in omnibus custodiat, protegat, & defendat, Amen.*

En MS. Rituali Beccensis monasterii.

De professione Novitiorum.

XXVIII. „ Qua die decreverit Abbas, potest benedicere novitios, sive in cappis, sive in albis sit; & ad Tertiam debent esse revestiti cum aliis in choro, & post Tertiam ad psalmos familiares intra, & in parlatorium claustrale ire, ubi parati sunt famuli Camerarii, qui tollant capotia de froccis, & consuant cucullis. Eadem die debent habere de Cellario panem, & vinum prædicti famuli Camerarii.

Item de eodem.

XXIX. „ Si in die, qua benedicendi sunt novitii, non dicitur sequentia, nec *Credo*; in choro non sunt ad Tertiam propter breve spatium. Paratis omnibus in parlatorio claustrali, & cuculla una super aliam posita; ita ut cuculla junioris in ordine supponatur, & aliæ desuper in ordine. Eant novitii in ecclesiam in froccis, magistro præcedente. Unus ex famulis portet cucullas unam super aliam, ut dictum est, ad dextrum cornu altaris. Finito Evangelio, vel *Credo* si dicitur, ingrediantur ad ostium, per quod hospites intrant ad benedictionem. Cum inceperint ingredi, Magister eorum præcedens incipiat psalmum: *Miserere mei*, cum *Gloria Patri*. De choro in chorum cantatur. Abbas stet revestitus in casula ad dextrum cornu altaris. Tunc capellanus Abbatis offerat ei baculum, & librum benedictionum. Interim prosternantur novitii ante pedaneum Abbatis, dum dicitur psal. *Miserere mei*; dictoque psalmo, surgentes faciant professionem, sicut sunt priores in ordine. Unusquisque dicta professione, deponat breve suum super altare. Qui non scribit professionem suam, signum faciat tantum, scilicet unam crucem super scrotulam; & Magister novitiorum, vel alter pro eo legat, si ipse novitius nescit legere. Hoc facto dicant hunc versum: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum* &c. In medio versu flectant omnes genua, & surgentes dicant medietatem ejusdem versus: sic faciant ter, & ter repetatur ille versus a conventu. Postea novitii prosternant se ibi, facto prius ante, & retro circumcirca in loco, ubi stant: cumque conventus ter repetit versum, quem supra diximus, subjungantur: *Gloria Patri: Sicut erat: Kyrie eleis.* III. *Pater noster*. Abbas dicat: *Et ne nos*; responso: *Sed libera nos*, chorus dicat hinc inde psalmos: *Domine quis habitabit: Domini est terra: Gloria Patri*. Tunc dicat Abbas: *Salvos fac servos: Mitte eis Domine: Esto eis Domine: Dominus vobiscum*, orationes tres. Deinde hymnus: *Veni Creator*, omnis chorus simul sine ultimo versu, sed *Amen* tantum. Postea dicatur oratio una, qua dicta surgant novitii, & stent. Tunc benedicat Abbas cucullas, & aspergat aqua benedicta. Postea accedat, qui prior est in ordine: Abbas exuat eum, & deponat froccum super caput, & dicat: *Induat te Dominus* &c. Magister novitiorum, & capellanus adjuvant Abbatem. Primo induto, subsequenter alii, & faciunt similiter. Cumque omnes induti fuerint, stent ubi solent, & adhuc non habent caputia in capite. Postea prosternant se ad genua super pedaneum altaris, & dicat Abbas orationem unam, qua dicta osculetur eos, ponens utrumque caputium in capita. Ibidem osculentur eos ministri altaris, qui sunt præsentes. Interim dicat Abbas: *Dominus vobiscum*: deinde *Oremus*, & incipit Cantor, vel ille, qui tenet chorum, offertorium: Post Cantorem offerat unusquisque hostiam suam Abbati, unde communicetur. Postea eant novitii de choro in chorum, Magistro præcedente; primum in chorum Abbatis, incipientes a senioribus, eos osculantes, tenentes caputia in capite. Ipso die audiant Missam, & sint in choro extra omnes. Ad *Agnus Dei* communicent omnes ipso die. Ad omnes horas sint in choro, tam die, quam nocte. Ad Primam, & ad Completorium non dicunt: *Confiteor*. Foras claustrum non vadunt ad processionem, nec ad humandum corpus; si moritur quis, in infirmitorium ipsi vadunt cum ceteris; si locturam habent, cum ceteris eant. Non loquantur cum ceteris in claustro. Sabbato ad mandatum, nec manus, nec pedes lavent; in refectorio tamen eant cum conventu. Si pro afflictione fiat processio per claustrum nudis pedibus, ipsi eant calciati. Nocte jacent in cucullis discalciati, & caputia habentes in capite cooperti, & si necesse sit propter frigus stragula, & aliis vestibus, sicut alii professi. In crastino si sit festum in albis, vel in cappis, extra alios non revestiti stabunt. Quandiu ita sunt, debent de coquina habere plusquam alii; scilicet unum ferculum, aut piscam, aut aliquid aliud. Semper ante Missam, innuente magistro, lavent manus suas propter communionem. Tribus diebus vadent ad offerendam, & pacem; scilicet ad majorem missam, non ad minorem. In tertio die dum pacem accipiunt, deponantur caputia de capite a Sacerdote ad majorem Missam, vel ab Abbate ad privatam Missam; & tunc etiam communicentur. Item in festis Quadragesimæ benedicit Abbas novitios; ad altare matutinale dicet Missam, ad majus altare facit benedictionem. Item si Abbas propter infirmitatem, vel causam non potest benedicere novitios in conventu; ad Missam privatam eos benedicat: Illi vero ad majorem erunt in choro ipsa die, & deinceps ad offerendam osculabuntur Sacerdotem, qui cantat Missam, & ministros altaris, deinde totum conventum.

XXX. Eadem fere habent consuetudines Lyræ, quæ tamen ita incipiunt: „ (Qua die Abbas voluerit, potest benedicere novitios suos, sive in albis sive in cappis, sive in XII. Lectionibus. Ad Tertiam debent esse revestiti cum aliis in choro, & ad Missam usque ad sequentiam, si debet dici, & sic devestiant; & sint in frocis, usque dicatur Evangelium. Finito Evangelio, & credo; vel credo, si dicitur; ingrediantur per ostium per quod hospites intrant ad benedictionem &c.)

Ex MS. collectaneo S. Germani a Pratis.

XXXI. „ Ordo ad benedicendos novitios. Veniant novitii ante altare induti floccis sine cappellis, & legat unusquisque hujusmodi professionem ab ipso scriptam, & prænotatam. Ego Fr. N. promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum secundum Regulam B. Benedicti coram Deo, & SS. ejus, in hoc monasterio, quod est constructum in honore sanctæ Crucis, & SS. Martyrum Stephani, atque Vincentii & B. Germani Confessoris, in præsentia Domni N. Abbatis. Et lecta professione, ponant eam super altare. Interim redeuntes ante altare flexis genibus super pavimentum, dicant hunc versum tribus vicibus, choro subsequente; & ad ultimum gloriam adjungente: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea*. Tunc prosternant se toto corpore super pavimentum, & dicatur ab omnibus: *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison: Pater noster*. Tunc Domnus Abbas tenens pastoralem virgam dicat: *Et ne nos inducas: Salvum fac servum tuum: Mitte ei Domine auxilium de sancto: Nihil proficiat inimicus in eo: Esto ei Domine turris fortitudinis: Dominus vobiscum. Oremus: Deus indulgentiæ Pater* &c. *Deus qui per coæternum*, &c. *Domine Jesu Christe, qui es via* &c. *Sancte Spiritus, qui te Deum* &c.

XXXII. Tunc surgent novitii, & Abbas benedicet cucullas hac benedictione: *Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis* &c.

XXXIII. „ Ad exuendum habitum sæcularem oratio: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis*. Ad induendum habitum sanctum: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*. Postquam vestiti fuerint, iterum prosternantur, & dicat Abbas orationem: *Deus cui cuncta placent, sine quo nihil sanctum inchoatur, nihilque bonum perficitur, adsint nostræ humilitatis precibus tuæ pietatis aures; & hos famulos tuos quibus in*

tuo

„ tuo sancto nomine sacra religionis habitum imponimus, a mundi impedimento, vel saeculari desiderio defende, & concede eis, ut in hoc sancto proposito persistere, & ad electorum tuorum valeant pertingere consortium: Per.

Ex MS. Rituali Corbejensis monasterii.

XXXIV. „ Modus faciendi in ecclesia Corbejensi Religiosos dictae ecclesiae expresse professos per Dominum Abbatem dictae ecclesiae. Primo sciendum est, quod nullus Religiosus Ordinis S. Benedicti in Ecclesia Corbejensi, vel alibi potest esse expresse professus, nisi habuerit aetatis a Nativitate xv. annos, sicut continetur in jure canonico. Ne in aliis Religionibus similiter.

XXXV. „ Item in toto ordine S. Benedicti si aliquis fuerit Religiosus in die, qua indutus fuerit monachus, si habeat quindecim annos, & ultra; tunc in die qua indutus fuerit monachus, poterit facere professionem expressam, & solemnem de jure scripto, si placuerit sibi & Abbati suo; sed in omnibus Religionibus mendicantium de jure non possunt facere praedictam professionem cujuscumque aetatis fuerit, nisi fecerint per unum annum continuum portantes habitum, & remanentes in dicta religione, & ecclesia eorum; & sic observatur in Ordine Cartusiensium, & in pluribus aliis ordinibus aliorum Ordinum.

XXXVI. „ Item in praedicta Ecclesia, sive Abbatia Corbejensi Abbas non consuevit facere monachos expresse professos, nisi super hoc rogatus fuerit per suum conventum; nec est consuetum de certo tempore, quantum spatium temporis debeat esse, quando facit professos usque ad aliam vicem, in qua faciet alios consimiles professos: sed secundum necessitatem Ecclesiae, vel secundum quod requisitus fuerit per suum conventum, pro necessitate, & utilitate dictae Ecclesiae, facit suos monachos professos expresse, quando sibi placet, sive alio tempore, vel termino praefinito, prout superius plenius declaratum est.

XXXVII. „ Item, quando praedictus Abbas Corbejae intendit facere monachos expresse professos; tunc in dicta die, in qua dicti Religiosi debent facere expressam professionem; tunc praedictus Abbas, vel Prior pro eo in illa die debet tenere capitulum cum campana pulsanti. Et tunc illi Religiosi, qui praedicta die debent facere professiones expressas, debent tunc esse in praedicto capitulo, tunc induti, & calciati superius, & interius secundum Ordinem S. Benedicti; videlicet inferius debent habere camisiam circa carnem de stamine, vel de panno, sive aliquo lineo vestimento: debent cum hoc habere tibialia longa usque ad genua, vel superius debent esse induti de flocco cum cuculla; & flocces non debet habere caputium cucullae debet esse extra, sed caputium cucullae debet esse extra, vel supra floccum.

XXXVIII. „ Item, omnes qui pro dicta die intendunt esse monachi professi expresse, debent simul venire, etiamsi sint pueri in scholis, simul cum aliis ante tenentem capitulum & accipere ter veniam suam ante illum; & postea tenens capitulum debet petere eis: *Quid petitis, vel requiritis.* Tunc dicti Religiosi debent respondere illi: *Nos requirimus, & petimus esse expresse professi, & habere panem, & vestitum usque ad finem vitae nostrae in ista Ecclesia, prout consuetum est in illa*; & tunc tenens capitulum debet respondere: *Hoc vobis concedimus.*

XXXIX. Item, tenens capitulum debet dicere eis; *Vos debetis professionem vestram expressam cum magna devotione recipere, & debetis vos confiteri de peccatis vestris, & recipere Eucharistiam per tres dies continuos, & per tres dies supradictos in omni loco tenere silentium, & jacere induti die ac nocte.*

XL. „ Item, die professionis praedictae ad magnam Missam, quando incipitur Evangelium, Camerarius Ecclesiae debet adducere omnes illos, qui debent esse pro illa die professi, & debent esse induti de flocco, quilibet per se sine caputio, & in sinistro brachio quilibet eorum debet portare cucullam suam plicatam ante gradum lineum, ubi ponitur cereus Paschalis in aestate, debent etiam esse de rengo ante praedictum gradum secundum tempus, quo fuerunt induti primitus monachi in Ecclesia Corbejensi.

XLI. „ Item, finito dicto Evangelio dictus Camerarius debet adducere illos ante magnum altare; & tunc post offertorium Missae, Dominus Abbas debet venire in medio magni altaris, cum mitra in capite, & flore in collo, & crocham in sinistra manu; & debent Cappellani dicti Abbatis habere scriptorium cum calamo & incausto supra dictum altare; & tunc ante praedictum Abbatem omnibus genibus flexis debent esse professi; & debent legere alta voce quilibet breviculum suum, quos breviculos praedictus Camerarius tenetur tradere cuilibet ipsorum in scriptis in die praecedenti, cujus breviculi tenor debet esse talis in scriptis.

XLII. „ Ego frater N. ponendo nomen & cognomen cujuslibet singulari, promitto stabilitatem, & conversionem morum meorum, secundum Regulam S. Benedicti, in hoc monasterio, quod est constructum in honore SS. Apostolorum Petri, & Pauli, in praesentia Domini N. Abbatis mei; & hoc propria manu confirmo. Et quilibet ipsorum tunc debet facere unam crucem de incausto in fine dicti breviculi, in signum dictae confirmationis ante praedictum magnum altare, & Camerarius debet dictos breviculos ponere in altari matutinali.

XLIII. „ Item praedictis breviculis tunc lectis, & confirmatis per crucem, debent praedicti Religiosi genibus flexis simul cum Abbatem in ordine, & de rengo dicere alta voce istum versum: *Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam; & ne confundas me ab expectatione mea*; & postquam dixerint simul dictum versum, conventus debet respondere eis alta voce illum versum, & secundo iterum repeti per eos, & conventus similiter repetere praedictum versum; & tertio, & ultimo dicti Religiosi professores debent repetere dictum versum, & conventus repetere; & statim post ultimam repetitionem conventus debet dicere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; sicut erat* &c. *Kyrie eleis. Christe eleis. Kyrie eleis.* &c. Et dicti professores, & conventus quilibet sub silentio debet tunc dicere: *Pater noster* &c. *Ave Maria* &c.; debent tunc praedicti professores semper remanere genibus flexis ante praedictum Abbatem; & finita oratione praedictus Abbas debet dicere: *Et ne nos inducas in tentationem*; & dicti professores, & conventus debent respondere: *Sed libera nos a malo.*

XLIV. „ Item, postquam dixerit *Et ne nos inducas* & dicti professores responderint: *Sed libera nos a malo.* Tunc dictus Abbas debet incipere psalmum: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*; & dictus psalmus debet dici unus versus per professores, & alius per conventum; & in fine dicti psalmi debet dici *Gloria Patri*, & *Sicut erat.* Immediate post dictus Abbas debet dicere versum: *Salvos fac servos tuos*, conventus, & professores debent respondere: *Deus meus sperantes in te*; secundum versum: *Mitte eis Domine auxilium de sancto*, & praedicti debent respondere: *Et de Sion tuere eos*; tertium versum: *Nihil proficiet inimicus in eis*; & praedicti debent respondere: *Et filius iniquitatis non nocebit eis*; ultimum versum: *Esto nobis Domine turris fortitudinis*, & praedicti debent respondere: *A facie inimici.* Postea praelatus dicit: *Dominus vobiscum*, & praedicti respondent: *Et cum Spiritu tuo.* Postea Praelatus incipit legere alta voce quatuor orationes, quae sunt scriptae in libro suo, & ad quamlibet orationem praedicti debent respondere. *Amen.*

XLV. „ Item, finitis praedictis quatuor orationibus, dictus Abbas debet spargere aquam benedictam supra caput cujuslibet praedictorum professorum.

XLVI. „ Item, hoc facto, quilibet praedictorum professorum debet cucullam suam ponere ante pedes dicti Abbatis, & tunc praedictus Abbas debet benedicere insimul cucullas praedictorum professorum, dicendo: *Dominus vobiscum*, aliis respondentibus: *Et cum spiritu tuo*; & tunc dicet orationem: *Domine Jesu Christe.*

XLVII. „ Item finita dicta oratione, debet spargere aquam benedictam super quamlibet cucullam, & hoc facto, debet tangere dictus Abbas floccum cujuslibet praedictorum professorum, & tangendo quemlibet dictorum floccorum, debet dicere hanc orationem: *Exuat te Dominus veterem hominem cum suis actibus, Amen.*

XLVIII. Item, hoc facto, Camerarius debet ducere praedictos professos retro magnum altare, & tunc ibidem debent singuli eorum exuere suum floccum, & induere quilibet cucullam suam benedictam, & floccum desuper, & extrahere caputium cucullae desuper dicto flocco: „ (Et tunc sutor Ecclesiae debet interesse, & suere caputia praedictarum cucullarum juxta os cujuslibet eorum; & hoc facto, Camerarius Ecclesiae debet eos reducere ante praedictum Abbatem, & ipsis genibus flexis ante eum dictus Abbas super quemlibet eorum debet dicere orationem, quae sequitur:

„ *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis: In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen.* Benedi-

„ rendo, & super quemlibet ipsorum; & tunc debet spergere aquam benedictam super quemlibet ipsorum.

XLIX. „ Item, hoc facto, quilibet ipsorum singulorum debet venire ad Abbatem, & debet dicere quilibet ipsorum submissa voce: *Ora pro me Pater*; & Abbas debet respondere similiter: *Proficiat tibi frater*; & debet quemlibet ipsorum osculari.

L. „ Item, hoc facto, Domnus Abbas debet reverti ad capellam suam, & Presbyter qui dixit magnam Missam, debet reverti ad medium altaris, & perficere, & dicere prædictam magnam Missam. Et postquam dictus Abbas osculatus fuerit eos, prout superius declaratum est, debeat venire in chorum ecclesiæ; & debet eos adducere prædictus Camerarius.

LI. „ Item adducendo eos in chorum: Tunc venient ad chorum Abbatis in parte superiori osculando quemlibet Religiosorum in dicta parte, dicendo prædicta verba submissa voce: *Ora pro me Pater*; & quilibet submissa voce debet eis respondere: *Proficiat tibi frater*. Et similiter debent facere ex latere magni Prioris Ecclesiæ.

LII. „ Item, hoc facto, quilibet prædictorum professorum debet remanere in choro, & sedere in loco suo consueto ante prædictam professionem, & cantando in ecclesia cum aliis.

LIII. „ Item in prædicta die, in qua fuerent professi, ad prædictam magnam Missam debent se communicare, & in secunda die debent se communicare ad Missam matutinalem, & in tertia debent se communicare ad Missam de nostra Domina; & in fine dictæ Missæ Presbyter, qui dixerit dictam Missam, debet exuere caputia suarum cucullarum juxta os eorum in fine dictæ Missæ; & postea debet spergere aquam benedictam super caput cujuslibet ipsorum, & hoc facto, remanent omnino expresse professi, & debet quilibet ipsorum ire ad locum suum, quem habebat ante prædictam professionem, & facere officia sua, sicut consueverant ante prædictam professionem.

LIV. „ Item sciendum est, quod in duobus diebus prædictæ professionis debent simul comedere in refectorio, videlicet pueri de scolis cum aliis; & debent simul sedere ad mensam, videlicet ad mensam propinquiorem magis de ostio dicti refectorii; & debent habere proprios servitores ordinatos per Priorem claustri, qui servient eos simul ad prædictam mensam per dictos duos dies.

LV. „ Item, per prædictos duos dies in refectorio ad prædictam mensam, in dormitorio, & in ecclesia non debent loqui, nisi per signa, & post prandium debent omnes remanere in ecclesia in devotione, & in orationibus; debent cum hoc vestiti jacere, sicut sunt ordinati in prædicto dormitorio per duas noctes.

LVI. „ Item, per prædictos duos dies non debent ad Matutinos legere Lectiones, vel dicere Responsorium; nec ad alias horas diei aliquid dicere per se, nec ad Missas conventuales facere aliquod officium; sed in prædictis duobus diebus debent dicere, & cantare horas suas in communi cum conventu.

LVII. „ Item, sciendum est, quod de jure canonico, & scripto omnes Religiosi, tam de ordine S. Benedicti Abbatis, S. Augustini, Mendicantium, vel aliorum Ordinum, si fuerint per annum continuum in aliqua Ecclesia portantes habitum religionis illius loci, & habuerint quindecim annos completos; tunc tales Religiosi dicuntur de jure scripto tacite professi, & tenentur remanere per totam vitam suam in prædicta religione, nisi fuerint dispensati per Papam; quia in prædicto casu non est aliquis Prælatus, qui possit dispensare cum eis, nisi prædictus solus Papa.

LVIII. „ Item, magna differentia est inter Religiosos tacite professos, & expresse, cujuscumque Religionis existant; quia tacite professi, & etiam expresse professi omnes simul tenentur remanere, quilibet in Religione sua, usque ad finem vitæ suæ: tamen tacite professi de jure scripto non possunt obtinere officium, nec beneficium in toto Ordine suo, nisi super hoc habuerint dispensationem per Papam; sed expresse professi in Ecclesiis suis, & omnibus aliis Ecclesiis suarum Religionum, possunt habere, & obtinere omnia officia, & beneficia eis data per suos Prælatos, vel per alios Prælatos sine aliqua dispensatione Papali.

Explicit tractatus de professione expressa Religionis sancti Benedicti in Ecclesia Corbejensi.

Ex Ceremoniali Bursfeldensium.

De professione noviciorum.

LIX. „ Novitius per omnia probatus cum profiteri

„ voluerit, & consenserit Abbas: commendato consilio fratrum, vocetur in capitulum; & ibidem cum prostratus humiliter misericordiam petierit, facultas ei adhuc recedendi, si voluerit, aut certe sua omnia juxta regularem traditionem distribuendi, libera tribuatur. Quod si perseveret pulsans, optatus ei tribuatur assensus; & facta manuali promissione de obedientia, & fidelitate capitulo annali, dicatur ei, quod ad sacram communionem se disponat, & professionem propria manu scribet in cedula, cujus dorso similiter inscribatur: Ego frater N. promitto obedientiam capitulo annali Patrum de observantia Bursfeldensi, submittens me Statutis, & statuendis ejusdem. Postea sub Evangelio, seu Credo, si cantetur, Missæ illius in qua suscipiendus est, introducatur a Magistro in chorum, ritu, supra præcedenti capitulo de investiendo novitio, exarato; finitisque collectis consuetis erigatur; & stans in eodem loco legat alta voce per accentum professionem suam sub hac forma: Ego frater N. promitto stabilitatem, & conversionem morum meorum, ac obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, coram Deo, & SS. ejus, & in hoc monasterio, quod constructum est in honore Sancti, vel Sanctorum N., & N., in præsentia Domini N. Abbatis.

LX. „ Qua lecta, & accepta venia in eodem loco, mox idem ipse crucem in eadem cedula faciat. Denique accedens ad dextrum cornu altaris, ponensque cedulam super illud, osculetur altare; & sic redit in locum suum retro Abbatem. Et mox incipiens versum: *Suscipe me Domine*, ipsum ter dicat per accentum, flexis in terram genibus; & conventus eumdem tertio repetat, subjungens gloriam post ultimam repetitionem. Post hæc a Cantore imponitur psalmus: *Miserere mei Deus*, decantandus alternatim per versus suos ab utroque choro cum gloria, ad quam non inclinandum est, sicut nec ad gloriam post *Suscipe*. Imposito vero psalmo prædicto, mox novitius flexis poplitibus humiliter se sola Abbatem primo; deinde ante Ministros, & consequenter ante singulos fratres per ordinem, utrumque percurrit chorum cum Magistro ipsum deducente, ac submissa voce pro se orare petens. Quo facto revertatur in locum, ubi ante erat, ibique retro Abbatem se prosternens. Finito autem psalmo Abbas conversus ad novitium dicat ℣. *Salvum fac servum* &c., & alia in collectario descripta. Omnibus itaque ibidem exaratis rite suo peractis, postquam ab omnibus novitius osculatus fuerit; jaceat prostratus super formam in extremitate altarius chori, usque dum canitur: *Agnus Dei*, præter in elevatione venerabilis Sacramenti: Tunc Magistro ei signum dante, surgere debet, & ad communionem se præparare. Non enim congruit consecratum ipso consecrationis die absque sacra communione remanere. Abbas vero statim ut osculatus fuerit eum, vertendo se ad conventum dicat: *Dominus vobiscum*, & prosequatur officium. Et notandum, quod fratres facies suas habere debent versus altare, dum præmissa aguntur: excepto quod sub antiphona, & collectis de Spiritu sancto, jacent prostrati super formas; & dum consecrandus circumducitur, reducunt fratres ad altari facies, stantes e regione chorus contra chorum.

Ex Ordinario Cartusiensium c. 55. n. 19.

De precibus in professione.

LXI. „ In Missa, qua suscipiendus est ad professionem novitius, post offertorium ad gradum ante altare venit, intimansque versum hunc tertio repetit, choro respondente eumdem: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea*, post cujus tertiam repetitionem additur: *Gloria Patri: Sicut erat: Kyrie eleison: Christe eleison: Pater noster*. Interim novitius ante hospites, si adsint, & ante singulos monachos genua flectens, & formam osculans dicit, ita ut possit audiri: *Ora pro me Pater*, incipiens a choro Prioris. Post hæc rediens in eodem, quo prius, stat loco inclinatus. Tunc Sacerdos ad illum accedens subdit preces: *Et ne nos: Salvum fac servum: Mitte ei: Esto ei: Domine exaudi: Domine Deus virtutum: Dominus vobiscum*, sicque cucullam super gradum ante novitium posita benedicit dicens, Oremus: *Domine Jesu Christe, qui tegimen*. Deinde cappam, & cucullam parvam novitio detrahit, dicendo: *Exuat te Dominus hominem veterem cum actibus suis*; & induit eum cucullam longam dicendo: *Et induat novum, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate*

V veri-

„ *veritatis*. Sicque novitius ad cornu altaris accedens a „ parte piscinæ, versa facie ad altare, stans professionem „ suam aperte, & distincte, audientibus omnibus legit, lectamque super exosculatum offert altare; prostratusque „ ad pedes Sacerdotis tali deprecatione suscipit benedictionem: *Dominus vobiscum: Oremus: Domine Jesu Christe*, „ *qui es via, veritas* &c. Et aqua sancta aspersus novitius surgens ad suam sedem revertitur.) Hæc eadem leguntur in antiquis Cartusianorum Statutis 2. part. c. 23. §. 5.

LXII. Ex dictis, & relatis hactenus nonnulla sunt observanda.

LXIII. Primo, interpellatio conventus pro obtinenda futura novitii professione, quam videre est in Stat. Lanfranci, & in Rituali Corbejensis monasterii.

LXIV. Secundo, ipsa novitii petitio in capitulo facienda, quæ in Rituali Corbejensi singularis est.

LXV. Tertio, ipsorum novitiorum diversitas, & differentia, quam describunt consuetudines S. Benigni cum Udalrico l. 2. c. 1.

LXVI. Quarto, quod novitii in cellis, seu prioratibus, aut aliis monasteriis a majori dependentibus admissi, & probati, in principali, seu Capitaneo monasterio professionem facerent, ut videre est in prædictis S. Benigni consuet., & apud Udalricum; confirmaturque ex vita S. Popponis Stabulensis Abbatis, authore Everhelmo n. 44. apud Boll. 25. Jan., qui S. Poppo, eo quod Malmundariense monasterium a Stabulensi penderet: „ (Ut Malmundarienses profes„ sionis suæ sponsionem apud Stabulans agerent, perpetua le„ ge ratum stabilivit, atque exinde in omnes successores ip„ sorum hujusmodi sententia manavit.) Similiter qui in alieno monasterio probati fuerant, in proprio profitebantur; unde Anonymus discipulus S. Stephani Abbatis Obazinensis in ejus vita l. 2. n. 11. de seipso loquens: „ (Inde me, *in*„ *quit*, ad Cistercium ire præcepit, ubi sumto habitu mona„ chi, post duos annos a prædicto Domno Stephano Obazi„ næ sum revocatus, atque ab ipso regulariter in monachum „ sum benedictus.)

LXVII. Quinto, tempus recipiendæ professionis, scilicet ante Introitum Missæ, vel post Evangelium, ex cons. S. Benigni, & Statutis Lanfranci, vel ad offertorium, ex Rituali Beccensi, cons. Lyræ &c.; vel etiam, si Abbas infirmitate sit præpeditus, ad Missam privatam, ex Rituali Beccensi.

LXVIII. Sexto, quod in ipsa professionis formula Parisienses S. Germani, & Corbejenses S. Petri obedientiæ votum non exprimunt; sed tantum stabilitatis, & conversionis morum.

LXIX. Septimo, quod novitii cucullas benedicendas ad altare accedentes super propria brachia deferrent, ex Rituali Corbejensi.

LXX. Octavo, quod ex eodem Rituali novitii professorum vestes benedictas retro altare induerent, assuto prius ibidem eis caputio. Cartusiani ante vestem professorum assumunt, quam professionem emittant.

LXXI. Nono, quod in ritibus S. Germani a Pratis vestis monastica *Habitus sanctus* dicitur; Græcis appellatur *Vestimentum salutis*, & *Angelicus monachorum habitus*, ut videre est in vita S. Nicolai Studitæ n. 7. apud Boll. 4. Feb.

LXXII. Decimo, quod recens professi capite cooperto tribus remanerent diebus, continuum interim servantes silentium, & facram quotidie percipientes Eucharistiam; idque ex constanti, & universali monasteriorum consuetudine, quam legimus in Ordinario, seu Rituali Cassinensi, in rit. & cons. S. Benigni, in Statutis Lanfranci, apud Udalricum, in Rituali Aniacensi, & Beccensi, in consuetud. Lyræ; quamvis in Rituali Corbejensi duo tantum ad id dies assignentur. Hunc ritum retinuerant nostri Casalini, quorum in constitutionibus MS. hæc lego: „ [Pro„ fessus autem, ut floccum indutus fuerit, colligabuntur „ ei sub mento duæ partes caputii, & sic remanebit per „ triduum, districtum silentium observans, qui tertio die „ post sanctam communionem adibit superiorem, qui eum „ relaxabit.)

LXXIII. Undecimo, quod his diebus in refectorio simul in eadem mensa reficerent, eisque speciales servitores ministrarent, ex Rituali Corbejensi.

LXXIV. Duodecimo, quod post emissam professionem Magister novitiorum publice in capitulo pro novis professis licentiam in Ecclesia cantandi postularent.

CAPUT V.

De Puerorum oblatione, & disciplina.

I. A Novitiorum professione gradum facimus ad oblationem puerorum, qua Deo olim a parentibus ita consecrabantur, ut nec adulti pedem retro mittere sibi liceret. Ritus & formulas hujus oblationis plures jam in commentario ad c. 59. retulimus ex Hildemaro, Smaragdo, Lanfranco, & Udalrico, quas hic non repetimus. Udalrico in omnibus conveniunt consuetudines S. Benigni, a proinde abstinemus, solos Farfensium, & Beccensium ritus relaturi.

Ex MS. cons. Farfensis monasterii.

Pueri qualiter offerendi sunt.

II. „ Cum parentes suos filios Deo in monasterio dare voluerint, faciant in primis de rebus, si quas habet, „ per omnia, sicut Regula dicit; deinde cum Evangelium „ lectum fuerit ad Missam, & offerendam imprimis Ab„ bas fecerit; tunc veniat puer ante altare, vel ad gra„ dus, & detur in manus illius offertorium cum hostia, „ & ampulla vini; & unus de fratribus, cui Abbas jus„ serit, legat hanc schedulam: *Ego frater ille offero hunc* „ *puerum nomine illum, cum oblatione in manu, atque pe*„ *titione, altaris palla ejus manum involutam, ad nomen* „ *SS. quorum hic reliquiæ continentur, & Domni Abbatis* „ *præsentis, sendo coram testibus regulariter permansurum,* „ *ita ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo regu*„ *læ excutere; sed magis ejusdem regulæ fideliter se cogno*„ *scat instituta servare, & Domino cum cæteris gratanti ani*„ *mo militare*. Qua perlecta, detur in pueri manu ipsa, & „ offerat cum oblatione, & tunc Abbas accipiat custodiendam eam. Si Laici adsunt præsentes, advocentur, „ ut videant, & audiant, ut sint testes. Tunc Abbas debet „ benedicere cucullam, & vestire puerum. Et illico incipiant offerendam Missæ, & infans collocetur cum aliis. „ Cum ætatis tempus consecrationis venerit, cucullam non „ donat ei Abbas; sed professio legatur cum ceteris, atque „ benedictio data, sicut mos est, mittat ei capellum in „ caput, atque osculetur: De reliquo faciant, sicut alii „ fratres.

Ex MS. Lib. Usuum Beccensis monasterii.

Quo modo offeratur puer.

III. „ Cum aliquis puer offertur ad sacrum Ordinem, „ post Evangelium ad Missam adducant eum parentes „ ante altare. Postquam autem obtulerit Cantor, sicut est „ consuetudo, offerat & puer. Quo facto, recipiat Secretarius offertorium, & parentes accedant, & involvant „ dextram manum pueri in palla altaris, & ita involutam „ osculando tradant manibus Sacerdotis, qui recipiat eum, „ faciens signaculum crucis super caput ejus. Si ipso die „ voluerint eum monachum facere, benedicat ei Abbas „ coronam dicens: *Oremus dilectissimi fratres*; deinde mittat „ aquam benedictam super caput ejus; postea signo Crucis facto super caput ejus faciat ei forcipe tondendo coronam: Dum autem tondetur, incipiat Cantor antiphonam: *Tu es qui restitues*; Psal. *Conserva me*. Alia Antiphona: *Hæc est generatio*; Psal. *Domini est terra*; deinde „ orat. *Præsta quæsumus omnipotens Deus*. Postea benedicat Abbas cucullam dicendo orationem: *Domine Jesu* „ *Christe qui tegumen*. Aspersa itaque aqua benedicta, „ exuatur puer suis indumentis, & exuendo dicat Abbas: „ *Exuat te Dominus*. Deinde induat eum cuculla dicendo, *Induat te Dominus*. Per modum orationis dicat super eum: *Adesto Domine supplicationibus nostris*. Si Abbas Ecclesiæ non cantat Missam, omnia quæ dicta sunt, „ faciat ille, qui Missam cantat vice Abbatis, excepto „ quod non benedicat cucullam; ducat eum tamen Prior in „ infirmorium, & ei & habitum non benedictum det.

IV. „ Post, dum Abbati placuerit, (*a*) videbit adesse „ puerum ad suam Missam privatam: Ibi ante Evangelium exuatur puer cucullam, & in tunica remaneat. Lecto Evangelio, benedicat Abbas cucullam, „ & postea induat puerum, sicut jam dictum est. Si ad „ Missam non fuerit oblatus, parentes offerant eum „ ad majus altare, & faciant, quidquid prænotatum est. „ Cum autem venerit ad intelligibilem ætatem, faciat „ professionem, sicut & alii faciunt, eo scilicet ordine, „ excepta benedictione cucullæ, quam oblatus recepit benedictam.

V. Qualis autem esset oblatorum hujusmodi infantium disciplina, discimus utrumque ex Hildemaro antiquo Regulæ commentatore, ex Lanfranco, ex Udalrico, ex MS. consuetud. Cluniacensis monasterii fulvs ex Benignianis c. 47., quas hic aliorum admissi describimus: „ (I.) „ Pueri autem qui sunt in conventu nostro, non ultra

„ se-

(*a*) f. jubebit.

fenarium protendont (a), & eorum Magistri si non plures, tamen numquam sunt pauciores; iden vero habent ros Magistros, aut eo amplius, quoniam non licet alium umquam assumi pro Magistro, præter eos qui deputati sunt; Cellarius tamen, Grenetarius, Hospitarius, Eleemosynarius, Camererius, si viderint quod opus sit, possunt esse Magistri sine licentia, & intrare scolas eorum.

VI. (II.) „ Eorumdem vero puerorum disciplina est hujusmodi: Primo simul in loco uno dormitorii jacent, & singula eorum lecta magistrorum lectis sunt discreta: Nullus ad alias accedere præsumit. (b) Si quis eorum opus habuerit in nocte ad necessarias ire, prius majorem magistrum sonitu excitat prope se jacentem, qui surgens surgere facit & alium puerum cum eo, prius tamen laterna accense: Eorumque alter utro sursum tenente laternam, medius inter eos magister incedit, sic nimirum eos ducit, & reducit, nec candelam extinguit, usque dum ambo sint recollocati.

VII. (III.) „ Cum autem cuncti se levaverint ad nocturnos, eunt simul ad necessarias, & pueri, & magistri ita ordinati, ut jam de duobus præmisi. Sedes eis in medio duabus ligneis circulis sunt prænotatæ, in quibus eis venientibus, nullus audet, ut sedeat. Capellum non induunt, sicut alii, nisi quandiu sederint. Surgentes itaque nudis capitibus invicem expectantes. Providet eorum magister principalis, ut non prius ad Ecclesiam accedant, quam omnes potuerint convenisse, & septem psalmos lenium, & diligenter decantasse.

VIII. (IV.) „ Tunc primum solemniter venit cum scolaribus suis, & luminaribus, & ipse tres illas fratrum orationes terminat, quas vel ea vice (c), vel post Completorium gerunt, faciens signa cum pede. Idem quoque Magister debet prævidere, ne tardiuscule in hyeme, quam in æstate veniat, & easdem orationes aliquantulum morose faciat. In hyeme in prima sit mora spatii L. psalmi, idest: *Miserere mei Deus*. In secunda: *Pater noster: Credo in Deum: Deus in adjutorium meum*. In tertia iterum: *Pater noster: Credo in Deum*, & *Deus misereatur nostri*. In æstate vero: *Pater noster*, & *Credo in Deum*, in unaquaque tractim sufficit. Est vero aliud intuendum, quoniam magis oportet ipsas orationes adbreviare, quando fratres super pedes stant, quam quando super genua; & citius de dormitorio venire, cum stant, quam cum jacent in terra. Finita tertia oratione, puer *Ad Dominum cum tribularer* incipit.

IX. (V.) „ Ad nocturnos autem, immo ad omnes horas, si quid ipsi pueri offenderint in psalmodia, vel in alio cantu, vel dormitando, vel aliquid tale ullo modo committendo, minime differtur; absque mora flocco, & cuculla exuti judicantur; & in sola camisia cæduntur, (d) vel a Priore, vel a præfato eorum magistro virgis vimineis lenibus & teretibus ad hoc solum provisis. Custos puerorum, si Conversus fuerit, permittitur ei inter Cantores stare, dum disciplinam facit; non tamen assidue. In præsentia Domini Abbatis non debet quis disciplinare ipsos pueros, non in capitulo, non in choro, sine ejus licentia.

X. (VI.) „ Quia vero quamdiu Abbas est in dormitorio in lecto suo, nullus debet facere sonitum illum, quo mane excitantur fratres ad surgendum: si Magister infantum viderit horam, qua fieri debuisset, præteriisse, multum quiete surgere debet, & cum virga tantum tangere unumquemque infantem leniter, ut a somno expergiscantur; & quietius, quam poterunt, surgentes, & exeuntes dormitorium, lavant se, & pectunt, & faciunt orationes suas, ut mos est: Unde reversi in claustrum cum summo silentio sedere debent, donec cognoscant Abbatem dormitorium descendisse: alii vero multum quiete dormitorium exire debent, unus post alium surgentes, sicut comperiunt horam surgendi transire: Abbas vero, sive tempestive, sive tardius surgat, cum surgit ipsemet, si placet, facit sonitum, si non descendit de dormitorio: Prior vero, cujus per consuetudinem sonitum est facere, considerare debet sollicite, utrum Abbas surrexit, an non, ut continuo Abbate egresso dormitorium, si viderit aliquos fratres adhuc jacere, sonitum incipiat.

XI. (VII.) „ Alias vero pueri quotidie diluculo cum primum in claustro consederint, antequam aliud quid faciant, altiori voce legant tres psalmos, quorum initium alii: *Miserere mei Deus*, nec quisquam prius venit ad confessionem, quam audierit hos psalmos inchoatos.

XII. (VIII.) „ Ad omnes horas facies eorum versa est contra occidentem, quantum puto, ut videri possint a Prioribus, qui in illa stare parte solent. Cum ventum fuerit ad preces, utrimque duo illi juniores vertunt se in chorum, tertius, qui & major est, & stat altari proximus contra altare, nisi ad Completorium, & Primam; tunc enim propter confessionem duo se comparant contra altare super unum scabellum, & unus Magister est medius inter eos, sicut etiam ad letaniam, & ad singulas orationes in Presbyterio gerendas; & cum dicenda est confessio, tertius accurrit. Ad utramque Missam, ad quam & Priores mutant loca, vertunt se omnes pariter in chorum, & similiter in Sabbato ad processionem, quæ ad Vesperos, & Matutinos agitur ad S. Crucem, & in att. Lection. ad Tertiam, & ad eam processionem, si quam aliquando facimus, pro aliqua tali persona veniente, ad quam etsi aliquando cappis utimur, ipsi nonnisi tantum albis; cum tamen ad Missarum solemnia conventus indutus est cappis, ipsi quoque tunicis sericis induantur. Ad secreta, & canonem si conventus est inclivis, vel etiam procumbit, ipsi stant erecti, præter ad solam Dominicam orationem, & unus eorum magister similiter erectus jugiter intuetur. In claustro, & capitulo ubi sedent singuli singulos truncos pro sedibus habent, & ita separatos ab invicem, ut ille nec amictum alterius aliquo modo tangat. In Ecclesia est eorum sessio diversa. (e) Ad intervalla ut est post Missam matutinalem usque ad capitulum, post orationem Tertiæ, majore Missa statim consequente; post orationem Nonæ fratribus usque tunc jejunantibus; post orationem Vespertinam; ad canonem etiam Missæ si (f) sedent versa facie in chorum sedent. Si vero dum cantatur regularis hora, vel aliqua psalmodia sedet maximus eorum, super scabellum sedet versa facie ad occidentem; alii si habent scabella, sedent super illa versis vultibus in chorum; si non habent, sedent super terram semper eodem modo, quo maximus eorum, super scabellum. Ad Lectiones nocturnorum in diebus festis, & octavis, vel privatis quando tres leguntur, (g) sedent juxta formam in directum super scabella transversa. Si quando cum psalmodia defuncto assidetur (h), sedent hinc inde juxta feretrum.

XIII. (IX.) „ Pueri flagellantur (i) consuetudinaliter, si opus fuerit, dum locutio est in claustro; post Vesperos numquam: Juvenes possunt clamare eos de illis tantum offensis, quas faciunt contra eos; sicut est de risu, aut signo facto sibi, aut si qua sunt hujusmodi; de aliis numquam, nisi quia debent notum facere magistro suo, & ipse clamabit eos in eorum capitulo sic: Stabit multum remotus ab eis, & dicto: *Benedicite*, dicet offensam: Juvenes vero numquam clamabunt eos in majori capitulo; ibi enim multoties suscipiunt magna judicia, & est mos, quatenus Magister eorum numquam expectet, ut præcipiatur ei; sed ex quo audit aliquem eorum exuturum, statim non jussus surgit, & verberare non cessat, donec dicat, qui tenet capitulum, ut dimittat.

XIV. (X.) „ Est consuetudo, ut quocumque ipsi pueri insimul eant, vel in dormitorium, vel in monasterium, vel quocumque, magistri debent subsequi.

(a) Udal. Et eorum magistri sunt duo; si non plures, tamen numquam sunt pauciores.

(b) Hujusce ritus fit mentio in vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis, authore Johanne Monacho lib. 1. num. 35.

(c) Ita Udal., sed MS. consuet. Clun.: vel ante Tertiam in hyeme gerunt.

(d) MS. consuet. Cluniac. addunt: Nisi laici sint in ecclesia, a quibus videri possint.

(e) MS. consuet. Clun. & Udal. addunt: Propter scabella, quæ nunc habent, nunc auferuntur; auferuntur enim in privatis diebus ad formas transversas, super quas ad preces quidam fratrum procumbunt, & ad horarum exordia veniam petunt; unumque tantum remanet scabellum, super transversum sedet maximus puerorum, etsi interim dum cantatur regularis hora, vel qualibet psalmodia sedet versa facie ad occidentem.

(f) MS. consuet. Clun., & Udal., si sedet, versis faciem contra orientem; alii pueri, si habent scabella, &c.

(g) Sedent juxta formam in directum; quando autem formæ sunt transversæ, tunc ita sedent, ut & sit transversum unum de scabellis, in quibus sedent. Ita MS. consuet. & Udal., qui insuper addit: Et magistri contra eos in forma, quæ semper est posita in medio chori.

(h) Udal. & consuet. Clun. MS. Pueri de dextro choro sedent ad caput, qui de sinistro, ad pedes.

(i) Hujusce ritus fit mentio in libro Mir. S. Dunstani n. 11. sæc. 5. p. 693.

„ Cum sedent in scholis, nullus magistrorum debet inde exire sine licentia majoris magistri, nisi pro sola necessitate corporis, nisi ad aliquod Ecclesiæ, sive refectorii servitium sit scriptus in tabula. Nullus namque facit eis signum, nec etiam magister major, nisi raro, & valde necessarium. Inter duos & duos jacent magistri in dormitorio, & sedent ad necessarias, & si nox est, omnes candelæ laternarum eorum infiguntur in clavis, qui sunt in summitate earum extra, ut aperte possint in omnibus, quæ egerint, videri: si autem surrexerint inde Magistri, antequam illi, stant coram eis visu ad visum.

XV. (XI.) „ Cum collocant se in lectulis semper Magister stat cum virga cum eis, & candela, si nox est, una manu tenens virgam, altera candelam. Si qui plus alio forte moratus fuerit, statim fortiter tangitur; infantibus quippe ubique debet esse custodia cum disciplina, disciplina cum custodia. Et sciendum, quod hæc est tota disciplina eorum: aut cæduntur virgis, aut fortiter velluntur eis capilli: numquam enim calceo, pugno, palma, vel quolibet alio modo disciplinantur, nisi solum ut dictum est.

XVI. (XII.) „ In longis vero noctibus hyemis est consuetudo, ut major magister post primum (*a*) somnium surgat, & cum candela, & virga circumeat lectos eorum, & aliorum Magistrorum, considerans quomodo se habeant. Si quis eorum est discoopertus, tantum tangit virga leniter propter fratres, quo sit excitatus, & significat ei, ut cooperiat se: manu autem numquam ibi tangit eum, aut verberet, nisi cum collocant se, aut surgunt, si viderit eos moram facere in collocando vel in surgendo.

XVII. (XIII.) „ (*b*) Quando Cantor auscultat eis lectionem, vel Responsoria: Omnes qui in crastino lecturi, sive cantaturi sunt, stant coram. Donec sedeant, (*c*) exuuntur. Nunquam capiet ullus eorum librum, vel etiam froccum suum, si exuerit pro calore, ut fit in æstate vel quandocumque ad Matutinum; nec etiam exuet umquam, nec reinduet sine licentia Magistri.

XVIII. (XIV.) „ Ad Missam, ad collectas, quæ dicuntur ad crucifixum, cum itur ad processionem, inclinantur sicut conventus, & ad preces Terriæ cum revestiti sunt; ad glorias vero Responsoriorum, psalmorum, hymnorum, ad *Pater noster*, in vigilia mortuorum inclinantur versus altare.

XIX. (XV.) „ Cum exeunt capitulum, fratribus loquentibus in claustro, (*d*) junior omnium alta voce dicit: *Benedicite*. Ad preces autem horarum, & ad alias inclinationes ita inclinantur, ut duo Priores, qui sunt ex utraque parte, vertantur versus altare (*e*); illi vero stant recti contra se. Omni die ad Missas, & ad Tertiam cum revestiti sunt, & ad crucifixum, eodem omnino modo habent se, quemadmodum conventus. Cum autem omnia signa pulsantur ad Vesperas, vel ad Missam, vel ad Matutinum, versus altare vertuntur. Eodem modo privatis diebus.

XX. (XVI.) „ Quocumque conventus exit ad processionem in Matutinis, semper accenduntur candelæ in laternis eorum, & juvenum: & cum vadunt ad crucifixum, stant semper coram Prioribus versus majorem portam Ecclesiæ (*f*).

XXI. (XVII.) „ Cum lavant, ad lavatorium inter duos, & duos magistri sunt; duo vero per consuetudinem de Magistris extremi sunt, unus ex una parte, & alter ex altera, cingentes eos propter alios. Interim quicumque volunt, lavant ex alia parte bini, & bini, sicut sunt priores, unus post alios; tergunt manus, quam remotius possunt alter ab altero, idest ad coronam tersorii.

XXII. (XVIII.) „ Ad spatium illud, quod est, antequam signum comestionis fratrum pulsetur, in refectorio numquam sedent nisi duo: sed hoc faciunt vicissim, nisi in ramis palmarum, & Rogationibus, quia tunc lassi sunt, & sedent omnes.

XXIII. (XIX.) „ Ipsorum est incipere: *Miserere mei Deus*, finito prandio, vel cœna; aut si rauci fuerint, Cantoris. Est etiam eorum ad omnes regulares horas hymnos incipere, præter Vesperas, & Laudes; in præcipuis festis ad Matutinum: *Domine labia mea*: *Deus misereatur*, & omnia hujusmodi.

XXIV. (XX.) „ Nullus umquam loquitur alicui eorum private, nisi ad confessionem; quod cum fit, Prior potest eos de schola ducere in capitulum, atque reducere per consuetudinem: verum ad Dominum Abbatem ducit eos Magister eorum. Stando confitentur, bisque in hebdomada veniunt ad confessionem.

XXV. (XXI.) „ Ad omnes antiphonas commemorationum SS. debent omnes assurgere, ad collectam vero inclinare. Similiter faciunt omnes juvenes, qui sunt in custodia in XII. Lect. tantum; infantes vero semper (*g*).

XXVI. (XXII.) „ In V. præcipuis festis non tenent capitulum, nec in Purificatione S. Mariæ, nec in Ascensione Domini, nec in Ramis palmarum.

XXVII. (XXIII.) „ Est etiam consuetudo, ut cum itur ad processionem, & omnes non sunt generaliter revestiti, sicut in Dominicis, Magistri eorum in frontis sint inter illos (*h*). Ipsi etiam magistri debent observare, ut priores cum pueris prioribus, & novitii cum novitiis sint in processione, & in refectorio, & ubicumque simul pergunt, esse debent juniores ante, priores retro.

XXVIII. (XXIV.) „ Scrinium cum rasoriis, quibus raduntur, per se habent separatim, & seorsim se radunt cum magistris, magistri eorum radunt eos.

XXIX. (XXV.) „ Si eis quidlibet defuerit in refectorio, nulli faciunt inde signum, nisi magistro soli; sed si Abbas, aut Prior cum sedet ad majorem tabulam, quæsierit scutellas ab eis, ipsi faciunt signum magistro suo, & ipse ministrat eis, vel alicui de majoribus senioribus.

XXX. (XXVI.) „ Omni Dominica cum aqua benedicta fit, unus eorum de sale servit; & quod restat, portat ad processionem, usque ante ostium refectorii. Unus vero magistrorum ibidem accipit illud de manu ejus, & interim dum Sacerdos in refectorio, ac regulari coquina benedictionem facit, ponit inde in omnibus salariis refectorii parum in unaquaque; illud autem, quod remanet, in legumen fratrum, quod tunc debet esse super ignem in coquina regulari; quo facto, revertitur ad processionem (*i*).

XXXI. (XXVII.) „ Si quis eorum oppressus somnolentia ad nocturnos non bene cantaverit, Magister dat ei in manus unum codicem grandiusculum, donec expergefiat.

XXXII. (XXVIII.) „ Secretarius magister dat eis in manibus tunicas in festis, quæ fiunt in cappis; & Magistri eorum tenent eas ad induendum. Ceterum de manu pueri, vel etiam juvenis, qui in custodia est, nullus debet aliquid accipere, neque ei dare, non librum, neque ullam rem; sed juxta eum ponere. Et sciendum, quod ipsi numquam mutant pannos suos, donec legerint in claustro; sed nec juvenes: Nec portant umquam pueri candelabra, nisi tantum cum fit processio ad crucifixum, vel ad altaria: Nec inclinatur, cum vertit se Sacerdos dicens: *Orate fratres*, nisi parumper; surgunt enim antequam alii, & stant versi ad altare.

XXXIII. (XXIX.) „ Nec loquitur umquam alter ad alterum, nisi petita licentia a Magistro, & audientibus omnibus, qui in scolis sunt: nec surgant de suis sedilibus nisi jussi. Verumtamen, si major magister voluerit eis aliquid dicere, sedebunt ante eum ad terram, & audientibus aliis magistris dicet, quicquid eis dixerit. Et Prior claustralis bene potest ire, si vult, & per consuetudinem aliquoties debet ire Cellerarius, & Camerarius, & possunt ire, & sedere, sine omni licentia;

(*a*) MS. consuet. Cluniac. sonitum.
(*b*) MS. consuet. Cluniac. Cantor numquam tanget eos, vel etiam unum tantum signum faciet ex intra scolam, & cum auscultat eis lectiones, vel R. &c.
(*c*) MS. consuet. Clun. utuntur.
(*d*) MS. consuet. Clun. addunt: Et de refectorio, & de ecclesia. Post meridiem cum locutio debet esse in claustro, junior &c.
(*e*) MS. consuet. Clun. addunt: Et alii, sicut conventus sunt, & cum pulsatur signum ad capitulum, conventus omnis surgit, & vertitur versus altare; illi vero stant recti contra se. Omni die, &c.
(*f*) MS. consuet. Clun. addunt: Ponuntque in medio sui unum de candelabris, quod portant. Hoc fit in Matutinis; in Vesperis vero coram altari ponitur.
(*g*) MS. consuet. Clun. addunt: Et in illis diebus in quibus super formas procumbitur.
(*h*) MS. consuet. Clun. addunt: Ideo sex pueri, vel unus, vel tres habent multo plures magistros, quoniam non licet alium ussum umquam pro Magistro, præter eos, qui deputati sunt; tamen Cellerarius, Hospitarius, & major Camerarius, si viderint opus esse, sine omni licentia possunt intrare inter eos, & in loco magistrorum eis esse.
(*i*) Consuet. Clun. MS. addunt: Redditque infanti scutellam argenteam sale vacuatam: magister vero ejus, postquam in chorum redierint, reddit eam Secretario, cujus est consuetudinaliter sal, quod benedicitur, afferre.

„ tia; & dicent eis infantes audientibus omnibus, qua re indigeant de ministeriis eorum.

XXXIV. (XXX.) „ Nec faciant mandatum, nisi in die Dominica cum Domno Abbate, si affuerit, vel cum magistro suo, si defuerit.

XXXV. (XXXI.) „ Solis pueris conceditur in choro legere ad Missam, cum in crastino debent esse a XII. Lect.; aut cum prævident aliqui Lectionem, vel collationes, vel hujusmodi, aut si quis eorum novitius est, potest psalmos suos firmare ad utramque Missam, dum tacet conventus (a).

XXXVI. (XXXII.) „ (b) Lavant quoque, ut alii, calzoneas suos, vel si quid aliud habuerint ad lavandum, & ponunt ad siccandum in herbario claustri.

XXXVII. (XXXIII.) „ In invicem adjuvent se ad devestiendum renum, nam ipsimet cingunt, & revestiunt se, spectantibus magistris; & cum revestiti sunt ad Tertiam, quia tunc stant contra se in choro visu ad visum, si faciunt ante, & retro propter versum, quem dicunt ad horam, finito capitulo dimidium faciunt, & versum se. Similiter ad crucifixum, quia eodem modo stant, aum incipiunt antiphonas de omnibus SS. Item in XII. Lect. cum revestiti sunt albis, ab Hebdomadario incepta antiphona ad Tertiam, omnes ex utraque parte inclinant, sicut Hebdomadarius incipiente versus offerendæ faciunt. Tempore illo, quo in loco antiphonæ *alleluja* cantetur, omnes, sive magnus, sive infans sit, qui pronuntiat ipsum *alleluja*, finito primo versu psalmi, qui incipitur, antequam faciat ante, & retro, incipit antiphonam, unde *alleluja* est. Infantum vero tantum est reincipere illud *alleluja*, finita gloria psalmi, a quocumque inceptum sit; sicut quando antiphona incipitur; incipiunt per consuetudinem eodem modo, finita gloria psalmi, antiphonam alta voce; videlicet illius infantis est hoc facere, qui dum pronuntiat, ut mos est, versus psalmi; de ejusdem parte dicitur *Gloria Patri*; & hoc fit, dum *Sicut erat* ex altera parte finitur. Est etiam infantum, ut finito ad Matutinum uno quoque ℞., omnes de sedibus suis inclinent. Qui autem legit ad Matutinum, cum una tantum Lectio legitur, cum petit benedictionem, vertit se ad eum, qui daturus est eam, ubicumque ipse est. Non faciunt ante, & retro in circuitu, nisi cum conversi sunt ad Occidentem, seu post finem horæ. Mos quippe fuit antiquitus, quo expleto opere Dei verterent se omnes in circuitu, quia Deus ubique est, quod adhuc infantes faciunt idcirco dicuntur portare vexilla conventus; cum autem hi, qui de dextro choro sunt, cantant ad Matutinum ℞., ad sinistram faciunt, & tantum dimidium, quemadmodum ad versum de Tertia, cum sunt revestiti, & ad letaniam Missæ privatis diebus, & ad crucifixum, & ad antiphonam, & ad ℞., & versum de Vespera, & Matutinis omnium SS.. Cum vero ad Vesperas, vel ad Laudes cantat aliquis eorum ℞. Ambrosianum, vel versum post hymnum dicit; seu etiam cum dicit versum ad omnes horas post capitulum, quia, cum incipit antiphona finiri, vertens se ad altare facit a dextra dimidium ante, & retro; finito Responsorio, aut versu, perficit eodem modo a dextra medietatem circuitus, qui remanserat, ut dictum est, cum verteretur ad altare.

XXXVIII. (XXXIV.) „ Omni die ad omnes horas faciunt ipsi infantes orationes ad gradum Presbyterii, excepta Prima, & Completorio, & excepta Nona cum meridiana dormiendi fit. Fratribus bis in die reficientibus, & ad Nonam, & ad ceteras horas omni die (c) bis signa pulsantur, præter Primam, & Completorium, & ipsam Nonam, cum statim versu prandii finiti incipitur. Et hoc notandum de iisdem infantibus, quia ex quo cum magistris ad gradum propter orationem veniunt, in primis omnes altari profunde inclinant; deinde surgentes erecti stant, donec sciant Priorem, & ceteros ad orationem inclinasse.

XXXIX. (XXXV.) „ Est etiam consuetudo, ut cum magister eorum viderit quemlibet negligenter ante, & retro facere, præcipiat ei, quatenus omne ante, & retro, quod fecerit, sic faciat, ut manus trahat per terram, donec absolveat eum inde.

XL. (XXXVI.) „ Si aliquando contigerit, quod aliqui eorum non possint cum aliis, & toto conventu occurrere ad versum prandii, solus magister eorum ad gradum ibit; ipsi vero recta via ad justas suas ibunt, ibique ante, & retro tantum faciunt (d). Magister vero exspectato, quod responsum sit: *amen*, post benedictionem exit refectorium, & post paululum redit ad gradum, petitque comedendi licentiam, sicut qui ad principium versus non fuit. Cum quis eorum ita debilis, aut infirmus est, ut non possit bene stare, huic licentia Prioris mittitur sedere in eodem loco, ubi stare solet, prævisa ei a Magistro suo tabula, & mappula. Ille eorum, qui ad majorem mensam stet, duos cultellos portat propter hospites. In sedilibus eorum, qui sepones vocantur, nulli licet sedere umquam, præter illos solos (e). Si quis eorum adeo tener est, & parvulus, ut opus habeat, in ipso claustro, ubi sedet, summo diluculo apportatur ei panis, ac vinum. Collecta fragmenta ponunt in cophinos unus prius, & alius post. Quando refectorium, vel post prandium, vel post cœnam exeunt inter utriusque chori fratres medii procedunt. Faciunt & illud infantes, quod non est ignorandum, videlicet quando adeo sero cœnant fratres, ut finita cœna ad processionem de *Miserere mei Deus*, habeant infantes laternas accensas, postquam veniunt in chorum, statim, qui laternas portant, candelas extractas tenent alte in manibus erecti semper, donec totum finiatur. Quo facto, repositis candelis in laternis, eunt, ut mos est, in dormitorium.

XLI. (XXXVII.) „ Duobus pueris una laterna sufficit, sex pueris tres laternæ: Magistri eorum consuetudinaliter accendunt candelam, quæ necessarie est ad lectionem collationis, & cum inde itur in refectorium ad caritatem, debet unus infantium ipsam candelam ardentem in laterna sua portare, ut inde accendatur candela, qua videat lector ad legendum. Quam candelam per manum magistri porrectam debet idem lector tabulæ, postquam lectionem finierit, imprimere, & ut ita dicam, adhærere, quatenus infantum aliquis valeat eam in laterna reponere.

XLII. (XXXVIII.) „ Cum in refectorio est propinatio caritatis de pigmento, vel de quolibet potu, Refectorarius magister, si est maturæ ætatis, & morum, potest pueris tenentibus sciphos invertere eis potum.

XLIII. (XXXIX.) „ Est quoque consuetudo, quatenus cum unus ducitur remanendi caussa in infirmariam, duo alii debent cum eo ire, videlicet pro reditu; non enim debet quoquam unus solus exire, nisi contingat, quod alio modo fieri non possit, & tunc duo magistri cum eo eant. Ea quoque die, qua quis eorum exiturus est infirmariam, lautissime accuratur de carne, antequam exeat.

XLIV. (XL.) „ Cum autem aliquis de foris ad monasterium adducitur benedictionis, vel cujuslibet rei caussa, non ducitur aliquis eorum, qui in monasterio sunt, contra eum; sed qui eum adducunt, quam secretius possunt, ponunt ipsum (f) in conventu infantum. Benedictionem vero venientium ante suos adductores solus, quasi Abbas, accipit, sine omni Magistro, & etiamsi plures fuerint extram altari in Presbyterio. Cum autem completo, pro quo venit, reducitur, duo de his, qui in monasterio sunt, exeunt cum ipso usque in auditorium.

XLV. (XLI.) „ Sciendum vero de eisdem infantibus, quod numquam exeunt de scolis, donec benedicti sint; nec faciunt petitionem pro benedictione, sed, cum videtur Abbati, inter cetera, quæ in capitulo loquitur, addit etiam hoc dicens fratribus *Fratri huic, si vobis bonum videtur, volo misericordiam facere*. Quo laudato ab omnibus, statim surgit ille, de quo dixit, & vadit ad pedem Abbatis. Deinde stat coram eo, ubi stant, qui venias suas petunt, donec præcipiat ei, ut eat sessum, & tunc ad locum suum redit. Semper enim in custodia cum infantibus est, donec eidem benedicto capitium super oculos trahatur; nam tunc demum datur ei alia custodia, & dum in albis est, ultimus stat in rejo. Notandum vero, quod cum debet benedici, ideo non facit petitionem, quia jam fecit perfectius, & firmius, quam qui alio modo faciunt.

(a) Udal., & MS. conf. Clun. addunt: In omni quarta feria, si est privata dies, & in Sabbato, lavant calceos suos post Vesperos.

(b) MS. consuet. Udal. Lavant quoque pannum suos consuetudinaliter ante Natale Apostolorum Petri & Pauli, ante Translationem S. Benedicti, & ante Assumtionem S. Mariæ; quos tamen non suspendunt ad siccandum in corda, ut alii fratres, sed tantum deponunt in herbario claustri.

(c) MS consuet. Clun.: Cum bis signa pulsantur.

(d) MS. conf. Clun. addunt: Si vero ita venerint, quod versus, qui inceptus est, sit vel dimidius dictus, ducit eos magister eorum, ubi alii acclines sunt, faciuntque ibidem ante, & retro; Magister vero exspectat, quod responsum sit; *Amen*.

(e MS. conf. Clun. addunt: Canales, in quibus fratres ex more lavant, ipsorum est mundare scopis semper prius, quam aqua infundatur, unde lavandi tunc pedes fratrum. Idque ex Udal. diebus, quibus processio nudis pedibus est agenda.

(f) MS. conf. Clun. in conventu fratrum.

XLVI. (XLII.) „ Sciatur & hoc de eisdem infanti-
„ bus, quod cum aliquis frater extraneus osculatur fra-
„ tres, non osculatur eos.

XLVII. (XLIII.) „ Sciendum quoque de eisdem in-
„ fantibus, quod nec ipsi excusantur de coquina; verum-
„ tamen non serviunt ad mandatum, nec ministrant cui-
„ cumque refectorio. Magistri namque eorum supplent
„ pro ipsis, quod illos facere non sit idoneum. (a)
„ Duo cum magistris ponuntur ad hoc officium, & etsi
„ Magistri adjuvent eos; tantum vadunt in coquinam,
„ scilicet post factas orationes mane, donec signum ad ho-
„ ram pulsetur, & post offertorium minoris Missæ, us-
„ que ad capitulum, & non plus.

XLVIII. (XLIV.) „ Quando agenda est processio, ut
„ aliquis defunctus a foris illatus suscipiatur; si totus
„ conventus vadit, vadunt; & tunc post crucem primi
„ egrediuntur (b), atque inter sepeliendum psalmos, &
„ antiphonas imponunt. In omni processione, quæ agitur
„ per claustrum, & post crucem semper incedunt: in Ra-
„ mis palmarum, & in Rogationibus inter idiotas, &
„ Cantores.

XLIX. (XLV.) „ Sicut capitulum non tenetur cum
„ eis in festis superius dictis; eodem modo quoties se ra-
„ dunt, quoties se balneant (c), quoties opus manuum
„ facimus, quoties habemus defunctum ad horam capitu-
„ li eorum adhuc inhumatum. Ipsum autem capitulum
„ eorum incipitur tantum, *Benedicite* præmisso: Recla-
„ mat alter de altero, si tale quid noverit de illo, aut
„ si deprehenditur de industria celare, vapulat, tam ille,
„ qui celaverit; quam ille, qui deliquit; sed ea vice una
„ scilla pulsari solet, ut illi domestici, quibus panis est
„ tribuendus, occurrant ad accipiendum, qua audita nul-
„ lus postea pauperum exuitur, & ipsum capitulum citius
„ finitur.

L. (XLVI.) „ Post majorem Missam accipiunt mi-
xtum cum servitoribus, aut si est dies jejunii, vel in
„ hyeme, calisqua dies, in qua non nisi comedatur, tunc
„ post Tertiam (d). A Calendis Octobris, usque ad
„ XL., si, ut dixi, semel comeditur, præter panem aliud
„ aliquid eis apponitur. Per totam æstatem in diebus Do-
„ minicis ad cœnam misericordia eis de lacte impenditur.
„ Panis eorum, & generale non sunt minora, quam a-
„ liorum fratrum. In refectorio per mensas sunt divisi,
„ & singuli ante tales fratres, qui non dissimulent ne-
„ gligentias eorum. Post Nonam cum fratres bibunt,
„ & ad collationem, exeunt de refectorio novissimi, &
„ ante Domnum Abbatem, vel Priorem.

LI. (XLVII.) „ (Ubicumque transierint per claustrum
„ fratres, aliquantulum se levant, & illis inclinantibus
„ inclinent, tam si fuerint duo, quam omnibus. Ad ne-
„ cessarias dum sedent, stat Magister ante eos; si deinde
„ conveniunt: Servitores quoque de refectorio exeuntes, si
„ sedent, ubi sedere solent, inclinant contra illos (e)
„ & illos assurgentes contra eos.

LII. (XLVIII.) Quod si quidam ex eis aliquando ad
„ regularem horam tardius occurrunt, non, ut alii, ve-
„ niunt ad gradum, sed vadunt in locum suum; Magi-
„ ster, qui comitatur eos, tenet consuetudinem.

LIII. (XLIX.) „ Hoc autem obsequium ab eis est
„ rite gerendum: ad horas omnes regulares singulos psal-
„ morum versiculos pronunciare, in privatis diebus anti-
„ phonas imponere, & quicquid cantatur ad Missam ma-
„ tutinalem, nisi sit aliquod magnum anniversarium, ad
„ Matutinas, & Vesperas ℟. decantare, ℣. dicere; in
„ æstate ad nocturnos illam minimam, & unicam Lectio-
„ nem legere, in capitulo legere semper, in refectorio
„ numquam ad collationem per vices, tabulam ad licen-
„ tiam loquendi quinquies percutiendam per Priorem,
„ eorum Priori porrigere, si Domnus Abbas, aut Prior,
„ in capitulo imperaverit aliquem psalmum per aliquot dies
„ decantari, ipsos audientes inclinare, quia in eorum præ-
„ cipue sollicitudine debet esse, ne remaneat. Et quia
„ ipsi quotidie legunt in codice Martyrologii, & fratrum
„ memoriali, ab ipsis sciendum, & notandum, quando
„ tricesimus cujusque defuncti sit consummatus, ab ipsis (f)
„ Refectorario pronuntiandum, quantorum sit anniversarius
„ Fratrum, ut tot quoque (g) super majorem mensam
„ mittat præbendas, & Secretario, quando sunt omnia si-
„ gna pulsanda pro anniversario cujusquam, quod bene
„ notum est in regula.

LIV. „ (L.) „ Mane cum se levant ad sonitum, vel
„ cum Prima cantatur, aurora apparente (h), possunt
„ dimittere, prius ire ad necessarias, quam ad ecclesiam,
„ sed vel finita hora, si voluerint, vel orationibus factis;
„ si vero fecerint, non est reprehensibile. Post Comple-
„ torium, sicut faciunt orationes antequam conventus,
„ sic & de necessariis debent exire ante, quam conven-
„ tus eo veniat.

LV. (LI.) „ Stat ante eos principalis magister eorum
„ cum virga, usque dum omnes sint collocati, & ipsas
„ facies bene cooperti. Similiter quando se levant, si
„ tardius se levant, continuo est virga super eos. Post
„ Matutinos eo tempore, quo rursus omnes sunt dormi-
„ turi, si nondum aurora apparuerit, tunc tenente Ma-
„ gistro virgam in dextra, & candelam in læva, expo-
„ liantur, & cito collocantur. Si vero aliquantulum aurora
„ claruerit, candelas super lateres figentes se calciant, &
„ desuper lectos reclinent, ut ad sonitum absque ulla
„ dilatione consurgant quod totus conventus eodem modo
„ facere debet. Tali autem hora faciendus est sonitus,
„ ut post trinas orationes possint legere. Et sciendum
„ est, quoniam magistri infantum numquam revestiunt
„ pannos suos in scola eorum, donec ibi sunt infan-
„ tes, nec debent sedere in scola claustri, nisi ibi sint
„ infantes.

LVI. (LII.) Ad mandatum non levantur pueris pedes,
„ sicut nec ipsi lavant, dum faciunt coquinam, nullus
„ nutritus debet eis aquam dare ad abluendum manus,
„ nisi multum moribus, & ætate maturus.

LVII. (LIII.) „ Finitis Completorii orationibus, num-
„ quam sine una saltem candela, quantacumque dies ad-
„ huc sit, vadunt in dormitorium, de qua ille magistro-
„ rum, qui inde Hebdomadarius est, statim accendit (i)
„ lucernam, quæ in schola est; de aliis vero expectat,
„ donec opus sit; ipsi enim Magistri vicissim solent præ-
„ videre, ut opportune accendant luminaria dormitorii, &
„ necessariarum, & post Completorium, & Matutinum unam
„ candelam ponunt ad ostium dormitorii (k): Nam ante
„ nocturnos eam debet apponere Secretarius. Et in i-
„ psis necessariis debet apponere duas candelas, tam ante
„ nocturnos quam post Matutinos, si talis dies est, qui
„ fratres dormiturum redeant, quæ sufficiunt, donec conven-
„ tus secedat: ipsa vero luminaria dormitorii, & neces-
„ sariarum non debent esse extincta, antequam fratres in
„ die illic se recognoscere possint.

LVIII. (LIV.) „ Opus habentes pueri codicem, vel
„ ipsam tabulam brevialem accipere alio loco, quam ubi
„ sedere solent, numquam accipiunt absque licentia Ma-
„ gistri. Eorum sessio in claustro ita est ordinata, ut
„ pueri sedeant juxta murum; magistri in cancellis clau-
„ stri, ita ut eos possint jugiter intueri, propter quod
„ etiam ipsi magistri eorum in scholis non scribunt.

LIX. (LV.) „ Per medium eorum nullus est omnino,
„ qui audeat transire, ubicumque fuerint, quantumlibet
„ sit locus angustus, & quantalibet sit Fratrum multitu-
„ do; tamen omnes cavent ita sibi appropiare, ut vel tan-
„ gatur ab aliquo vestis eorum. Debent etiam magistri in
„ hyeme ad intervallum quod est inter nocturnos, &
„ Laudes, & insuper quandocumque Armarius cantat eis,
„ vel auscultat Lectiones, sollicite habere oculos super
„ eum, ne ullo modo unquam signum aliquod faciat eis.
„ Et, ut tandem de ipsis concludam, difficile mihi vide-
„ tur, ut ullus Regis filius majori diligentia nutriatur in
„ palatio, quam puer quilibet in regulari monasterio.

LX. Hactenus, & quidem fuse, de disciplina puerorum
Benignianæ consuetudines, quae facilitate gesta secundum
diversi-

(a) MS conf. Clun. duo cum quatuor magistris ponuntur ad hoc officium.

(b) Udal., & conf. Clun. MS. post crucem primi egrediuntur, cum ad portam venerint, faciem contra crucem vertunt usque dum collecta: *Absolve Domine*, a Priore dicatur; Secedunt paululum in partem, ut transire possint, a quibus crux, & alia processionis insignia portantur. Quos etiam sequentes usque in ecclesiam dimittunt eos prope ostium, ut defunctus ab eis circumferatur, & ipsi procedunt usque ante ad altare S. Crucis, & ibi stant, magistris interpositis in sinistra parte, ne impediant Sacerdotem ter ad altare accessurum, ut incenset illud, quod cum fuerit peractum, & defunctus ad tumulum delatus, promoverit se de sinistra in mediam ecclesiam, & versus jugiter ad altare fa-ciebus, antiphonas, & psalmos imponunt.

(c) Udal., & conf. MS. addunt: quotiens pannos suos lavant.

(d Conf. Clun. MS. addunt: Numquam post ultimum prandium conventus cœnat.

(e) MS. conf. Clun. & illi assurgentes.

(f) Udal., & MS. conf. Clun. Eleemosynario.

(g) Udal., & MS. consuet. accipiat præbenda.

(h) Non prius debent ire ad necessarias, quam ad ecclesiam, sed vel finita hora, si voluerint, vel orationibus factis, si vero fecerint, non est reprehensibile. Ita MS. conf. idque ex Udal. a Calendis Octob. ad Cal. Novembris.

(i) MS. conf. Clun. e. seq. Parellam.

(k) MS. conf. addunt: & necessariam.

diversitatem materiei in varios distinximus numeros. His proxime accedunt Udalricus l. 3. n. 8., & MS. cons. Cluniacensis monasterii in quibus tamen nonnulla desunt, aliqua vero superaddita leguntur. Additis non-nullis variis Lectionibus ad margines notavimus, omissa adnotare prætermisimus; hic plura superaddere in præsentiarum non vacat; hic enim omnes puerorum leges, quasi in speculo contemplari licet. Primo namque habemus, quomodo ad nocturnas vigilias surgere deberent n. 3., quod amplius explicat Hildemarus antiquissimus Regulæ Benedictinæ commentator his verbis in c. 22. Reg. S. B. „(Ad vigilias, signo facto, accendat senior lumen in dormitorio, & ex omnibus illis, qui indigent custodia, non audeat unus sine altero foras exire; sed omnes se vestiant, & præparent se; & tunc præparatis, accenso lumine, vadat magister ante, & in medio, & in fine, (idest unus magister ante, alter in medio, tertius in fine], & ita vadant ad ecclesiam, & in ecclesia adsistentibus magistris orent, & psallant.) Deinde, quo pacto solitas sies orationes ante nocturnos effunderent n. 4., ad horas vero diurnas n. 34. De his ad horas orationibus hæc habet Udalricus: „(Ad horam regularem, ad quam non nisi unum lignum pulsatur, ut ad primare, faciunt orationem in choro; ad eam, ad quam duo, in Presbyterio prostrati.) Postea quo modo ad nocturnos, aliasque operis divini horas canonicas habere se debeant n. 5. 8. 14. 19. 21. 27. 31. 33. 35. 48. 49. Quo ritu, post nocturnos, lectos repetere n. 51. quo ritu postea surgere n. 6., & 50, quid tunc facere num. 7. De processionibus, sive post Matutinos, sive post Vesperos, aliisque habes n. 16. 23. 26. 28. 44. De publico, sive generali capitulo, & privato n. 9. 22. 45. De correctione n. 5. 9. 11., qua de re hæc etiam præscribit Lanfrancus in Statutis c. 22.: ut „(in choro, præsente Abbate, nisi præcepto ejus nullus eos percutiat, nullus exuere faciat; absente eo Cantor de iis, quæ sui officii sunt, eos castiget. Prior vero de ceteris, in quibus se leviter habent; (& antea:) In capitulo suo vapulent, sicut majores in majori capitulo.) De locutione in claustro n. 15. De intervallo ante comestionem n. 18. De mixto n. 46. Quas vero in refectorio leges observarent, sive ad prandium, sive ad cœnam, sive ad potum post tx., sive ad caritatem post collationem, fuse describitur n. 10. 25. 36. 38. 46., quibus sequentia subjungimus ex Udalrico: „(Cum vero fuerint in refectorio, non accedunt ad ullam mensam ante versum, sed in medio refectorio stant, aut sedent cum magistris, usque dum veniat, qui festivus est, ad scillam. Per mensas sunt divisi, & singuli ante tales fratres positi, qui non dissimulant, si quam viderint negligentiam eorum inter comedendum: non quoque discurrunt, ut vel sal, vel scutellam, vel aliud quid alii fratri apportent; nec ab ullo quid accipiant, nisi quod omnibus generaliter datur, & si quid eis Domnus Abbas miserit, vel Cellerarius dederit, solus ille puer, qui stat ad mensam principalem, si ei a Domno Abbate, vel Priore innuitur, scutella opus habere, pergit ad magistrum, & ille surgens requirit de coquina, & ponit ante puerum, ut eas apportet, per quem etiam signum, quod voluerit dirigit, qui sedet ad scillam. (Et infra:) Panis aorum, & generale non sunt minora, quam etiam aliorum Fratrum.)

LXI. De meridianis æstivo tempore hic nihil; sed Lanfrancus in Statutis c. 22. „(Meridianis horis in lectis suis, *inque*, numquam legant, nihil aliud ibi agant; sed cooperti tantum quiescant.

LXII. Denique quomodo diem terminarent, ac lectos nocte peterent, docent n. 2. & 53., quibus adde quod scribit Hildemarus his verbis in c. 22. Reg. S. Ben. „(Post Completorium, cum jam signo facto debent exire de ecclesia, magister illorum accendat lucernam, & vadat cum illis infantibus per omnia illa altaria, ut per unumquodque altare orent; & cum oraverint, unus magister vadat ante, alter magister vadat in medio, tertius magister vadat retro, & vadant ad necessaria cum lumine Magistri, cum ipsis infantibus. Deinde collocentur infantes, & donec collocentur, semper assistant magistri, qui eos custodiunt.)

LXIII. De custodia autem in eos per noctem adhibenda hæc subjungit: „(Et hoc notandum est, quia excepta Magistrorum custodia, qui eos die, noctuque custodiunt, alia custodia per bonos fratres vicissim in dormitorio, dum dormiunt fratres, pro ipsis infantibus facienda est. Nocturno tempore, idest postquam & ipsi magistri in lectis suis requieverint, succedat alia custodia, quamdiu signum sonuerit intrandi in ecclesia, de iis fratribus, de quibus diximus, quorum vices est custodiendi. Illi autem, quibus necessaria custodia, numquam audeant exire foris dormitorium, & in basilicam nec caussa orandi, aut de lecto suo descendere, nisi tantum, quia non potest aliter fieri: cum opus est ire cuilibet eorum v. g. ad mingendum, ad exitum, vadat cautus, & tangat unum seniorum, qui vigilat, & ille accendat lumen, & vadat cum illo ad exitum, & sic lumine accenso revertatur cum illo ad lectum suum & collocet illum. Similiter & adolescentiores ætate, non semper assistentes, & sciente seniore vadant, & semper senior insistat vigilus.) Huc facit n. 2. 12. De usu lanternarum passim, sed præcipue n. 37. Quanta porro fuerit Magistrorum in pueros assiduitas, docet Udalricus, cum ait: „(Ipsi Magistri, quot quot fuerint pro nulla occasione recedunt ab eis, absque licentia Magistri principalis; nullaque vice dimittendi sunt cum uno solo Magistro;) patetque ex n. 10., totoque passim capite. Et hæc quidem quotidie.

Ceterum quomodo conscientiam per confessionem mundarent, quo ritu, & quoties ad eam accederent, habes num. 20. & apud Lanfrancum in hæc verba: „(Confessuri ad Abbatem, vel ad Priorem vadant, vel ad eos, quos specialiter in capitulo designaverit Abbas. Dum confitetur unus, sedeat alter in suppedaneo, magistro eorum extra capitulum sedente in proximo.) Pannos vero quomodo lavarent n. 17., & 32., quo pacto ad mandatum se haberent n. 30., & 52., quid in coquinæ ministerio exercerent n. 43. quomodo erga extraneos se gererent n. 40. & 42.

LXIV. De eorum in adulta ætate benedictione tractat n. 41. De tonsura n. 24. De infirmitatibus n. 39.: Hunc locum fusius exponit Udalricus in hæc verba: „(Si quis eorum ducendus est in domum infirmorum, illuc quoque alii duo veniant cum eo, ubi quamdiu moratur commendatus est cautissimo custodi, a quo die noctuque custodiatur; & in nocte quocumque incedit, portat ante se lanternam; portat quoque baculum, si carnem comederit, capellum induit, ad majorem ecclesiam cum aliis infirmis venit; non tamen intrat illud membrum ulterius S. Johannis Baptistæ; sed illis intrantibus, ille remanet foris prope ostium ecclesiæ benedictæ ut possit ab omnibus videri. Morantem autem in domo infirmorum frequenter visitat principalis magister puerorum, & cum primo eum viderit hujus esse valetudinis, eodem, quo adduxerat modo, reducit, & ceteris pueris adjungit, ecclesiam jam intraturus ad Primam vel Tertiam, si est hyems, & dies privatus; prius tamen ipso die caritas est cauta de carne. In capitulo pro suis excessibus nequaquam, ut alii infirmi, veniam petit.] Tandem, ut verbo absolvam, numerum puerorum, & Magistrorum habemus n. 1., cui numero tamen non omnes ubique tenaciter adhærebant; nam in Centulensi v. g. monasterio sub Angilberto Abbate centum omnino pueri instituebantur.

LXV. De pueris agit Benedictus Haeftenus in suis monasticis disquisitionibus l. 4. tract. 1. integro. De eorum vero disciplina singulatim disq. 6., ubi quod ait pueros segregatim ab aliis restitutos fuisse, idque habuisse Benedictini Ordinis praxim, non sic capiendum est, quasi separatis agerent in habitaculis, cum ex dictis constet pueros & in eodem dormitorio requievisse (e), in eodem choro cantasse, in eodem claustro & legisse, & loquutos fuisse, in eodem denique refectorio comedisse; & in refectorio quidem aliis permixtos, in dormitorio, claustro, & in ecclesia, ita separatos fuisse, ut ne quidem ad ipsos accedere ulli præter quam Magistris suis, accedere fas esset.

CAPUT VI.

De custodia juvenum.

I. JUvenes in Monasteriis nostris dicebantur adolescentiores Fratres, qui, sive oblati fuissent in Monasterio, sive de sæculo adulta ætate conversi, post emissam professionem tantæ non videbantur maturitatis, ut ipsi sibi relinquerentur; quibus proinde non secus ac pueris, & infantibus pii alicujus Patris custodia, cujuscumque essent ætatis, adhibebatur. De juvenum custodia postquam de puerorum oblatione, & disciplina, tractant Lanfrancus in Statutis cap. 22. Udalricus l. 3. c. 9. MS. Cluniacensis Mo-

na-

(e) Ita in Treverensi S. Aocharii Monasterio Burcardus quidam *ab ipsis pene cunabulis Deo omnipotenti nutriendus ibid. a parentibus* oblatus, *una cum fratribus in dormitorium* pauli-tasse dicitur in lib. Mirac. S. Celsi num. 22. apud Boll. 23. Feb.

sterii, & Benignianæ cap. 48. consuetudines, & nos cum eis; tanta quippe utriusque materiei exstitit affinitas, ut ab invicem separari posse haudquaquam videatur. Edita habemus Lanfranci Statuta ejus in operibus, Udalrici consuetudines tom. 4. Spicilegii; quapropter sat hic esse duximus integras Benignianas consuetudines referre de Juvenum legibus hæc scribentes: „ (Frater ille, qui est hujus ætatis, ut adhuc sit imberbis, etsi ultro sæculo abrenunciaverit, & optimæ sit opinionis, minime tamen custodia carebit; sed & aliquando illis, maxime qui nutriti sunt in Monasterio, si in moribus vim esse noluerint, virilis ætas nihil eis profuerit, ut custodia solvantur: hujusmodi ergo summa vigilantia custodiendi sunt. Unusquisque debet habere gravem & sapientem custodiam, nusquam sine custodia debet esse, non debet sine custodia passum pedis ire extra conventum, in quo qui positus fuerit. Primum in dormitorio lectus ejus est prope lectum custodis sui, ad quem absque illo nec accedit, nec recedit; in nocte vero quocumque perrexerit, portat ante se laternam, custode prævidente, ut candelam habeat accensam, qui si eum duxerit ad necessarias, postquam ipse surrexerit, jugiter intuetur eum, quamquam & laterna sit ante eum. Si vero in nocte opus habuerit surgere, excitato custode, & accensa laterna pergit ad necessaria, nec prius a custode in reditu extinguitur, quam juvenis collocetur. Custodes post Matutinos, & cum itur ad processionem, debent eas accendere; & postquam juvenes se collocaverint, semper extinguere. Si vero de choro aliquis ipsorum exierit, ut eat in dormitorium, seu propter quamlibet caussam; tunc ipsemet extra chorum accendit: cum autem revertitur, usque in chorum affert ipsam laternam, & coram omnibus extinguit.

II. „ Si Custos eum in Ecclesiam duxerit, non eum deserit, usque dum perveniat in chorum; & in refectorium, donec sit inter ostium, & in præsentia conventus.

III. „ Si vocatus fuerit ad coquinam, ante sonitum non vadit ad eam.

IV. „ Ad tres orationes, quæ rite fiunt ante Nocturnos, vel post Completorium, seu in die; ad illas similiter tres, quæ fiunt, sive in hyeme ante Tertiam, sive in æstate, vel in omnibus XII. Lect., & in octavis ante Primam, numquam ab invicem separantur.

V. „ Juvenis autem quisque habet suum custodem, & ubique sequitur ordinem custodis sui, nisi tantum ad processionem, si ipse custos est conversus: tunc enim si ipsa processio talis est, in qua dicatur cantus, commendabit cuilibet Cantorum, cui insit gravitas, & maturitas morum; non enim necesse est, ut semper quæratur talis, de quo dictum sit in capitulo ab Abbate, vel Priore, quod possit esse custos, si notum fuerit de eo, quod sit convenientis ætatis, & honestæ vitæ, ac morum; & etiam quando aliquis est tertius, vel quartus aut quintus, a Domno Abbate, vel Priore, & est custos juvenis, non vadit in ordine illius juvenis ad processionem, sed commendatus alicui ordine inferiori. Consuetudo namque est, ut numquam stet juvenis in quinta statione a Domno Abbate, vel Priore, sed etiamsi necesse fuerit, ponit super se juniores suos, quæ sunt majoris (a) personæ. Custos autem numquam mutat ordinem suum, nisi forte talem custodiat, qui aliquo modo adjudicatur fuerit ultimus.

VI. „ Est etiam mos, ut cum in Dominicis diebus, vel in hujusmodi festis revestiuntur, si aliquis eorum prior aliorum est revestitorum, superponatur ei in processione, aut etiam in choro alius maturior, cujuscumque ordinis sit.

VII. „ Quod si in custodia est Diaconus, vel Subdiaconus lecturus Evangelium, vel Epistolam, si tale quid ei contigerit, ut legere non possit; propter hoc nec verbo, nec signo quemquam sui similem appellat, ut pro se legat, sed ejus custodi cum testimonio custodis sui innotescit. Aut si maluerit, impossibilitatem suam maturius per custodem innotescet Armario, ut ipse tempestive provideat, cui tale officium injungat.

VIII. „ Cum ponuntur juvenes extra scolas puerorum, & benedicuntur, consuetudo est, ut sint juniores omnium, qui prius fuerint benedicti. Si vero cum illis novitii fuerint, juvenes erunt omnium priores.

IX. „ Dum locutio est in claustro, numquam debet custos juvenis eum alii commendare, nisi talis necessitas cogat, quæ non valeat prætermitti.

X. „ Cum cœnatur sero, si finita cœna candelæ per claustrum ponuntur, antequam fratres exeant refectorium, juvenes debent habere laternas accensas in processione illa, & hoc providere (b) est custodum ipsorum.

XI. „ Numquam sedere ita debent juvenes in claustro, ut habeant visus suos versus ad scolas infantum, vel sibi ad invicem.

„ Cum raditur conventus, custodes radunt eos, & juvenes vicissim ipsos; si vero cuilibet custodi non licuerit, vel nescierit radere, licet ei bene commendare alteri; tantum, ut dictum est, notum sit de eo, quod sit maturæ mentis: & etiam si aliquis hujusmodi indiguerit, potest ei custos præcipere, ut eum, radat.

XII. „ Numquam debet se juvenis jungere alii, qui videatur juvenis esse, in quovis negotio, etiam si ille non sit in custodia, nec loqui, vel adjuvare eum ad revestiendum, vel ad tale quid, vel etiam signum facere, nisi de qualibet necessaria re, vidente, & audiente, & concedente custode, & sedente inter utrumque: alii vero maturiores, qui bonæ opinionis sunt, possunt cum juvenibus loqui de necessariis, & utilibus rebus; sed tamen semper audientibus custodibus.

XIII. „ Sconsa illa, quæ portatur ad Lectionem ad pervidendum, utrum fratres dormiant, si ponatur ante juvenem, portabit eam per majorem chorum tantum, ac perfecto circuitu ponet eam super gradum, unde quem capitur venia, cum reditur de Lectione; levare autem eam inde, & portare circa chorum, conversorum est, qui sunt in choro. (c).

XIV. „ Illis, qui legunt Epistolam, vel Evangelium, custodia exhibetur, usque dum perveniant ad altare. Qui vero Sacerdos est, talem conversum accipit, qui bene possit eum custodire; non enim hujusmodi cantant in conventu Missam.

XV. „ Custodes non habent (d) aliam disciplinam, nisi quod clament eos fortiter.

XVI. „ Illud autem multum cavendum est de eis, ut non sint duo in infirmaria in una mansione. Et sciendum est, quod si talis juvenis sit in infirmaria, qui sciatur rediculosus, vel dispersus esse, nullo modo debet ibi conversari sine proprio custode: si vero notum fuerit de aliquo, quod timeat Deum, & bonæ conversationis testimonio polleat, uni infirmorum, qui, sicut dictum est, notus sit, potest commendari, & ibidem quandiu poterit surgere, portabit laternam.

XVII. „ Eorum capita, & pedes, sicut & puerorum per consuetudinem, ex quo collocati sunt, debent omni tempore statim cooperiri.

XVIII. „ Singuli autem tales, si, ut ajunt, tergoribus suis voluerint esse consultum, summopere caveant in omni loco, ne absque mediatore stent simul, aut sedeant in ecclesia in capitulo, in refectorio, vel alicubi, neve se ad invicem impingant, quando conventus quoquam cumulatim incedit; ut aliquando ecclesiam intrando, vel exeundo, vel quando libros in armariolum, quod est in claustro, reponunt, vel accipiunt.

XIX. „ Hoc etiam non negligunt, si est eorum statio adhuc in medio choro, & unus ex una parte, alterius ex altera, ut ita stent, ne dorsa eorum e regione ad invicem sint conversa.

XX. „ Hoc quoque cavendum est illis invicem, ne umquam ullo modo alter contingat alterum, sicut mos est, quod omnes custodiant se de tactu infantium.

XXI. „ Omnes illi, qui in reja stant, quando privatis diebus revestiuntur ad Epistolam, sive ad Evangelium, vel ad quodlibet altaris officium, non ideo mutant stationem rejæ ad Tertiam; sed si fuerint duo ex una parte prior, qui in choro fuerit ad solam illam horam, ponet alterum ex alia parte; numquam enim vel revestitus, vel divestitus debet aliquis mutare chorum sine jussione; & si divestito semel præcipitur, non debet in chorum suum sine altero præcepto redire.

XXII. „ In privatis diebus, quando fratres se jactant super formas, possunt ad scabella sedere in suffragiis Sanctorum; aliis vero diebus non licet, sed stent, & sicut infantes, levent, & bassent erecti ad antiphonas, inclini ad collectas.

XXIII. „ Ipsis quoque, sicut ad orationes Matutinorum, & Completorii, sic etiam ad letaniam custodibus suis debent esse conjuncti.

CAPUT VII.

De tonsura, & rasura Fratrum.

I. DE veterum Monachorum tonsura quinque potissimum hoc capite investigare animus est: 1. An

vete-

(a) Consf. Clun. MS. minoris.
(b) Consf. Clun. MS. addunt: Et tunc, & cum opus fuerit.
(c) Consf. Clun. MS. addunt: Sicut eam afferre in primis eorum Conversorum est, qui sunt extra chorum.
(d) Consf. Clun. MS. addunt: Super eos.

veteres Monachi caput sibi tonderent. 2. Quæ, qualisve esset eorum tonsuræ forma. 3. A quo prima ipsis tonsferetur. 4. A quibus, & quoties renovarentur. 5. Quænam inter tondendum se observarent.

II. Ad primam quod spectat, negavit Salmasius in prolixa, & erudita de cæsarie, & coma Epistola, antiquos Monachos attonsos fuisse. Verum ejus sententia refellitur non solum ex Regula S. Pachomii cap. 54. præscribentis, *ut nullus attondeat caput absque Majoris imperio*, ut nimirum non quovis tempore pro libito, sed statis intervallis tonsuram renovarent. Verum etiam ex nuper edito S. Athanasii Syntagmate doctrinæ ad Monachos, &c. pag. 16. ubi sic loquitur: „ (Promissam cæsariem non ale, quod „ ejusmodi speciem præsciderit Apostolus;) ex libro de Ecclesiastica Hierarchia, quem Dionysio Areopagitæ attribuunt; ex vulgatis a Francisco Turriano canonibus Arabicis Concilii Nicæni cap.76., qui licet a Concilio Nicæno non fuerint editi, aliquam tamen præ se ferunt antiquitatem; ex S. Hieronymo Epistola 48. ad Sabinianum; ex Regula S. Benedicti cap. 1., qui Sarabaitas redarguit, quod per *tonsuram* Deo mentiri dicerentur; ex Sancto Gregorio ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum scribente lib. 8. epist. 23., ut Monasteriis omnibus interdiceret, ne quos ad conversionem suscepissent, priusquam biennium in conversatione complessent, auderent tonsurare; denique ex Regula S. Isidori prohibentis, ne quis *Monachorum comam nutrire* auderet, & ex aliis infra citandis auctoribus.

III. Constat tamen aliquos Monachos attonsos haud fuisse, sed sibi ipsis comam nutrivisse; inde enim tanquam decepti ab Epiphanio redarguuntur: „ (Sed & in alia „ forma, *inquit hæres.* 80., præoccupati sunt idem venerandi nostri fratres, qui in Monasteriis per Mesopotamiam degunt .... nam & comas muliebres producunt, & „ sacco conspicuo procedunt; (& paulo post:) Alienum „ est a Catholica Ecclesia sacrus conspicuus, & coma extensa;) & ab Augustino in libro de Opere Monachorum cap. 33. ubi sic loquitur: „ (Sed & alii sunt (Monachi), quos illo sermone corripimus; illos, qui hoc „ uno vitio capillorum contra Apostolorum præceptum de„ missorum ostendunt, & perturbant Ecclesiam.) Et certe de Girovagis manifesta sententia est, eos crinitos fuisse; nam in sexta Synodo jubentur tonsi capillis Monasterium intrare, aut in solitudinem secedere: „ (Eos autem, *in„ quit can.* 42., qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris „ vestibus & capite *comati*, urbes obeunt, statuimus, si „ elegerint *tonsis comis*, reliquorum Monachorum amictum „ suscipere.) Idem sentiendum esse de Anachoretis existimo, quos satis verisimile est novaculas, aut forcipes in eremo secum non detulisse; & hos fortasse notare voluit Augustinus in libro de Opere Monach. cap. 31. cum ait: „ (Vereor in hoc vitio plura dicere, propter quosdam crinitos fratres, quorum præter hoc multa, & pene omnia „ veneramur;) unde & de Sancto Antonio legitur in Reg. Solit. cap. 67., quod cum Monachum quendam ostentationis vitio cecidisse accepisset, *flere cepit, & capillos sibi trahere*; & de Theodosio Antiocheno Abbate scribit Theodoretus in Philoth. cap. 10., quod „ (gestaret comam „ sordidam, & quæ ad ipsos usque pedes pertingebat, & „ ulterius etiam progrediebatur; & idem erat lumbis ejus „ alligata;) & inter alias oppositionis quorumdam Episcoporum caussas ad electionem S. Martini ad Episcopatum Turonensem, una hæc erat, eum esse *veste sordidum, & crine deformem*, quemadmodum scribit Severus Sulpicius in ejus vita l. 1. Sæculo etiam XI. Martinus alter Monachus, & Eremita, teste Petro Damiani Opusc. 51. cap. 5. „ (per tria ferme lustra non prodiit, sed neque „ capillos totondit, neque barbam rasit: (additque;) „ hoc siquidem & ipsi crines evidenter asserunt, qui jam „ jam forte prolixiores illi talo tenus fluunt. Quamquam „ hoc districtionis genus minime probemus.) Sed hæc quorumdam dumtaxat erant Monachorum exempla, quos in hoc redarguerunt SS. Patres, ut patet ex citatis locis S. Epiphanii, S. Augustini, sextæ Synodi, & hoc Petri Damiani: ceterum omnes communiter Monachi comam deponere solebant; quamvis in modo, & forma, qua tonderentur, non esset una omnium ratio; sed pro locorum consuetudine, ac præpositorum voluntate longe diversa.

IV. Alii enim novacula ad cutis usque planitiem radebantur, ut colligimus ex Socrate lib. 3. hist. c. 1. eum Julianum Apostatam dictum, priusquam Cæsar a Constantio Augusto fratre patrueli crearetur, *abrasa cute* vitam monasticam simulasse scribit; & ex Salviano Massiliensi Episcopo asserente lib. 3. de var. jud. & provid. Dei, Carthaginenses sine convitio, & execratione videre via potuisse Monachum *præcisis comarum fluentium jubis ad cutem tonsum*; confirmaturque ex illis Paulini verbis epist. 7.: „ (Nos adeant, & revisant conservuli, & compalludi no„ stri, non improba attonsi capitis fronte crinitæ, sed casta „ informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter se„ mitonsi, & destituta fronte prærasi, & ornatu pudenti„ inornati.

V. Alii vero, ut ex his postremis Paulini verbis evincitur, non omnino sibi cutem denudabant, sed forcipibus capillorum superfluitates inculte sibi præscindebant, ita ut, cum nonnihil crevissent, facile manu apprehendi possent, unde & *semitonsi* appellabantur, quod non integros sibi raderent capillos; & certa Regula SS. Pauli, & Stephani c. 29. solos infirmos, dictante medico pro humore contrario, *pressius* tonsurari permittit, & apud nostros S. Talto, ut scribit Ambrosius Autpertus in vita S. Paldonis, fertur n. 17. sæc. 3. part. 1. „ [ex quo ad Monachi habitum „ venit .... numquam caput lavisse, numquam novaculam super caput ejus, aut barbam duxisse.) Similiter & S. Romualdus referente Petro Damiani in ejus vit. c. 52. „ (novaculam numquam in suum caput patiebatur ascen„ dere, sed ipse sibi solebat excrementa capillorum, & „ barbæ forcipibus attondere;) & S. Odo Abbas Cluniacensis l. 2. Collat. n. 34., de quodam religioso suo Monacho refert, quod „ (frequenter cum solus oraret, capillos sibi distrahere soleret.) In Trevirensi etiam S. Eucharii Monasterio puer arreptitius in Magistrum suum convitiando assiliens, *eum tenacius per capillos tenuit*, ut scribit Theodericus Monachus in libro Miracul. S. Celsi Episc. Trevir. n. 5. apud Boll. 23. Febr. Denique Petrus Venerabilis ad Gislebertum Eremitam scribens inter alia, quibus ab eo fugandum esse otium docet, opera; „ (ad „ comanda, *inquit*, vel purganda fratrum capita pectines „ apta;) nonnihil ergo longos gestabant capillos, alioquin quomodo comarentur? Pexendi capitis etiam his in ritibus non semel occurrit mentio. Confirmantur hæc omnia ex libro 2. c. 7. Dialog. S. Greg. Papæ, ubi refert Placidum puerum a S. Benedicto ad hauriendam aquam missum, & in lacu delapsum, a S. Mauro per *capillos* apprehensum, ex aquis extractum fuisse; non enim placet, quod ad hanc sibi objectionem respondet Benedictus Haeftenus lib. 5. tract. 9. disq. 1. S. Placidum adhuc puerum a patre Tertullo jam tunc primum oblatum, eo tempore fuisse novitium, nec proinde ante solemnem professionem attonsum: nam & illa solemnis oblatio vim professionis obtinebat, puerosque Deo ita consecrabat, ut ad sæculum deinceps redire non possent, ut probamus in comment. ad cap. 59.; eaque semel peracta veri censebantur Monachi, unde & ipse S. Placidus licet puer, tamen a S. Gregorio ibidem, & a Fausto in vita S. Mauri num. 51. *Sancti viri Monachus* appellatur, ipsique pueri antequam offerrentur, aut saltem simul ac oblati fuissent, tondebantur, ut patet ex antiquo Scriptore lib. 1. Miracul. S. Richarii Abbatis cap. 14. sæc. 2. pag. 219., in quo Albericum puerum Monasterio Centulensi parentes offerentes, ei *sumta forcipe caput instar coronæ totonderunt*; ex vita S. Wilibaldi n. 4. sæc. 3. part. 2. pag. 369.; ex Statutis Lanfranci cap. 18. „ (Offerendus puer facta sibi prius corona, manibus „ portans hostiam .... a parentibus offeratur ... dehinc „ ducatur ad radendum, & vestiendum, sicut nostri Or„ dinis consuetudo est;) & ex his, quæ supra diximus c. 4.

VI. Ut vero de tonsuræ figura aliud disseramus; alia fuit apud Græcos, alia fuit apud Latinos Monachos. Græci enim in formam crucis attondebantur, ut patet ex eorum Euchologio, ubi in ordine instituendi novitii legitur: *Sacerdos tondet eum in formam crucis*; quamvis ex Theoria S. Germani Episcopi Constantinopolitani totum sibi caput totondisse olim videantur. Certe in edito nuper S. Athanasii Syntagmate doctrinæ ad Monachos &c. pag. 16. legitur: „ (Promissam cæsariem non ale, quod ejus„ modi speciem præsciderit Apostolus. Noli tondere mentum, sique tonderis, noli circumradi;) & tamen in vulgatis a Francisco Turriano canonibus Arabicis Concilii Nicæni c. 76. præscribitur, ut „ (Religiosi tum Monachi, „ tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores, „ quam habent laici, ac tondeant caput in modum coro„ næ.) Hæc erat Latinorum Monachorum tonsura, quam videre est in Regula Sancti Fructuosi cap. 16. decernentis, ut turpis Monachus „ (publice verberetur, coronam ca„ pitis, quam gestat, amittat, decalceatusque turpiter op„ probrio pateat;) in vita S. Rictrudis, ubi de Sancto Maurontio dicitur, quod S. Amandus „ [decisa capitis ejus „ coma in clericum totondit, & coronæ signum gestare „ fecit,) sæc. 2. p. 946. apud Ethelwulfum in carmine de viris piis Lindisfarnensibus, ubi de secessu Eadmundi Ducis capite 4. ita canit:

Gaudebatque suæ capitis portare coronam, &c.

VII. Et in vit. S. Stephani Abbatis Obazinensis l. 3. n. 4.

n. 4. „ (Et quia tempus tonsuræ præterierat; ipse vero propter infirmitatem radi permissus non fuerat, incumbente jam morte radi se incunctanter præcepit, ut corpus ægrum magis excruciaret, ad Dominum continuo migraturus novus, & *coronatus* introiret.) Sanctimoniales etiam aliquando in formam coronæ attonsas fuisse legimus, ut in vita S. Gertrudis Abbatissæ Nivialensis sæc. 2. cui mater Itta in Nivialensi Monasterio monasticam professa timens, „ (ferrum tonsoris arripuit, & capillos S. puellæ ad instar coronæ abscidit,) ac deinde Episcopis velandam præsentavit. Ita etiam Montanæ Virginis Mater capillo *ad instar coronæ abscidit*, ut lego in ejus vita apud Labb. tom. 2. Bibl. nov. p. 594.

VIII. Qui tamen ex Monachis erant Laici, & non Clerici capillos quidem tondebant, at coronam non gestabant. Porro ex Clericis alii majorem, alii minorem præferebant coronam, ut videre est in pluribus antiquis picturis quales sunt eæ, quas exhibuit Browerus in lib. 2 Fuldensium antiquitatum cap. 16. In tumulo Otgerii, & Benedicti illustrium sub Carolo Magno Heroum, postea Monachorum, ut extat etiam nunc in Basilica S. Faronis apud Meldos, corona capitis est trium circiter digitorum. Nunc vero apud nos qui choro deputati sunt Monachi, hi toto capite ad cutis planitiem tondentur, excepto inferiori circulo capillorum juxta antiquam clericorum formam quæ statuitur in Concilio Toletano IV. can. 40. his verbis: „) Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ, & Sacerdotes detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut huc usque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut Laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent; ritus enim iste in Hispaniis huc usque hæreticorum fuit;) & videre est apud Gregorium Turonensem in lib. de vitis Patrum cap. 17. ubi de S. Nicetio: „ (Cum partu fuisset effusus, *inquit*, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, a capillis nudum cernebatur; in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.)

IX. Fuit & aliud Scotorum Monachorum tonsuræ genus, quod a Simone Mago prodiisse tradit Beda lib. 5. hist. gent. Angl. c. 22., & quod propterea improbat, nec tamen omnino damnat propter sanctissimos, & gravissimos viros, inter quos „ (Adamnanus, *inquit*, Abbas, & Sacerdos Columbensium egregius,) qui eo utebantur. Nimirum primo aspectu in frontis superficie videbatur præferre speciem coronæ, at ubi ad cervicem considerando pervenisses, decurtatam eam, quam te vidisse putabas invenires. Sed in his omnibus non magni refert, cum „) tonsuræ discrimen non noceat, quibus pura in Deum fides, & caritas in proximum sincera est,) ut loquitur Beda. Romanam tamen apud Scotos tonsuram primum invexerat S. Patricius, at hanc quæ in semicirculum delinebat, adinvenit Loigeri Regis filius, quæ magnarum postea contentionum fomes origo extitit, de quibus vid. præf. in sæc. 3. part. 1. §. 1.

X. Jam vero quærendum est, a quibus maxime Monachi tonderentur; qua in re audiendus est in primis Nebridius a Mundelheim in antiquario Monastico epistola 60. ubi sic discurrit an. 756. c. 11. „ (Ante mille circiter annos nonnulli tondebant semetipsos, nec tamen vivebant in cœnobiis. Hos jussit concilium Parisiense tradi in ordinem regularem, idest Monasticum, vel in ordinem Canonicum, nempe Clericalem. Nonnulli in parva ætate tonsuram religionis cum habitu accipiebant a parentibus. Hi in Concilio Toletano X. an. 656. c. 6. jubentur manere in religione, si aliquandiu toleraverunt. Alioquin tonsurare monachos communiter ad Abbates pertinebat: Nullus præter Episcopum, ait Concilium Pictaviense an. 1109. coronas benedicere præsumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantummodo coronas faciant, quos sub Regula S. Benedicti militaturos susceperint. Et in Concilio Salisburgensi an. 1274. c. 14 decernitur: nullus Prælatus religiosum tonsuret, aut vestes benedicat, nisi recipiat unam de approbatis regulis, & se destinet certo loco. Poterant tamen Abbates officium hoc committere aliis, sicut hodie per alios novitiis habitum conferunt: Sic Hugo Franciæ Rex trusus in monasterium S. Galli, deinde in Prumiense sub Abbate Ansbaldo, tonsus est a Reginone loci custode:) Hæc ille. Abbatis ergo erat, cum primum fratres, sive in habitus monastici susceptione, sive emissa professione capillos deponebant, tonsuram conferre, idque ad altare, ut patet ex Regula Magistri c. 90. „) Tondeatur autem sic (scilicet novitius post annum completum,) stet ipse frater in medio oratorio curvatis genibus, tondente eum Abbate psallentibus in circuitu cunctis:) ex Fausto in vita S. Mauri Abbatis n. 52. qui Florum ante altare habitu monastico indutum primus ipse totondit, deinde Rex Theodebertus, postea de optimatibus ejus, quicumque voluit; ex Gregorio Turon. de vit Petr. c. 3. in vita S. Galli Episcopi, qui „ (monasterium Cromonense expetit sexto situm ab Arverna urbe milliario, suppliciter Abbatem exorans, ut sibi comam capitis tondere dignaretur; (& paulo post) tunc Abbas istis nunciis referentibus puerum clericum fecit;) ex eodem iterum in vita S. Venantii Abbatis cap. 9., qui cum accessisset ad Silvinum Abbatem, hic „ (gratias agens Deo pro fide pueri, addita etiam prædicatione Sacerdotali juvenem totondit, & gregi monasteriali adscivit;) Ex vita S. Theofredi Abbatis n. 7. sæc. 3. part. 1. in qua Calmiliacense Cœnobium ingredienti S. Meneleo Abbas Eudo comam capitis deposuisse legitur; ex Cronographo Fontanellensi de S. Angesiso ejusdem loci postea Abbate ita scribente Spicil. tom. 3. „ (Tenente locum regiminis hujus Cœnobii Gitovvaldo Abbate propinquo suo, hoc accessit monasterium, tonsuramque capitis ab eo accepit.) Denique ex libro Usuum Cisterc. c. 102. in quo decernitur, ut „ (qui monachus fieri voluerit completo anno probationis, vocatus in capitulo coram omnibus quid de rebus suis, si quas habet, fieri debeat, disponat. Postea benedicatur ei corona ab Abbate in ecclesia si laicus fuerit, assistente ei Cantore, & Sacrista; completque benedictionem, sicut in collectaneo habetur. Capillos vero comburet Sacrista in piscinam ad hoc deputatam: Deinde tondeatur in monachum.] Ex his postremis verbis habemus, non solum primam tonsuram monachis ab Abbate collatam fuisse, sed nec ipsos novitios probationis tempore ullam gestasse tonsuram, idque juxta Aquisgranensis Concilii decretum can. 34. statuens, ut ipse novitius „ (nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat;) & tamen legimus S. Guillelmum Ducem, & monachum Gellonensem in ejus vit. n. 23. sæc. 4. in ipso tirocinii monastici initio auro textis vestibus exutis, monasticas suscepisse, barbam, & comam deposuisse, ejusque capillos Deo consecratos fuisse; sed fortasse in ipso tirocinii initio obedientiam promiserat, ut multos fecisse constat; & certe Anonymus vitæ scriptor rem enarrans, *Per Dei gratiam solemniter benedicitur*, inquit: porro benedictio, & professio novitiorum apud veteres idem sonant. Ipsi vero ab Abbate præcisi capilli Deo consecrabantur, ut patet tum ex vita prædicti S. Guillelmi: „ (Coma nobili, barba venerabili deposita, *& Deo consecrata*, veste apostolica instar Crucis induitur;) tum ex Regula S. Aureliani n. 4. „ (Si quis laicus tonsurandus est, de capillis ejus in confessionem mittatur, quæ ei testimonio sit.)

XI. Quod de monachis hic diximus, idem de Sanctimonialibus intelligendum est, quibus monasteriorum matres, ut primum Deo se vovebant, crines abscindebant, ut discimus ex S. Hieronymo in epistola ad Sabinianum epist. 48. „ (Moris est in Ægypti, & Syriæ monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renuntiantes omnes delicias sæculi conculcaverint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite; sed ligato pariter, & velato.)

XII. Postquam autem solemniter ab Abbate ita attonsi erant monachi, aliam ab Episcopo ut in Clerum adsciscerentur, accipere tonsuram non tenebantur, nam reipsa veri censebantur, erantque Clerici. Immo ipsi Abbates aliquando Clericalem tonsuram non monachis conferebant, ut patet in l. 2. de gestis SS. Rotonensium cap. 4. ubi S. Convojeon Abbas Retvvali totondit, & Clericum fecit.

XIII. Ubi vero semel ab Abbate attonsi essent monachi, de cetero seipsos invicem tondere solebant; quonam autem tempore tonsura renovaretur, paucis edissero. Apud veteres monachos, quorum rationes omnes ex uno Abbatis arbitrio pendebant, nullum renovandæ tonsuræ tempus fixum, constitutumque legimus, sed ubi jussisset ille, sibi mutuo capillorum incrementa præscindebant. Ita innuit Regula S. Pachomii n. 54. decernens, ut „ (nullus attondeat caput absque majoris arbitrio;) & Regula SS. Pauli, & Stephani, quam sæculo v. scriptam esse suspicantur: „ (Nullus fratrum *inquit* n. 29. audeat tonsurari sine oratione Abbatis.) S. Hilarion non nisi semel in anno scilicet ad Pascha, tondebatur. S. Ebrulfus Abbas Uticensis, uti legimus in ejus vita n. 20. sæc. 1. Bened. in monasterio singulis annis ter renovabat tonsuram: Idem de S. Alberto Abbate Gambronensi scribit Anonymus in ejus vita n. 3. Antiquos Gemmeticenses nostros singulis sabbatis id egisse suspicabitur non nemo ex illis de vita S. Aicadri verbis n. 25. sæc. 2. „ (Quadam die, quæ nominabatur

batur

batur Sabbatum, quo solent monachi exercere novitia, sanctus Dei famulus præcepit cuidam monacho procuratori suo, ut capillos sancti sui capitis cum forcipe adæquaret;) sed ille locus non adeo clarus est. Postea in Concilio Aquisgranensi statutum est „ (ut in Quadragesima nisi in sabbato sancto non radantur, in alio autem tempore semel per quindecim dies, & in octavis Paschæ.) Paullo prolixius spatium interponit Grimlaicus in sua ad Solitarios Regula c. 50. ubi sic loquitur: „ (Solitarii, & præcipue illi qui sacra mysteria contrectant, de quadraginta in quadraginta diebus se radant, & capillos tondeant:] paullo vero brevius antiquæ Germaniæ consuetudines n. 32. nimirum „ (a prima quoque hebdomada Quadragesimæ, *inquiunt*, non se radent usque in ultimam; reliquo tempore ad radendum duodecim dies deputentur, nisi forte aliqua expectetur festivitas valde proxima.) Petrus Damiani de institutis Congregationis suæ agens ita tonsuræ renovandæ tempus determinat opusc. 15. c. 18. „ (Radant autem caput per menses singulos, exceptis Quadragesimis duabus, quæ nimirum sine lavacro capitum transigendæ sunt.) De Cluniacensibus audiendus est Udalricus l. 3. c. 16. „ (Vices radendi hæ sunt per annum: 1. ante vigiliam Natalis Domini, inter quem & septuagesimam, quia diverso modo septimanæ sunt, nunc plures, nunc pauciores, ibi nullus terminus est præfixus, nisi Prior viderit, quomodo convenientius fieri possit. Veniente septuagesima de vice ad vicem tres septimanæ semper intermittuntur. Ante Pascha in illa tertia feria est radendum, maxime quia eo die in claustro licentiam habeat loquendi. Post Pascha ad illam Dominicam: *Misericordias Domini*. Ante Rogationes in illa feria v. si tamen nulla festivitate interveniente impediatur. Ante Pentecosten, de quo die quia rursus diversæ sunt septimanæ usque ad solemnitatem SS. Petri, & Pauli, rursus quoque rasura permittitur in deliberatione Prioris. Postea non erratur de ulla vice, quia ita est consuetudinaliter ordinatum, ut semper se radant ad Translationem S. Benedicti; ad Vincula S. Petri: ad Assumtionem S. Mariæ: ad ejus Nativitatem: ad Festivitates S. Michaelis, S. Lucæ Evangelistæ, S. Martini: ad Adventum Domini.) Idem habent consuetudines S. Benigni cap. 33. Sed paullo aliter ordinavit postea Petrus Venerabilis statuens Statut. 33. „ (ut 1. rasura fieret die præcedente vigiliam Natalis Domini. 2. Propter assiduam mutationem quadragesimalis initii juxta Domini Abbatis aut Prioris dispositionem, medio vel congruo die inter jam dictam rasuram Natalis Domini, & primam Dominicam Quadragesimæ fiet . . . . 3. Sabbato præcedente eamdem primam Dominicam Quadragesimæ. 4. Feria tertia hebdomadæ palmarum. 5. Sabbato Paschalis Dominicæ, qua cantatur *Jubilate Deo*. 6. feria vi. ante Pentecosten. 7. Inter Pentecosten, & Natalem Apostolorum Petri, & Pauli; sed quando hæc prolixitas temporis exegerit. 8. Die præcedente vigiliam Apostolorum Petri, & Pauli. 9. Vigilia S. Jacobi. 10. Die præcedente vigiliam Assumtionis B. Mariæ. 11. Vigilia Nativitatis ejusdem B. Mariæ. 12. Vigilia S. Michaelis. 13. Vigilia omnium SS. 14. Vigilia S. Andreæ.

XIV. Cistercienses ex libro Usuum c. 85. septies tantum in anno radebantur, nempe „ (in Natali Domini: ad Dominicam quinquagesimæ, sive ad Pascha: ad Pentecostam: ad festum S. Mariæ Magdalenæ: ad Nativitatem S. Mariæ: ad festivitatem omnium SS.) Postea tamen ad petitionem Johannis Cardinalis S. Laurentii in Lucina, qui ad mandatum Domini Papæ propter reverentiam Sacramenti altaris percipiendi, ut augeretur rasurarum numerus, requisierat, capitulum generale anni 1257. permisit, ut in anno duodecim fiant rasuræ, scilicet in Natali Domini; in Purificatione B. Mariæ: prima Dominica mensis Martii: in Pascha: in Ascensione: in vigilia S. Johannis Baptistæ: in vigilia S. Mariæ Magdalenæ: in vigilia Assumtionis B. Mariæ: in vigilia Nativitatis ejusdem: in vigilia S. Dionysii: in vigilia omnium SS.: & prima Dominica Adventus: rasura Conversorum in suo antiquo statu permanente. De tonsura Carthusiensium monachorum ita scribit Guigo in Statutis c. 9. „ (Septies in anno radimur servato silentio: in vigiliis Paschæ, Pentecostes, Assumtionis, omnium Sanctorum, Natalis Domini, & in capite jejunii.) sed in antiquis Statutis hunc ita numerum auxerunt: „ (In Calendis omnium mensium, *inquiunt* part. 1. c. 15. §. 16. servato silentio radimur: Si vero in Calendis occurrit festum capituli, radimus die præcedenti, in quo aliud festum capituli non occurrit. Si autem Calendæ contingant feria ii. iii. iv. v. vel vi. post Dominicam in ramis, differtur rasura usque ad vigiliam Paschæ.)

XV. In tertia vero compilatione Statutorum „ (Rasura monachorum, *ajunt* c. 7. & Conversorum fit per totum ordinem bis in mense; Priores tamen, Rectores, Vicarii monialium, & Procuratores, qui pro Domorum negotiis exeunt, radi possunt semel in hebdomada; qui tamen quando cum monachis erunt, secum eis quoad hoc conformare debebunt.) Cælestini etiam decimo-quinto quoque die, ut in eorum constitutionibus c. 8. §. 2. habetur: Bursfeldenses singulis quatuordecim diebus tonderi volunt, nec ultra tres hebdomadas differri.

XVI. Quænam porro in ipsa tonsionis, rasuræque exercitio servarent, fusius referunt antiquæ Farfensis monasterii consuetudines, Statuta Lanfranci cap. 12., Udalricus l. 3. c. 16., & Divionenses S. Benigni consuetudines c. 33., quas hic describimus, si quid in aliis diversum extiterit, postea notaturi. „ (Sonata tabula post capitulum, *inquiunt*, eundum est ad radendum. Qui debent radere, debent sedere in uno scamno propter rasoria; qui vero sunt radendi, in altero propter scutellas: & tunc dividentur eis, ita ut bini habeant unum rasorium, & unam scutellam. Qui acceperit scutellam, non debet accipere rasorium, & e converso qui acceperit rasorium, non debet accipere scutellam. Nullus stando, vel scutellam, vel rasorium accipere debet. Frater quidam est huic obedientiæ deputatus, qui servat rasoria in scrinio parvo, & serat, quod cum voluerit, & opus esse viderit, videlicet biduo, aut triduo præcedente ante rasuram portat in claustrum, & tamen in parte sedet extra conventum, ipsa rasoria acuendo, & præparando; & ad hoc præter intervalla in quibus conventus sedet in claustro, ad Missas, & ad officium, licet tamen, quam adjutoribus, quibus Prior jusserit, vacare. Cum generalis rasura fit, per eum dantur eis rasoria per Eleemosynarium scutellæ, atque eis rasis recipiuntur. Mox ut Prior incipit: *Verba mea*, vel psalmos familiares, (cantatur enim inter radendum psalmodia eodem ordine, quo in coquina, & insuper psalmi familiares usque ad Vesperos; qui vero sunt de Vesperis, non cantantur) debet esse a loquutione silentium, usquequo finitis psalmis dicat Prior: *Benedicite*, nisi aliquis, qui radit in primis, dicit: *Benedicite*. Quisquis radit alterum, frocum exuit, & in cuculla radit; qui vero raditur in froco, cucullam exuit, & prope se ponit: Quod si forte pro aqua calida perrexerit apportanda, ipsam cucullam decenter in brachio complicatam secum portat. Sine cuculla nemo debet loqui. Unusquisque aquam calidam, quando communitas datur, debet ab alio unam mensuram accipere; si vero solus fuerit, tunc potest ipse accipere. Donec psalmi dicuntur, nullus debet sibi ungulas incidere, nec capillos cum forcipe tondere, sicut nec sine cuculla reinduta; qui autem rasi fuerint, prius cucullis indutis debent se tondere finita psalmodia; deinde in illam refrantiam ire, in qua loquutio solet esse, & libros accipere, ungulasque, si fuerit opus, incidere, loqui quiete de talibus, ac necessariis rebus. Sub capillis autem debet esse unusquisque rasus, & in media aure tonsus. Si qui non potuerint ante primum signum horæ radi, possunt expectare secundum, quod dum pulsetur, si nondum minime potuerint perfecisse, non ideo deserant horam; sed ibunt, & stabunt extra chorum cum capitio in capite. Finita autem hora poterunt perficere in claustro, dum familiares psalmi, & letania dicentur. Si vero nec tunc poterint perficere, tam ipsi, quam alii, qui non potuerunt radi, exibunt claustrum, & in calefactorio radentur. Si quis post horam radendi supervenerit, non raditur, nisi cum licentia, vel post Nonam, quando loquuntur in claustro. Ad illa intervalla, quæ facit conventus, usque ad Vesperos poterunt tonderi, sine licentia in calefactorio, alias minime. Parare vero illam aquam, & afferre in claustrum, quæ necessaria est ad radendum, est eorum, qui præterita hebdomada servierunt de coquina. Et sciendum, quoniam ea die qua raduntur, fratres non sunt in tanta districtione, quanta in aliis; loquuntur enim stantes, ubi raduntur, quod in aliis diebus minime licet cuiquam. Infirmi autem prius una die raduntur, nisi vel propter xii. Lect., vel propter defunctum insepultum remaneant.)

XVII. Ex his plurima observanda occurrunt. 1. Apud veteres monachos locum tonsioni, rasuræque destinatum fuisse claustrum, ut videre est hic, in Statutis Lanfranci, apud Udalricum, in antiquis Farfensis monasterii consuet., in Parisiensibus S. Germani, in libro Usuum Cistarciensium;

siam; in quo tamen excipiuntur infirmi, qui in infirmitorio sunt. X. Non alios huic exercitio occupatos fuisse, quam ipsos monachos, qui se invicem radebant; qua in re consideranda sunt maxime Lanfranci verba c. IX. „ (Juve-
„ nes, qui sunt in custodia, suos radant, & custodes ipsos
„ juvenes: quod si custos nequiverit, aut nescierit ra-
„ dere, roget aliquem maturum fratrem, ut eum radat,
„ ipse tamen custodiens eum juxta eum sedeat: juvenes
„ quoque sive nutriti, sive de sæculo venientes, utrique
„ tamen extra hujusmodi custodiam existentes, non præsumant
„ ut alter alterum radat, sed seniores ab illis; & illi
„ a senioribus radantur, magistri pueros radant; & ipsi
„ a pueris radantur, si tamen hujusmodi scientiam ha-
„ bent.) In Croylandensi nihilominus Monasterio is,
cui concessa erat scientia infirmatiæ, radebat „ (totum con-
„ ventum in ordine suo absque aliqua personarum acce-
„ ptione, nisi forte aliquis senior ultro post juniorem vo-
„ luerit expectare,) inquit Ingulfus in hist. Croyl. ad ann.
1091. Sed hoc contra universalem ordinis consuetudinem,
in quo res ignota erat sæculares adhibere viros ad Monachos radendos. De pueris ita scribunt antiquæ Farfensis Monasterii consuetudines: „ (Pueri vero IV. feria, &
„ Sabbato possunt se tondere in schola.)

XVIII. Tertio, commissam fuisse uni Monacho instrumentorum ad rasuram necessariorum curam, qui universa in scrinio *juxta dormitorium*, ex Farfensium consuetud., sive, ut loquitur Udalricus, *introitum dormitorii*, servabat. Is item unum Rasorium, & Eleemosynarius scutellam, hoc est vasculum ad recipiendam aquam lavandis capitibus præparatam ministrabat, ut cum his consuetudinibus præscribunt Farfenses, & Udalricus.

XIX. Quarto, ad ipsos præteritæ hebdomadæ servitores spectasse aquam ipsam præparare, & calefacere, quod confirmant Farfensis Monasterii consuetudines. Usus Cisterciensis cap. 18. etiam præscribunt, ut „ (coci calefaciant,
„ & deferant aquam in claustrum.)

XX. Quinto, continuam, quamdiu duraret ipsa rasura, perseverasse psalmodiam, de qua sic scribit Lanfrancus:
„ (Residentibus cunctis, & ad radendum paratis, incipiat
„ Abbas, aut Prior quinque psalmos, idest: *Verba mea*
„ pro defunctis; Sacerdos Hebdomadarius sedens dicat
„ collectas; alter quoque Hebdomadarius juxta eum sedeat,
„ & cum eo psalmos teneat. Post quinque psalmos
„ dicant omnes (a) canonicas horas, in quarum fine
„ usque ad Vesperas non dicat Sacerdos: *Dominus vobi-*
„ *scum*, nec *Benedicamus Domino*; (sed post) *Per om-*
„ *nia sæcula sæculorum*, statim incipiat: *Adjutorium meum.*
„ Post Vesperas vero dicto *Benedicamus Domino*, psallan-
„ tur Vesperæ mortuorum, dehinc Completorium, ut
„ Canonici, postea familiares psalmi horarum.) Eamdem psalmodiam videre est in antiquo Corbejensi Ordinario, in cujus calce describitur, *Ordo psalmorum ad rasuram*. Farfenses consuetud. solum decernunt, ut „ (Abbas, vel
„ Prior incipiat psalmos quinque in primis pro defunctis,
„ qui prænuntiati fuerunt in capitulo, & cursum canonicum,
„ sicut mos est in aequina cantare; & postmodum fami-
„ liares psalmos super horas regolares.)

XXI. Sexto, maxima consideratione dignum est, quod audito horæ alicujus signo omnes etiam imperfecta tonsura ad ecclesiam pergerent, licet choro psallentium non jungerentur, quod amplius explicat his verbis Udalricus:
„ (Priusquam sit toto sit rasus, si ad aliquam horam si-
„ gnum fuerit pulsatum, cucullam induit super frocum,
„ indutoque capello pergit ad ecclesiam; non tamen ingredi-
„ tur chorum, sed stat seorsum;) & Farfensis Monasterii consuetudines: „ (Si ex fratribus aliquis contigerit, ut
„ inchoatus fuerit ad radendum, & signum insonuerit;
„ dimittat hoc opus, surgat, & induat cucullam, & eat
„ ecclesiam, & sit extra chorum; cum hora expleta fue-
„ rit, revertatur, & radat se;) & Lanfranci Statuta:
„ (Frater dum raditur, si signum ad horam sonuerit, induat
„ cucullam super frocum, & pergat in chorum, si tamen
„ omnino barbam rasam, aut omnino adhuc intactam ha-
„ bet, alioquin extra chorum maneat.] Tanti nimirum faciebant illam S. Benedicti sententiam: *Nihil operi Dei præponetur.*

XXII. Septimo, circa tonsuræ formam liber Usuum Cisterciensium præscribit, ut „ (rasura coronæ fiat non
„ exigua tonsura per desuper aures;) & Farfenses consuetudines, *detur ad meditatem aurium capillum incidere in gyrum*. Studebant autem veteres Monachi, ut omnes ejusdem Cœnobii fratres uniformes essent in tonsura; hinc Regula SS. Pauli, & Stephani: „ (Nullus fratrum, *inquit*
„ *c. 29.*, audeat tonsurari sine oratione Abbatis; nec alia ton-
„ sura quisquam, nisi nobis solita, tonsurari affectet, ex-
„ ceptis infirmis, quos dictante medico pro humore con-
„ trario prestius forsitan necesse tonsurari;) & Regula Sancti Isidori cap. 13. „ (Tondere ergo debent illi, quando
„ & omnes, immo simul ac pariter omnes, nam repre-
„ hensibile est diversum habere cultum, ubi non est di-
„ versum propositum.)

XXIII. Octavo, Farfensis Monasterii consuetudines addunt: „ (Caput qui lavare voluerit ipsa die, sine licen-
„ tia faciat, alia die non licet; & quandocunque hoc
„ facit, tonicam cum latis manicis indutam habeat;)
nimirum post factam rasuram lexivia caput lavabant, ut discimus ex Statutis Lanfranci c. 52. „ (Finitis psalmis, *in-*
„ *quit*, dicat Abbas, vel Prior, *Benedicite*, & responso,
„ *Dominus*, postea loquantur: Tunc lescivia in claustrum
„ deferatur, & qui vult, caput lavet, quisque sibi, nullus
„ alii: præter Magistros infantum, qui parvulis pueris,
„ qui id non possunt, capita lavare debent.)

XXIV. Denique prætereundum non est quod decernunt antiquæ Germaniæ consuetudines his verbis: „ (Quo-
„ tiens autem se raserint, in crastino omnes in albis can-
„ tent Missam, & cum sequentia: qui non fuerit rasus,
„ ad Missam de ordine aliorum removeatur.)

XXV. Restat, ut de barba hic aliquid subjiciamus: hanc veteres in Oriente Monachi alebant, in Occidente radebant. De primis præceptum habemus in Syntagmate doctrinæ Sancti Athanasii ad Monachos, &c. in cujus pag. 16. legitur: *Noli tondere mentum*, quod variis posset exemplis confirmari; nam v. g. S. Arsenius *gestavit barbam longam, quæ ad ventrem pertingeret*, ut scribitur in editis tom. 1. Mon. Eccl. Græc. Apophtegmatis pag. 371. Idem de S. Euthymio refert Cyrillus Scytopolytanus in ejus vita num. 109. tom. 2. Monum. Eccles. Græc. pag. 293. Idem etiam videre est in vita Sancti Sabæ de ejus discipulis num. 22. & 29. tom. 3. Mon. Eccles. Græc. p. 250. & 259. & in narratione Martyrii SS. triginta octo monachorum Martyrum in Jonia sub Copronymo Imperatore, quibus barba pice illita exusta dicitur n. 4. apud Bollandum XIV. Januarii. Idem denique de B. Antiocho in vita S. Theodori Siceotæ n. 67. apud Boll. XXII. April. Nonnulli etiam in Occidente promissam barbam gerebant, ut colligimus ex Gregorio Turonensi in lib. de vit. Patr. cap. ult., ubi de S. Leobardo recluso in majori monasterio apud Turones „ (nec sibi, *inquit*, ut quidam, demissa capillorum
„ flagellis, aut barbæ demissione plaudabat, sed certo
„ tempore capillum tondebat, & barbam:) Sed hæc forte intelligenda sunt de Eremitis, aut reclusis; nam Cœnobitæ communiter, & maxime Benedictini, barbam radebant, ut patet ex dictis hactenus; ex vita S. Guillelmi Ducis, & monachi Gellonensis sæc. 4., qui in ipso tyrocinii sui exordio comam, & barbam deposuisse, Deoque consecrasse dicitur; & ex vita S. Ursеoli Ducis Veneti, qui ad monasticam conversionem clam aufugiens, timensque, ne a subditis Venetis, magno animorum studio eum requirentibus, & jam jamque proximis agnosceretur, ad socium itineris Abbatem „ Quantocius *inquit*, *sæc. 5. p.* 882.
„ suscipe novaculam, & depone mihi barbam, sicque colo-
„ bium indue monasticum;) quæ res pro voto successit. Fratres tamen Laici, & illiterati, quos vocamus Conversos, oblongam, promissamque barbam nutriebant, ut patet ex Anonymo in vita S. Hermenoldi lib. 2. c. 2. apud Boll. VI. Januarii, ubi refert punitionem cujusdam fratris *ex his, quos barbatos dicimus*, inquit, de quo in vita a Canisio edita hic præfertur titulus: *De quodam fratre converso graviter punito*. De Cisterciensibus definita sententia est ex Chrysostomo Henriquez in vita S. Alberici n. 18., apud Boll. 26. Jan., ubi sic loquitur: „ (Tunque definie-
„ runt Conversos laicos, & *barbatos* se suscepturos, &
„ homines etiam mercenarios; quia sine adminiculo istorum
„ non intelligebant se plenarie die, sive nocte præcepta Re-
„ gulæ posse servare.)

CAPUT VIII.

De ordine ad visitandos infirmos de vita periclitantes, atque ad mortem tendentes.

I. INfirmos visitare apud antiquos monachos idem omnino erat, ac sacrosancta ecclesiæ Sacramenta, Confessionis scilicet, Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ ipsis administrare; unde Evethelmus in vita S. Popponis Abbatis Stabulensis n. 66. apud Boll. 25. Janu. „ (Puer
„ quidam, eit, Gozo, idemque monachus viri Dei scola-
„ ri adhuc disciplinæ subjectus, valida corpore infirmitate
„ correptus est, qui se mox visitari petiit, & oleo inun-
„ gi a

(a) Idest omnes horas Canonicorum more, ut patet ex antiquo Corbejensi Ordinario.

„ gi, psalmisque, ac precibus Deo commendari;) & apud authores *ordo ad visitandum infirmum* idem prorsus fonat, atque ordo servandus in administrandis infirmo ecclesiæ Sacramentis. Hujusmodi ordines edidit noster Menardus, ex tribus MS. in notis ad lib. Sacram. S. Greg. Papæ p. 346. Hic nos alios subjungimus, & primum quidem antiquum Casinensium, prout exstat ad calcem breviarii MS. tempore Oderisii Abbatis exarati.

Ex antiquo breviario Cassinensi.

Ordo ad unguendum infirmum.

II. „ Dicat Sacerdos: *Pax huic domui*: ℟. *Et omnibus habitantibus in ea*; deinde incipiat antiph.: *Asperges me Domine*, & cantent psal.: *Miserere mei Deus* totum. Interim aspergatur infirmus, & lectus ipsius, & tota domus aqua sanctificata; Finito psalmo repetita antiph. dicat orat.: *Omnipotens, & misericors Deus quæsumus immensam pietatem tuam*: &c. requirenda in visitatione infirmi: Deinde imponat Sacerdos letaniam (sequebatur letania cum oratione, quam hic non descripsimus) Post hæc faciat infirmus confessionem, & facta confessione, imponatur ei pœnitentia competens, dehinc reconcilietur hoc modo; psal. *Miserere mei Deus*: *Kyrie el. Chr. Kyr.*: *Pater noster*. Cap. *Salvum fac*; *Mitte ei Domine*; *Convertere Domine*; *Non intres in judicium*: *Domine exaudi*; *Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem* &c. alia oratio: *Per invocationem sacrati nominis Dei, & per intercessionem Dei genitricis, & Virginis Mariæ, & B. Michaelis Archangeli, & B. Principis Apostolorum, & omnium SS., & per ministerium nostrum absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum percipere merearis hic, & in æternum, amen.*

III. „ Post hæc omnes Sacerdotes, qui adsunt, imponant manus suas super infirmum, & dicant orationem hanc: *Adesto quæsumus Domine humilitatis nostræ obsequiis, & eis benignus cooperator existens, ut qui ad expletionem mandatorum tuorum, huic ægroto manus extinguere olei sacri unctionem exhibemus, hujusmodi ferventis unctionis actionis officio comitante, ab hoc famulo tuo N. omnis languor, & debilitas abscedat, reliquæque imbecillitatis gravamenta ad te medicum supernum vultum, & mentem erigat, & pro sospitatis restitutione, laudes nomini tuo competentes in æternum persolvat.*

IV. „ Qua finita legatur Lectio epistolæ B. Jacobi Apostoli: *Charissimi mei, tristatur aliquis vestrum* &c. usque *orate pro invicem ut salvemini.*

V. „ (Hic sequebantur septem antiphonæ, septemque orationes septem psalmis pœnitentialibus insertæ, quas omisimus.)

VI. „ Quibus finitis sumens Sacerdos oleum sanctificatum, ungat infirmum tali modo facto signo crucis cum pollice in primis ad caput.

VII. „ *Ungo caput tuum oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad luctam possis aereas superare catervas, Per Christum.*

VIII. (Sequitur similis forma ad oculos, ad aures intus, & exterius, ad nares, intus, & foris, ad labia exterius, ad pectus, ad scapulas, ad manus exterius, ad pedes desuper, ad locum doloris, semper, & ubique absoluta; deinde: Kyrie: Christe: Kyrie eleison: Pater noster, & duplex oratio.)

IX. „ Post hæc communicetur, *Domine Jesu Christe Redemtor, & Salvator noster exaudi nos pro fratre nostro infirmo te rogantes, ut tua sancta Eucharistia ei sit ad tutelam animæ, & corporis, & ad capescendam vitam æternam. Qui vivis.*

X. „ *Corpus, & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, amen.*

XI. „ *Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus fideliter deprecamur, ut accipienti huic fratri nostro famulo tuo sacrosanctum Corpus, & Sanguinem Jesu Christi Filii tui Domini nostri, tam corporis, & animæ sit salus. Per eumdem.*

XII. „ *Benedicat te Deus Pater, sanet te Deus Filius, illuminet te Spiritus sanctus; corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, & ad supernam te vitam perducat, qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum amen.*

XIII. „ Item ordo unctionis brevior alio modo post psalm., & orationes supradictas ungat Sacerdos infirmum ita dicens:

XIV. „ *Per illam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per vi-*

Tom. IV.

„ *sum*; & respondeant omnes: *Amen*. Deinde faciat per omnes sensus similiter, per auditum, per odoratum per illicitam locutionem, per tactum, per gustum, per incessum, per ardorem libidinis, *Amen*. Cetera omnia fiant, ut supra.

Ex Concordia S. Dunstani capite ultimo.

XV. „ Frater autem ille infirmus, si senserit suam crevisse imbecillitatem, indicetur hoc conventui a fratre illius custode; ex eo ergo quotidie, post matutinalem Missam, Sacerdos casula exutus cum reliquis illius ministris Missæ Eucharistiam ferentes, præcedentibus cereis, & thuribulo cum omni congregatione, eant ad visitandum infirmum, canentes psalmos pœnitentiales, consequente letania, & orationibus, ac unctione olei prima tantum die: deinum communicetur. Quod si infirmitas levigata fuerit, intermittatur hoc, sin alias, prosequatur visitatio usque ad exitum.

Ex MS. cons. Farfensis monasterii.

Qualiter agendum est, quando ingreditur congregatio ad visitandum infirmum.

XVI. „ Prior namque ante capitulum inspiciat ipsum infirmum, & interrogat, si velit accipere Corpus Domini, aut ex Oleo sancto ungeri; tunc infirmus patefaciat suam voluntatem, & confessionem agat cum Abbate, vel Priore. Veniente capitulo, post sermonem factum studeat indicare Congregationi infirmi desiderium, dicens: *Nobis rectum videtur, ut omnes insimul gratia invisendi*. Congregatio itaque ex uno affectu, & dilectione respondeat: *Postquam vestra voluntas est a nobis, cum gratiarum actione hæc jussa ex fraterno amore, & vestra præceptione libenter excipimus*. Surgentes e capitulo eant in oratorium S. Mariæ, canendo quinque psalmos pro defunctis. Exeuntes, Prior sonet tabulam, si tempus fuerit loquendi in claustro absque mora, vel colloquio, quousque ex illo redditerint; venientibus in choro, aut Sacerdos induatur alba, & stolam supponat. Tunc sint quatuor Conversi, quorum unus accipiat aquam sanctam, alius crucem, tertius thuribulum, quartus Oleum sacrum, Abbas namque imponat psalmum: *Miserere mei Deus*, sicque per ordinem incedant, imprimis aquam sanctam, & crucem, & tunc subsequantur incensum, atque vas cum oleo; deinde Sacerdos post illos cæteri infantes, & tunc Domnus Abbas; alii veniant bini, & bini, sicut sunt priores. Cumque ibi fuerint, primum dicat Sacerdos: *Pax huic domui*; respondeant cæteri, *Amen. Dominus vobiscum, Et cum Spiritu tuo*. Et tunc faciat incensum, & aquam sanctam; Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Beatum Apostolum tuum dixisti*. Post hanc orationem omnis congregatio psalmos hos decantet, videlicet septem speciales cum antiphonis sequentibus per unumquemque, sicuti in collectario sunt insertæ, quanta moderate omnia, quæ dicturi sunt, dicant, ut Sacerdos cuncta, quæ debet agere, tranquille explere queat, adstantibus per ordinem quemadmodum in choro. Infantes cum magistris ita maneant, veluti mos est ad processionem porrigi astare. Sacerdos autem incipiat ungere infirmum; imprimis visus, sive ceteros sensus corporis, dicat repetendo per unumquemque: *Per illam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum*. Peruncto denique infirmo, lavet Presbyter manus suas, & tunc procurator infirmi accipiat ipsam ablutionem, quam & in ignem projiciat, & dein tollat vas, & lavet os infirmi, & mittat in infusorio ecclesiæ, aut in focum. Dum hæc patrantur, Sacerdos cum quatuor Conversis pergat in ecclesiam, & tollat inde Corpus Domini, & calicem desuper opertum mappula, & duo Conversi accipiant candelabra, tertius thuribulum, & quartus ampullam cum vino; & tunc veniant hos psalmos decantando: *Miserere mei Deus*: *Deus in nomine tuo*: *Deus misereatur*: *Deus in adjutorium*. Cum domum intrare cœperint, omnes flectant genua contra Dominicum corpus, etiam ipse infirmus, in quantum se valet erigere; & tunc communicet eum, ac profundat digitum suum cum vino. Psalmos denique expletos dicant: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: capitula: *Ostende nobis*; *Mitte ei Domine* &c. Post hæc osculetur idem infirmus crucem, atque omnes fratres etiam infantes. His expletis incipiat Abbas psalmum: *Miserere mei Deus*, & sic omnes cum silentio recedant.

Item alius ordo ad infirmum ungendum.

XVII. „ Si quis frater constrictus fuerit ab infirmitate, ut necesse sit Oleo sancto perungi, debet custos infirmorum

morum hoc intimare Abbati, vel Priori, si Abbas non adest. Quod si viderit Prior necesse esse, dicat in conventu fratrum. Ille vero infirmus, si tantam virtutem habuerit, ut ambulare possit; ab uno videlicet, sive a duobus fratribus sustentatus debet venire in capitulum, & prostratus coram Abbate, & omnibus fratribus petat veniam de omnibus negligentiis, & peccatis, quæ commisit, & data absolutione prosternat se Abbas, & omnes fratres coram illo fratre petentes veniam, si quid delicti contra illum commiserunt, ut ille frater similiter absolutionem ad illos faciat. Qua data absolutione frater ille revertat ad lectum suum. Fratres vero cum exierint de capitulo, pergant simul omnes in majorem ecclesiam. Si tempus loquendi in claustro non fuerit, cantando psalmos, qui post capitulum dicendi sunt, totta ducaur, & psalmos in choro, & revestiat se Sacerdos Hebdomadarius in alba, stolam habens ad collum, & Secretarius præparet urceolum cum aqua benedicta, & crucem, & duo candelabra, & ampullam cum Oleo sancto, & pergant ita omnes pariter ad infirmum visitandum, sive inungendum, cantando psalmum: *Miserere mei Deus*. Quo expleto, dicat: *Kyrie eleison &c.*

Ex Statutis Lanfranci cap. 24.

De ægrotantibus morti proximis.

XVIII. „ Si infirmus magis ad mortem, quam ad salutem tendere videatur, & se petat inungi, frater, qui domui infirmorum præest, rem fratribus in capitulo narret; tunc jubente Abbate, vel qui loco Abbatis in capitulo sedet, exeant Sacerdos Hebdomadarius, Secretarius, quatuor Conversi, & parent, quæ ad hujusmodi negotium parari oportet; quibus paratis, expletisque, quæ in capitulo agi ordo requirit, exeuntes de monasterio transeant ante capitulum, hoc ordine procedentes: primus ex Conversis unus cum situla aquæ benedictæ, dehinc alius cum cruce, post hos duo cum candelabris, extremi Secretarius cum oleo, & Sacerdos alba indutus, & stola cum manipulo portans librum; istis transeuntibus surgens conventus, percussaque tabula, si dies talis est, egrediens de capitulo jungatur eis, & psallentes septem psalmos ad ægrum veniant, & ordinate circumsistent, sicut locus, in quo jacet, fieri permittit. Primum spargatur aqua benedicta; dehinc finitis psalmis sequatur: *Kyrie eleison*, & capitula, & collectæ, quæ ordinatæ sunt, usque ad confessionem, facta confessione absolvatur ab omnibus, & ipse absolvat omnes, dehinc osculetur ab omnibus: Interim dicantur aliæ collectæ, usque ad unctionem, facta unctione lavet Sacerdos manus, & projiciatur aqua in ignem, vel in sacrarium deferatur. Quo facto, dictis collectis, quæ sequuntur, eadat Sacerdos præcedentibus duobus Conversis cum candelabris, vadat & tertius ad thuribulum deferendum, quibus revertentibus flexis genibus adorent omnes Corpus Domini, quod a Sacerdote affertur; quo allato, ablota prius manu ejus communicetur infirmus, nisi forte ipsa die communicatus sit. Si fratres ipsa die post capitulum psallentes: *Verba mea*, in monasterium ituri sunt; expletis in choro psalmis, dictaque collecta, paratis ante majus altare, quæ supra dicta sunt, exeant, & sequantur eo ordine, quo superius indicatum est. Quod etiam finitis quibuslibet horis a Prima, usque ad Completorium observandum est, si necessitas urgeat non expectare capitulum; porro si nec hora ipsa, qua percantata id fieri debet, expectari potest, disponat Abbas, vel Prior, sicut melius posse, quia necessitas lege non tenetur. His expletis, revertatur conventus in claustrum; sed infantes minime ingrediantur ad tenendum suum capitulum; ab hac die, nisi melioretur, infirmus carnem non comedat. Quotidie istud pro eo servitium impendatur: ad Missam matutinalem collecta: *Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium*, cum ceteris duabus: aliquando si dies vacuus fuerit: ipsa matutinalis Missa pro eo cantetur: ad majorem Missam post *Sanctus*, psalmus primus: *Domine ne in furore tuo*, ab unoquoque sub silentio dicatur: *Kyrie eleison: Pater noster: Salvum fac servum tuum: Mitte ei Domine auxilium de sancto: Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium*. Et hoc tamdiu agatur, quousque ad sanitatem redire videatur.

Ex MS. consuetudinibus monasterii Cluniac. c. 5.

De obitu fratris, & sepultura.

XIX. „ Frater, qui infirmitate ingravescente senserit se in proximo ab hoc sæculo migraturum, de omni conscientia sua Domno Abbati, vel Priori confitetur, & si in capitulum vult ire, ostendit Priori, vel per se, vel per infirmarium; & postea ducent eum duo fratres inter manus, si est adeo infirmus, & petit veniam, reumque se de multis negligentiis contra Deum, & contra illos confitetur; absolvit eum Prior, & conctis respondentibus: *Amen*; ipse cunctos, si quid contra eum deliquerint, absolvit, omnesque de suis sedibus inclinant altius, postea reducitur. Reductus rogat, ut oleo infirmorum ungatur, & tunc collocatur in lecto tali, idest ad terram demisso, ubi fratres possent ubique circumstare; tunc Prior, qui tenet ordinem, innotescit Armario, & Armarius prævidet cuncta ad hoc necessaria; scilicet, Sacerdotem, quem indui faciat alba, & stola, & Conversos, qui deferant aquam benedictam, & crucem, & candelabra, & ipse portat oleum; tunc paratis omnibus, procedit processio, & subsequitur Sacerdos, & per antiquam consuetudinem totus conventus, imposito primo psalmo, & postea, si opus fuerit, adjungatur: *Deus in nomine tuo salvum me fac: Miserere mei Deus miserere mei: Deus misereatur nostri: Deus in adjutorium meum*. In primis postquam illuc ventum fuerit, dicitur hæc collecta a Sacerdote præmissa salutatione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Beatum Apostolum tuum dixisti: infirmatur quis in vobis &c.*; imponuntur septem psalmi cum istis antiphonis: *Sana me Domine, quoniam conturbata*; psal. *Domine ne in furore tuo* primus: antiphona: *Erat quidam Regulus*; psal. *Beati quorum*: antiphona: *Domine puer meus*; psal. *Domine ne in furore tuo* secundus. Antiphona: *Contritum est cor*; psal. *Miserere mei Deus*: Antiphona: *Domine descende*; psal. *Domine exaudi* primus. Antiphona: *Domine non sum dignus, ut intres*; psalm. *De profundis*. Antiphona: *Cum sol autem occidisset*: psalmus: *Domine exaudi* secundus. Interim Sacerdos facit hoc modo unctionem; pollicem oleo illinit, & cum pollice signum crucis imprimit super utrumque oculum, ita dicendo: *Per istam unctionem, & per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum*, super utramque aurem: *per auditum*; super utraque labia: *per gustum*; super nasum: *per odoratum*; super manus *per tactum*; & si Conversus, interius; si Sacerdos, exterius; super inguinem; *per ardorem libidinis*; quo facto, lavat manus, & prius in cinerem confricat: Olim in crustis siliginei panis istud fiebat, & hæc lavatio non nisi in igne, & in loco mundo, & abdito solet effundi. Tunc si infirmus non communicatur ab ipso Sacerdote, dicuntur omnes hæ collectæ, præmissis his capitulis: *Salvum fac servum tuum: Mitte ei Domine auxilium de: Nihil proficiat inimicus in eo: Esto ei Domine turris fortitudinis*. Collecta: *Deus, qui famulo tuo Ezechiæ: Respice Domine famulum tuum infirmum: Deus qui facturæ tuæ: Deus humano generi: Virtutum cælestium Deus: Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui: Exaudi Domine preces nostras: Præsta Domine huic famulo tuo: Deus humani generis benignissime c.* Si autem communionem suscepturus est, tunc ab alio dicuntur præfatæ collectæ, & ipse interim, cruce, & aqua benedicta remanentibus, cum geminis candelabris per parlatorium ad ecclesiam redit, comitante Armario; semper enim pro ungendo fratre, vel communicando, in infirmariam per ecclesiam B. Mariæ itur, nisi conventus ibi sit, & per parlatorium inde reditur: postquam in ecclesiam venerint, unum de quotidianis calicibus in Armario accipit vel ipse Sacerdos, vel Armarius, prius tamen lotis manibus, & vinum, & aquam, ac si Missam cantari inde deberet, infundit; tunc Sacerdos ad majus altare, super quod Corpus Domini servatur, accedit, & priusquam accipiat, incensat; postmodum accipiens frangit super ipsum calicem, & illam partem, quam allaturus est super calicem tenet; aliam in pixide reponit, & tunc ab Armario, tam manus Sacerdotis, quam ipse calix linteo mundissimo cooperiuntur. Si tunc conventus in choro est quando discedit ab altari, totus veniam pro reverentia Dominici corporis petit; similiter ubicumque viderint eum fratres transeuntem, faciunt. Interea curetur, ut infirmi bucca lavetur recepturi ipsum Dominicum corpus. Priusquam accipiat: *Confiteor* dicit, & fratribus in commune respondentibus: *Misereatur vestri*, solus Sacerdos prosequitur: *Indulgentiam, & remissionem &c.* Ipsum autem Domini Corpus in vino aquæ mixto intingitur, quo epotato ebibit quoque ablutionem calicis, & si potest, ablutionem digitorum Sacerdotis, & adhuc calicis; si non potest, alius ebibit. Adhibetur quoque et crux a Sacerdote, ut eam ado-

„ adoret, & osculetur. Osculatur etiam, quasi ultimam velasacturos primo Sacerdotem, deinde omnes fratres, & per antiquam consuetudinem ipsos quoque pueros. Redit conventus.

XX. Eadem fere habet Udalricus lib. 2. cap. 28., quod sic terminat „ (Redit conventus imposito rursus L. psalmo.)

Ex MS. Rituali S. Benigni Divionensis n. 277.

XXI „ Infirmus data confessione interrogatur, si vult Oleo sacrato perungi, quo respondente, volo: ungatur inter scapulas primitus, deinde super oculos, super aures, super nares, super os, super guttur, super pectus, super manus, si Sacerdos fuerit, deforis; sin autem, deintus; super pedes; hinc ablatis Sacerdos manibus cum pane, & aqua, vadit ad ecclesiam, & petita prius venia accipit Corpus Domini, & revertitur cum lumine, & incenso. Ubi autem pervenerit ad infirmum, data ab eo prius confessione, osculatur a Sacerdote, & a circumstantibus, & sic communicat eum.

Ex MS. collectaneo S. Petri supra Divam.

XXII. „ Incipit ordo visitandi infirmum. Frater qui graviter infirmatur, balbivam, si quam habet, aut aliquod temporale, confessione prævia, statim renunciet, & assignet Abbati; & postea hora competenti sacrosanctam Eucharistiam eidem petenti humiliter, & devote conferet idem Abbas, aut alius Sacerdos revestitus alba, & manipulo, & stola; veniensque ad altare accensis cereis, & dato thure, incipiat psal. *Miserere mei Deus*. Acceptoque corpore Domini in calice honorifice cooperto, procedat cum cæteris fratribus ad infirmum, qui reverenter assurgat, dictoque: *Confiteor Deo* ab ipso infirmo, respondeant omnes; *Misereatur*, & denique Abbas, vel Sacerdos dicat: *Absolutionem, & remissionem*, &c., & eidem more solito communionem sanctam distribuat, inducens eum prius ad compunctionem, quantum Deus donaverit, & devotionem, & sic denique petita venia, ab omnibus dimittatur in pace.

XXIII. „ Postremum vero ingravescente infirmitate, postquam devota humilitate extremæ unctionis Sacramentum petierit, eidem pœnitenti tempestive hora congrua conferatur sic: Communicato Abbate, & conventu a Priore, revestiat se Abbas, vel Hebdomadarius prior alba, manipulo, & stola, & cappa; & Diaconus in alba deferens oleum infirmorum, præcedentibus aqua benedicta, cruce, cereis, & thuribulo; procedant omnes ad infirmum dicentes VII. psalmos cum precibus, & servitio, qui sequitur. Postquam autem inunctus fuerit frater, osculetur crucem; deinde Abbatem, & cæteros ordinate, & deinceps pro eo oretur in conventu. Post VII. psalmos dicatur ... (hic deest unum folium .... sequuntur quædam preces, quas non descripsimus.) Deinde ungens eum ita dicat: *Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum, per auditum, per gustum, per illicita verba, per odoratum, per tactum, per incessum, per ardorem libidinis, per malignas cogitationes*. His ita peractis accipiat frater communionem sacri Corporis Domini, si potest, & hora sit congrua; ac deinde Abbas dicat hanc letaniam, & orationes, quæ sequuntur: *Kyrie eleison* &c. (Sequitur letania cum orat. *Respice Domine famulum tuum in infirmitate* &c. *Deus misericors, Deus clemens. Propitietur Dominus. Dominus Jesus Christus apud te sit. Benedicat te Deus Pater. Dominus Deus salvator noster*, quas hic indicasse sufficiat.)

Ex libro Usuum Beccensium.

Quo modo visitetur infirmus.

XXIV. „ Quando visitandus est infirmus, sonet majus signum, & conveniunt fratres in chorum, & induat se Sacerdos alba, & stola, sicque ordinata processione exeant, Cantore incipiente VII. psalmos pœnitentiales cum *gloria*; Secretarius debet oleum præparare; et ubi pervenerint, aspergat eum Sacerdos aqua benedicta, & incenset; finitisque septem psalmis subjungant: *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison: Pater noster: Et ne nos: Salvum fac servum tuum: Mitte ei Domine auxilium de sancto: Esto ei Domine turris fortitudinis: Domine exaudi*: Dominus vobiscum. Oratio: *Deus qui famulo tuo*, & cæteras, dictisque orationibus faciat confessionem, & ab omnibus absolvatur; & deinde a fratribus cunctis osculetur, & interim collectæ dicuntur. Post hæc uncto oleo sancto, abluat manus suas Sacerdos, qui eum unxit, & aquam, qua lavit, mittant vel in ignem, aut in sacrario; deinde dicat: *Dominus vobiscum*, & orat.; quibus expletis, vadat Sacerdos præcedentibus candelabris, & afferat Corpus Domini, ad cujus regressum flectant omnes genua: tunc abluto ore communicet infirmus, etiamsi manducavit; nisi forte ipsa die ante visitationem communicatus sit: post hæc dicat orationes, & discedant cantando psalmum: *Miserere mei*.

Ex consuetudinibus Lyra.

De visitatione, vel unctione infirmorum.

XXV. „ Post capitulum si debeat aliquis infirmus inungi, vel visitari, dicto *Verba mea* in capitulo, eat conventus ordinate in chorum, & sonet appellum; & Abbas vel Prior, vel Sacerdos Hebdomadarius revestiat se in alba, & stola, & fit ordinata processio cum candelabris, & thuribulo: Incipiat Cantor VII. Psalmos cum *Gloria Patri*, & exeant senioribus præcedentibus. Vasculum olei Hebdomadarius Diaconus portet in ordine suo incedens: at ubi pervenerit Sacerdos, aspergat infirmum, & incenset. Si autem post capitulum exierit conventus ad *Verba mea* in ecclesiam, sonent omnia signa propter *Verba mea*, & post sonet appel. ter majori signo, & paratis omnibus eant ad infirmum, ut dictum est. Finitis autem VII. psalmis, subjungant *Kyrie eleison* ter, *Pater noster* &c. sicut scriptum est in libro: Deinde dicat infirmus: *Confiteor Deo*, & absolvatur ab Abbate, vel Priore; & osculetur ab omnibus. Postea dicantur quinque orationes, & inungatur; dum inungitur, vadit Capellanus infirmorum cum candelabro; & afferat Corpus Domini, lucerna præeunte, & candelabro. Postquam vero inunctus est, abluat, qui eum inunxit, manus suas, & ipsam aquam faciat in ignem, vel in sacrarium projici; deinde dicat *Dominus vobiscum*; & dicat duas orationes: postea abluto ore communicetur infirmus, nisi forte eadem die fuerit communicatus; deinde dicantur duæ orationes, & incipiat Cantor psal. *Miserere mei Deus* tantum cum *Gloria Patri*, & sic revertantur in claustrum.

De visitatione iterum.

XXVI. „ (Quando post unctionem visitandus est infirmus, sicut superius, ordinetur processio, & incipiat cantor VII. psalmos sine *Gloria*, & dicatur letania, qua dicta conventus recedat, nisi forte moriatur: si non, ab uno Levita legantur passiones. Quo peracto, si nec adhuc obierit, reiteretur letania ab ipso Levita, & iis, qui cum eo sunt: quod si neque sic obierit, omnes recedant, nisi soli custodes.) Eadem fere leguntur in Rituali Beccensis monasterii.

Ex MS. Breviario S. Germani a Pratis n. ot. 342.

XXVII. „ Ordo ad visitandum infirmum. Primum ingrediatur Sacerdos domum, in qua æger decumbit, indutus alba, stola, & manipulo, cum aqua benedicta, cruce, & candelabro; eumque asperserit infirmum aqua sanctificata, salutatione præmissa, dicat hanc orationem: *Dominus vobiscum*. Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. Apostolum tuum Jacobum* &c. Qua dicta, accedat ad infirmum, & ungat eum oleo sancto cum pollice faciendo crucem in oculis, in auribus, in ore, in naribus, in manibus; si Sacerdos fuerit, deforis; si non, deintus; in pedibus, & in utroque latere renum dicens: Oratio: *Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti* per visum, per auditum, per gustum, per odoratum, per tactum, per incessum, per ardorem libidinis. Interim cantantur a fratribus VII. psalmi cum antiphonis.

XXVIII. „ Antiphona: *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde; sed tu Domine convertere, & eripe animam meam*. Psal. *Domine ne in furore*.

XXIX. „ Antiphona: *Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audisset, quia Jesus adveniret in Galilæam, rogabat eum, ut sanaret filium ejus*. Psal. *Beati quorum*.

XXX. „ Antiphona: *Domine puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur: amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum*. Psal. *Domine ne in furore*.

XXXI. „ Antiphona: *Cor contritum, & humiliatum*

ne despicias Deus, sed propter misericordiam tuam miserere mei Deus. Psal. *Miserere mei Deus.*

XXXII. „ Antiphona: *Domine descende, ut sanes filium meum, priusquam moriatur; ait ei Jesus: vade filius tuus vivit.* Psal. *Domine exaudi* 2.

XXXIII. „ Antiphona: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Psal. *De profundis.*

XXXIV. „ Antiphona: *Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum, & curabantur.* Psal. *Domine exaudi* 1.

XXXV. „ Sacerdos peracta unctione, & lotis manibus cum cinere, & aqua, si necesse fuerit, communicet infirmum, præmissa confessione, & absolutione: Si opus non fuerit, veniens ante ægrum finitis psalmis dicat has orationes cum his precibus: *Mitte ei auxilium de sancto: Nihil proficiat inimicus in eo: Esto ei Domine turris fortitudinis: Dominus vobiscum.* Oratio: *Deus qui famulo tuo Ezechiæ* &c. *Respice Domine famulum tuum in infirmitate* &c. *Deus qui facturæ tuæ* &c. *Deus qui humano generi, & salutis* &c. *Virtutum cælestium* &c. *Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus qui fragilitatem* &c. Hic debet esse confessus: *Exaudi Domine preces nostras, & confitentis tibi parce peccatis* &c. *Præveniat hunc famulum* &c. *Domine Deus noster qui offensione nostra* &c. *Adesto Domine supplicationibus nostris* &c. *Præsta Domine huic famulo tuo dignum* &c. *Deus humani generis benignissime conditor* &c. *Moveant pietatem* &c. *Tibi ergo Domine supplices preces* &c. Pro senitate: *Omnipotens sempiterne Deus salus æterna* &c. *Deus infirmitatis humanæ* &c. *Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus qui benedictionis tuæ* &c. Reconciliatio pœnitentis: *Deus misericors, Deus clemens* &c. *Misericordiam tuam supplices* &c. *Absolve Domine animam* &c. His dictis deferat crucem infirmo ad adorandum; deinde ipse primus osculetur eam cum reliquis omnibus, & sic egrediantur. Deinde, si opus fuerit, communicetur; post communionem vero sequuntur benedictiones istæ: *Dominus Jesus Christus apud te sit* &c. *Benedicat te Deus Pater, sanet Dei Filius* &c.

XXXVI. „ Hactenus Breviarium S. Germani, cujus collectas integras non retulimus, eas indicasse satis esse existimantes.

Ex lib. Usuum Cisterciensium cap. 93.

Quo ordine inungantur infirmi.

XXXVII. „ Ad inungendum infirmum pulsetur signum tamdiu, donec unum *Pater noster* dici possit. Et facto parvo intervallo, iterum pulsetur signum eadem mora; & tunc induatur Abbas alba, stola, & manipulo, virgam sumens pastoralem. Qui si defuerit, aut Cantor faciat, aut cui innuerit. Quo induto, & signo semel pulsato, veniat conventus in chorum, & sic incipientes psalmum: *Beatus qui intelligit*; deinde: *Judica me Deus*, & post: *Voce mea* 2. unicuique psalmo adjungentes *Gloria Patri*, procedant eo ordine, quo stant in choro, Sacerdotibus sequentibus Abbatem post crucem, & lumen in absconsa, & aquam benedictam. Si autem necesse fuerit, psalmus ultimus repetatur: Sacrista vero pergens in ordine suo ferat oleum, & stupas, vel pannum ad detergendum. Quoties dicitur: *Per istam sanctam unctionem*, stupæ mittantur, vel pannus, quos postea in piscinam ad hoc deputatam comburat. Et cum pervenerint ad infirmum, finitis psalmis, qui unctionis agit officium, dicat: *Pax huic domui*; & conventus respondeat: *Amen*. Et statim Sacerdos subsequatur: *Dominus vobiscum*, & dicat hanc orationem: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per Beatum Jacobum.* Qua finita, & responso: *Amen*, dicat infirmus suum *Confiteor*. Et si illud dicere nescierit, vel non quiverit, tundens pectus dicat: *Mea culpa de omnibus peccatis meis, precor vos, orate pro me*: Tunc dicatur ei ab omni conventu: *Misereatur tui* &c. & post si Abbas affuerit, dicat hanc absolutionem: *Dominus Jesus Christus* &c. si vero Abbas defuerit, dicat ipse, qui inungit: *Indulgentiam, & remissionem*; quo dicto, qui inunxerit, offerat ei crucem ad osculandum. Quo facto, & cruce reddita, dicat: *Per istam sanctam unctionem* &c., & sic inunctionis impleat officium, & inuncto infirmo dicat conventus psalmum: *Benedic* primum. Deinde dicantur: *Pater noster*, & preces, ut in collectaneo scriptæ sunt; & postea orationes, prima quidem: *Oremus Dominum nostrum Jesum Christum fratres*; secunda: *Propitietur Dominus*; tertia: *Da veniam famulo tuo*; quarta: *Benedicat te Deus Pater sanctus*; quinta: *Benedicat te Deus cæli*; sexta: *Benedicat te Deus Pater, qui in principio* &c.

XXXVIII. „ Quibus expletis omnes exeant; quod si statim communicari debuerit, eat cum ministris ad ecclesiam, qui eum perunxit, aut alius pro eo, si necesse fuerit; & ablutis manibus in piscina, deferat sanctam communionem cum calice offertorio cooperto, præeunte cruce, lumine, aqua benedicta. Alius etiam inter lumen, & aquam deferat ampullam vinariam ad conspergendos digitos in calice. Cum ad infirmum venient, qui fert aquam, aspergat eum; Sacerdos vero dicat ei: *Ecce frater Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod tibi deferimus; credis hoc illud esse, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra.* Quo respondente: *Credo*, moneat dicere: *Confiteor*, si monachus est. Quo dicto, Sacerdos cum his qui adsunt, dicat: *Misereatur tui*, & postea solus subjungat: *Indulgentiam*; deinde communicet eum dicens: *Corpus Domini nostri J. C. custodiat te in vitam æternam*. Si Conversus est, vel Monachus, qui non intelligit litteras, idem illi Romana exponat Sacerdos, & Conversus Romana confiteatur se peccasse cogitatione, & opere. Similiter monachus Romana confiteatur, si suum nescierit *Confiteor*; idem quoque fiat, quoties gravi necessitate quis tenetur. Quod enim de fide sua infirmus interrogari præcipitur, non de omnibus infirmis, sed tantum de ineactis, & de his qui in extremis videntur agere, intelligimus. Similiter etiam aliis vicibus, quando communicant infirmi monachi, vel Conversi, non permittat Sacerdos aliquam evenire negligentiam; sed de his, quæ ad hoc necessaria sunt, loquatur, quo communicato, discedant.

Ex breviario Casalis Benedicti an. 1586. Parisiis edito.

XXXIX. „ Ordo ad communicandum infirmum. Pulsetur in primis campana capituli, & congregatis in sacrario monachis, Sacerdos indutus alba, & stola, portans in manu calicem absque patena una, cum monachis candelas in manibus accensas habentibus vadat ad locum, ubi Corpus reservatur Dominicum: ibique Corpus Domini reverenter ponat in calicem, cooperiens illum corporali mundissimo. Deinde hoc ordine procedant ad infirmum: Primum procedat aqua benedicta, deinde crux: subsequantur monachi processionaliter juxta ordinem, & professionem suam, submissa voce psalmum: *Miserere mei Deus* dicentes, inter quos sit, qui tintinnabulum pulset, qui ampullas aquæ, & vini deferat, deinde duo monachi albis induti cereos in manibus accensos gestantes, ultimo loco Sacerdos Dominicum Corpus portans. Cum autem perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus; Sacerdos intrans cubiculum dicat: *Pax huic domui*, ℞. *Et omnibus habitantibus in ea*; postea accedat ad ægrotum, & in modum crucis eum aspergat aqua benedicta, deinde domum, dicendo antiphonam: *Asperges me Domine*, ℣. *Miserere*, *Gloria*, psal. *Sicut erat*, *Asperges*. Postea infirmus adoret, & deosculetur crucem, & dicat: *Confiteor Deo omnipotenti* &c. Facta confessione, Sacerdos absolute dicat hanc orationem: *Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, de quorum numero, quamvis indignos, nos esse voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, operatione negligenter egisti, & a nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cælorum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum*, ℞. *Amen*.

XL. „ Deinde Sacerdos elevet Corpus Domini de calice, & infirmus adorans illud dicat semel tantum: *Domine non sum dignus: ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.*

XLI. „ Postea Sacerdos tradens infirmo Eucharistiam dicat: *Accipe frater viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat ad vitam æternam*, ℞. *Amen*. Deinde abluat digitos suos super calicem vino, & aqua, & propinet infirmo nihil dicens: Post communionem dicat: *Dominus vobiscum: Oremus Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi filii tui, tam corporis, quam animæ prosit ad remedium sempiternum: Per eumdem Christum Dominum nostrum*, ℞. *Amen*. His peractis, eo ordine quo venerant simul redeant monachi ad ecclesiam, psal. *Miserere mei Deus* submissa voce dicentes.

XLII.

XLII. Eadem fere leguntur in impresso anno 1600. breviario congregationis Vallisoletanæ ad calcem, excepto, quod in ipsa ad infirmum processione Diaconus cum cruce præcedentibus Acolythis cum candelabris, & alio cum thuribulo, & Sacrista cum aqua benedicta, & alio cum tintinnabulo, deinde Sacerdos portans Corpus Dominicum præcedere conventum jubentur, & quod aspersus aqua benedicta infirmus ab omnibus veniam petit, vilemque, ac vetustam, qua contegatur cadaver, cucullam a Superiore postulat, deinde dicto symbolo, & adorata cruce confessionem recitat.

XLIII. „ Ordo ad inungendum infirmum. In primis pulsetur campana capituli, & dum in sacrarium congregantur monachi, Sacrista infra scripta præparare studeat; aquam benedictam, fragmen panis, vas aquæ cum linteo ad abluendas, atque tergendas Sacerdotis manus post infirmi inunctionem. Deinde Sacerdos indutus albe, & stola, una cum monachis submissa voce psalmum: *Miserere mei Deus* dicentibus, e sacrario hoc ordine pergat: Primum procedat aqua benedicta, deinde crux, sequantur monachi processionaliter juxta ordines suos, postea duo monachi, induti albis cereos in manibus accensos gestantes, quos Sacerdos oleum sanctum portans immediate sequatur. Cum autem pervenerint ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicat: *Pax huic domui*. ℟. *Et omnibus habitantibus in ea*. Deinde Sacerdos stans ante ægrotum dicat: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit cœlum, & terram: Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*: Oremus: *Introeat quæsumus Domine* &c. Deinde Sacerdos in modum crucis aspergat ægrotum aqua benedicta, & postea domum, dicendo antiphonam: *Asperges*. ℣. *Miserere*. *Gloria Patri*. *Asperges*. Deinde dicat ægrotus; *Confiteor Deo* &c. quo dicto omnes Sacerdotes astantes insimul eum absolvant in forma communi; postea Abbas, vel ejus vices gerens dicat sequentem absolutionem generalem:) sequitur forma absolutionis plenariæ per Domini Leonis Papæ X. privilegium concessæ omnibus Abbatibus, Prioribus, monachis, Conversis, Commissis, & Novitiis, præsentibus, & futuris Congregationis Casalis Benedicti, quæ cum sit prolixa, & haberi commode possit, hanc prætermisimus cum ejus rubrica.

XLIV. „ Facta absolutione, omnes fratres genibus flexis, & voce summissa, dicant VII. psalmos pœnitentiales cum letaniis, quæ infra in commendatione animæ notantur. Interim Sacerdos absolute dicat hanc orationem. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, immo per invocationem omnium Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium Sanctorum*. ℟. *Amen*. Et intincto pollice in oleo sancto, faciat crucis signum septem in locis subscriptis in ægroti corpore cum dicto oleo sancto cuicuique loco propriam exprimens orationem, videlicet ad oculos. *Per istam sanctam unctionem*, † *& suam piissimam misericordiam, parcat tibi Deus, quidquid oculorum vitio deliquisti*. ℟. *Amen*. Minister vero tergat inunctum locum stupa, reponens eam in vase mundo; & sic faciat post quamlibet unctionem. Ad aures: *Per istam sanctam*, &c., ad nares: *Per istam sanctam*, &c. ad os: *Per istam*, &c. ad manus: *Per istam sanctam*, &c. ad pedes: *Per istam sanctam*, &c. ad lumbos: *Per istam sanctam*, &c.

XLV. „ His omnibus peractis, & VII. pœnitentialibus psalmis cum letania completis, Sacerdos dicat: *Kyrie eleison, Chr., Kyr. Pater noster. Et ne nos*. ℣. *Salvum fac servum*, &c. *Mitte ei Domine*, &c. *Esto ei Domine turris*, &c. *Nihil proficiat*, &c. *Domine exaudi*; *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es*, &c. *Respice quæsumus* &c. *Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui benedictionis*, &c. *Dominus Jesus Christus apud te sit*, &c. Stupa deinde in ignem projiciatur. His peractis, eo ordine quo venerant, simul redeant Monachi ad ecclesiam psalmum *Miserere* summissa voce dicentes, excepto quod Crux remaneat coram infirmo.

XLVI. Eadem fere continentur in edito anno 1600. Congregationis Vallisoletanæ in Hispania breviario, nisi quod nulla fit in eo mentio absolutionis ab omnibus Sacerdotibus faciendæ, & quod unctiones ad singulas antiphonas, & psalmos finitos fieri jubentur, sicut infra præscribunt etiam Cartusiani; & insuper, quod recitatis litaniis osculum ab omnibus dandum infirmo decernitur.

Ex Ordinario Cartusiensium an. 1582. Parisiis impresso c. 33.

De Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ unctionis ægroto conferendis.

XLVII. (I.) „ Cum frater aliquis, sive Religiosus, sive Conversus ægrotans morti propinquare putabitur, congregatur conventus in ecclesia ad eum visitandum, & inungendum. Omnibusque necessariis præparatis, præcedunt, qui portant ardentem cereum, crucem, aquam benedictam: scilicet Sacrista, Diaconus, Hebdomadarius, & Procurator. Sequitur Sacerdos, scilicet Prior, vel eo absente Vicarius indutus cuculla ecclesiastica, & stola, portans librum Ordinis, & Oleum sanctum, quod in singulis domibus Ordinis est semper habendum, fideliter custodiendum, & omni anno renovandum, ac vetus cum stupa receptum comburendum, & in sacrario recondendum. Si tamen Sacerdos sit Corpus Domini portaturus, prædicta portantur ab alio: post Sacerdotem sequuntur antiquiores, & ceteri per ordinem, & in eundo cantatur: *Miserere mei Deus*.

XLVIII. (II.) „ Porro si infirmus ea die non communicaverit, & communicare paratus sit, portat ad eum Sacerdos Corpus Domini intra calicem argenteum, si haberi possit, coopertum patena, & desuper mappula ecclesiastica. Portatur etiam vinum, & aqua, & præparatur cinis benedicendus.

XLIX. (III.) „ Intrans autem Sacerdos domum, aspergit ad ostium cellæ, & per cellam aquam benedictam dicens: *Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea*. Et respondetur a circumstantibus, *amen*. Et si portat Corpus Domini, reponit illud in loco ad hoc decenter præparato.

L. (IV.) „ Tunc dicit infirmus, si potest, & scit: *Confiteor*: si non, materna lingua confitetur generaliter, facta, antequam conventus congregetur, privata, & Sacramentali Confessione. Sed & si quid tunc ad memoriam reduxerit, privatim poterit confiteri, & absolvi. Dicto autem, *Confiteor*, statim Sacerdos subjungit: *Misereatur tui omnipotens Deus*, &c. Absolutionem autem Sacramentalem, quæ virtute privilegiorum nostrorum dari solet in articulo mortis, ab omnibus censuris, & peccatis, tunc non repetit Sacerdos, quam post privatam, & Sacramentalem Confessionem jam dedit: sed statim post: *Misereatur tui omnipotens Deus*, subjungit preces: *Salvum fac servum tuum*; *Esto ei Domine*: *Nihil proficiat inimicus in eo*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Deus qui famulo tuo*, & *Deus qui per Apostolum*, sub una tamen conclusione.

LI. (V.) „ Deinde si communicandus sit infirmus, Sacerdos dimittit Corpus Domini de calice in patenam, dicentibus, qui adsunt, vel ipso Sacerdote, summissa voce, & sine cantu: *Hoc corpus, quod pro vobis tradetur; hic calix novi testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus: hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem*. Postquam autem infirmus recipit Corpus Christi, sumit etiam de manu Sacerdotis vinum: & postea Sacerdos digitos lavat ob reverentiam Sacramenti.

LII. (VI.) „ Providere autem debent Priores, ut infirmi opportuno tempore communionem recipiant, non expectata necessitate extrema. Et nihilominus ea die, qua Extremam unctionem suscipiunt, si parati sunt, Christi Corpus pro Viatico sumant jejuni, si commode fieri potest. Neque enim post cibum Corpus Christi alicui ministrari debet, nisi ad succurrendum.

LIII. (VII.) „ Sumta communione, aut si tunc non debeat infirmus communicare, dictis orationibus: *Deus qui famulo*, & *Deus qui per Apostolum*, statim sequuntur VII. psalmi pœnitentiales dicendi alternatim, præsidente, ejusque choro inchoantibus. Ægroto autem, si scit, & valet, cum altero choro respondente, additurque singulis: *Gloria Patri*, & in fine cujuslibet fit intermissio, dum interim Prælatus, suscepto per pollicem dexteræ manus oleo sacro, inungat partem inungendam. Ac primo post primum psalmum inungit ambos oculos ægroti in formam crucis, simul cum inunctione dicendo: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per visum*. Post psalmum secundum inungit prædicto modo, utramque aurem dicendo: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per auditum*. Post tertium psalmum inungit nares, unicam formans crucem, atque dicendo: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per olfactum*. Post quartum inungit os,

conjunctis labiis, crucem exprimens per totum oris spatium in latitudinem, sed per ipsa tantum labia in longitudinem, pilos barbæ intactos relinquendo, & dicendo *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per verbum, sive loquelam*. Post quintum psalmum inungit duas ambarum manuum volas, singulis crucis formam imprimendo, & dicendo: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per tactum*. Post sextum inungit eodem modo ambas pedum plantas dicendo. *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per incessum*. Post ultimum inungit renes dicens: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per ardorem libidinis*, Post singulas unctiones unctæ partes ab ipso Sacerdote stupa terguntur; ac toties mutatur ipsa stupa, quoties fit tersio, imponiturque vasculo mundo ex materia lignea, aut papiracea, ut simul cum eo comburantur. Os etiam ægrotantis post tersionem cum stupa, rursus statim linteo mundo tergitur, & Sacerdos pollicem, quo usus est ad inungendum infirmum pariter cum parte uncta singulis vicibus tergit cum stupa, & psalmis omnibus expletis, levat manus, illaque ablutio est igni tradenda.

LIV. „ Post hæc infirmus dicit: *Credo in Deum*, vel instruitur, ut fidem Ecclesiæ Catholicæ materna lingua confiteatur, & monetur, ut veniam petat ab omnibus & his, qui ipsum unquam offenderunt, de puro corde dimittat. Deinde dicuntur orationes istæ sub una conclusione; *Dominus vobiscum. Oremus: Respice Domine Deus, qui factura tua: Deus, qui humano generi*, &c. & responso *Amen*, statim benedicitur cinis, & dicitur: *Dominus vobiscum. Oremus: Deus indulgentiæ* &c. Et benedicto cinere, aspergitur lectus, in quo jacet infirmus, atque ab omnibus, qui adsunt, tanquam ex hac vita profecturus pie osculatur, modo Superior sic faciendum judicaverit. Peractis his omnibus, Religiosi cum Sacerdote oleum sanctum deferente redeunt ad ecclesiam eo ordine, quo ad cellam infirmi exierunt, dicentes: *Miserere mei Deus*.

LV. „ Porro a die unctionis aqua benedicta in aliquo vase ibi remanet, & crux similiter, quæ poni debet ante lectum infirmi, ut contemplando Passionem Christi, in ipsius merito totam salutis suæ spem reponat. Propter hoc præter duas cruces, quas in ecclesiis nostris semper suis locis erectas habemus, tertiam quoque habere debemus deferendam, quando æger inungendus est, aut quando mortuus sepeliendus.

LVI. „ Ipsa etiam die, qua quis inunctus est, fratres Conversi, & etiam Monachi, qui forte non fuerunt, quando inunctus est, possunt ipsum visitare; veruntamen ad visitandum eum illa die, & deinceps, deputentur per Priorem illi soli, qui possint verbo, & oratione ei prodesse ad salutem animæ, & corporis. Et quandiu in evidenti, & imminenti periculo mortis infirmus permanet, habet ad minus duos die, ac nocte semper, qui eum decumbentem custodiant. Eadem videre est in antiquis Cartusiensium Statutis 2. part. c. 46., nisi quod unctio ante viaticum dari præcipitur, sicut & in Guigonis Statutis, quæ pauca hæc decernunt.

Ex Statutis Guigonis Prioris Cartusiæ V. c. 12.

De visitatione ægroti.

LVII. „ Cum autem frater ægrotus morti propinquare putabitur, congregatur conventus ad visitandum eum; & dicit Sacerdos: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*, spargens aquam sanctam, & respondetur *Amen*. Tunc confitetur peccata sua, & post absolutionem, dicit idem Sacerdos: *Salvum fac servum tuum: Esto ei Domine: Nihil proficiat: Dominus vobiscum: Deus, qui famulo tuo: Deus, qui per Apostolum tuum*. Deinde dicitur psalmus; *Domine ne in furore* primus, post cujus finem inungitur ei visus; & dicitur: *Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per visum*. Et ita per singulorum psalmorum septem finem repetitur hæc eadem oratio, ad singula, in quibus inungitur loca, scilicet ad auditum, ad odoratum, ad gustum, sive loquelam, ad tactum, id est ad manus, ad incessum, id est ad plantas, ad ardorem libidinis, id est ad renes; postea tergitur os ejus, & ab omnibus tanquam profecturus pie exosculatus communicatur, cantantibus, qui adsunt, communionem: *Hoc Corpus*. Post hæc dicuntur orationes illæ: *Respice Domine: Deus qui factura tua: Deus qui humano generi*.) Hactenus de ordine ad visitandum infirmum varii, ac diversi Ritus antiqui, ex quibus omnibus plurima nobis observanda occurrunt.

LVIII. Primo, veteres Monachos Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis Confessionis, Extremæ unctionis, & Eucharistiæ exitum suum præmunivisse, ut permultis posset exemplis demonstrari; & quidem eodem die, eodemque tenore, ut patet tum ex ordine Cassinensi, Statutis Lanfranci, consuetud. Cluniacensium, Rituali S. Benigni &c. tum etiam ex editis a nostro Menardo ordinibus in notis ad lib. Sacram. S. Gregor.

LIX. Secundo, Confessionem Abbati, vel Priori factam fuisse, ex cons. Cluniac. & Tortario in lib. de Mir. S. Benedicti c. 14., ubi refert, quod Humbertus Floriacensis Monachus „ (dum morbo confractus viribus in lecto decumberet, visitatus a fratribus admonetur, quatenus sui memor in extremis Abbati, seu cuilibet seniorum propria confiteretur peccata. Et quidem de *omni conscientia sua*, quod aliquis de confessione generali, seu de omnibus in omni vita commissis peccatis intelligere posset.)

LX. Tertio; hanc Confessionem, vel privatim antequam fratres, seu conventus ad infirmum accederet, ut apud Cluniac. vel præsente conventu, ut præscribitur in Ordine Cassinensi, factam fuisse.

LXI. Quarto, quod hic non præscribitur, infirmos, quibus vox defecisset, per signa confessos fuisse, cujus rei luculentum habemus testimonium in vit. S. Filiberti Abbatis Gemmeticensis n. 13. sæc. 2. „ (Cum unus Monachus venisset ad extremum mortis, mutus effectus est labiis, ingressus Dei Sacerdos (Filibertus,) ad illum blandiens suadere cœpit, ut si haberet occultum factum, unde pœnitentiam non egisset, manum ejus stringeret;) quemvit, si postea vocem recuperare posset, verbis jam, non signis confiteretur, ut patet ex eodem Monacho, qui recepta postea loquela „ (confessione data, & recepta pœnitentia, reddidit animam Domino;) & colligitur ex vita S. Stephani Obazinensi Abbatis l. 1. n. 26. tom. 4. Misc. Baluz., de quodam Monacho Cartusiano: „ (Mox *inquit*, ut loqui potuit, Priorem ad se venire fecit, confessionem dedit, & sumto viatico animam exhalavit.)

LXII. Quinto, post factam ab infirmo confessionem Sacramentalem, a cunctis fratribus absolutum fuisse, ipsumque postea cunctos absolvisse, ut patet ex Statutis Lanfranci, cons. Cluniac., & libro Usuum Beccensium, hoc est sponte, & animo cuncta dimisisse, quæ forsan alii in eum peccassent; ea vero, quibus alios forte offendisset, ab iis sibi dimissa esse. Quod ipsi Cluniacenses, si per infirmi debilitatem fas esset, in capitulo præstabant: „ (Et si in capitulum vult ire (infirmus), *inquiunt*, ostendit Priori vel per se, vel per infirmarium, & postea ducunt eum duo fratres inter manus, si est adeo infirmus, & petit veniam, reumque se de multis negligentiis contra Deum, & contra illos confitetur; absolvit eum Prior, & cunctis respondentibus: *Amen*, ipse cunctos, si quid contra eum deliquerunt, absolvit, omnesque de suis sedibus inclinant altius, postea reducitur.)

LXIII. Hujus rei praxim videre est, sed alio tempore, & loco, in vita S. Anscharii Episcopi Hammaburgensis, authore S. Remberto num. 72. sæc. 4. part. 2. „ (qui Dominici Corporis, & Sanguinis communione percepta, elevatis manibus precabatur, ut quicumque in eum quoquo modo peccasset, divina ei hoc pietas dimitteret;) & in vita ejusdem Sancti Remberti nu. 23. „ (qui cum jam migraturus esset de mundo, convocatis Presbyteris, & universis fratribus, veniam petivit de omnibus quæcumque fortassis in aliquem illorum peccasset.) Denique in vita S. Maximi Abbatis in Gallia, & Martyris apud Boll. 2. Jan. qui morti proximus convocavit fratres, „ (& veniam ab eis petens, si forte contra aliquem peccasset ut ei indulgerent, & osculans eos, & valefaciens eis) obiit anno circiter 625.

LXIV. Præterea in 2. vita S. Galterii Abbatis Pontisarensis n. 26. „ (Fit ad eum processio, ut voluerat: inungitur: reum se de peccatis suis coram Deo, & Sanctis ejus in præsentia nostra confitetur, absolvit omnes, & ab omnibus absolvitur, deinde osculatis omnibus nobis, & cum multis intimis cordis fletibus, suspiriisque gloriosa Passionis Dominicæ memoria venerata Sacramentorum nostræ redemtionis particeps efficitur.) Sed præter hanc absolutionem dedit & aliam, de qua nu. 27. „ (His & hujusmodi exhortationibus in consolationem nos venire gestiens, stolam sancto collo suo imponi fecit, dextraque sua baculum pastoralem tenens nos omnes absolvit, & voce, qua potuit, Domino tutori, & authori omnium commendavit.)

LXV. Sexto, notandum quod in Ordine Cassinensi præ-

præscribitur, ut nimirum antequam ungeretur infirmus, omnes adstantes Sacerdotes eidem manus imponerent. Vide Menardi not. in Sacram. S. Greg. pag. 331.

LXVI. Septimo, ante unctionem, pronunciatam fuisse Lectionem ex epistola S. Jacobi, ex eodem Ordine Cassinensi.

LXVII. Octavo, Extremæ unctionis formam quibusdam in locis fuisse absolutam, in aliis deprecatoriam; in aliis vero vel absolutam, vel deprecatoriam. Vide Menard. not. in Sac. S. Greg. pag. 332.

LXVIII. Nono, quas ungerent corporis partes; nam alii multo plures, alii pauciores ungebant. Vide Menard. not. loco cit. pag. 357. & 358.

LXIX. Decimo, notandus Cartusiensium ritus, qui singulas post singulos recitatos pœnitentiales psalmos peragebant unctiones. Idem præscribunt Vallisoletani ad calcem Breviarii anno 1600. impressi.

LXX. Undecimo, ante datam fuisse Extremam unctionem infirmis, quam sacrum Viaticum sumerent, pro qua re Eusebii Papæ decretum e Burchardo citatum lib. 18. cap. 11., & ab Ivone lib. 15. cap. 35., & Theodori pœnitentiale ab eodem Burchardo lib. 18. cap. 14., & Ivone lib. 15. c. 35. profert noster Menardus in notis ad lib. Sacram. S. Gregorii Papæ pag. 334., ubi etiam orationes hujusce nonnulla refert exempla. Idem cum nostro Menardo observerunt Sirmundus, Bollandus, & noster Mabillonius in præfatione ad sæc. 1. Benedictinum. Idem & nos confirmare possemus non solum ex relatis hic a nobis ritibus; sed etiam ex Herigero in vita Sanctæ Berlendis Virginis Monasterii Merbecca n. 12. sæc. 3. part. 1. pag. 19. „ (convocatis Sacerdotibus oleum sanctum petiit, quo accepto, Corpore, & Sanguine sui Redemtoris exitum suum consecravit, & sic ultimum spiritum cœlo reddidit.) Ex Hariolpho in vita S. Madalgisili cap. 12. in app. ad sæc. 4. part. 2. p. 542., ubi refert, quod Monachi Cantulenses „ (oleo sacro servum Dei (S. Wiganium) perunxerunt, communionem Dominicorum mysteriorum tradiderunt, & sic sanctam illam animam prosecuti, corpus demum condignæ sepulturæ in oratorio tradiderunt.] Ex Anonymo in vita S. Rimberti cap. 23. sæc. 4. part. 2. „ (septimo ante obitum die ministerium sacræ unctionis cum oleo sancto ei fieri cepit, & una cum communione Corporis, & Sanguinis Domini usque in diem exitus de corpore, hoc salutare remedium omni die percepit.) Ex Geraldo in vita S. Stephani Ordinis Grandimontensis institutoris n. 8. apud Boll. 8. Febr. „ (Quinta die dolore invalus, in oratorium portatus, finita Missa post sacram unctionem, & receptionem Corporis, & Sanguinis Domini, fratribus flentibus .... migravit ad Dominum.) Ex Anonymo in vita alterius Sancti Stephani Abbatis Obazinensis l. 3. cap. 4. tom. 4. Misc. Baluz. „ (Cumque jam morti evidentius propinquaret, ad ipsius petitionem, oleo sancto perunctus est, & sacræ unctionis perceptione munitus;) ex Petro Venerabili epistola ad Hugonem Episcopum l. 1. epist. 4. ubi describens obitum Guilielmi fratris illius, inter alia hæc habet: „ (a Domno Vizeliacensi Abbate eum inungi, & sacri Corporis Viatico refici fecimus.) Vide vit. S. Hunegundis nu. 17. sæc. 2. S. Athelvoldi nu. 41. sæc. 5. S. Dunstani authore Osberno n. 16., & ejusdem Mir. authore Osberto n. 20. sæc. 5. vit. S. Osvvaldi n. 19. ibidem; vitam S. Geraldi Abbatis Silvæ majoris e Christiano Monacho scriptam n. 22. apud Boll. 5. Aprilis; vit. S. Hugonis Episcopi Gratianop. n. 2. apud Boll. 1. April. S. Galteri Abbat. Pontisarensis num. 16. apud Boll. 8. Aprilis; vitam Bernardi Abbatis Tironensis nu. 115. ibid. 14. Aprilis, & vit. S. Ayberti n. 23. ibid. 7. Aprilis, in quibus omnibus idem deprehendere licet.

LXXI. Contrarium tamen videtur, & præscribitur in sermone 66. sancti Cæsarii Episcopi Arelatensis in app. ad ser. S. Aug. ser. 265. nov. edit. in quo inter alia sic loquitur: „ [Quotiens aliqua infirmitas supervenerit, Corpus, & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiet, & inde corpusculum suum unguat; ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: *Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo* &c.] Et sermone 79. ibid. ser. 279. „ (Quantum rectius, & salubrius erat, ut ad Ecclesiam currerent, Corpus, & Sanguinem Christi acciperent, oleo benedicto se, & suos fideliter perungueren, & secundum quod Jacobus Apostolus dicit, non solum sanitatem corporum, sed etiam remissionem acciperent peccatorum &c.) Et in tractatu de rectitudine Catholicæ conversationis authore Sancto Eligio Noviomensi Episcopo n. 5. in app. ad t. 6. S. Aug. nova edit., & in vit. S. Eligii tom. 5. Spicil. „ (Quoties aliqua infirmitas evenerit, non quærantur præcantatores, non divini, non sortilegi, non caragi, neque per fontes, aut arbores, vel bivios diabolica philacteria exerceantur: sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam Corporis, & Sanguinis Christi cum fide, & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde Corpus suum in nomine Christi unguat, & secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum.] Idem videre est in vita S. Gilberti Fundatoris Ordinis Sempinghamensis in Anglia sæc. XII. n. 9. apud Boll. 4. Febr. qui nocte Natalis Domini *Corporis Dominici, & extremæ unctionis munitus est Sacramentis*. Certe in citato hic sancti Petri supra Divam collectaneo ante annos quadringentos exarato decernitur, ut fratri, qui graviter infirmatur, prævia confessione Abbas „ (hora competenti sacrosanctam Eucharistiam eidem petenti humiliter, & devote conferat; (postea vero) ingravescente infirmitate, postquam devota humilitate Extremæ unctionis sacramentum petierit, eidem pœnitenti tempestive hora congrua conferatur; (atque) iis ita peractis, accipiat frater communionem sacri Corporis Domini.) Idem observare licet in vita B. Roberti de Arbrissello Fundatoris Ordinis Fontis Ebraldi, authore Andrea ejus discipulo num. 27. apud Boll. 25. Febr. „ [Alia die, secunda scilicet feria, rogavit sibi dari Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi,] quod & accepit; deinde n. 28. „ (Prætereunte autem secunda feria, quia non dubitabat vir bonus exitum suum propinquum esse, voluit omnia sanctæ Ecclesiæ Sacramenta utpote Christianissimus in se suscipere; petiit ergo devote tertia feria, ut benedicto oleo ungeretur: credens profecto Apostoli Jacobi verbis, quod scilicet per hujus operationem mysterii peccata hominibus dimittuntur. Unctus autem salutifero unguento, iterum munivit se se non sine interno gemitu Corpore Dominico: nec tantummodo his duobus diebus Eucharistiæ Christi semet munivit; sed etiam omnibus diebus, quibus in ipsa infirmitate jacuit.) Erit forte, qui existimet sacram unctionem olim sine prævia confessione, & subsequente Eucharistiæ perceptione datam non fuisse, sicut nec Baptismus sine Confirmatione, & sacra Eucharistia conferebatur, licet prius sacrum Viaticum perciperent infirmi, ut hic præscribitur in collectaneo S. Petri supra Divam, & patet in vita Roberti de Arbrissello, qui obiit anno 1117. cui opinioni libenter assentirer, si antiquioribus niteretur monumentis.

LXXII. Neque multum movent Ekkerardi junioris Notkeri Balbuli vitam describentis hæc verba: „ [Convocatis fratribus coram eis munitus est Viatico sacrosancti mysterii Corporis, & Sanguinis Christi, atque unctione divini liquaminis illinitus valedicens omnibus benedixit eis &c.] Nam Ekkerardus, qui sæculo decimo tertio hanc vitam scribebat, quo tempore jam aliquibus in locis usus obtinebat ante Viaticum, quam Extremam unctionem, ministrandi, rem retulit, prout eam tunc fieri conspiciabat. Eodem fere modo respondendum est ad ea, quæ scripsit Johannes Monachus Bertinianus in vita B. Bernardi pœnitentis num. 26. apud Bollandum 19. Aprilis: „ [Et primo quidem, ut moris est, Corpore & Sanguine illius, cujus ipse erat membrum, eum munientes, & ut fortem athletam contra aereas catervas pugnaturum oleo sanctificato ungentes, ad ultimum diu desideratum monachicum ei habitum circumduximus &c.] & ad ea, quæ Anonymus in vita S. Hildegondis Virginis Ordinis Cisterciensis n. 4. de matre prædictæ Virginis: „ (Accepto sacrosancto Dominici Corporis Viatico, oleoque sancto peruncta, omnibusque rite peractis ......, migravit ad Dominum;) & infra de ipsa Hildegunde n. 33. Prior (Corpore Dominico sibi dato, sancto eam inungi fecit oleo.) Nam Bernardus sub finem sæculi XII. nempe anno 1182., & Hildegundis anno 1188. obierunt, quo tempore jam pristina consuetudo multis in locis immutata erat; quamvis ad Anonymi authoritatem opponi posset hactenus servata praxis infirmi prius ungendi, quam communicandi apud Cistercienses; vid. præf. sæc. 1. Bened.

LXXIII. Duodecimo, observandum ex Concordia Dunstani, quod licet primo tantum die visitationis infirmi sacro ungerent unguento, subsequentibus tamen diebus singulis sacro Christi Corpore reficiebatur, cujus rei praxim videre est in supra citata vit. S. Rimberti, & in vita B. Roberti de Arbrissello, immo etiam in epistola Petri Venerabilis ad Hugonem Episcopum Rothomagensem lib. 1. ep. 4., in qua describens obitum Gulielmi fratris ejus sic fatur: „ [Cum eum paulatim viribus extenuari, ac magis magisque debilitari cerneremus, a Domno Vizeliacensi Abbate eum inungi, & sacri Corporis Viatico refici fecimus: deinde Salvatoris adveniente Nativitate, post auditam Missam sancta rursus Communione confortatus, ad

„ ad diem usque Sancti Johannis Evangelistæ sensim cor-
„ pore deficiendo pervenit. Qua die cum post Vesperos
„ more solito ad eum visitationis gratia cum fratribus
„ venissem: valdeque aggravatum vidissem, sumto ab Ec-
„ clesia Dominico Corpore manibus cum propriis cælesti
„ pane cibavi, post paululum loqui cessavit &c.) Observat etiam Menardus per septem continuos dies utrumque Unctionis, & Eucharistiæ Sacramentum olim infirmis administratum fuisse, quod certe probat locus ex vita S. Rimberti.

LXXIV. Decimotertio, observandus est Cluniacensium ritus in administranda infirmis Eucharistia, quam a majore hostia detractam Sacerdos in propriis deferebat manibus decenter coopertis; & intinctam vino porrigebat infirmis.

LXXV. Decimoquarto, eodem die communicatis infirmis sacrum Viaticum non datum fuisse.

LXXVI. Decimoquinto, quantum fieri poterat infirmos jejunos Eucharistiam recepisse; & quidem communicatis prius Abbate, & fratribus, ex collectaneo S. Petri supra Divam, ubi venit in mentem, quod de sancto Anschario scribit Sanctus Rimbertus in ejus vit. num. 71. sæc. 4. „ (Mane vero facto, omnibus, qui aderant, Sacerdo-
„ tibus sacra solemnia Missarum celebrantibus, Dominici
„ Corporis, & Sanguinis Communione percepta, elevatis
„ manibus precabatur &c.

LXXVII. Decimo sexto, maxime notandum est osculum, quod sive post unctionem, sive post perceptum Viaticum, primum Abbati, deinde fratribus omnibus quasi valefacturus eis porrigat infirmus. Hic ritus apud Monachos antiquissimus ad nostra fere tempora pervenit: huoc videre est Sæc. IV. in vita Sancti Antonii, authore S. Athanasio c.58. l. 1. de vit. Pat. „ (Verba finierat, &
„ *osculantibus* se discipulis extendens paululum pedes mor-
„ tem lætus aspexit;) & apud S. Johannem Chrys. hom. 1. in Job: „ (Cum ultimo spiritu laborantem fratrem
„ habuerint, circumsedent, ultimaque ejus verba audiunt,
„ & monita, alie de industria adhibent, ac deosculantur
„ ultimo osculo.) Sæculo V. in vita S. Romani Abbatis Jurensis, authore Anonymo coævo apud Boll. 28. Febr. „ (Vehementi inæqualitate pulsatus, vocatis ad
„ se fratribus, pacem Christi, quam puro ac mansue-
„ to semper servavit effectu, cunctis *osculo impertita* in
„ magna hæreditate distribuit. Ultimum quoque germa-
„ num suum Lupicinum data oratione deosculans, fra-
„ ternitatem cunctam pastorali amore re_ndam commen-
„ davit attentius.)

LXXVIII. Sæc. VI. in vita S. Juniani a Wlfino Boetio descripta num. 12. sæc. 1. Ben. „ (Cumque jam aurora signum daret, & tempus immineret, quo illa anima
„ corpore dissoluta ad cælum migraret, valefaciens omni-
„ bus, *& pacis osculum tribuens* &c.) In vita S. Theodulfi Abbatis Remensis num. 12. ibid. „ (Cognoscens se jam
„ solvendum, cum fratribus *pacem faciens*, elevavit ad
„ cælum oculos cum manibus, & sanctam animam mun-
„ di naufragiis ereptam Deo conditori reddidit lætus.)
In vita S. Ebrulfi Abbatis n. 24. ibid. pag. 359. „ (*Da-
„ ta etiam pace fratribus* sanctissima ejus anima ab a cor-
„ pore soluta;) In vita S. Victoriani Abbatis Hispani n. 25. apud Boll. Jan. 12. „ (Sanctissimo Corporis
„ Christi Viatico munitus est, *oblatoque omnibus osculo
„ pacis*, beatissimum spiritum suum manibus Angelorum
„ tradidit deferendum ad æternæ lucis mansiones.) Vid. vit. S. Winvvaloei primam nu. 21. apud Boll. 3. Maii. Sæculo VII. S. Deicolus, „ (cum nostræ Redemtionis
„ Viaticum percepisset *osculum dedit fratribus*, & valedi-
„ cens omnibus inter ipsa verba orationis, & laude læ-
„ tissimam animam reddidit cælis;) Similiter S. Columbanus cuidam discipulo Columbano etiam appellato „ (abe-
„ unti de hac vita Viaticum præbuit, & post *extrema oscu-
„ la* defunctionis cantus explevit,) ut scribit Jonas in ejus vita numero 29. Et Agibodus Bobiensis monachus
„ (sumto sacratissimo Christi Corpore omnibus *osculo
„ præbito*, orat, ut charitatis officia corpori impendant,) ut scribit idem Jonas in vita S. Bertulfi n. 19. S. Maximus Abbas in Gallia & Martyr morti proximus convocavit fratres, „ (& veniam eis petens, si forte contra
„ aliquem peccasset, ut et indulgerent, *& osculans eos, &
„ valefaciens eis* &c.) S. Aicardus Abbas Gemmeticensis apud Boll. 2. Jan. „ (Facta confessione, & suscepto
„ sancto Viatico, valedixit omnibus cum sancto dato oscu-
„ lo, & tunc . . . . migravit ad Dominum;) Easterwinus Abbas Viramuthensis ut scribit Beda in vit. S. Benedicti Biscopi l. 1. n. 8. paulo ante mortem in ejus vit. n. 35. „ (accitis ad se fratribus cunctis more naturæ mi-
„ sericordis *osculum pacis* eis flentibus, ac de abscessu tan-
„ ti Patris, & Pastoris mœrentibus dedit.)

LXXIX. Sæculo VIII. S. Austreberta, teste Anonymo in secunda ejus vita n. 13. sæc. 3. part. 1. p.39. „ (Su-
„ perveniente die Dominica, congregatis in unum sororibus,
„ adfuit ipsa sustentata manibus ceterarum; instruensque
„ eas, & docens ea, quæ sunt de Regno Dei multis ibi-
„ dem lachrymis fusis *deosculatur* singulas, pacem fecit
„ cum omnibus, & valedicens sororibus pertraxit ad lectu-
„ lum &c.) Similiter Sanctus Walfredus Abbas Palatioli in Tuscia in ejus vit. num. 8. sæc. 3. „ (fratres singillatim
„ osculans, benedicens jussit sibi Corpus Domini nostri
„ Jesu Christi adferri, quo accepto gaudens, & gratias
„ agens orationem fudit, fratribusque benedicens, sancta
„ illa anima carne soluta est.)

LXXX. Sæc. IX. Christophorus Abbas Monasterii Mulcensis *fratres exhortans, & osculo sancto valedicens vit quievit in pace*, ex vit. Sancti Leonis Lucæ Abbatis Mulensis n. 13. apud Boll. 1. Martii; & ipse S. Leo Lucas ex num. 24. „ (proprio gressu Ecclesiam intravit, ac Missarum
„ solemniis instans devotissimus Dominici Corporis, &
„ Sanguinis Viaticum sumsit, & congregatis totius cœno-
„ bii fratribus sanctæ *pacis osculum* dedit &c. (Sæc. X. Sanctus Petrus Urseol. „ (præscius tempus sui exitus, ad-
„ vocat fratres cum Patre Monasterii, eisque *pacem tribu-
„ endo* valedicens, Corpore, & Sanguine Domini assum-
„ to, & benedictione, & absolutione Viatica assumta in
„ cinere, & cilicio jacens &c.) in ejus vit. n. 18. vid. vit. S. Johan. Gorziensis n. 1. sæc. v. p. 365.

LXXXI. Sæculo XI. Jotsaldus in vita Sancti Odilonis Abbatis Cluniacensis c. 13. apud Boll. 1. Jan. sanctissimum ejus obitum describens „ (secundum Apostoli-
„ cam sententiam, *inquit*, oratio fidei super eum celebratur,
„ mysterium vivifici Corporis, & Sanguinis sumitur, *pax
„ fratribus præbetur*, & ad ultimum illa salutifera
„ Crux nostræ Redemtionis, & imago Domini nostri ad
„ adorandum præsentatur.) Similiter S. Gerardus Abbas Silvæ majoris, teste Christiano Monacho in ejus vit. num. 22. apud Boll. 5. April. „ [ipse sibi adhiberi fecit
„ remedium unctionis extremæ; sumtis quoque sacrosan-
„ ctis Dominici Corporis, & Sanguinis cum omni devotio-
„ ne Sacramentis, ad præparandam sibi viam salutis æter-
„ næ, dedit pacis osculum universis:) vid. vit. S. Gelterti Abbatis Pontisar. num. 16. apud Boll. 8. Aprilis; librum tripart. mirac. Sancti Roberti Abbatis Casæ Dei, authore Bertrando, hist. 1. n. 16. apud Boll. 24. April.

LXXXII. Decimoseptimo, sive ante, sive post datum fratribus omnibus osculum, Crux etiam osculanda, & adoranda infirmis præbebatur, ut patet ex consf. Clun., collect. S. Petri supra Divam, breviario S. Germani e Pratis, & ex citata vita S. Odilonis: Hanc Crucem Petrus Venerabilis nolebat esse auream, vel argenteam, sed tantum ligneam. Vide ejus statut. 62.

LXXXIII. *Decimooctavo*, de Sanctimonialibus, quarum in Monasteria ingressus viris omnibus denegabatur, quæret aliquis, quomodo Sacramenta in extremis positæ reciperent. Huic quæstioni satisfacit Anonymus in vita S. Stephani Abbatis Obasinensis l. x. n. 13. tom. 4. Misc. Baluz., ubi de Sanctimonialibus ab eo institutis agens, inter alia hæc scribit: „ (In ipso autem muro, qui utramque
„ Ecclesiam dividit (hoc est chorum Monialium, & Al-
„ tare, seu Sanctuarium, in quo Sacerdotes celebrabant)
„ fenestra habetur deorsum quadrata, & ferro undique
„ texta, & velo interius a parte fœminarum obducta;
„ ab inferiori vero parte tantum vacuitatis relictum est, ut
„ manus Sacerdotis cum sacra Eucharistia perinde porri-
„ gi possit; quando enim communicandæ sunt, vel gene-
„ raliter omnes, vel specialiter infirmantes, peracta com-
„ munione ad altare, Corpus Dominicum a Sacerdote cum
„ honore ibi defertur, & ita remoto velo omnes ad ma-
„ num Sacerdotis accedentes communicant cum reverentia,
„ & timore; si qua vero ita infirmatur, ut per se am-
„ bulare non possit, ab aliis ibi deducitur, vel a pluribus
„ inter manus aut in gestatorio, tanquam funus defer-
„ tur, fenestræque applicatur; ita ut pleræque sumto Via-
„ tico inter manus deferentium ibi visæ sint expirasse,
„ &c.) His consentiunt antiquæ constitutiones Sanctimonialium Fontis Ebraldi, quas citat Bollandus in comm. prævio ad vit. Roberti de Arbrissello § 6. n. 53. 25. Febr. quibus præscribitur, ut sive Abbatissa, sive Priorissa, sive Decana, seu quæcumque alia morbo corripiatur „ (ad ca-
„ pellam trasportata ibi confiteatur, & communicetur;
„ & communicata egresso Sacerdote ad lectum reporte-
„ tur.) Sed mirum prorsus est, quod de sancta Odilo scribit Anonymus in ejus vita n. 22. in app. ad sæc. 3. Bened.
„ (Cumque calicem, in quo Dominicum Corpus, &
„ Sanguis habebatur sibi adferri jussisset, propriis manibus

eum

„ eum accipiendo, sancta communione participata, omnibus circumstantibus, animam reddidit.)

LXXXIV. Decimonono, notandum maxime quod ait Lanfrancus: „ (Ab hac die nisi melioretur, infirmus carnem non comedat;) ut nimirum in ipso pœnitentiæ, & mortificationis actu, & exercitio moreretur, cui plurimum studebant antiqui; unde priusquam infirmum ungeret Sacerdos, crucem ex cinere cum aqua super pectus ejus formabat, & desuper cilicium apponebat, dicens: *si quis infirmatur, agat pœnitentiam*, &c. ut videre est apud Men. in not. ad lib. Sacram.

LXXXV. Vigesimo, notandæ sunt preces, quæ quotidie pro infirmo, donec convalesceret, ab omnibus effundebantur.

LXXXVI. Vigesimoprimo denique prætereundum non est, quod subjiciunt MS. Cluniacensium consuetudines: „ (Postquam autem frater ad hujusmodi venerit infirmitatem, adhibetur ei unus famulus, qui non habet aliud facere, nisi ut obsequatur infirmo, sed & in nocte famuli omnes, qui sunt in infirmaria diligenter excubant, ne obitus ejus improviso eveniat. Crux est contra faciem ejus affixa, & lumen cerei usque ad clarum diem non deerit. Si quis frater est adeo religiosus, cui hoc pro singulari libuerit affectu, ut ipse quoque remaneat cum infirmo excubans, libenter ei Prior adquiescit.)

LXXXVII. Hac respirit Ingulphi Abbatis Croylandensis pro suo cœnobio constitutio, quam ipse in sua historia ad an. 1091. refert in hæc verba: „ (Quod si infirmus sacra unctione inunctus fuerit, deinceps prima nocte serviens infirmitorii, & serviens sutor de sartrina, simul circa infirmum vigilabunt; in secunda nocte Clericus infirmitorii, & serviens sutor de sartrina simul circa infirmum vigilabunt; in tertia vero nocte cocus infirmitorii, & lotarius de sartrina simul similiter vigilabunt; & sic circulariter per novem noctes, si necesse fuerit, sibi invicem succedunt, vigilantes, infirmum, quandiu indiguerit custodientes.)

LXXXVIII. Pietatem magis spirant Statuta Lanfranci cap. 24., quæ decernunt, ut „ (si ad sanitatem minime redire, mortique potius appropinquare dignoscitur, ex quo certa in eo mortis signa apparere inceperint, sine duobus fratribus esse non debet, qui diebus, & noctibus quandiu intellectum tenet, legant coram eo Passiones Domini, & Evangelia: & cum intellectu privatus fuerit, quandiu supervixerit, psalterium ex ordine decantare non cessent; & sic ordinetur, ut discedentibus duobus, succedant duo alii: horas vero regulares ibi dicant.)

CAPUT IX.

De modo adjuvandi infirmi ad mortem.

I. HOc capite ea complectemur omnia, quæ circa infirmum in agonia positum, donec expiraret, exercebant veteres monachi, quæ quidem omnia ex antiquis ordinariis, ritualibus &c. depromemus, quibus nostras notas subjicimus.

Ex antiquo Breviario Cassinensium tempore Oderisii Abbatis descripto.

II. „ Item officium, sive obsequium circa morientem. In primis dicatur oratio hæc.

III. „ *Deus qui famulo tuo tua dedisti fidei conjunctionem, concede, ut per temporalem corporis incommoditatem ad supernorum civium pertingere mereatur consortium. Per &c.*

IV. „ Deinde infirmus, si potuerit, faciat confessionem: *Domino mea culpa* 111. *Reddo me culpabilem Deo omnipotenti, & ill., & ill., & omnibus SS., & tibi patri, quia multum peccavi malum cogitando &c... unde veniam peto, & indulgentiam postulo.* Sequitur absolutio: *Dominus Jesus Christus qui dignatus est* &c. Deinde communicandus est, etiamsi comedit ipsa die, & post communionem dicitur hæc oratio: *Ascendant ad te Domine preces nostræ, & animam famuli tui gaudia æternæ suscipiant, & quoniam fecisti adoptionis participem, jubeas hæreditatis tuæ esse consortem.* Deinde legantur ante eum Passiones Domini, post hæc cum visum fuerit ad exitum propinquare, ponatur in terra super cilicium, conspersio desuper cinere; & incipiant canere psalmos speciales, deinde si supervixerit, fiant litaniæ.

V. „ Et antequam anima egrediatur de corpore, dicat Sacerdos: *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam, in illa die videbit creatorem suum*: deinde Orationem: *Commendamus te omnipotenti Deo*, &c. definit sic: *Dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. Amen.*

VI. „ Et si amplius supervixerit, canantur psalmi a fratribus, & cum prope fuerit expirare, dicatur tertio ab omnibus: *Sancte Michael suscipe animam ejus*: Deinde antiphonam: *Parce Domine, parce famulo tuo, quem redemisti Christe sanguine tuo, ut non in æternum irascaris ei.* ℟. *Subvenite sancti Dei.* Sequitur commendatio: *Proficiscere anima Christiana* &c.

Ex MS. consuetudinibus Farfensis monasterii.

Qualiter ad exitum animæ agatur.

VII. „ Mox ut anima ad exitum propinquare visa fuerit, communicandus est homo ipse Corpore, & Sanguine Domini: etiamsi ipsa die comederit, quia ipsa communio erit ei ad adjutorium contra diabolum, & insidias ejus. Si autem quiddam supervixerit, legendæ sunt passiones, agatur letania ab omnibus pro ipsa anima, decantentur psalmi, & celebrentur orationes instante; & famuli die noctuque custodiant eum, & aspiciatur sine intermissione, tam ab ipsis, quam a fratre, qui super ipsos est procurator. Dum viderint eum jam prope exitum esse, levent eum de strato, in quo jacet, & habeant coaptatum antea in humo lectum, & positum sagum cilicinum, & cinis desuper missa sit. Tunc accipiant ægrum, & ibi collocent, prout melius potuerint, quia finis Christiani non debet migrare nisi in cinere, & cilicio, sicut jam in multis exemplis Sanctorum experti sumus. Cum vero jam animæ viam universæ carnis ingreditur, & extremis, sicut est consuetudo, tabula sonuerit, quocumque locorum fratres audierint, statim debent incipere, *Credo in unum Deum*, & illuc cum festinatione venire, sive in dormitorio, sive in refectorio fuerint. Si vero regularis hora jam cantatur in ecclesia, quos Domnus Abbas, vel qui ordinem tenet, illuc jusserit, illi veniant; reliqui cum infantibus in choro, donec consummatur illud ministerium, remaneant. Si vero in refectorio fuerint, omnes pariter veniant. Omnibus autem illuc venientibus, cum Niceni Synodi finem, idest *Credo in unum Deum*, ibi pariter constituti fideliter decantaverint; si adhuc supervixerit, psalterium incipiant, donec anima de corpore fuerit separata.

Ex Statutis Lanfranci c. 24.

XIII. „ Ægro autem in agonia posito, & jam jam, si ita visum fuerit, morituro; famulus, qui ad hoc deputatus est, cilicium expandat, & supra illud ad mensuram longitudinis, & latitudinis, quam ipsum cilicium habet, signum crucis de cineribus faciat: morientemque fratrem desuper ponat: Cui postea indesinenter assidens studiose consideret, qua hora exitum ejus conventui debeat indicare: Cumque eum jam in exeundo viderit laborare, gestans manu tabulam ad ostium claustri currat, ibique creberrimo ictu eam ibi percutiat, quousque in conventu auditum esse cognoscat: quo percepto sonitu, si ad majorem, vel minorem Missam, vel ad regularem horam fuerit, remanentibus in choro infantibus cum Magistris suis, & aliquibus fratribus, quibus jussum fuerit, reliqui omnes ad ægrum currant, & mediocri voce canentes: *Credo in unum Deum*, ad eum veniant; fratres vero qui remanserunt, expleto, quod cœperant, eodem modo currentes, & canentes ad morientem properent: ubicumque vero alias, vel quocumque alio negotio occupatos prædictus sonus invenerit, sine aliqua excusatione, vel mora similiter currentes, & *Credo in unum Deum* canentes ad ægrum veniant. Quo pervenientes, & *Credo in unum Deum* communiter explentes, canent VII. psalmos pœnitentiales sine *Gloria Patri*. Quibus expletis, subjunget Sacerdos capitulum: *Parce Domine, parce famulo tuo, quem redimere dignatus es pretioso Sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei*, hoc tertio a Sacerdote dicatur, & per singulas vices a toto conventu repetatur: deinde sequatur letania, quæ solet, quam protrahi, vel breviari oportet, secundum quod fratris exitus visus fuerit admonere, si autem, ut aliquando fit, litania expleta, nondum migraverit, conventus discedat, aliquibus fratribus, quibus jussum fuerit, ibi remanentibus, qui psalterium ex ordine psallere incipiant, cum autem venerit hora, ut iterum vocari debeant, supradicto modo vocentur, & veniant.

Ex MS. consuetudinibus Cluniacensis monasterii.

IX. „ Famuli qui sunt in talibus multum exercitati, multumque periti, cum viderint jam ejus exitum imminere cilicium ad terram expendunt, & cinerem in crucis modum desuper spargent, & infirmum de lecto levatum super cilicium imponunt; deinde Infirmarius debet notificare Priori, quia ille frater sit prope suum finem; Prior vero, si æger habuerit memoriam, præcipiet alicui fratrum, ut legat coram eo passiones; si autem non habuerit, præcipiet duobus, aut quatuor, ut indesinenter ibi cantent psalmos, donec notum sit, & pateat animam de corpore egressuram sine longa mora. Quod cum viderit famulus, qui bene doctus, & usitatus in tali officio est, tum demum arreptam tabulam debet fortiter, & cum festinantia multa percutere in claustro ante gradum dormitorii, prius, si nox est, accensis lucernis in claustro infirmariæ, & per aditum, per quem itur ad infirmariam. Quo signo audito, etsi alio tempore etiam nimius passus reprehenditur in homine nostri Ordinis, qui tunc non currit irregulariter, & inordinate agit. Currentes autem fratres cantent, & recitant majorem symbolum, ubicumque sint, exceptis horis regularibus, & mandato, & generali Missa; tunc ii tantum currunt, qui extra chorum sunt: illi vero qui intra chorum sunt, omnes quidem commoveant se, quasi velint currere, nullus tamen primum chorum egreditur, solus qui tenet ordinem, & quibus præceperit ipse, & Armarius. Similiter nullus exit de mandato, nisi cui præcipit, qui tenet ordinem. Finita autem hora, & data benedictione, si quilibet susceptorus jam est veniendi, abeundi; nam quandiu frater inhumatus est numquam illi extra de monasterio licet; & ad Vesperum, vel Matutinos facta commemoratione alicujus sancti, si forte faciende est, tam si frater nondum finitus fuerit, current omnes cantando prædictum symbolum, ac si tunc percuteretur tabula: Si vero finitus fuerit, moderato incessu ibunt cantando: *Placebo Domino*, & cum venerint illuc, adjungent se psalmodiæ aliorum, quos ibi invenerint. Cum autem ita liberi sunt, quod omnes insimul occurrere possunt, omnes occurrunt; & sive omnes, sive pars occurrat; ibi circa fratrem adstantes tandiu debent indesinenter *Credo in unum Deum* dicere, donec anima solvatur a corpore, nisi hoc eveniat, quod aliquando avenit, ut in agonia multum producatur; tunc enim agenda est ipso Domno Abbate, vel Priore pronunciante letania, & unicuique nomini sanctorum subjungendo: *Ora pro eo*. Finitis vero SS. nominibus, subinfertur: *Propitius esto: Libera eum Domine. De gladio maligno: Libera eum Domine. A morte perpetua: Libera eum Domine. A pondere peccatorum: Libera eum Domine. A tetra caligine: Libera. Per Crucem tuam: Libera eum Domine. Per intercessionem omnium SS. Libera. Peccatores: Te rogamus audi nos. Ut incendia tua flagella ab eo amoveas: Te rog. Ut spiritum ejus a loco angustia liberes. Te rogam. Ut cum fiducia diem judicii expectet: Te rogamus. Ut eum in numero tibi placentium censeri facias: Te rog. Ut eum a numero malorum discerni facias: Te. Ut eum in regeneratione vivorum æternis gaudiis foveri jubeas: Te. Ut eum prima vita æterna gaudia adipisci facias: Te. Ut eum a mortifero vastatore defendere digneris: Te. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce ei Domine. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere ei. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona ei requiem. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.* Quod si nondum finivit, repetito quater, aut amplius ab omnibus, ut prius, *Credo in unum Deum*, si adhuc morabitur obitus, Abbas, sive Prior significare debet fratribus, ut recedant, retentis quibusdam, qui ibi cantent psalmos, seu legant passiones . . . . quamdiu super cilicium jacuerit æger. Secretarius qui horologium temperat, post Completorium cum absconsa illico pergat, & postquam horologium ceciderit, antequam pulset scillam ad Matutinos, & etiam in die, ut secundum quod ibi deprehendere poterit, sic temperet, & provideat, ne de servitio Dei propter obitum fratris negligentia eveniat. Cum autem fratres, quos Prior retinuerat, viderint finem ejusdem mutam prope sine dubio imminere, faciunt prius tabulam percuti ad commovendum fratres, qui omnino eodem ordine, quo prius, accurrere debent, & tandem simul *Credo in unum Deum* repetendo dicere; & si placuerit Domno, vel Priori, iterare letaniam, & item *Credo in unum Deum*, quo usque finiatur. Quod si iterum videbitur obitus ejus prolongari, significandum est fratribus, ut iterum recedant, retentis quibusdam, qui psalmos cantent; & percutienda est iterum tabula, cum certi fuerint de obitu: Nunquam enim finire debet frater, nisi ibi adsint omnes, nisi pro supradictis caussis remaneant, vel pro processione, quæ fit in Dominicis diebus, & maximis festis, si jam crux extra auditorium sit, & aqua benedicta. Nam si adhuc intra claustrum sunt, quando tabula percutitur, ab omnibus ad defunctum curritur; & peracto officio, ad processionem reditur. Quotienscumque pergant audito sonitu tabulæ clamando ut dictum est, *Credo in unum Deum*, cum multa festinatione debent accelerare illuc, nihilque aliud dicere, donec egredietur anima, nisi, ut dictum est, nimis longa mora obitus intercesserit. Sciendum est autem, quoniam dum percutitur tabula, si fratres sunt ad nocturnos, Matutinis finitis, si nondum finitus fuerit, statim ante Laudes current omnes cantando præfatum symbolum etiam in xII. Lectionibus Si vero finitus fuerit, ibunt quieties cantando: *Placebo Domino*, & adportato corpore in ecclesiam, continuo matutinæ Laudes incipientur, prius dictis familiaribus psalmis, qui solent dici. Si privatæ dies fuerit, etiamsi nondum finitum fuerit ex toto officium, idest antequam dictum sit: *Exultabunt Domino*, & *Verba mea* peracto opere Dei reincipietur officium, ubi dimissum fuit. Si vero cantaverint Vesperas, aut Matutinos de omnibus SS., vel de defunctis, aut suffragia SS., vel psalmos familiares, sive letaniam, nullam expectabunt licentiam audita percussione tabulæ: Verumtamen adlato corpore in ecclesiam, reincipiunt. . . . . fuerat. Quod si in refectorio fuerint, eodem modo nullam præstolabuntur licentiam; verum tamen plene peracto obsequio defuncti, corpore lavato, & in ecclesiam deportato; si nondum lectio finita erat, & versus *Agimus tibi gratias* dictus, revertuntur omnes in refectorium; & si adhuc comedissent, & bibissent, quando audierant ictum tabulæ, comedent, & bibent, sive sit Quadragesima, sive quodcumque tempus, & complebunt prandium ex mora. Quod si ad sonitum tabulæ omnes jam dimiserant comedere, & lectio finita fuerat, & versus dictus; lavato corpore, & in ecclesiam delato, ibidem omnes incipient *Miserere mei Deus*, & finiant versum. Eodem modo fit, si ad collationem fuerint; nisi lectio lecta fuerit, revertuntur illuc completo obsequio. Infantes vero, si nox est, quando percutitur tabula, sicut & juvenes, qui sunt in custodia, tantum debent expectare, donec candelæ accendantur in lucernis eorum, neque ipsi infantes debent esse mixti cum aliis in infirmaria; sed seorsum in una parte eorum maneant cum Magistris, ita ut audiant, & dicant, quod dicit conventus. Et cum tanta festinatione est illuc ab omni conventu currendum, ut nec etiam lectos suos ea vice, si sunt in dormitorio, cooperiant. Nihil amplius debent currere fratres, nisi propter tempestatem, aut focum.

Ex MS. Rituali S. Benigni Divionensis n. 277.

X. „ Mox autem ut visus fuerit ipse infirmus ad exitum propinquare, percutitur tabula, curritur ad eum, & a currentibus canitur *Credo in unum Deum*, & post agitur letania. Quibus finitis, si nondum est functus, repetitur quater, aut septies *Credo*; aut certe, si æger habet memoriam, leguntur ante eum Passiones, sin autem, recedente conventu, præcipit Prior, quibus voluerit, ut cantent psalmos. Si vero functus fuerit, expleta letania, dicuntur orationes, prius tamen spargitur super corpus aqua benedicta & incensatur.

Ex MS. collectaneo S. Petri supra Divam.

XI. „ Cum anima visa fuerit laborare in dissolutione corporis, nuncietur hoc Priori; ipse vero percussa fortiter tabula convocet conventum. Abbas vero, Prior revestiet se, & veniant omnes ad infirmitorium coram fratre dicentes: *Credo in unum Deum*; & sic processione rite ordinata, Abbas revestitus alba, manipulo, stola, & cappa dicat orationem: *Parce Domine famulo tuo, quem redimere dignatus es pretioso sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei*; tertio repetatur ab omnibus, quam sequatur letania. *Pater de Cælis Deus, miserere animæ ejus: Fili Redemtor* &c. (sequitur letania integra, quam hic omittimus, post cujus *Agnus Dei* hæc sequuntur) hic non dicitur Oremus: *Proficiscere anima christiana* &c. subsequatur oratio: *Pia recordationis affectu fratres carissimi commemorationem faciamus cari nostri,*

quem

quam Dominus de tentationibus hujus sæculi assumsit. Obsecrantes misericordiam Domini Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placidam, & quietam mansionem, & remittat omnes lubricæ temeritatis offensas, ut concessa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc sæculo proprio reatu deliquit, totum ineffabili pietate, ac benignitate sua deleat, & abstergat, quod ipse facere dignetur, qui in Trinitate perfecta vivit, & gloriatur Deus, per omnia sæcula sæculorum.

XII. „ Consequenter, & immediate dicatur commendatio ℟. *Subvenite sancti Dei* &c. *Kyrie: Pater noster: Non intres: A porta inferi*. Oratio: *Tibi Domine commendamus* &c. Alia oratio: *Misericordiam tuam Domine*. Antiphona: *Suscipiat te Christus*. Psalmus: *In exitu Israel*. Oremus: *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori*. Antiphona: *Chorus Angelorum*. Psalm. *Dilexi quoniam*, usque *Ad Dominum cum tribularer*. Oratio: *Diri vulneris*. *Pater noster* &c. *Requiem æternam. Anima ejus in bonis demorabitur: Et semen. A porta inferi* &c. *Dominus vobiscum*. Oratio: *Deus cui soli competit medicinam præstare post mortem*. Oratio: *Partem beatæ resurrectionis*.

Ex libro Usuum Beccensium.

XIII. Cum anima in exitu corporis, & dissolutione sui visa fuerit laborare, unus ex famulis, qui eum custodiunt, percutiat tabulam minute, & acriter: Tunc omnes fratres cum summa velocitate accurrant, canendo moderata voce *Credo in unum Deum*. Quod si in ecclesia fuerint, infantes cum Magistris ibi remaneant, & aliqui ex fratribus, usque dum horam regularem completam habeant, & sic ipsi accurrant: si in refectorio fuerint, simul omnes accurrant, etiam servitores, & Lector; postea revertantur ad mensas, ut, sicut moris est, finiatur ordinate refectio. Cum vero illuc pervenerint, cantent VII. psalmos pœnitentiales, sine *Gloria*, si spatium habuerint, quibus subjungant ter hoc capitulum: *Parce Domine, parce*. Hoc dicto tribus vicibus a Sacerdote, & a conventu hoc ipsum repetente subjungant letaniam, sive: *Proficiscere*: si adhuc moram fecerit migrandi, legantur Passiones ab uno Levitarum, discedente conventu; crux tamen, & aqua benedicta ibi relinquantur.

Ex MS. consuetudinibus Lyræ.

De festinatione ad mortuum.

XIV. „ Ubicumque fuerit conventus extra ecclesiam, nisi tantum ad processionem in Dominica, sive festivam, sive pro afflictione per claustrum, audita tabula defuncti, omnes ad mortuum currant, nisi sint ad hujusmodi processionem. Si in capitulo fuerit conventus ad collationem, audita tabula non dicet Lector: *Tu autem*; sed dimisso libro super analogium, cum aliis currat; deinde toto officio completo, de ecclesia revertantur in capitulum, & dicat, qui præest: *Benedicite*, & absolvat defunctum, & dividat vigilias; deinde sine nutu illius, qui præest, incipiat Lector lectionem, ubi dimisit, nec iterum dicat: *Jube Domne*; postea eant omnes in refectorium ad caritatem potus, ut mos est. Similiter fiet, si post prandium, vel cœnam inceperint: *Miserere mei Deus* ad gratias; si fuerint in claustro audita tabula, ibi dimittent gratias, & current omnes ad mortuum, deinde officio completo incipient in ecclesia: *Miserere mei Deus*, & facta processione intrabunt in chorum ad gratias. Audita tabula defuncti, signum horæ, si tunc sonet, dimittitur; si hora incepta fuerit, pars conventus egredietur. Similiter dum Missa cantatur, vel *Deus auribus*, vel xv. psalmi, & per omne obsequium in usum in choro convenientibus, incipiantur Vesperæ, vel Matutinæ. Si sonat tabula ad Missam matutinalem, antequam prima collecta incipiatur, dimittant omnes Missam, etiam Sacerdos, & currant ad mortuum. Post primæ collectæ inceptionem, non omnes sed pars quædam curret ad mortuum. Qui ad Primam remanent in choro, quando sonat tabula, post psalmos familiares antequam incipiantur VII. psalmi, currant ad mortuum. Item, qui regularem horam dimiserint propter mortuum, post officium completum eant in aliud membrum ecclesiæ, vel in capitulum, non autem in choro, quia non debet bis in die eadem hora in choro cantari.

XV. „ Quando anima in exitu suo visa fuerit laborare, unus e famulis, qui eum custodiunt, accipiat tabulam, & pulset eam minute, & acriter; tunc omnes fratres cum summa velocitate accurrant ad mortuum canendo moderata voce: *Credo in unum Deum*. Post letaniam, si moritur, idest si adhuc trahit, dicat Cantor: *Subvenite sancti Dei: Requiem æternam dona ei*. Subjungat Sacerdos: *Proficiscere anima Christiana*.

Ex Breviario MS. S. Germani a Pratis.

XVI. „ Cum in agone exitus æger laboraverit, canendi sunt ante eum CL. psalmi, & Passiones Domini nostri; cum autem ad exitum venit, tacta tabula, conveniant fratres cantando: *Credo in unum Deum*, & si longum duxerit exitum, recitanda est hæc letania: *Kyrie eleison* &c. His expletis, si adhuc non migraverit, iterum canendi sunt VII. psalmi, vel *Credo in unum Deum*, quousque spiritum reddat.

Ex libro Usuum Cisterciensium c. 94.

XVII. „ Cum aliquis morti penitus appropinquaverit, ponatur ad terram super sagam, supposito prius cinere in modum Crucis, & aliqua matta, vel straminis aliquanto: Dehinc percussa crebris ictibus tabula in claustro, & pulsato signo in ecclesia, ubicumque conventus fuerit, quater, quomodo bis fieri ad inungendum infirmum determinatum est: Si conventus intra claustrum fuerit, occurrant omnes velociter ad morientem: *Credo in Deum*, dicentes bis vel ter, tam ut alte possint audiri. Si vero extra, quam citius poterit, cum gravitate tamen occurrat: nisi forte tempore secationis, vel messionis, tantum pro aliqua gravi necessitate Abbati, vel Priori aliter visum fuerit. Cantor vero Abbati deferat collectaneum, & Sacrista stolam, & baculum, ducens secum, qui deferat crucem, lumen, thuribulum, & aquam benedictam.

XVIII. „ Si ad collationem sederint, audita tabula, dicat Lector: *Tu autem Domine*, & Abbas: *Adjutorium nostrum*. Qui tunc forte præsens non fuerit, non satisfaciat ad gradum; sed in crastino veniam petat in capitulo: Si in oratorio ad Missas, vel ad canonicas horas, vel Sabbato ad mandatum fuerint; Abbas, aut Prior, & quos Abbas jusserit, eant. Si autem viderit Cantor, quod pro festinatione possint ceteri ad defunctum convenienter occurrere, solito citius impleant opus inceptum, & alios subsequantur. Quod si præcipua fuerit solemnitas, propter hoc Vesperæ, vel nocturni celerius non dicantur. Quod maxime in præcipuis solemnitatibus observetur. Et sciendum, quia Dominicis, & festis diebus Laudes, sive Matutini, qui, secundum Regulam, post nocturnos statim debent subsequi, licet ea hora tabula pulsaverit, non intermittentur: Similiter nec Prima privatis diebus post Laudes in hyeme. Officium quoque defunctorum ubicumque sequi debuerit, quamvis pulset tabula, non intermittetur. Dicta itaque litania, si adhuc vixerit, dicantur VII. psalmi pœnitentiales, quod si nondum obierit, discedant relinquentes ibi crucem, & aquam benedictam.

Ex Breviario Casalis Benedicti.

XIX. „ Ordo commendationis animæ. Primum fiant letaniæ breves in hunc modum: *Kyrie eleison; Christe eleison: Kyrie eleison* &c.

XX. „ Deinde pro vicino morti, cum in agone sui exitus anima visa fuerit anxiari: infra scriptæ dicantur orationes, quæ absolute incipiendæ sunt: *Proficiscere anima Christiana* &c. *Deus misericors, Deus clemens* &c. *Commendo te omnipotenti Deo frater charissime, & ei, cujus es creatura* &c. *Suscipe Domine servum tuum* &c. *Commendamus tibi Domine animam famuli tui* &c. *Delicta juventutis, & ignorantias ejus* &c.

XXI. „ Si anxietur adhuc anima, dicantur hi psalmi: *Confitemini*, qui dicitur Dominica ad Laudes: *Beati immaculati*, usque ad: *Ad Dominum cum tribularer*. Et si adhuc anxiatur, Christi Jesu Domini nostri Passio devote legatur, quæ a quatuor Evangelistis recitatur. Isdem pene Ordo præscribitur in Breviario Congregationis Vallisoletanæ.

Ex Ordinario Cartusiensium c. 34.

Quomodo tractandus sit, qui moritur &c.

XXII. „ Cum autem infirmus ab eis, qui ei inserviunt, jam mori videbitur, signum cum posse, & campana

dato

„ data convocantur, & omni occasione postposita accur-
„ runt ceteri Religiosi ad cellam infirmi, fusuri preces ad
„ Deum pro salutari exitu animæ ejus. Si tamen tunc di-
„ vinum contigerit officium celebrari in ecclesia, aut si
„ tunc monachi prandent, vel dormiunt, non sunt vo-
„ candi: sed Prior, vel cui injunxerit, cum aliquot
„ Religiosis per Priorem designandis, ad morientem fe-
„ stinat.

XXIII. „ Congregatis autem omnibus, qui debent, &
„ possunt interesse, dicitur a cunctis sine nota, *Credo in
„ unum Deum*, ut per confessionem fidei confundantur,
„ & repellantur dæmones, qui tunc maxime solent ten-
„ tare morientem de fide. Deinde Præsidens, aut anti-
„ quior Sacerdos ex his, qui adsunt, cum stola ecclesia-
„ stica incipit litaniam SS, cum precibus, sicut in Brevia-
„ rio [illegible], quam longam, vel brevem facit, prout
„ res patitur. Quod si infirmus mori tardaverit, qui apud
„ eum ex Sacerdotis voluntate remanserint, legant Passio-
„ nes: & quandiu tempus permittit, alias devotas, &
„ approbatas orationes, quales sunt a Patre nostro Diony-
„ sio [illegible].

XXIV. Ex his omnibus notandum est ceteros monachos, ut [illegible] in extremis positi Deo suis precibus commandarent, simul ad eum convenisse, idque ad signum tabulæ, aut alterius alicujus signi, quod multis exemplis confirmari potest: Ex Jona in vita sancti Columbani Abbatis n. 29. sæc. 2. agens de morbo cujusdam fratris, qui etiam vocabatur Columbanus: „ (*Tum signo tacto* omnes adesse
„ imperavit, sancti sodalis amissionem gaudio temperavit,
„ Corpus Christi abeunti de hac vita viaticum præbuit,
„ & post extrema oscula defunctionis cantus implevit:)
Ex Anonymo in vit. S. Bertilæ Abbatissæ Calensis sæc. 3. part. 1., ubi de quadam sanctimoniali, „ (ad cujus
„ sonus ceteræ sorores *tacto signo* convenerunt, ut consue-
„ tam explerent orationem pro anima, quæ assumebatur
„ ab eis:) Ex vita S. Sturmii Abbatis Fuldensis n. 24. sæc. 3. part. 2. p. 284.: Ex Victore Papa III. in lib. 2. Dial. c. 5. „ (Repente signum, quo fratrum obitus significari so-
„ let insonuit, statimque fratres omnes festinanter ad do-
„ mum infirmorum pergunt, & Angelicum monachum jam
„ defunctum reperiunt.)

XXV. Secundo, convenientes symbolum multoties currendo ad infirmum decantasse, ut scilicet per confessionem fidei, quas nonnumquam suscitare solent dæmones, tentationes ab infirmo depellerent. Placuit non solum circumstantibus, sed ipsis etiam infirmis hanc emittere fidei suæ confessionem, ut de Roberto de Arbrisello narrat in primis Andreas ejus discipulus apud Boll. 25. Feb. hic enim primum dimissis omnibus se circumstantibus fratribus, oravit pro Ecclesia, pro benefactoribus, pro inimicis; deinde conversus ad crucem fidei suæ professionem fecit, tum ad Sacerdotem publice peccata confessus est, & de S. Alberico Cisterciensi Abbate Chrysostomus Henriquez in ejus vit. n. 19. apud Boll. 26. Jan. morti proximus *symbolum Apostolicum clara voce, & cygnea quasi recitavit*. Huc referendum est, quod de S. Amato Abbate Habendensi scribitur in ejus vita n. 24. sæc. 2. Benedict., quod scilicet priusquam moreretur, S. Leonis Epistolam ad Flavianum sibi legi jusserit.

XXVI. Tertio, fratres infirmum circumstantes psalmos potissimum recitasse, letanias decantasse, & Passiones legisse. De psalmis luculentum habemus exemplum in præfata vita S. Amati Abbatis Habendensis n. 19. „ (Præ-
„ fata autem Mactefleda, cum in ipso articulo suæ vitæ
„ jam in egressu anima esset, quædam soror ait, Canite
„ psalmos, quoniam jam mater nostra nos relinquit; (&
„ infra de ipso S. Amato:) congregati fratres, atque
„ sorores, universusque sexus lugentes præstolabantur exi-
„ tum S. viri, Evangelia scilicet legentes, atque psalmos,
„ hymnosque coram lectulo decantantes. Inter has igitur
„ voces veniam ab universis petens, atque eis vale-
„ dicens ita emisit spiritum:) Et in vita S. Clari Abbatis Viennensis authore Anonymo n. 11. sæc. 2. „ (Appro-
„ pinquante hora exitus sui psalterium idem decantare cœ-
„ pit; ut ergo fratres finitis psalmis dixerunt: *Omnis spiri-
„ tus laudet Dominum* ... beata anima migravit ad Do-
„ minum;) in vita S. Humberti n. 3.: „ (Instante die
„ resolutionis sanctissimi viri Humberti tandem inter di-
„ scipulorum flentium voces, & multas *psallentium* laudes
„ sancta illius anima carne soluta ad æthereas erecta est
„ sedes;) In vita S. Segolenæ n. 32. in app. sæc. 3.:
„ (Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione animam
„ suam munivit, & psalmum Quinquagesimum ipsa impo-
„ suit, & psallere suas præcepit virgines &c.) Denique in l. 2. dial. S. Vict. Papæ III. c. 6.: „ (In domo infirmorum
„ in lectulo jacens extremum vitæ spiritum jam morituros
„ trahebant, multique ex fratribus excubantes circa lectum
„ ipsius hymnis, & psalmis vacantes ejus exitum expecta-
„ bant.)

XXVII. De letaniis patet ex vita S. Austrebertæ sæc. 3. „ (Interim cunctis, qui aderant, psallentibus, &
„ SS. *nomina seratim* subnectentibus, illa ettetere, qua
„ valuit, voces psallentium interrupit &c.;) Ex Hariulfo in chronico Centulensi l. 4. c. 35. Spicil. tom. 4., ubi de obitu Gervini Abbatis pussimi: „ (Cum fratres
„ litania finita, & initiata commendatione fideli, illo usque
„ venissent, ut dicerent: *Suscipiat te Christus*, ille ad hæc
„ verba spiritum efflavit.;) Ex eit. S. Cunegundis Imperatricis, & Mon. „ (Sonabant psalmi, & totam domum,
„ ubi sanctum corpusculum in medio super illo suo nobili
„ cilicio compositum jacebat, in sublime resonans leta-
„ nia pro exeunte anima quatiebat:) n. 14. apud Boll. 3. Mart. Ex vita S. Alberici Abbatis Cisterciensis authore Chrysost. Henriquez n. 19. apud Boll. 26. Jan. „ (Post-
„ modum litanias perlegit, cumque ad illud pervenisset,
„ *S. Maria ora pro nobis*, facies ejus cœpit, quasi divi-
„ na adinstar solis luce perfusa, intermicantes effundere
„ radios, & mox velut in somnum leniter solutus animam
„ efflavit.) Denique ex Anonymo in vita S. Stephani Abbatis Obazinensis l. 3. n. 4. tom. 4. Misc. Baluz. „ (Pulsata tabula omnes undique convenerunt, & leta-
„ nias cum magno fletu agere coram eo cœperunt, quas
„ ipsa quidem frequentius repeti faciebat, & cum eis mo-
„ ticos prout poterat decantabat.)

XXVIII. Tandem de Passionibus testatur vita S. Frodoberti Abbatis Cellensis n. 22. sæc. 2. „ (Universos
„ denuo jubet adesse discipulos, dumque ante eum textus
„ passionis legeretur Dominicæ, sub oculis omnium facta
„ anima carnis exuta velamine, feliciter decessu cœlestia pe-
„ netravit.)

XXIX. Quarto, cum diu anxiaretur anima in exitu, fratres explatis solitis psalmis, letaniis, passionibus, ac precibus ita recessisse, ut semper aliqui psallentes, atque orantes circa infirmum remanerent, pro qua re Abbatis jussu, aut Cantoris dispositione per turnas dividebantur, ut facile colligi potest ex visione Baronti monachi Longoretici monachi sæc. 2. qui cum ad extrema redactus videretur, fratres „ (pro ejus anima componere cu-
„ perunt, qui psalmodiæ cantus recitarent per ordinem;)
quod quidem ab hora diei tertia, tota die, totaque nocte usque ad pullorum cantum peregerunt; & ita forte intelligendus est Venerabilis Beda in vita S. Cuthberti n. 7., quo morbo correpto „ (fratres monasterii illius, to-
„ tam pro ejus vita, & salute precantes duxere noctem
„ pervigilem.)

XXX. Quinto, quia S. Benedictus nihil operi Dei præponendum esse decernit, etsi quodcumque aliud exercitium, audito fratris migrationem denuntiante signo, interrumperent, non tamen omnino, officium divinum; unde semper nonnulli remanebant in choro, inceptam regularem horam prosequentes, ubi certe venit in mentem, quod S. Ermenoldus Abbas obitum suum, dum Missa caneretur, futurum esse prænuntians ad discipulos ait: „ (Cavete,
„ *inquit in ejus vit. n. 9. apud Boll. 6. Jan.*, cum signum
„ mei transitus audieritis, ne quis error, aut negligentia,
„ hujus occasione, in divino contingat officio; sed paucis
„ egredientibus, a ceteris cum devotione sacra Missarum
„ solemnia more solito peragantur;) & quod de S. Bernardo Viennensi Archiepiscopo scribitur in Fragmento de ejus vita in app. ad sæc. 4. Bened. „ [Psalmodiam pri-
„ mus incipit, & cum fratribus voce nullo modo debili-
„ tata decantat, sicque in Domini laudibus præcan-
„ tes exitum beati viri præstolabantur; cum esset matu-
„ tinalis hora, quando fratres surgere consueverant, ad-
„ venerat, nec a conspectu ejus movebantur. Tunc vir
„ Dei: Ite, *inquit*, fratres debitas Laudas persolvere, quia
„ non modo decedo, donec aurora surrexerit, ut ea sur-
„ gente vos æterna lux suscipiat. Interea ipse cum pau-
„ cis, quos remanere jussit, easdem laudes persolvere cœ-
„ pit &c.)

XXXI. Sexto, etsi nonnullos legamus extremum in lecto spiritum reddidisse, communem tamen monasteriorum usum habuisse, ut ad terram in cinere, & cilicio depositi morerentur; quam praxim plurimis exemplis confirmare possumus. Ita S. Martinus apud Severum Sulpicium l. 2. de vit. S. Mart. „ (non decet, *inquit*, filii,
„ Christianum, nisi in cilicio, & cinere mori;) S. Paduinus Abbas Cœnomanensis, in ejus vit. sæc. 1. „ (Instante
„ superno carnis incommodo, cum omnia peregisset, quæ
„ in tali vocatione Christiana religio postulat festos ar-
„ tus, & naturam profitentes *cinere, & cilicio* commen-
„ davit; dehinc erectis in cœlum manibus, & oculis,

anima

„ anima felix, & constipata virtutum de exsilio evasit ad „ patriam;) S. Landelinus Abbas Crispiniensis in ejus vit. n. 8. sæc. 3. „ (super cineres, ac cilicium stratus astantibus circumcirca, quos Christo acquisierat, carissimis „ filiis, animam bonorum actuum floribus adornatam ad „ Angelorum direxit gloriam:) S. Rodingus *super humum cilicio tantum substrata* jacens obiit circa annum 680. in ejus vit. n. 13. in app. ad sæc. 4. S. Poppo Abbas Stabulensis morti proximus, in ejus vit. n. 5. apud Boll. 4. Jan. „ (expiatie pro se omnibus, cilicium, quod sibi sterni fecit, „ nudis pedibus adiit, terramque tam corpore, quam „ pectore prono deosculans, se supinum collocavit &c.;) S. Petrus Damiani de seipso loquens: l. 6. epist. 19. vid. Chron. Andrense Spicil. tom. 9. p. 517. „ [Dum hæc, & „ similia itero, suoerere mihi parantur exequiæ, sacrati olei „ delibutione perungor, in cineris, ac cilicii strato tanquam „ illic emoriturus repono;) Et Petrus Venerabilis de Gilberto S. Johannis Angeriacensis monacho l. 1. Mir. c. 4. „ Cumque, sicut mos Christianorum est, & maxime mo„ nachorum, in substrato cilicio, & cinere a fratribus „ compositus jaceret &c. (& de Matthæo Albanensi Episcopo l. 2. Mir. „ Frater autem rogaverat ne se casu „ aliquo, nisi in cinere, & cilicio, Christianorum more, „ mori permitterent;) & de sua ipsius matre l. 2. epist. 17. „ (jam eo propinquante visum est sororibus, ut eam „ a lecto levatam in cinere, & cilicio componerent.) Ceterum non qualiscumque cinis, sed facta ex sarmentorum cremiis, & benedictus feria IV. in capita jejunii morientibus infirmis substernebatur, ut l. 3. c. 9. vidimus ex cons. S. Benigni Divionensis, & Floriacensibus, qui quidem infirmi in certo quodam assignato infirmitorii loco morituri deponebantur, ut discimus ex Petro Venerabili cujus hæc verba l. 1. Mir. c. 19. „ (habetur in domo „ (infirmorum) media locus unius corporis capax, ad „ hoc aptatus, ut fratres ibidem in cinere & cilicio com„ positi extremum Deo inde spiritum reddant;) hinc forte capiendus est locus ex Beda Venerabili in vita S. Cedmoni monachi Streneshalæ in Anglia n. 5. apud Boll. 11. Feb. „ (Erat autem in proximo casa, in qua infirmio„ res, & qui prope morituri esse videbantur, induci sole„ bant.) S. Congalius etiam lectulum de tabulis fecisse memoratur, *ut moreretur ibi unusquisque fratrum*. In secunda ejus vita n. 55. apud Boll. 10. Maji. Visitur hactenus in Majori monasterio lapis, in capella infirmorum positus, super quem olim ægroti deponebantur in cinere, & cilicio animam exhalaturi.

XXXII. Tandem pro conclusione hujus capitis, nonnulla SS. exempla proponam, qui supremum in ecclesia spiritum ad aras exhalare voluerunt. Ex his princeps occurrit SS. Legislator noster Benedictus, qui ut scribit S. Gregorius Papa l. 2. dial. c. 37. „ [cum languor per singu„ los dies ingravesceret, sexta die portari se in oratorium „ a discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici Cor„ poris, & Sanguinis perceptione munivit, atque inter „ discipulorum manus imbecillia membra sustentans, ere„ ctis manibus stetit, & ultimum spiritum inter verba ora„ tionis efflavit.) Sanctum Patrem proxime sequitur sanctissimus ejus discipulus B. Maurus, qui, ut scribit Faustus in ejus vita n. 70. sæc. 1. „ (Ante altare B. Martini, su„ per cilicium stratus sui decubans, cum exitum suum vi„ vificorum munisset perceptione Sacramentorum, adstan„ tibus, qui relicti erant, discipulis, feliciter migravit ad „ Dominum:) Ita S. Clarus Abbas Viennensis in ejus vit. n. 11. sæc. 2. „ (a fratribus in ecclesiam portatus, „ cilicioque super extentus, quamdiu supervixit, a Dei „ laudibus non cessavit. Appropinquante hora exitus sui „ psalterium idem decantare cepit, ut ergo fratres finitis „ psalmis dixerunt: *Omnis Spiritus laudet Dominum*, B. „ anima carne soluta migravit ad Dominum:) S. Fructuosus Bracarensis Episcopus, teste S. Valerio in ejus vita n. 22. sæc. 2. „ (jussit se ad ecclesiam deportari, . . . „ sic denique accepta legitime pœnitentia, non est regres„ sus de ecclesia, nisi ibi ante sanctum prostratus jacuit „ altarium, diem illum, & noctis percurrentem spatium: „ ante enim exsurgente lucis crepusculo expandens ma„ nus ad orationem, suum immaculatum, & sanctum in „ manibus Domini tradidit spiritum.) S. Gregorius Abbas Trajectensis, ut scribit S. Ludgerus in ejus vita n. 22. sæc. 3. par. 2. „ [jussit se ante oratorium S. Sal„ vatoris a discipulis portari, & ostium aperiri; ibique „ oratione facta, & communione sacri Corporis, & „ Sanguinis Domini accepta, aspiciens ad altare mente „ cœlestibus intentus ad Dominum pervenit.) Idem de Winfrido Presbytero canit Ethelvolfus monachus in carmine de Abbatibus, & viris piis Lindisfarn. cap. 19.

Est moriens Domino præsens dum linquere seclum
Cogitur a mundo frater sua corda sequestrat,
Atque Deo soli cupiens se subdere se'um,
Ecclesiæ membris supplex pavimenta retundit.

XXXIII. B. Maccalinus apud Boll. 21. Jan. „ (anno „ Dominicæ Incarnationis 996., ex hoc mundo in Basilica B. „ Michaelis transivit, & in eadem a fratribus ejusdem lo„ ci conditorio sepulturæ, honorifice constructo, cum summa „ diligentia sepelitur.) Venerabilis Abbas Garvinus monasterii Centulensis, referente Hariulpho in chron. l. 4. c. 35. Spicil. tom. 4. „ (Oravit, ut quacumque hora exitus „ ei advenisset, statim intra S. Richarii Basilicam eum „ ferrent, spiritum Deo inibi redditurum ... Post finitos „ Matutinos, fratres solliciti eum viserunt, inveneruntque cum extremum flatum trahentem. Innuebant ergo „ alterutrum quod moreretur; quod ipse adhuc sentiens, „ manu propria innuit eis, ut ferretur in ecclesiam; at „ fratres eum accipientes sustulerunt, & strato cilicio ante altare S. Johannis Baptistæ, quod vicinum erat al„ tare, posuerunt: Dein opposito obtutibus ejus Cru„ cifixi Domini signo, & super pectus ejus posito reli„ quiarum, uti ipse disposuerat, sacello, congregatio tota „ inchoavit litaniæ supplicationes, sanctos Dei, ut ei „ succurrerent invocantes, a quibus cum diceretur: *San„ cta Maria, ora pro eo*, ipse, qui jam fuerat in morte „ compositus, extendit manus, orans & ipse: *Sancta Ma„ ria, ora pro me*, at ubi ventum est, ut diceretur: *San„ cte Richari, ora pro eo*, absque omnium spe mirabiliter „ se surrigens, manusque altius protendens lachrymando „ clamavit; *Sancte Richari, ora pro me*. Post hoc quatuor „ factus cum fratres, litania finita, & initiata commen„ datione fideli, illo usque venissent, ut diceretur: *Su„ scipiat te Christus*, ille ad hæc verba spiritum efflavit.) Hactenus Hariulphus, cujus textum, quia multa ædificatione digna continet, integrum hic referre libuit. His alia duo sæc. XI. exempla subjicio, primum est de sancto Guidone Abbate Piscariensi, de quo Chronographus Piscariensis l. 2. Spicil. tom. 5. p. 443. „ (Gravescente „ ejus infirmitate, advenit celeberrimus dies festivitatis præ„ nominatæ, in qua se moriturum prædixerat; & antequam „ Missa inchoaretur se portari fecit intra ecclesiam, & „ sumpto viatico, conversus ad Dominum expectabat sui „ exitus horam;] cumque evangelium legeretur ad ea, quæ prædixerat verba, reddidit spiritum an. 1045.: Alterum est de S. Adelelmo Abbate Burgensi in Hispania apud Boll. Jan. 30., de quo Johannes Marietta: „) Ad „ oratorium se S. Johannis Evang. deportari jussit, in cujus „ ingressu illa psalmistæ verba pronunciavit: *Deus in nomi„ ne tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me*; cru„ cemque religiose veneratus, *In manus tuas*, inquit, *Domine commendo spiritum meum*, & animam reddidit Salva„ tori suo.) Denique hoc caput claudet S. Stephanus Grandimontensis in ejus vit. n. 8. apud Boll. 8. Feb., qui „ (Quinta die dolore invasus, in oratorium portatus, finita „ Missa, post sacram unctionem, & receptionem Corporis, „ & Sanguinis Domini, fratribus flentibus, psalmosque cantantibus octuagesimo ætatis suæ anno in ordine „ Diaconatus, VI. feria, VI. Idus Februarii, dicens *in „ manus tuas Domine commendo spiritum meum*, feliciter „ migravit ad Dominum.) Vid. præf. sæc. 1., & vit. S. Winwaloei apud Boll. 3. Mart. n. 21.; vit. S. Hugonis Abbatis n. 48. auctore Hildeberto, apud Boll. 29. Aprilis.

XXXIV. Ex his etiam exemplis confirmatur, quod præscribunt Cassinensium rituale, consuet. Fars. &c. ut scilicet, si fieri possit, idque permittat infirmi debilitas, etiam communicetur, antequam ex hoc migret sæculo; confirmatur, inquam, exemplo S. Benedicti, Sancti Mauri, Sancti Gregorii Abbatis Trajectensis, Sancti Guidonis Abbatis Piscariensis, & Sancti Stephani Grandimontensium monachorum institutoris.

CAPUT X.

De sepultura veterum monachorum.

I. HOc caput ea complectetur omnia, quæ circa defunctos monachos ab ipso quo animam efflarent momento, usque ad completam sepulturam fiebant; ubi quam superiori capite observavimus methodum, hanc & in hoc tenebimus.

Ex Breviario Cassinensis monasterii.

II. „ Interim autem lavetur corpus defuncti; deinde „ dicatur oratio hæc: *Deus veniæ* &c. Tunc Sacerdos „ dicat *Kyrie; Christe; Kyrie*; & respondeant omnes simili-

ter: *Pater noster* &c. (sequuntur aliæ preces, quas hic non referimus.)

III. „Quando autem componitur corpus in feretro, dicatur oratio hæc: *Suscipe Domine animam servi tui*, &c. Et cum item debet corpus ad ecclesiam ferri, antequam egrediatur dicatur oratio hæc: *Deus vitæ dator*, &c. Alia oratio. Deinde Cantor imponat antiphonam: *Tu jussisti*, cum psalmo: *Ad te Domine levavi animam meam*. *Suscipiat te Christus*, & sic feratur corpus in ecclesia præcedentibus cruce, candelabris, & incenso; & cum positum fuerit in ecclesia, dicat Sacerdos orationem hanc: *Deus qui humanarum*, &c. Alia oratio.

IV. „Tunc sonent omnia signa tribus vicibus, facto parvissimo intervallo, per ipsas vices; & sic incipient canere vigilias. In ecclesia autem requiescat corpus defuncti quousque agantur vigiliæ, & Missæ, (sequuntur vigiliæ cum tribus nocturnis, & Laudibus:)

V. „Quibus peractis deputentur, qui ipsum corpus custodiant; cantando psalmos quousque Missæ pro eo defuncto celebrentur. Finita Missa, veniat omnis congregatio, & stet hinc, & inde circa feretrum defuncti singuli tenentes candelas accensas in manibus, veniat etiam & Sacerdos pluviali indutus cum ministris, qui cum eo steterunt ad altare in lineis albis, & stent ad caput feretri. Tunc Cantor imponat ℞ *Libera me Domine*, quo finito, dicat Sacerdos: *Kyrie*: *Christe*: *Kyrie*; similiter respondentibus cunctis, & orationem Dominicam. Capit. *A porta inferi*; deinde Sacerdos dicat orationem hanc: *Non intres*, &c. (sequuntur aliæ duæ orat.) *Dominus vobiscum*. *Ad vitam æternam*.

VI. „Post hæc Cantor imponat antiphonam; *In paradisum* cum psalmo: *In exitu Israel*, & ita præcedente tota congregatione efferatur corpus de ecclesia ad sepulchrum, ante quem portentur candelabra cum facul[i]s, & crux, & incensum, & aqua benedicta. Finito psalmo, repetatur prædicta antiphona, & si opus fuerit addantur aliæ.... & venientes ad cimiterium dividantur hinc inde circa sepulcrum, & dicat Sacerdos hanc orationem: *Obsecramus*. Tunc incipiat Cantor antiphonam; *Aperite*, Psal. *Confitemini Domino*: *Deus apud quem*, &c. Tunc Sacerdos aspergat sepulchrum aqua sancta, & faciat incensum intra illud, H[o]c deponatur corpus in sepulchrum, & dicatur antiphona: *Ingrediar*. Psal. *Sicut cervus*, &c. deinde, (sequuntur septem aliæ antiphonæ cum septem psalmis, & septem orat.) Item absolutio ab Abbate dicenda: *Quæsumus omnipotens*, &c. Post hæc Sacerdos faciat crucem super sepulcrum dicens: *Benedictio Dei Patris*, & *Filii*, & *Spiritus sancti descendat super hoc corpus*. *Amen*. *Requiem æternam*, *Et lux perpetua*, *Requiescat in pace*. ℞. *Amen*. Deinde dicat orationem hanc pro omnibus ibi requiescentibus: *Tibi Domine commendamus*.

Ex Concordia S. Dunstani cap. ult.

VII. „Exempto autem homine laventur corpus a quibus jussum fuerit; totum induatur mundis vestimentis, idest interula, cuculla, caligis, calceis, cujuscumque sit ordinis; si vero Sacerdos fuerit, circumdetur ei stola super cucullam, si ita ratio dictaverit; inde defertur in ecclesiam, psallentibus cunctis: motisque omnibus signis. Quod si ante lucem nocte, aut finitis tenebris in matutino obierit, si sepulturæ impendenda præparari possunt ante refectionem fratrum, sepeliatur peractis Missarum celebrationibus; sin minus, ordinentur fratres, qui sine intermissione psalmodiæ vacent; residentes circa corpus die, noctuque sequenti donec, mane facto, corpus terræ commendetur; consummatis omnibus, quæ sepulturæ officio debentur, ibidem incipientes VII. pœnitentiæ psalmos revertantur ad ecclesiam, & prostrati coram sancto altari finiant eosdem psalmos pro fratre defuncto &c.

Ex MS. consuetudinibus Farfensis monasterii.

VIII. „Cum anima de corpore fuerit separata, tunc simul signa pulsentur, & officium mortuorum agatur. Post officium dicant Vesperam, & quinque psalmos. Cum omnia, quæ ad lavandum corpus necessaria sunt, præparant, tunc separentur in una parte fratres cum infantibus præter illos, qui corpus lavare debent, & in feretro mittere. Cum fuerit lavatum, induant eum staminio, dein sudarium, & cuculla, & super crura ejus induant calciamenta, femoralia nequaquam; brachia ejus super pectus collocentur. Dato linteum sternant, & pallium supponant; debet ibi esse Sacerdos cum stola sine alba, duo candelabra, crucifixum, thuribulum, aqua sancta. Tum ipsi, qui hoc officium faciunt, quam illi, qui levant, dicere officium mortuorum debent ibi, & orationes; *Inclina Domine*, ad Vesperas solummodo hæc oratio: *Præsta Domine*. *Verba mea* videlicet, & quinque psalmos, collecta: *Absolve Domine*. Quod si amplius persisterint, imponant hos psalmos: *Deus auribus*: *Deus venerunt gentes*: *Deus ultimum*, & alios qui sequuntur, vel psalterium inchoetur. Cum peracta omnia fuerint, pulsetur tabula, dicatur ab Abbate, vel Sacerdote Hebdomadario: *Pater noster*, & sicut in collectario continentur. Cunctis fratribus cum cruce, & aqua benedicta, thuribulo, vel candelabris præcedentibus, & hoc ℞. imponentibus *Subvenite*. Signisque sonantibus, ad ecclesiam primum S. Mariæ posito feretro, altare aromatizet. ℞. finito, dicantur preces: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*, pro illo solo singulariter orat. *Deus veniæ largitor*. Deinde aliud ℞. imponentes: *Heu mihi Domine*, & deferatur corpus in monasterium, interim, signis pulsantibus, donec in loco, ubi constitutum est, collocetur. Ponatur a capite crucifixus, hinc & inde candelabra quousque ibi permanserit corpus. Tunc si de refectorio ad ista revocati fuerant, & illum ordinem non perfecerant, in quocumque loco dimiserant, ibi incipiant, donec finiatur lectio, dictoque ℣. ad ecclesiam revertantur. Quando dies est juxta corpus debent sedere omnes, & psalmos dicere, præter illos, qui in talibus rebus occupati sunt, quas dimittere non possunt. Armarius autem debet in tabula nominatim fratres mittere, qui primam vigiliam faciant & secundam, & ita sicut noctis est longitudo, temperare, aut, ut in singulis vigiliis dicant psalterium cum officio mortuorum, & Matutina ipsorum, & Vespera, & quinque psalmos post officium. Post matutinas vero Laudes, si fratres exierint, quibus Prior jusserit, ibi remaneant; & ipsam ibi, quam alii in capella dicunt, psalmodiam canteut. Postea vero magistri cum infantibus quicquid noctis superest vigiliam faciunt, donec alii possint fratres occurrere, Quicumque possunt Missas dicere, faciant; & ad corpus iterum revertantur: Missa vero matutinalis pro ipsa anima solemniter celebretur in choro: pulsentur signa, quatuor pueri sint vestiti; unus in choro cum cappa, alius ad Lectionem sit in casula: Lectio sine casula proferatur: duo alii in albis ad ℞. canendum: Diaconus in casula evangelium recitet: duo Conversi candelabra, tertius thuribulum deferat: Sacerdos unam collectam dicat tantum: *Omnipotens sempiterne, qui numquam sine spe*. Ad offerendum omnes conveniant, post itaque psalmodia dicatur. Post Missam vero majorem sepeliendum est corpus nisi res talis evenerit, quod tandiu reservari non possit. Missa majore completa, Prior signum tribus vicibus sonet, ut omnes conveniant, & candelas a Secretario suscipiant, & obsequium mortuorum faciant, & circum feretrum omnes stent. Illi namque fratres, qui in domo infirmorum positi sunt, & surgere potuerint e lectulis, veniat procurator illorum, accipiat cereos a Secretario, & tribuat eis in oratorio S. Mariæ, qui stant ibi, quousque seniores remeaverint inde. Infantes ex una parte cum Magistris, sicut e processione facies suas contra Orientem. Duo fratres videlicet Armarius, & unus ex aliis canant, & stent juxta defunctum, conclament: *Kyrie eleison*, Sacerdos, qui Hebdomadarius est, sit revestitus alba cum stola, & dicat orat.: *Non intres in judicium*; peracta, accipiat thuribulum, & incenset altare majus tantum, & corpus. Illi duo ut supra incipiant ℞. *Heu mihi Domine*; dein *Kyrie eleison*: Sacerdos orat.: *Fac quæsumus Domine*: denuo aromatizet altare, & defunctum. Duo ut supra fratres aliud ℞. Sacerdos orat.: *Inclina*, & incenset aram, & feretrum; deinde levetur corpus de ecclesia, pulsentur signa: antiphona; *In paradisum*, procedant omnes per ordinem. Cum ad sepulturam venerint, fratribus in circuitu stantibus, sicut in choro, & in medio collocatis infantibus, sicut mos est stare ad processionem ecclesiæ, Sacerdos cum incenso, & aqua benedicta, & omni processione super fossam debet stare, psalmos fratribus canentibus, ipse debet & collectas dicere. Cum vero, post canticum *Benedictus* antiphona fuerit dicta, Sacerdos pronunciet omnibus audientibus: *Pater noster*, qua oratione finita, dicet preces solitas pro defunctis, & orat. *Tibi Domine commendamus*. Tunc debent dimittere signa, & extinguere cereos, & Prior incipiat: *Miserere mei Deus*,

Deus, pro animabus, quorum ibi requiescunt; & iterum dicat Sacerdos; *Pater noster*, postea orationem: *Deus cujus miseratione*. Iterum, Priore incipiente, dicant VII. psalmos in choro prostrati. Si ante lucem frater obierit, ipsa die mittatur in terra, servata, quæ supra dicta est, omni consuetudine. Omnes etiam Decani, vel fratres alii, qui infra unam, aut duas leugas fuerint, cum omni caritate debent occurrere, & ad vigilias, vel ad sepulturam, adjuvare, & nullus in monasterio, vel in refectorio, vel infirmorum domo, nisi infantes, aut graviori infirmitate detenti, antequam corpus sepeliatur, vel cibum debet sumere, aut foras debet exire. Si Sacerdos fuerit, Sacerdotes debent corpus abluere, & totum funus providere, ad ecclesiam portare, & in terra mittere: Si Levita fuerit, Levitæ: Si Laicus, Laici. Si contigit, ut de pueris monasterii moriantur, debent facere per omnia, sicut de majoribus fratribus; de ipsis infantibus lavent, atque in feretrum collocent, & in ecclesiam deportent; & postmodum tempore constituto ad fossam deferant, sive in terra mittant. Post capitulum, tabula pulsata, nullus loquatur in claustro; sed omnes eant ad corpus, præter illos, qui in variis officiis fuerint occupati. Quamdiu est corpus fratris defuncti super terram, nullus loquatur in claustro. Ipso die non tenent pueri capitulum, & Eleemosynarius accipiat quidquid remanserit de refectorio, panem, & vinum. Si ante lucem, vel ante capitulum migraverit, debet eum Domnus Abbas absolvere, post sermonem factum; si postea, fiat in crastinum. Armarius in tabella scribat sex fratres nominatim, quisque ad tricesimum diem sine intermissione cotidie offerant Deo sacras hostias pro illa anima; unusquisque, ut expleverit quinque, semper in capitulo notum faciat, ut alius succedat. *Vere mea* post horas cantabitur a fratribus, & *Verba mea* post Matutinum omnium SS., & *Deus auribus nostris*, usque ad trigesimum diem, cotidie justitiam panis, & vini, & totius stipendii eleemosynarius accipiat. Breves pro ipsa anima Armarius faciat; & Cellerarius per Priores, & Decanos faciat nunciari, ut & ipsi per ceteros transmittant, tam per sua subjectanea loca, quam & in nostris orationibus commissis, Abbatibus, vel cœnobiis. Vestimenta autem ejus ad famulos deferantur abluenda: de his autem, qui lavator fuerit unum denarium accipiat. Dum fuerint nitidata Camerario reddantur, & ipse in capitulum deferet omnia, quidquid super lectulis fuerit, per singula non est opus dinumerari, sed usque ad minimam perveniamus etiam acus deportetur, quanto magis alia? Libros autem si habet, in armario ponantur; & unusquisque secundum quod accipit de illa re, & ei præcipitur, faciat pro hoc munusculo. Si obierit Frater post Missam majorem, & corpus servari non possit in crastino, ipso die tumulandus est, quia necessitas permittit. In crastino autem Missam matutinalem sollemniter pro ipso agant, ut mos est in officio pleno. Si cui autem per somnium ipse defunctus apparuerit, in crastino cum satisfactione ipsam caussam notam faciat, quia de hoc S. Aug. ait, quandiu dereliquit eum suus Angelus, quandiu eum potuerit adjuvare, illi, qui ei noti fuerunt, vel sui consanguinei, ut pro illorum intercessione, atque saluberrima Missa offerenda Deo sacræ immolationis hostiam, vel eleemosynæ condonatione largitionem, pro quibus Dominus procul dubio propitiabitur ei, nisi tam gravis commissa culpa sit, ut orandum non sit pro eo: sic B. Johannes dicit, ut non oretur pro impiis defunctis, quod absit, ut ex nostro ordine aliquibus contingat. Tum debet eum absolvere Domnus Abbas, vel ille, qui ordinem tenuerit illo tempore, si Abbas defuerit, & jubere, ut omnes Sacerdotes agant pro eo Missam, alii fratres, qui non valent, faciant adjumentum de psalmodiis, sicut imperatum eis fuerit.

Ex Statutis Lanfranci c. 24.

IX. „ Egressa jam de corpore anima, tribus vicibus cum parvis intervallis pulsentur signa. Cantor incipiat ℟. *Subvenite sancti Dei*; quo cum versu, & regressu expleto, subjungat Sacerdos; *Proficiscere anima Christiana*; quo dicto, incipiant commendationem animæ, dictaque prima collecta: *Domine commendamus*, Sacerdote, & conventu prosequente cætera, portetur corpus ad lavandum ab his, de quorum ordine fuit; idest Sacerdos a Sacerdotibus, Diaconus a Diaconis, & sic in reliquis ordinibus, Conversus a Conversis; infans tamen non ab infantibus, sed a Conversis. Hi vero sunt, qui lavare non debent corpus defuncti: Sacerdos Hebdomadarius, & reliqui ministri, qui circa altare serviunt, & vasa sacrata contrectant, Hebdomadarii coquinæ, Cellerarii, Refectorarii; dum lavatur corpus, Camerarius præsto esse debet habens vestimenta idonea, & fila, & acus ad consuendum, & cætera quæ sui officii sunt, & suo operi necessaria. Inter lavandum circumcinctus sit staminea, qua indutus antea erat circa pudendas sui corporis partes: Lotus autem vestiatur staminea nova, vel noviter lota, & cuculla, & in capite ejus ponatur sudarium in modum capitii de staminea factum; huic superducatur capitium cucullæ, & cum filo in tribus locis annectatur; calcietur caligis supradicto panno factis, usque ad genua attingentibus, & nocturnalibus; manus cuculla sint coopertæ, cuculla hinc, & inde consuatur, & circa crura similiter; nocturnales alter alteri filo connectantur; taliter paratum tum corpus feretro imponatur, & pallio cooperiatur. Quo expleto, expletisque quæ in conventu dici cœperant, percutiat Prior tabulam uno ictu; quo audito inclinati fratres dicant: *Pater noster*. Sacerdos circa corpus aquam benedictam spargat, & incenset: Dehinc dicat: *Et ne nos: A porta inferi*; postea collectam. His ita gestis pulsentur signa, Cantor incipiat ℟. *Subvenite SS. Dei*: & præcedentibus his, qui fistulam cum aqua, crucem, candelabra, thuribulum portant; sequentibus infantibus, & reliquo conventu, extremis eis, qui corpus laverant, & portant, veniant in ecclesiam; positoque corpore in loco ubi poni solet, cessent signa, figatur crux ad caput ejus, ponantur duo candelabra, unum ad caput, & alterum ad pedes cum cereis desuper accensis, qui continue ibi ardeant, usquequo ad sepulturam deferatur; finito cantu inclinati dicant: *Pater noster*; Sacerdos: *Et ne nos*: *A porta inferi*, Collectam, sicut superius dictum est. His peractis, si sonitus tabulæ de refectorio fratres adduxerat, ablutis manibus ad refectorium revertantur, perficiantque quod imperfectum remanserat, remanentibus cum corpore aliquibus fratribus, quot & quibus injunctum fuerit, qui psalmos ibi interim canant, numquam enim sine psalmodia corpus esse debet, excepto, quando in choro aliquid communis officii celebratur: Conventus in die circa corpus debet esse, nisi quando canunt horas, vel Missas, vel processionem circa claustrum, vel extra claustrum, si ita contingat, faciunt, vel in capitulo sunt, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis; & tunc tantum deputentur aliqui fratres, qui ibi remaneant, psalterium ex ordine psallant, commendationem animæ agant, Vesperas vigilias cum Laudibus, *Verba mea*, & hæc eadem frequenter. Nocte vero post Completorium incipiens primam vigiliam dexter chorus faciat, secundam sinister, persolventes utrique supradicta obsequia, prout quantitas noctium fieri permiserit; hoc observato diligenter, ne utrique Priores in una vigilia deputentur. Circa finem primæ vigiliæ exeat Prior ferens absconsam, & vadat in dormitorium, excitetque fratres, qui secundam vigiliam facturi sunt. Post matutinas Laudes, dictis in choro, quæ dici ordo deposcit, quidquid superest noctis infantes cum magistris canendo expendant, intersint quoque infirmi illi, qui in domo infirmorum assidue conversantur, & facultatem hoc faciendi habere videntur; ceteri vero fratres in lectis suis quiescant usque facto mane surgentes calceati, loti, & pexi, factisque orationibus aggregentur & ipsi ad corpus. Quibus aggregatis, pergant infantes se calceare, lavare, & pectere, solitasque orationes facere; & post accedant & ipsi; & hoc fit, si dies talis sit, ut post matutinas Laudes ad lectos redire fratribus licitum sit. In hyeme vero quando intervalla fiunt, si post litaniam aliquid superest noctis, licet prædictis reliquis fratribus in lectis suis esque ad diem quiescere, vestiti tamen, & calciati quiescant; infantes sicut superius dictum est, cum magistris, & infirmis suam circa corpus agant vigiliam; Ea autem hora, postea omnes calcient se, & lavent, & pectinent, solitasque orationes faciant, quas ordo illius temporis poscit. Sedentes psallant, nisi ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*; tunc enim stare debent. Ad *Pater noster*, & ad collectas, quas Sacerdos dicit, inclinati sint super genua sua. Si ante nocturnas vigilias frater obierit, tanta jam noctis parte transacta, ut duas vigilias facere commodum non sit, locato in ecclesia corpore, fratres omnes vigilantes, & psallentes ibi remaneant. Infantes cum magistris suis dormitum in dormitorium tendant. Quandiu corpus super terram est, nullus in claustro loquatur. Tabula tamen, si dies talis sit, in capitulo pulsetur, & *Benedicite* dicatur, sicut

" aliis diebus: Si tamen ipsa die post capitulum sepeliri
" debet, priusquam sepeliatur, nulli liceat extra claustrum
" monasterii exire; nisi tam prope sit locus, ut ad sepe-
" liendum fratrem possit redire. Omnes, qui possunt,
" ipso die pro eo Missam celebrent: Missa matutinalis
" pro eo festive agatur, etiamsi dies præcipuæ festivitatis.
" Ad quam Missam quotiens Diaconus incensat altare,
" ad corpus quoque incensandum cum thuribulo debet ac-
" cedere. Facto in capitulo sermone, absolvat eum Ab-
" bas, vel qui ordini præest. Deinde præcipiat pro eo
" celebrari triginta diebus triginta Missas, singulis vide-
" licet diebus singulas Missas, præter eas, quæ in con-
" ventu celebrandæ sunt, ita ut nullus prætereat dies,
" quo Missa pro eo non celebretur, nisi Parasceve sit,
" aut Sabbatum sanctum, & qui inchoat, non ipsa die
" qua sepelitur, sed in crastino inchoare debet; Celebraturis
" quisque sibi injunctis missis, ipso die id in capitulo di-
" cat, quatenus alii, qui subsequi debeat ibidem Abbas,
" vel Prior, idem injungat. Ipso die infantes suum ca-
" pitulum non teneant.

X. " Quacumque hora per totam diem post sonitum,
" quem Prior ad excitandos fratres mane facere solet,
" frater moriatur, sepultura ejus usque post crastinum ca-
" pitulum differatur, nisi rationabilis caussa existat, quæ
" vel post majorem Missam, vel post Nonam sepeliri
" eum suadeat, & maxime si eam horam, quæ vel æsta-
" te, vel hyeme ante capitulum dicitur, mori eum con-
" tingat, quod eum accidit, præter servitium, quod pro
" mortuo fratre facere solent, fratres integrum psalterium
" cum integra mortuorum psalmodia pro eo singulis est
" fratribus injungendum. Si ante nocturnas vigilias mo-
" ritur, subsequente similiter die post capitulum sepelia-
" tur; si inter ipsas vigilias, vel postea ante prædictum
" sonitum de hoc sæculo migret, post majorem Missam
" tradi eum sepulturæ oportet. Si festivitas XII. Lectio-
" num sit tunc; in qua in claustro minime loquantur
" fratres ipsa die fuerit, post capitulum celebratur pro eo
" Missa matutinalis festivo more sicut superius dictum
" est: Dehinc, dicta Tertia, Missaque majore, per-
" gant ad sepeliendum fratrem. Ad quem accedentes,
" sive de capitulo, sive de choro essent, canendo *Verba*
" *mea* ad corpus veniant: Interim pulsetur tribus vici-
" bus unum de majoribus signis, ut si qui forte absunt,
" ad hunc sonum sine mora conveniant. Secretarius,
" Abbati, & Priori, & Sacerdoti, qui obsequium factu-
" rus est, cereos distribuat, candelas reliquis fratribus;
" magister infantibus. Sacerdos indutus sit alba cum stola,
" & manipulo; & in albis duo fratres ex iis, qui antea
" laverant mortuum; albæ vero sint ad hujusmodi ne-
" gotium specialiter deputatæ. Ii qui portant situlam
" cum aqua benedicta, crucem, candelabra, thuribu-
" lum, stent hinc, & inde ad caput defuncti, reliquus
" conventus ad dextram, & ad sinistram, sicut est ordo
" eorum. Sacerdos adveniens prius aspergat corpus aqua
" benedicta; dehinc accedens ad caput defuncti stet, ita
" ut prædictos portitores ad dexteram suam, & sinistram
" habeat: accedant duo Cantores, & stantes inter altare,
" quod ibi situm est, & corpus, dicant, *Kyrie eleison*,
" *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, conventu duo priora re-
" petente, & ultimum *Kyrie eleison* cum eis dicente,
" postea Sacerdos, humiliter inclinatis omnibus, dicat
" collectam: *Oremus: Non intres in judicium*, qua di-
" cta, prædictis Cantoribus incipientibus, canant ℟. cum
" versu *Qui Lazarum*; quod dum canitur, incenset Sa-
" cerdos altare, quod ibi est, & corpus. Hoc agatur se-
" cundo, & tertio, excepto, quod aliæ collectæ, & alia
" ℟. dici debent sicut in libris, ubi actio hujus officii est
" ordinata, continetur. Finitis versibus tertii Responsorii,
" quod Cantor præcepit, repetatur a capite ℟. quo per-
" cantato, rogat Sacerdos pro eo orari: ita dicendo: *Pa-*
" *ter noster: Et ne nos: Non intres: A porta inferi: Dominus*
" *vobiscum: Oremus: Inclina Domine aurem*, & reliqua.
" His ita peractis, Cantore incipiente antiphonam: *In*
" *paradisum*, exeant canentes psalmum: *In exitu Israel*.
" Præcedunt prædicti portitores aquæ, crucis, candelabro-
" rum, & thuribuli; sequantur Sacerdos, & Cantor,
" cujus officii specialiter interest omni sollicitudine provi-
" dere, ne in hoc obsequio aliqua possit negligentia eve-
" nire; post hos procedant infantes cum Magistris suis;
" dehinc reliqui fratres, extremis Prioribus, præcedenti-
" bus junioribus, sicut est ordo eorum conversionis; post
" omnes veniant qui corpus portant: hi vero sint, si
" commode fieri possit, qui lavarunt illud, adjuvantibus
" eos, si opus fuerit aliis fratribus, quibus Abbas aut
" Prior præcepit. Cum exire incipiunt, pulsantur signa
" usquequo corpus collocatum sit in sepultura. Cum
" vero ad sepulturam pervenerint, stent ordinate, hinc,
" & inde sicut in choro stare solent. Sacerdos stet inter
" duos choros non longe a sepultura; ad dexteram ejus,
" & ad sinistram, qui portant aquam, & crucem, &
" cætera de quibus superius dictum est. Dicta collecta:
" *Piæ recordationis affectu*, accedat Sacerdos, & aspergat
" sepulchrum aqua benedicta, & imposito thure, tri-
" buat thuribulum uni eorum, qui albis induti illuc de-
" scenderunt, & incenset sepulchrum: dehinc dicta
" collecta: *Obsecramus misericordiam tuam*, duo ex fra-
" tribus, qui foris sunt, pallium desuper extrahant; alii
" duo corpus de feretro accipientes illis tribuant, qui in
" tumulum descenderunt. Illi diligentes illud in sepul-
" chro componant, & absolutionem scriptam, & a fra-
" tribus lectam super pectus ejus ponant, & operiant,
" & statim ascendant, & ad monasterium revertentes,
" exuti albis, & induti vestibus suis ad conventum rede-
" ant. Corpore in sepulturam posito, protinus extinguan-
" tur candelæ, & cessent signa. Expletis reliquis, sicut
" in codice, in quo hoc officium ordinatum est, reperi-
" tur, revertantur canentes VII. psalmos pœnitentiales:
" Sacerdos præcedens infantes, cum ad monasterium ve-
" nerit, divertat in vestiarium, & deposita alba, & ma-
" nipulo, atque indutus vestibus suis revertatur in cho-
" rum, & prostratus cum ceteris prostratis, quod reliqu-
" um est de psalmis dicat. Quibus dictis subjungant:
" *Requiem æternam dona eis Domine: Pater noster: Et*
" *ne nos: A porta inferi: Dominus vobiscum*. Collecta:
" *Satisfaciat tibi Domine Deus noster*; post hæc revertan-
" tur in claustrum, & dicto ab infante: *Benedicite*, lo-
" quantur in claustro si dies talis, & hora sit.

Ex MS. Consuetudinibus Cluniacensis monasterii
& Sancti Benigni Divionensis.

XI. " Cum autem jam eum non dubitaverint obiisse,
" dicuntur ab Abbate, vel Priore hæ collectæ, præmissis
" iis: *Et ne nos inducas in tentationem: Requiem æternam*
" *dona ei Domine: Non intres in judicium cum servo tuo*
" *Domine: A porta inferi: Dominus vobiscum. Oremus:*
" *Piæ recordationis affectu. Deus cui omnia vivunt. Su-*
" *scipe Domine animam servi tui*; & ad primam collectam
" dicitur: *Quod ipse præstare digneris*; & ad ultimam:
" *Per Dominum*. Quo facto, totus conventus exit de in-
" firmaria, & incepto: *Placebo Domino*, excepto Domno
" Abbate, vel Priore, & illis, qui necessarii sunt ad corporis
" lavationem, atque in [illegible] ante ecclesiam B. Mariæ
" finitis Vesperis defunctorum, cantant & officium, non
" ea collecta subsequente, neque ad Vesperas, neque
" ad officium neque ad Matut. quam solet: *Omnipotens*
" *sempiterne Deus, cui numquam sine spe misericordiæ*,
" quæ dicenda est ab Hebdomadario majoris Missæ. Scien-
" dum autem, quoniam neque lavant, neque portant,
" nec in sepulchrum ponunt defunctum alii fratres, quam
" qui ei sunt similes in ordine, vel si Conversus est,
" Conversi. Mox autem ut obierit, Secretarius [illegible]
" ferum Conversis vadit, ut omnia signa pulsentur, & ut
" apportetur processio, idest aqua benedicta, thuribulum,
" & acerra, crux, atque candelabra: quibus allatis spar-
" git Domnus Abbas, aut Prior aquam benedictam su-
" per defunctum ibidem, & super stragulum, in quo po-
" ni debet; deinde incensat corpus, & ipsum. Quo facto,
" qui lavaturi sunt, accipiunt corpus, portantque in a-
" triolum huic officio deputatum. Armario semper co-
" mitante, atque agente idem officium, quod conventus
" facit, cum his, qui cum eo sunt (*a*) Olim ad Cellera-
" rium pertinebat aquam calidam ad hoc providere; sed
" modo agit illud Infirmarius. Ad Camerarium pertinet
" ea, quibus induendus est, providere: Ponitur super ta-
" bulam ad hoc solum provisum, & deputatum. Nuda-
" tur, & deinde a vertice usque plantam pedis lavatur,
" exceptis verendis, quæ veteri staminea jugiter cooperta
" tenentur. Qui servit de thuribulo, sine intermissione
" abundanter incensat corpus. Sciendum autem, quo-
" niam est consuetudo, ut numquam Refectorarii, aut
" Hebdomadarii coquinæ, aut Sacerdotes, aut Diaconi
" Hebdomadarii majoris Missæ, vel Cellerarius lavent
" corpus defuncti.

XII. " Lavatus staminea vestitur, cuculla, caligis no-
" cturnalibus, & sudario, quod est de eodem panno, &
" super sudarium crucem, quæ de eodem stamineo con-
" sutum,

(*a*) Conf. S. Benigni; " (Ad Camerarium pertinet a-
" quam calidam ad hoc opus, & ea quibus induendus est,
" providere: ponitur super tabulam &c.)

„ sutum, de quo & staminea, & caligæ, quæ in extremitate non sunt petulæ, sed consutæ. Paretis autem e Camerario acubus cum filo, capellum cucullæ desuper sudarium, & faciem ex utraque parte consuttur, super pectus manus extra cucullam complicaturus, ipsa quoque cuculla per loca consuta tota ita constringitur, ut in nulla sui parte sit lexa; nocturnales eciet ad invicem consuuntur. Tunc laveto, & parato corpore, Domnus Abbas, aut Prior spargit in semtem aquam benedictam, & incensat, & corpus similiter ponitur in feretrum, quod clausum desuper coopertorio opereto cooperitur.

XIII. „ Posito autem intra corpore, & parato, ad ostium contra conventum, si conventus jam finivit officium, percutit semel Prior tabulam; si vero aliquantulum de officio restiterit, expectatur. Percussa autem, ut dictum est, tabula, omnes inclinet dicunt: *Pater noster*, & Abbas, vel Prior dicto *Et ne nos*, atque *A porta inferi*, & *Dominus vobiscum*, cum una fine dicit has orationes: *Deus vitæ dator: Deus qui humanarum animarum æternus amator es*. Et mox incepto ab Armario ℟. *Subvenite sancti Dei, occurrite*, præcedat processio, quam semper consuetudinaliter deferunt Conversi, sequentibus pueris cum Magistris, deinde Cantoribus, sicut priores sunt, deinde Conversis, defuncto portitoribus suis extremo; & pulsantur omnia signa, donec inducatur (*a*) in ecclesiam B. Mariæ. Quo inductus, versus altare ante gradum substentatur, donec a Domno Abbate, vel Priore dicatur: *A porta inferi*; cunctisque respondentibus: *Erue Domine animam ejus*, hæc collecta finiatur: *Deus veniæ largitor*, stante interim conventu versis vultibus ad altare. Qua finita, (*b*) portatur ad majorem ecclesiam, (*c*) interim cantantibus ℟.; & feretrum ponitur super formam ad hoc solummodo destinatam, & crux cum candelabris, & cereis duobus jugiter ibi ardentibus ad caput ejus affigunter.

XIV. „ Est autem consuetudo, ut quandiu defunctus inhumatus manet, jugiter in nocte ante capitulum cereus ardeat, donec dies clara fit. Postquam autem quod restabat de officio, finitum fuerit, videlicet: *Exultabunt Domino*, & *Verba mea*, nisi Matutinum, vel regularis hora interim pulsaverit, continuo psalterium incipitur, aliquando ab omnibus, aliquando ab aliquibus, aliquando ab dimidio conventu, nec umquam sine psalmodia omittitur, nisi Missa in conventu, aut hora regularis cantetur, aut pulsetur; ad quam cum primum pulsatur signum, cesseter a psalmodia, præter ad solos nocturnos; tunc enim tenetur usque ad introitum puerorum. Quando conventus est in capitulo, aut in refectorio, Prior præcipit aliquos ex fratribus remanere. Si est tempus, quo fratres circa medium diem dormire solent, illo die non dormiunt. (*d*) Nox autem sive parva sit, sive magna, in tres vigilias secundum qualitatem sui partiter: scilicet ad unamquamque aliquando dicuntur quinquaginta psalmi, aliquando dimidium psalterium, aliquando totum cum officio semper, & *Exultabunt Domino*, præmisso *Placebo Domino* ante officium, & subsequente *Verba mea* sine *Voce mea*; ad quod *Verba mea* collecta dicitur: *Absolve Domine animam famuli tui*. Dexter chorus cum Armario facit primam, sinister excitatus ab Armario cum absconsa, cum Secretariis secundam facit usque ad Matutinum, infantes cum Magistris tertiam post Matutinum. Ad intervalla quoque, quæ fiunt post orationem Vesperorum, & Tertiæ, cum revestiuntur ministri Missæ; vel in diebus jejunii, vel post orationem Sextæ, vel Nonæ cum revestiuntur, non dicitur ad defunctum psalmodia.

XV. „ Hoc notandum, est quod in omnibus diebus in quibus locutio debet esse in claustro semper percutitur tabula, mox finito *Verba mea* pro defunctis in capitulo recitatis, reversis omnibus in capitulum, & facto ante, & retro ab omnibus; aut si *Verba mea*, unde signa pulsentur, vel officium pro defunctis canitur, quia hæc non nisi in majori ecclesia dicuntur; postea reversis omnibus in claustrum, percutitur a Priore tabula in claustro, facto ante, & retro ab omnibus, prius infantibus ingressis in capitulum, & dicitur ab Abbate, vel Priore: *Benedicite: ad defunctum ibimus*. In XII. Lect., & in his diebus in quibus sonitus non fit, priusquam scilla pulsata fuerit ad calciandos fratres, vel priusquam mane legant in claustro, & ipso die sepeliendus est, aliter minime, nisi intercesserit aliqua caussa; fætoris videlicet, aut radendi, vel hujusmodi. Quod si contigerit, debet ei restaurari psalmodia a singulis, quæ fieret in nocte. (*e*) Omni tempore sepeliendus frater post majorem Missam: Missa matutinalis pro eo festive canitur; tractus non cantetur; & si IV., aut VI. feria XL. quando agenda est processio, sepeliri contigerit, processio dimittitur; sepelitio autem fiet post majorem Missam, postquam scilla ad Vesperos pulsata fuerit. Quod si in festis XII. Lect. in ipsa XL. acciderit, post Primam Missæ pro defuncto cum tribus tantum collectis agetur, idest: *Omnipotens sempiterne Deus: Deus veniæ largitor: Fidelium Deus*, a ministris tertiæ præteritæ hebdomadæ; post Tertiam Missæ de festo; & post modo sepultura post Missam de jejunio. Sed si in die Dominica sepultura evenerit, additur & quarta collecta, quia nec alias eo die omitteretur, idest *Sanctorum tuorum*. Quod si in Cœna Domini, Parasceve, vel Sabbato sancto obierit, nulli omnino, vel publice, vel privatim Missam pro eo cantare licet. Porro matutinalis Missa, quæ in conventu illi debetur, servetur usque ad v. feriam Paschalis Hebdomadæ; & tunc non aliter cantatur quam si in præsentia esset corpus defuncti. Sed si non potuerit eum post capitulum sepeliri, sine luminaribus sepelietur. Ab hora sx. qua ignis benedicitur, & in ecclesiam defertur, per totam noctem duo cerei juxta eum lucebunt; ab hora autem prima usque ad noctem extinguuntur. Signa autem non pulsantur pro eo a majori Missa Cœnæ Domini usque ad majorem diei Sabbati.

XVI. „ Quod si in ipsa nocte Resurrectionis Dominicæ, vel ipsius diei crepusculo obierit quo scilicet oporteat eum ipso die sepeliri, matutinalis Missa pro eo cantabitur. Nam tanta est authoritas præsentiæ ipsius defuncti, ut etiam in tanta solemnitate hujusmodi Missa non possit sine negligentia intermitti. (*f*) Qui autem sepeliendus est in Rogationibus, post Primam Missa defunctorum pro eo cantatur, & illa de Rogationibus post Tertiam, ad quam etiam non offertur, & pax non recipitur, nisi ab uno. Si vero, ut prædictum est aliqua rationabilis caussa compulerit, immutabitur consuetudo prædictæ sepulturæ, prout tempus, aut rei necessitas dictaverit, alias minime. Si autem quando radendi sunt fratres, sepeliendus est, quoniam ante sepultum non licet loqui in claustro, vel aliud quid facere, nisi soli Armario tantum, qui nomen defuncti in memoriali scribere, & breves, qui mittendi sunt per cellas, (*g*) si tali hora fiunt, quod Missam in conventu habuisset: nam aliter rasura differtur; tunc necessario post capitulum sepelietur, maturius horis celebratis, nec dicetur *Verba mea*, donec ad inceptionem psalmorum ante rasuram fratrum; sed in fine capituli facto ante, & retro ab omnibus, statim percutietur tabula, & dicetur a Priore: *Defunctum modo sepeliemus*, *&* *postea* va-

(*a*) Benign. In ecclesiam S. Benedicti.

(*b*) Benign. addunt: Impositoque ab Armario ℟. *Libera me Domine*.

(*c*) Benign. addunt: Ibique in sinistro membro ante altare B. Petri Apostolorum Principis collocatur.

(*d*) Benign. Prioris est providere, qui psalmodiam ante Matutinum cantent: Eos tamen, qui minus esse necessarii in choro videntur, qui etiam post ternas orationes in ecclesia B. Benedicti cum infirmis audito servitio ad lecta sua revertuntur. Post Matutinos vero totus conventus psalmos decantans excubat: psalmi vero dicuntur hoc modo: Totum psalterium cum officio semper, & *Exultabunt Domino*, præmisso *Placebo* ante officium, & subsequente *Verba mea*, sine *Voce mea*, ad quod *Verba mea*, collecta dicitur *Absolve Domine*. Antiquitus autem non in tres vigilias secundum sui quantitatem partiebatur, et prima quidem dexter chorus cum Armario &c.

(*e*) Benign. addunt: Sepelitio autem in crastino in arbitrio Abbatis, vel Prioris est. Antiquitus omni tempore, post majorem Missam, & etiam in XL. postquam scilla ad Vesperas pulsata fuisset, sepeliebatur. Si IV., aut VI. feria XL. quando agenda est processio, sepeliri contigerit, processio dimittetur. Quod si in festivitate XII. Lect. &c.

(*f*) Benign. addunt: Sed notandum est, quia excepta hac nulli omnino ipsa die licat pro eo Missam cantare; restaurabitur autem ei, cum opportunum tempus adfuerit.

(*g*) Benign. addunt: Mox enim, ut obierit, dies cum nomine defuncti in brevibus v. scribitur, ut summo diluculo in v. partes mittantur, & fratribus nuncietur, qui infra v. leugas morantur, ut ad sepulturam fratris occurrant, qui brevis nullo modo debet morari plusquam una nocte, donec deferatur ad locum, ubi remanere debet.

tadenmus. Quo dicto in primis omnium ficut facit, cum post majorem Missam fit sepelitio, rer aliquantum pulsabit signum, quod in hoc officio pulsari solet, ut congregetur conventus.

XVII. „ Conveniunt undique fratres, & singulis per Secretarios cerei distribuuntur. Tunc Sacerdote Habdomadario alba, & stola cum manipulo revestito, Armarius ascito alio fratre incipit: *Kyrie*: *Christe*: *Kyrie eleison*, ad quod eem omnes similiter respondeint, mox inclinant ad orationes se omnes, & Sacerdos absque salutatione, & inclinatione dicit has collectes: *Non intres*: *Fac quæsumus Domine*: *Inclina Domine*; quibus interponantur ℟. *Heu mihi Domine*: *Ne recorderis*: *Libera me Domine*, vel alia, sicut Armario placuerit, huic negotio competentia: versum cantat Armarius cum alio fratre constaganeo suo, sequente *Kyrie*, ut supra. Sacerdos finitis singulis collectis incensat altare majus in cruce, & corpus defuncti in cruce, assidue cereum in manu portans. Ad Missam quoque matutinalem, quæ pro eo celebratur, ad quam omnes, ut offerent, debent interesse, incensat (*a*) similiter corpus defuncti in cruce a capite incipiens, postquam incensaverit altaria. Finito autem ultimi ℟. versu, & regressu, imponitur antiphona: *In paradisum*, cum psalmo: *In exitu Israel de Ægypto* ab Armario. Hoc mutatur in processione, quod postquam Sacerdos cum processione, & Armario processerit, & pueri cum magistris sequuti fuerint, sequentur novitii, & Conversi, & postea Cantores, junioribus præcedentibus, & ultimum feretrum cum suis portatoribus; & pulsantur hac vice omnia signa, donec corpus in terra positum sit, (*b*) & postibus coopertum.

XVIII. „ Infirmi vero, qui interim stabant extra ecclesiam B. Mariæ in claustro cum accensis cereis, ingrediuntur ecclesiam, postquam conventus exierit, & ibidem remanent; cantantes tamen idem officium, quod conventus cantat. Olim autem dum defunctus in majorem ecclesiam portatur, transeunte conventu per medium ecclesiæ infirmorum, stabant ibidem omnes infirmi, qui de lectis surgere valebant, caros tenentes ad unam partem, cum capellis in capitibus, & cæteri ad aliam omnes tenentes cereos accensos, atque facientes idem officium, quod conventus faciebat, remanentes tamen in ecclesiam.

XIX. „ Conventus autem perveniens in cimiterium, ita ordinate stat, ut hi qui de dextro choro sunt, stent ad dextram partem juxta ecclesiam B. Mariæ, prioribus stantibus versus caput majoris ecclesiæ, & hi qui de sinistro ad sinistram partem, prioribus eodem modo stantibus verses caput majoris ecclesiæ; & inter sepeliendum hæc psalmodia cum antiphonis cantatur ab eo: antiphona: *Aperite*. Psal. *Confitemini*; antiphona: *Ingredior*. Psal. *Quemadmodum*; antiphona: *Hæc requies mea*. Psal. *Memento*; antiphona: *Dextra plasmasti me*. Psal. *Domine probasti me*: antiphona: *Omnis spiritus*. Psal. *Laudate Dominum de Cælis*. Quo finito dicitur: *Requiem æternam dona ei Domine*; & tunc imponitur antiphona: *Absolve Domine animam famuli tui*. Psal. *Benedictus Dominus*. Sacerdos autem ut venit ad sepulcrum si benedictum est, præstolatur cantans psalmos cum Armario, donec videat eos, e quibus defunctus portatur. Quibus visis dicit has collectas: *Obsecramus misericordiam tuam*: *Deus apud quem mortuorum spiritus vivunt*. Quod si nondum providente Armario, qui illud solet aliquoties providere, benedictum sepulchrum est, ab eodem tunc benedicitur Sacerdote, & postea dicuntur prædictæ collectæ. His finitis, & corpore usque ad fossam allato, continuo spargit aquam benedictam in fossam, atque incensat eam. Quo facto, statim sine quolibet intervallo ponitur corpus in terram; ita ut pedes sint versus orientem, & caput versus occidentem; iterumque aqua benedicta aspergitur, & incensatur; tunc operculo (*c*) ligno operitur. Sacerdos autem primus cum pala ter mittens aliquantulum super illud de terra, subjungit has collectas: *Oremus fratres charissimi pro spiritu cari nostri*: *Deus qui justis supplicationibus*: *Debitum humani corporis*; *Temeritatis quidem est Domine*. Hæc dum agit Sacerdos, nec intendit ad conventum, ne conventus ad eum; sed ipse Armario, & Conversis, & qui serviunt de processione, & iis qui sepeliunt corpus, facit hoc officium prorsus, & prædictis collectis, recedit a sepulchro simul cum processione, & procedit in medium cimiterium inter pueros, qui versis vultibus ad orientem cantaverunt psalmos, sicut & totus conventus, ibique sub silentio præmissa oratione Dominica, subinfert: *Et ne nos*: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Tibi Domine commendamus animam famuli tui*. Qua finita, cerei extinguuntur, & psal. L. a toto convente pro omnibus in cimiterio quiescentibus dicitur, & *Pater noster*; & Sacerdos iterum dicit; *Et ne nos*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Deus cujus miseratione*: Dicto etiam *Requiescant in pace*, & responso *Amen*, faciunt omnes ante, & retro, & inceptis VII. psalmis redeunt omnes in ecclesiam majorem præcedente Sacerdote cum processione, & pueris sequentibus cum magistris, ac deinde aliis præcedentibus prioribus eodem ordine: cum pervenerint in chorum, prosternent se, & finiunt psalmos. Sacerdos vero ut intrat ecclesiam, disvestit se, quam citius potest, prostratus cum aliis in ordine suo, finitis psalmis cum *Requiem æternam dona ei Domine*, & oratione Dominica, dicit. *Et ne nos*: *A porta inferi*, & respondente conventu: *Erue Domine animam ejus*; subdit; *Dominus vobiscum*: *Requiescat in pace*, & responso ab omnibus: *Amen*, fit ab omnibus ante, & retro. Infirmi autem, redeunte conventu de cimiterio, debent stare reverenter, donec conventus pertranseat, cantantes VII. psalmos, & postea prostare se, & illud idem agere, quod conventus in majori ecclesia facit. Si vero duo defuncti, aut plures fuerunt, unusquisque crucem, & duo candelabra habebit ad exsequias; & similiter ad sepulturam, & aquam benedictam, & thuribulum, & proprium Sacerdotem cum collectaneo, qui illud officium faciat; totidem enim Sacerdotes alba, & stola vestiuntur, quot defuncti fuerint, quamvis a solo Hebdomadario majoris Missæ obsequium illud, quod fit in ecclesia, ad quod dicitur: *Non intres in judicium*, & commendatio animarum, quæ fit in medio cimiterio & absolutio quæ fit in media ecclesia post VII. psalmos, sub pluralitate fiant. Ipso die quo defunctus sepelitur, quidquid ad cœnam panis, vel vini, aut ad prandium, quando semel comedit conventus, remanserit, ad eleemosynam pro eo datur &c.

Ex Rituali Anianensis Monasterii.

XX. „ Incipit Ordo post Missam ad sepeliendum corpus, & sint omnes induti in albis, tenentes cereos in manibus. Novem autem Sacerdotes sint in cappis induti, numerato Abbate, qui debet corpus, si præsens fuerit, sepelire. Cantor vero immediate imponat ℟. *Credo quod Redemtor &c. Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam &c.*: *In memoria æterna &c.* *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Non intres in judicium &c.* ℟. *Heu mihi Domine*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Deus, qui omnia &c.* ℟. *Peccantem me*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam &c.* *Anima ejus in bonis demorabitur*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*: *Suscipe Domine animam &c.* ℟. *Induta est caro*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam &c.* *Ne tradas bestiis &c.* *Dominus vobiscum*. *Oremus*. *Fac quæsumus &c.* ℟. *Absolve Domine animam ejus &c.* *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam &c.* *Anima ejus in bonis demoretur &c.* *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Inclina Domine*. ℟. *Subvenite sancti &c.* *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam &c.* *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Te Domine sancte Pater*. ℟. *Qui Lazarum*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam &c.* *In memoria æterna &c.* *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Te omnipotens Deus, qui immensa &c.* *Libera me Domine*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam &c.* *Ne tradas bestiis*: *Dominus vobiscum*; *Oremus*: *Annue nobis Domine*. ℟. *Redemptor meus &c.* *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *Requiem æternam*: *Anima ejus in bonis demoretur &c.* *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Absolve Domine animam famuli &c.* Post hæc dicat Dominus Abbas: *Requiescant in pace*: *Amen*. Tunc deferatur corpus ad sepulturam cantando antiphonam: *Chorus Angelorum &c.* Psal. *In exitu Israel*. ℟. *Domine Deus, qui intueris &c.* ℟. *Rogamus te Domine Deus noster*. Cum autem pervenerint ad sepulturam, dicat Dominus Abbas alta voce, *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Deus, qui fundasti terram &c.* Deinde Dominus Abbas aspergat aquam super sepulturam cum „ odo-

(*a*) Benign. addunt: Diaconus.
(*b*) Benign. & opertorio coopertum.

(*c*) Benig. ommittunt: Ligno.

„ odore incensi, & mittatur corpus in sepulturam, dicatque Domnus Abbas antiphonam: *Aperite*; Psal. *Confitemini*. Posito autem corpore in sepultura, & aspersa aqua cum incenso, Domnus Abbas trina vice projiciat terram super corpus, dicatque antiphonam: *In regnum Dei*. Psalm. *Domini est terra*; repetatur antiphona: *In regnum*. Immediate Cantor incipiat alta voce ℟. *Libera me Domine* &c.

XXI. „ Dum enim corpus terra cooperitur, dicat Domnus Abbas sub silentio orationes sequentes: *Pie recordationis affectu* &c. *Obsecramus misericordiam tuam* &c. *Deus apud quem mortuorum spiritus vivit* &c. Oremus. *Fratres charissimi pro spiritu* &c. *Deus, qui justis supplicantibus* &c. Oremus: *Debitum humani corporis* &c. Dum autem corpus coopertum fuerit, dicatur alta voce: *Kyrie eleison*. *Pater noster*: *Requiem aeternam* &c. *In memoria aeterna* &c. *Dominus vobiscum*: *Temeritatis quidem* &c. Oratio: *Absolve Domine animam famuli* &c. Oratio: *Tibi Domine commendamus* &c. Omnes autem Presbyteri dicant praedictam orationem: *Tibi Domine*. Ad ultimum enim Domnus Abbas, cruce impressa super sepulturam, dicat: *Requiescat in pace*. Redeuntes vero ad ecclesiam dicant: *Verba mea*, cum litaniis defunctorum; quando autem sepelitur corpus, non dicatur oratio: *Tibi Domine*; sed tota ultima sequens oratio proferatur: *Deus cujus miseratione* &c... (cetera sunt lacera.)

Ex MS. Collectano S. Petri supra Divam.

XXII. „ Peracto igitur ex more seriatim in praesentia funeris praecedente servitio, veniant in capitulum, ibique absolvatur anima defuncti fratris ab Abbate, vel Priore revestito. Postea injungantur quatuor Monachis, ut defunctum honore debito misericorditer sepeliant revestiti in albis. Interea ceteri venientes in chorum dicant: *Dirige Domine*, & pulsentur ter omnia signa; ac deinde *Placebo*, & de psalterio, quantum hora permiserit. Cum vero nunciatum fuerit Priori, corpus fratris jam esse sepultum, revestiat se iterum Abbas, vel idem Prior, & ordinate veniant omnes ante januam Monasterii dicentes psalmum: *Miserere mei Deus secundum*, exspectantes ibidem, donec deferatur corpus a praedictis quatuor revestitis; quo deposito, incensetur, ac deinde dicto *Pater noster*, cum ℣., & orationibus, quae sequuntur, deferatur feretrum in choro, cantantibus interim omnibus ℟. *Subvenite sancti Dei*, cum ℣. *Suscipiat te Christus*. Deposito denique feretro in medio chori, sedeant omnes, ibidem psalterium, aut quod inde residuum fuerit, integra decantantes, si tamen immediate post Matutinas agenda fuerint exequiae supradictae. Si autem post capitulum obierit frater, quam citius congrue fieri poterit, agatur servitium more suprascripto, usque ad psalterium decantandum; & post Completorium ipsius diei partiantur opera vigiliarum sic: Chorus Abbatis prior vigilabit ante Matutinum, & integre psalterium decantabit: Chorus vero Prioris post Matutinum decantans idem psalterium vigilabit. Si vero post Completorium, vel paullo ante Matutinum decesserit, peracto ex more servitio, & absoluto fratre in capitulo, dicatur *Dirige*, & consequenter *Placebo*, si permiserit hora; deinde cantant communiter Matutinas, sepelientibus interim corpus defuncti iv. supradictis, & demum post Matutinas recipiatur corpus, & quod residuum fuerit servitii, reddatur eidem ordine suprascripto.

XXIII. „ Ad sepeliendum corpus Monachi defuncti. Incipiat Abbas, vel Sacerdos revestitus: *Miserere mei Deus*: *Pater noster* &c. ℣. *Non intres*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. Oratio: *Deus vitae dator* &c. Oratio: *Deus qui humanarum animarum*; ac deinde portetur corpus in Ecclesia, imposito prius ℟. *Subvenite* &c.

Ex libro Usuum Beccensium.

De mortuo quomodo agatur, & de sepultura, & quomodo custodiatur.

XXIX. „ Cum autem mortuus fuerit, iterum pulsetur tabula minute, & acriter, & cum summa velocitate convenientes fratres, & dicant: *Proficiscere*, & sic incipiant commendationem animae. Cum completa fuerit, sonent omnia signa tribus vicibus, & interim agant agenda mortuorum in eadem domo, in qua defunctus est; post agenda, si opus fuerit, incipiant psalterium. Dum haec fiunt, portetur corpus a fratribus in loco, ubi lavetur, si Sacerdos est, a Sacerdotibus, si Conversus, a Conversis, si infans, ab infantibus, sic in ceteris. Camerarius debet habere praeparatos nocturnales, quam antea non habuerat inductam & cucullam, & caligas. Cum vero lotum, & vestitum, & depositum fuerit in feretro, percutiat Prior tabulam tribus ictibus, & dimittant officium, vel psalterium, quod cantant; tunc accedat Sacerdos, & aspergat illud aqua benedicta, & incenset; deinde roget, ut orent pro eo, ita dicendo: *Pater noster*: *Et ne nos*: *Non intres in judicium*: *Requiem aeternam*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*, & oratio. Post haec Cantore incipiente ℟. *Subvenite sancti Dei*, portetur corpus in ecclesiam ab eis, qui laverunt illud. Statim ut venire coeperint, sonent omnia signa tamdiu, quousque depositum sit in loco, ubi moris est poni. Locato itaque eo, sedeant undique fratres per circuitum, incipientes a psalmo, ubi intermiserant, qui vero regularem horam dimiserant, eant in aliud membrum ecclesiae, vel in capitulum & compleant horam, non autem in choro; quia non debet bis in die eadem hora in choro cantari. Quacumque migraverit hora diei, sive aestate, sive hyeme, post depositum corpus in ecclesia, omnes communiter sedeant fratres cum infantibus, circa illud canentes psalterium, quo finito, incipiant commendationem animae, Vesperas, Vigilias, Matutinos, *Verba mea*, & haec eadem frequenter. Quacumque hora diei frater obierit, numquam debet esse corpus sine conventu, excepto quando canunt horas regulares, vel Missam, vel in capitulo sunt, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, & tunc tamen deputentur aliqui fratres, qui ibi remaneant. Illo die, quo defunctus obiit, si fuerit dies, quo in claustro debeant loqui, cum exierint de capitulo, sonet Prior tabulam, sicut est consuetudo, & dicat: *Benedicite*; deinde pergant in ecclesiam, & infantes similiter, canentes: *Verba mea*, usque ad corpus defuncti; & illo die non teneant infantes capitulum, nullusque, quandiu corpus fuerit in ecclesia, sit ausus loqui in claustro. Si ea die qua obierit, Missam habuerit matutinalem, sepelietur ipsa die, si Missam matutinalem non habuerit, custodietur usque in crastinum, nisi caussa sit, ut teneri non possit. Ita fiet, si non debet statim post capitulum humari: Si autem post capitulum debet sepeliri, non pulsatur tabula ad loquendum, donec conventus post humationem redeat in claustrum; sed post commune *Verba mea*, incipiente Abbate aliud *Verba mea*, pergat in ecclesiam, ut dictum est. Post Vesperas, si nocte debet custodiri, debet Apocrisarius accipere tabulam, ubi faciunt breve in festivitatibus, & debet describere omnes fratres ad vigilias, ut vigilent ad corpus per duas, vel per tres vigilias, & unaquaque vigilia canitur psalterium integrum, vel quantum tempus permiserit, cum commendatione animae, & cum toto officio mortuorum. Tunc pervideat unusquisque frater breve, ad quam vigiliam est. Si ea die bis comederint, post collationem ibunt fratres in refectorium, sicut in Sabbato. Post Completorium ii, qui in prima vigilia scripti sunt, remaneant, reliqui vero eant dormitum. Cum vero ii, qui de prima vigilia sunt, habuerint finitum psalterium cum reliquis agendis, accipiant duo fratres breve, & pergant in dormitorium deferentes candelas in manibus suis, & excitent in brevi, qui sunt in brevi. Et cum venerint in ecclesiam, tunc redeant ipsi de prima vigilia dormitum. Post Matutinas Laudes sedeant ibi Magistri cum infantibus. Antea vero, quam corpus sepeliatur, debet Prior in capitulo injungere Missas triginta pro ipso defuncto, ita ut numquam praetereat dies, in quo non habeat Missam usque ad xxx. dies, praeter eas, quae in conventu sunt dicendae: Si non debet inchoare ipsa die, aut primum injunctum est, Sabbato injungitur usque ad aliud Sabbatum.

XXX. „ Deinde post capitulum eant omnes in Monasterium, ut dictum est, canentes: *Verba mea*, usque ad corpus defuncti; postea pulsetur majus signum tribus ictibus, ut sicubi sunt fratres, conveniant. Deinde Secretarius debet habere candelas praeparatas, & accipiat unusquisque suam a minimo usque ad majorem, & sic faciant stationem circa corpus: Sacerdos alba indutus cum stola aspergat illud aqua benedicta, & veniant duo fratres ante altare, quod ibi est, & dicant: *Kyrie eleison*: *Christe eleison*: *Kyrie eleison*: Deinde Sacerdos dicat orationem, omnibus inclinatis *Non intres in judicium*. Finita oratione, subjungant ipsi duo ℟. *Qui Lazarum*, deinde *Kyrie*, ut prius. Interim incenset altare Presbyter, & corpus, & deinde orationem: *Fac quae-*

su-

sumus Domine. Itera illi duo ℟. *Libera me Domine*, cum omnibus versibus, si Monachus ejusdem loci est, vel si honesta fuerit persona, finitis versibus dum iteratur ℟. Sacerdos incenset altare, & postea corpus: deinde roget pro eo orari, ita dicendo: *Pater noster*. Dicta oratione, incipiat Cantor: *In Paradisum*. Psal. *In exitu*: *Ad te Domine levavi*. Tunc exeat processio ante, & post omnes portetur corpus, ultimus Domnus Abbas. In exeundo autem, pulsentur omnia signa; post expletam antiphonam, dicat Sacerdos orationem: *Pie recordationis*; quadicta, aperiatur sepulchrum, & aspergatur aqua benedicta, atque incensetur, Cantore incipiente antiphonam: *Aperite*. Dicta post hanc oratione, duo fratres albis induti, operientes capita sua amictibus, accipiant corpus, & collocent in sepulchro, dum Cantor incipit antiphonam: *Ingrediar*. Post dicatur oratio: *Oremus fratres charissimi*, *Deus qui justis*. Cantor incipiat antiphonam: *Hæc requies mea*, aspergatur sepulchrum aqua, & incensetur, & post oret: *Deus vitæ dator*, & alia: *Deus qui humanarum*. Quibus dictis, Cantore incipiente antiphonam: *De terra plasmasti*, operiatur terra primum Sacerdote terram jaciente, peracto autem ex more officio incipiat Cantor pro iis, qui in cimiterio requiescunt, Ps. *Miserere mei Deus*. Finito psalmo subjungant: *Requiem æternam dona*, post hæc roget Sacerdos in audita omnium, ut orent pro omnibus illis, qui in cimiterio jacent, & pro omnibus fidelibus defunctis: *Pater noster*. Dictis capitul. & orat. revertantur, Cantore incipiente VII. psalmos pœnitentiales, si Monachus fuerit. Et dum venerint VII. psalmos canendo in terram, excepto Sacerdote, qui super formas accubitet se. His finitis subjungant: *Requiem æternam*: *A porta inferi*. Oratio sine *Oremus*: *Satisfaciat tibi Domine Deus noster*; si non est Monachus: *Verba mea*: *Pater noster*: *A porta inferi*; Orat. *Absolve quæsumus Domine*.

Ex MS. Consuetudinibus Lyra.

XXVI. „ Quando omnino mortuus fuerit, ceteris dimissis, incipiat Cantor ℟. *Subvenite*: *Suscipiat eam*, & sic fiat commendatio. Hanc commendationem dicet totus conventus, sedens circa corpus defuncti in loco quo mortuus est; & interim sonent omnia signa in ecclesia ter. Post commendationem exeat conventus de infirmitorio dicendo: *Placebo*, & *Dirige*, & corpus lavetur interim. Cum autem omnia parata fuerint, efferatur corpus foras, cruce præcedente, & aqua benedicta cum candelabris, & thuribulo. Tunc Prior percutiat tabulam ter, & Sacerdos accedat ad corpus, & incenset, & aspergat illud aqua benedicta, & dicat alta voce: *Pater noster* &c. ut in libro reperies. Tunc Cantor incipit ℟. *Subvenite*. *Libera me*; & ingrediatur ecclesiam, signis omnibus semel sonantibus, & reincipiant, ubi desierant, (*a*) si totum officium non dixerint; debent enim dicere post commendationem: *Placebo*, & *Dirige*, & *Exultabunt*, & *Verba mea*. Item ad commendationem Monachi defuncti præsentis, a principio usque ad *Verba mea*, habeat Sacerdos stolam, si vero abest, ad commendationem tantum.

XXVII. „ Quando corpus Monachi jacuerit, ad *Placebo*: *Dirige*: *Exultabunt*, si dicuntur in choro, una tantum collecta dicitur, & ipsa singularis pro eo, scilicet: *Inclina Domine*. Item, si Monachus defunctus est in ecclesia, dum *Dirige* incipitur in choro, sonent signa semel tantum pro eo. Si corpus Monachi defuncti fuerit in ecclesia in die, qua debent loqui in claustro, & non possunt reverti ad colloquium propter exequias; tunc inter duo *Verba mea*, percutiatur tabula in capitulo, & dicatur ibidem, *Benedicite*; si vero possunt reverti, non sonetur tabula, donec revertantur. Si corpus est præsens ad Missam, dicitur ℟. *Convertere*, una sola oratio. Si post IX. mortuus fuerit, de crastino KP habebit; si autem corpus statim post Missam matutinalem non possit, vel non debeat, quia nimis recens est, inhumari; ad majorem Missam post alias collectas, dicitur pro eo oratio: *Deus cui proprium*; si tamen eadem die, non alia, mortuus est. Si Monachus defunctus potest habere Missam matutinalem, ipso die inhumabitur. Item, si Monachus defunctus præsens fuerit, Missa festive erit, & una collecta tantum.

Ex MS. Breviario S. Germani a Pratis.

XXVIII. „ (Egressa anima de corpore:) *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. Oratio: *Pia recordationis* &c. *Deus cui omnia vivunt* &c. *Suscipe Domine animam* &c. His dictis, pulsatisque omnibus signis, cum cruce, & candelabro, thuribulo, & aqua benedicta portatur ad lavandum a fratribus, interim canentibus Vesperas defunctorum, & officium. Lotus vero feretro locatur a Priore, & aquæ aspersa, imponitur. Officio autem finito, tabula uno ictu percutitur, quod significat omnes dicere: *Pater noster*: sequitur illa oratio: *Absolve Domine animam* &c. dicenda ab Abbate, vel *Deus vitæ dator* &c. *Deus qui humanarum* &c. Hic incipiente Cantore ℟. *Subvenite sancti Dei*, omnibusque sonantibus signis, defertur ante altare B. Mariæ Virginis, & ibi dicitur ab Abbate, vel Priore sequens oratio; deinde deferri debet in vestiarium, ubi servetur cum psalmodia usque ad horam sepulturæ: ℣. *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*: *Deus veniæ largitor* &c.

XXIX. „ In hora, qua sepeliendus est frater, stet omnis congregatio in circuitu funeris cum cereis, & luminaribus, & sic incipiant duo Cantores: *Kyrie eleison*: *Christe eleison*. Sequitur oratio: *Non intres in judicium* &c. ℟. *Heu mihi Domine*: *Kyrie eleison*: *Christe eleison*: *Kyrie eleison*. Oratio: *Fac quæsumus* &c. *Ne recorderis peccata*: *Kyrie eleison*: *Christe eleison*: *Kyrie eleison*. Oratio: *Inclina Domine* &c. ℟. *Libera me Domine*. Responsorio finito, portetur ad tumulum præeunte processione cum Sacerdote, subsequente conventu, & ad ultimum portitoribus funeris. Interim omnibus personantibus signis, canentur ii psalmi cum iis antiphonis: antiphona: *In paradisum* &c. Psal. *In exitu Israel*; antiphona: *Aperite* &c. Psal. *Confitemini*: *Ingrediar* &c. Psal. *Quemadmodum*; antiphona: *Hæc requies mea* &c. Psal. *Memento*; antiphona: *De terra plasmasti* &c. Psal. *Domine probasti me*; antiphona: *Non intres in judicium* &c. Psal. *Domine exaudi*; antiphona: *Omnis spiritus laudet Dominum*. Psal. *Laudate Dominum de Cœlis*; antiphona: *Omne quod dat*. Psal. *Benedictus*. Sacerdos veniens ad sepulchrum primum benedicat illud, hanc orationem dicens: Oratio *Deus, qui fundasti* &c. Deinde aspergat sepulchrum aqua benedicta, sic dicens: *Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super hoc sepulchrum. Amen*. Oratio: *Ineffabilis Dei Patris* &c. Antequam sepeliatur, prius incensato tumulo, & defuncto intus posito, interimque aqua benedicta asperso, & incensato, subsequatur Sacerdos dicens has orationes. Oratio: *Obsecramus misericordiam tuam* &c. *Deus apud quem mortuorum spiritus* &c. *Oremus fratres charissimi pro spiritu cari* &c. *Deus, qui justis supplicationibus* &c. *Debitum humani corporis* &c. *Temeritatis quidem est* &c. His dictis, veniat cum sociis in medio fratrum, & post finem ultimæ antiphonæ, præmisso *Pater noster*, dicat: *Non intres in judicium cum servo tuo*. *Dominus vobiscum*: *Tibi Domine commendamus* &c. Pro iis, qui in cimiterio jacent: *Miserere mei*: *Pater noster*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. *Deus cujus miseratione* &c. Postea revertentur in choro, & prostrati cantabunt VII. psalmos: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*: *Absolve Domine animam famuli* &c.

Ex MS. Rituali Corbejensis monasterii.

XXX. „ Ordinatio bona, & honeste tam pro Religiosis defunctis, quam pro fratribus charitatis S. Stephani protomartyris, in ecclesia Nostræ Dominæ Corbejensis.

XXXI. „ IN NOMINE DOMINI AMEN. Anno Domini 1280. Feria V. in Paschalibus Venerabilis Pater Hugo Abbas Corbejensis secundus Abbas hujus nominis, de consilio, & assensu Capituli sui Corbejensis, & plurium aliorum fide dignorum, præsentibus omnibus Presbyteris, Curatis, Capellanis, confratribus dictæ caritatis, nec non & aliis Clericis &c.....

XXXII. „ Item sciendum est, quod quando aliquis Religiosus obiit in ecclesia Corbejensi, vel extra; si dictus Religiosus sit in sacris, vel non, Corpus ipsius debet poni in feretro honorifice post prandium in magna infirmaria conventus; & super dicto feretro debet esse pannus aureus conventus; & cum hoc debent esse duo magna candelabra, unum ad caput, & aliud ad pedes, & super duobus candelabris prædictis debent esse duo „ cerei

(*a*) f. etsi.

cerei erdentes, & cum hoc flraminis spargi debent in prædicta magna infirmaria circa corpus prædicti defuncti, & contra duo candelabre magna prædicta debent esse ligatæ duæ cruces coeventus; debet etiam esse ibi aqua benedicte in fitulo, cum hysopo.

XXXIII. „ Item iis omnibus prædictis præparatis per modum superius declaratum, quando pulsantur magnæ campanæ pro obitu dicti defuncti, tunc Abbas, & conventes debent venire in prædicta magna infirmaria, & tunc Sacrista cum duobus juvenibus tenentibus candelabra cum cereis ardentibus, indutis in albis, dictus Sacrista ante corpus debet dicere elta voce: *Pater noster*; & tunc dicta oratione finite submissa voce, debet dicere alta voce: *Et ne nos inducas in tentationem*, cum versu: *A porta inferi*, & *Dominus vobiscum*, cum collecta: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine*; & tunc finita dicta collecta, dictus Sacrista debet spargere equam benedictam supra dictum feretrum.

XXXIV. „ Item hoc facto, sex vel septem de antiquioribus, vel majoribus officiariis in Ecclesia Corbejæ Religiosi debent apportare Corpus defuncti a prædicta magna infirmaria usque infra capellam nostræ Dominæ in Ecclesia Corbejæ.

XXXV. „ Item quando dicti Religiosi antiqui, vel majores officiatii in dicta ecclesia Corbejæ accipiunt ad portandum in dicta magna infirmaria corpus defuncti in feretro; tunc cantor ecclesiæ debet incipere alta voce ℟. *Subvenite*, cum ℟. *Heu mihi Domine*, & ℟. *Libera me Domine*, cum versibus dictorum trium Responsoriorum, si necesse fuerit.

XXXVI. „ Item, quando corpus positum est in prædicta capella nostræ Dominæ per modum superius declaratum, tunc prædictus Abbas, & conventus immediate in prædicta capella nostræ Dominæ pro anima dicti defuncti, debent incipere submissa voce, & dicere, *Placebo*, & *Dirige*: Et ad *Placebo*, & *Dirige* prædictis non dicitur nisi una sola collecta, videlicet: *Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam sine spe misericordia supplicatur, propitiare animæ famuli tui, ut qui de hac vita in tui nominis confessione decessit, sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Dominum.*

XXXVII. „ Item finito *Dirige*, antequam recedamus de dicta capella debemus dicere pro cunctis fidelibus defunctis: *Verba mea* &c. *Pater noster* cum ℣. *A porta inferi*, & collecta: *Absolve animas famulorum, famularumque tuarum* &c. cum *Dominus vobiscum*, *Requiescant in pace amen*. Et tunc Prælatus, vel Prior, quando Prælatus non est præsens, debet statim dicere: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace*. Et est sciendum, quandiu omnia superius scripta, & declarata dicuntur per conventum, tandiu semper campanæ magnæ ecclesiæ debent pulsari pro anima dicti defuncti, & ut sic dictis, & factis, debent in ecclesia pulsari pro Vesperis in conventu in illa die, & in illa hora.

XXXVIII. „ Item sciendum est, quod Religiosi portantes prædictum corpus e prædicta infirmaria usque ad prædictam capellam nostræ Dominæ, tunc portantes prædictum corpus debent ire ante omnes alios, & tunc Abbas, & conventus, qui sunt retro eos, debent cantare alta voce prædicta ℟. sed prædicti Religiosi portantes dictum corpus non debent aliquid cantare, vel dicere; sed facere signum mœroris, & doloris, pro anima socii eorum defuncti.

XXXIX. „ Item sciendum est, quod si aliquis Religiosus dictæ ecclesiæ moriatur extra prædictam ecclesiam, nec corpus ejus mortuum apportatur in dicta ecclesia ad tumulandum, vel si aliquis alter Religiosus moriatur in dicta ecclesia, & statim ponatur in cimiterio in terra, tunc prædictæ solemnitates non sunt omnino faciendæ; sed solummodo, quando pulsantur magnæ campanæ, tunc Abbas, & conventus vadunt ad prædictam capellam nostræ Dominæ simul, & ibi dicunt: *Placebo*, & *Verba mea* per modum superius dictum, & declaratum.

XL. „ Item sciendum est, quod Præpositus caritatis cum fratribus suis, postquam Abbas & conventus dixerint in prædicta capella nostræ Dominæ: *Placebo*: *Dirige*, superius scripta, & declarata, pro anima dicti Religiosi defuncti; tunc debent dicere cum alta voce in prædicta capella: *Placebo*, & *Dirige*.

XLI. „ Item sciendum est, quod quando corpus Religiosi inhumatum est, antequam dicantur per Abbatem, & conventum pro anima ipsius, tunc Thesaurarius ecclesiæ in prædictis capellæ nostræ Dominæ debent ponere super terram per se, vel per alium, pannum aureum conventus, & candelabra magna cum cereis ardentibus, & crucibus, prout scriptum est, & declaratum est, in magna firmaria conventus.

XLII. „ Item sciendum est, quod quando corpus præsens, vel repræsentatio feretri ponitur in prædicta magna infirmaria per modum superius declaratum, tunc ad Missam debet fieri commendatio corporis per modum scriptum in libris nostris, & debemus omnes ire simul ad foveam, sive sepulcrum defuncti cum illo (*a*) dicit Missam, & ministri dictæ Missæ induti sicut fuerunt in prædicta Missa; & tunc prædictæ magnæ campanæ debent pulsari, quandiu dicta commendatio durabit, & ultra.

XLIII. „ Item quando corpus non est præsens, nec fit commendatio pro anima defuncti, nihilominus debent pulsari magnæ campanæ, finita Missa pro anima ejus, per semihoram, vel circiter. Et est sciendum, quod prima Missa de defunctis pro anima socii nostri mortui in ecclesia, vel extra, semper Missa, eorum pro illo tunc erit magna Missa, & Missa horarum diei illius erit tunc Missa matutinalis.

XLIV. „ Item sciendum est, quod omnes Religiosi, qui moriuntur tam in ecclesia, quam extra, sive corpora ipsorum sint inhumata in ecclesia nostra, vel extra, nihilominus quando facimus solemnes exequias pro morte eorum in dicta ecclesia nostra, tunc post Completorium una pars Religiosorum dictæ Ecclesiæ, qui non sunt Presbyteri, ante Matutinas debent dicere in dicta capella pro anima dicti defuncti unum psalterium, & post Matutinas alia pars dictorum Religiosorum non Presbyterorum debent dicere unum aliud psalterium, & duo prædicta psalteria debent dici ambo in dicta capella.

XLV. „ Item dicta, die in qua fit solemnis Missa alicujus Religiosi defuncti, vel servitium per modum superius declaratum, tunc omnes Religiosi ecclesiæ in illa die tam senes, quam juvenes non debent ludere ad aliquod ludum; sed debent devote, & honeste remanere in orationibus, & devotionibus pro anima dicti socii defuncti; & ideo ab antiquo tempore fuit ordinatum, quod post mortem alicujus Religiosi mortui in dicta ecclesia tabula lignea cum malleo ligneo debet pulsari in claustro in signum mœroris, & doloris, sive tristitiæ, pro anima socii eorum defuncti.

XLVI. „ Item, quando Abbas, vel Prior debet celebrare Missam magnam de defunctis pro anima alicujus Religiosi defuncti; tunc si corpus sit præsens in capella nostræ Dominæ, vel repræsentatio dicti corporis in feretro ligneo; tunc dictus Abbas, vel Prior debent ire ad prædictam capellam ante Missam, indutus de cappa nigra, cum Diacono, & Subdiacono indutis de tunica, & dalmatica, prout debent esse in dicta Missa, cum juvenibus indutis albis, tenentibus candelabra cum cereis ardentibus; & tunc totus conventus post eos debet ire in dicta capella; & Prælatus debet tunc dicere alta voce: *Pater noster*, & finita dicta oratione sub silentio ab omnibus Religiosis, tunc Abbas debet dicere in alto: *Et ne nos inducas in tentationem*, cum ℣. *A porta inferi*, & *Dominus vobiscum* cum collecta: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine* &c. Et hoc dicto debet spargere aquam benedictam super dicto feretro, & hoc facto Religiosi, qui apportaverint dictum feretrum ab magna infirmaria conventus usque ad prædictam capellam, tunc ipsi debent iterum portare prædictum feretrum a prædicta capella usque ad medium chori, & ecclesiæ Corbejæ.

XLVII. „ Item similiter prædicti Religiosi debent portare prædictum feretrum post Missam finitam, & commendatione post eamdem Missam facta per modum superius declaratum, de prædicto choro usque ad foveam, in qua prædictum corpus tumulari debet. Et est sciendum, quod si aliquis Religiosus obierit in ecclesia, vel extra ecclesiam, & corpus ipsius non fuerit præsens in prædictis exequiis, & Missa, vel ad minus aliquod feretrum vacuum repræsentans corpus ipsius, tam in prædictis exequiis quam Missa, tunc prædictæ solemnitates non fiunt. Sed statim ille, qui debet dicere Missam, cum ministris suis vadit ad magnum altare, & sæculares ponunt in medio chori super terram pannum aureum conventus pro mortuis, nec post Missam vadit conventus ad foveam; sed solummodo pulsantur magnæ campanæ post Missam pro anima defuncti.

(*a*) deest aliquid, f. qui.

Ex libro Usuum Cisterciensium. Cap. 94.

XLVIII. „ Egressa anima incipiat Cantor: *Subvenite*, ceteris eumdem cantum subsequentibus, & deinde *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison*; dehinc *Oremus: Tibi Domine commendamus*. Post illam collectam deferatur mortuus ad lavandum. Provideat autem Prior a quibus, & quomodo abluatur, & involvatur. Interim fratribus seorsum a defuncto ordinatis circa Abbatem, sicut in choro, prout locus permiserit, & quisque Abbas in suo dictaverit monasterio, Conversis Laicis seorsum existentibus, Abbas ceterat, quae sequuntur, subsequatur collectas, scilicet: *Deus pietatis*, & *Dies vulneris*: *Viam tuam*: *Omnipotens sempiterne Deus, qui humana*: *Suscipe Domine animam servi tui*, adjuncta ei illa, *Partem beatae Resurrectionis*; & post hanc ℟. a conventu *Amen*, incipiatur mox Psalterium: *Beatus vir*.

XLIX. „ Post lavationem corporis allato corpore, Abbas aspergens illud aqua benedicta, & thurificans, dicat omnibus audientibus: *Pater noster*. Dicto igitur ab Abbate: *Et ne nos inducas in tentationem*, & responso a ceteris: *Sed libera nos a malo*, dicat Abbas: *A porta inferi*; Deinde: *Nihil proficiat inimicus in eo*, & post *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Deus cui soli competit*: quam cum inceperit, procedant ad caput processionis ministri cum cruce absconsa, thoribulo, & aqua benedicta. Dicta itaque collecta, & responso a conventu *Amen*, imponat Cantor ℟. *Libera me Domine de morte*, & sic efferant corpus in ecclesiam, sequentes crucem eo ordine, quo stant in choro, ita ut Laici monachi praecedant Clericos, post quos incedat Abbas cum stola, & baculo, vel quicumque officium fecerit, postea novitii, deinde defunctus a quatuor, vel pluribus, quibus Prior jusserit, sublatus, quos & Conversi subsequantur. Dum vero defunctus effertur ad ecclesiam, si cantatur hora canonica, videat Cantor, quid canitur. Si dicitur *Evangelium*, vel *Te Deum laudamus*, vel aliquod ℟., subsistant parumper in claustro, donec finitum sit, & tunc intrent cantantes. Si vero aliud chorus cantaverit, non differant intrare, & chorus intermisso, quod cantabat, cantet cum eis, donec post collectam resumant, quod fuerat intermissum. Qui venientes ad ecclesiam deponant corpus in choro, nisi ita sit foetidum, ut in ecclesia poni non possit. Abbas vero provideat, ubi corpus ponatur. Finito cantu, & fratribus ordinatis ad caput defuncti, cum cruce, & thuribulo, & aqua benedicta, eo ordine, quo in ecclesia venerunt, & lumine super candelabrum posito ad caput defuncti, Abbas stans post eos faciat commendationem. Interim fratres habeant vultus ad alterutrum, facta commendatione deponant ibi aquam benedictam, & crucem. Quo facto, qui ab hora exierant, eant in capitulum, & reincipiant horam, & compleant. Vigilias, Laudes, & Vesperas non incipiant a capite, sed ubi dimiserunt; & quod omissum erat, implentes, usque ad id, quod cantatur in choro, redeant in conventum, sine satisfactione tamen quandocumque exierint.

L. „ Porro si tabula pulsatur quando dicitur officium pro defunctis, relictis paucis in choro, quibus Cantor innuerit, conventus exies ad defunctum, nisi forte officium praecipuum fuerit, quod intermitti non licet: de quo faciendum est, sicut dicimus de horis canonicis. Si capitulum intermiserant, revertantur illuc complentes, quod remanserat, & ibi praesens defunctus absolvatur; quod si Abbas tunc defuerit, in primo capitulo, cui affuerit, absolvat eum. Si refectorium intermiserant, revertantur ad refectionem etiam in XL., ita ut nec signum in ecclesia, campana in refectorio pulsetur, nec versus repetatur, nec Lector benedictionem petat; sed incipiat, ubi finierat: qui vero nondum ceperant comedere, manentes ad corpus, postea commendans. Porro omnimodis Abbas provideat, ut corpus numquam solum remaneat. Statim autem finita commendatione, residentes in choro eo ordine, quo intraverunt, & quo ad omnia intervalla aequaliter se debent habere, ibi incipiant psalterium, ubi in infirmitorio dimiserant, si tamen inceptum fuit; quod si inceptum non fuit, incipiant a capite semper dicentes: *Requiem aeternam*, totum versum, dum signum pulsatur ad horam. Quod si psalterium finierint, antequam corpus sepeliatur, dicant plenarium officium defunctorum ab hora prandii usque ad noctem, *Placebo*, & *Verba*: Post secundum psalterium, *Placebo*, & *Dominus regit*: Post tertium, *Placebo*, & *Expectans*: Ex quo nox fuerit, usque post Sextam sequentis diei: *Verba mea*, & *Exultabunt*: *Dominus regit me*, & *Exultabunt*: *Expectans*, & *Exultabunt*, Hebdomadario Lectiones legente, si dies fuerit, legat eas cui Cantor injunxerit: quo percantato, iterum incipiant psalterium: quod si & ipsum finierint, eodem modo secundum officium, idest *Dominus regit me*, persolvant: quod si adhuc defunctus superfuerit, iterum incipiant psalterium, quo finito eodem modo tertium officium compleant. Haec autem officia omnia cantando dicantur voce mediocri, & ℟. *Libera me* non dicatur, nisi in tertio officio, & cum primo tantum verso, & una collecta singulariter dicatur, scilicet *Inclina Domine*, & psalteria cum *Requiem aeternam*, singulariter dicta terminentur. Et quicquid pro eo dicetur, quamdiu insepultum fuerit, singulariter dicatur.

LI. „ Cum praesens defunctus est in ecclesia, si conventus officium defunctorum post Laudes, & Vesperas celebrat, similiter celebrent, qui sunt in infirmitorio, & qui in capitulo vigilias dixerint, dicant officium defunctorum, quale est dicendum in choro. Qui vigilant circa defunctum nisi prius finito psalterio dixerint officium defunctorum, post vigilias, & Laudes regulares, quas ibidem dixerint, idem officium non omittant. In consuetudinario vero officio, quod agitur post Vesperas, sive post nocturnos, dicatur prima collecta pro eo; deinde consuetae, nisi fuerit solemne officium defunctorum, in quo solemni officio, post primam collectam haec tantum debet sequi tam ad Vesperas, & ad Laudes, quam ad Missam. Si vero Missa fuerit pro eo in conventu, dicatur ejus collecta prima, idest: *Inclina*, & *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum*; quod si fuerit solemne tricenarium, interponatur: *Deus veniae*.

Cap. 95. Item de defunctis, postquam sunt in Ecclesia.

LII. „ Omni die, quo jejunamus tam aestate, quam hyeme, si ab initio Nonae usque ad principium Laudum obierit aliquis: dicta Missa post Primam sepeliatur. Si ab initio Laudum usque ad finem Primae transierit, post Tertiam tumuletur. Si ab initio Laudum usque ad finem Primae transierit, post Tertiam tumuletur. Si inde usque ad Tertiam mortuus fuerit, post Sextam sepeliatur. Si ab initio Tertiae, usque ad Sextam, ita ut ante Sextam Missam habere possit, ante Nonam sepeliatur. Si ante Sextam Missam habere non potest, post Sextam eam habeat, & inter Nonam, & Vesperas sepeliatur. Si inter Sextam, & Nonam: dicatur Missa ante Nonam, & Nona, si necesse est, differatur, & post secundam refectionem sepeliatur. Tempore Quadragesimae post IX. poterit dici Missa pro defuncto, & post primam refectionem sepelietur. Tempore autem quo non jejunamus, si a prandio usque ad Laudes sequentis diei obierit, post Primam dicta Missa sepulturae mandetur. Si a Laudibus usque ad finem Primae, dicta Missa post Tertiam tumuletur. Si inde usque ad Tertiam, ante Sextam sepeliatur. Si a Tertia usque ad Sextam, dicta Missa post Nonam sepeliatur. Si vero a signo Sextae horae usque ad refectionem, hora, & Missa celerius dicantur, & post Missam reficiant fratres: post IX. vero mortuus sepeliatur. Si duo mortui diversis horis sepeliendi supervenerint, & Missam simul habere potuerint; hora qua secundus sepeliendus est, simul sepeliantur, si convenienter fieri potest.

Cap. 96. De vigiliis circa defunctum.

LIII. „ Cum agendae sunt vigiliae circa defunctum, si spatium suppetit, Cantor designet in tabula, qui vigilaturi sunt, quibus in duas partes divisis, pars prima vigilet dimidium spatium, quod est a Completorio usque ad Nocturnos, aliis interim dormientibus; & secundum quod opportunum viderit, agat sibi Matutinas. Circa primi spatii finem eat, cui a Priore injunctum est, & inspecta hora in horologio, secundum quod Sacrista indicaverit, si tempus est, eat ad lecta singulorum, qui vigilare debent, & excitet eos. Quibus chorum ingressis primi recedant: & ipsi Matutinas agant sibi, & sic vigilent usque ad Nocturnos. Et veniente conventu, designato Cantore psalmo, ubi dimiserant, ad lecta redeant dormituri.

LIV. „ Si vero ad conscribendum vigilaturos Cantori spatium defuerit; manu designet in choro, qui primi vigilare debent, secundos conscribat, & conscriptos alicui de primis ostendat, qui eos excitet; & ab utrisque sic agatur, ut dictum est. Si prope vigilias conventus

ad defunctum surrexerit, vigilet usque ad vigiliam. Hora vero prandii, qui ad corpus remanserant, conventu veniente ad gratias, denuncient intrantibus psalmum, ubi dimiserant, & exeuntes per retro chorum, eant in refectorium cum servitoribus reficiendi. Si autem in aestate post prandium vigilandum est, qui ante Nonam vigilaverint, post Nonam dormiant. Nullus dirigatur in via, ea quo frater mortuus fuerit, usque post reconditum corpus, nisi gravis necessitas urgeat, quod & ipsum sine Abbatis licentia non fiat. Qui officiis deputati sunt, assistant defuncto, quantum ratio dictaverit. In conventu, si fieri potest, Missa pro eo solemniter dicatur cum ℟. *Si ambulem*, & tractu: *Absolve Domine*.

Cap. 97. Quo ordine Missae, vel Collecta pro praesenti defuncto dicantur.

LV.,, Omnibus diebus, quibus duae Missae in conventu cantantur, si praesens defunctus fuerit, prima dicatur pro eo solemniter cum duabus collectis: *Inclina Domine*, & *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum*; Secunda vero cum collectis, quae ad primam Missam dici debuerunt. In XL. tamen, & jejuniis quatuor temporum, & Dominicis in quibus de aliqua vigilia mane dicenda est Missa, & Dominicis diebus, & a Septuagesima usque ad Pascha, & in octavo die Paschae, & in Adventu Domini cum solemnitas duodecim Lectionum, in qua laborare solemus, in Dominica evenerit: & cum vigilia Nativitatis Domini die Dominica fuerit, & Dominica quando dicitur: *Dum medium silentium*, & tribus Dominicis diebus ante XL., & Dominica ante Ascensionem cum solemnitas ferianda supervenerit, & Dominica, quando aliqua historia incipitur, & sexta die a Nativitate Domini, & illis tribus diebus, in quibus laboramus, in hebdomada Paschae, & Pentecostes, & Dominicalibus officiis, quae differri non possunt, in jejuniis etiam praecipuis, & praecipuis defunctorum officiis, & octavis Sanctorum, & proprietatibus eorum, qui in graduali designatum habent officium, praeter Alexandri, Eventii, & Theoduli, cum in Dominica ante Ascensionem evenerint, & in octava S. Laurentii, cum in ea dies Dominica fuerit: In omnibus, inquam, his diebus Missa de die, & collecta propria pro praesenti defuncto dicatur, & nihilominus pro praesenti defuncto in conventu dicatur. Tribus tamen diebus ante Pascha, nec privatim, nec in conventu Missa pro praesenti defuncto celebretur, in Coena tamen Domini, & Sabbato, si praesens defunctus fuerit, collecta pro eo ad Missam dicatur. In die vero Nativitatis Domini, Paschae, & Pentecostes, omnes Missae in conventu de festo fiant, & collecta dicetur pro praesenti defuncto; privatim autem, qui ex devotione voluerit cantare licebit pro eo. Qui de festo cantaverint, collectam dicant pro defuncto, tam post sepulturam, quam ante.

LVI.,, Quia vero cavendum est omnimode, ne sine propria Missa quisquam fratrum sepulturae mandetur; si conveniunter fieri potest, praesens defunctus Missam habeat in conventu, etiamsi eadem die una, vel duae Missae cantatae fuerint, aut cantandae. Quod si necessitas temporis, aut solemnitatis praecipuae non permiserit, saltem privata Missa pro eo dicatur, si hora non impedierit, & secundum distinctionem horarum, quas diximus, sepeliatur. Sciendum autem, quod pro hac necessitate, omnibus diebus jejuniorum extra XL. usque ad Nonam; in XL. usque ad Vesperas; tempora quo jejunamus, usque ad prandium, poterit Missa dici pro defuncto.

LVII.,, Si defuerit in conventu, qui hanc more solito cantare valeat: frater de via veniens (si est) hoc adimpleat. Si ille defuerit, aliquis de infirmitorio. Si & ille non aderit, frater, quamvis illusionem passus, hoc faciat. Si vero & ille defuerit, liceat Abbati, vel uni de fratribus Sacerdotibus monasterii secundam Missam cantare. Praesente nihilominus defuncto, vel ante sepulturam, vel post, eadem die, exceptis supradictis tribus diebus, nullus nisi pro eo Missam cantare praesumat: nisi secundum dispositionem Abbatis, quando fratres communicare debent, aut officiales audire convenit Missam in aliqua praecipua festivitate.

Cap. 98. Quo ordine efferatur ad tumulum.

LVIII.,, Dum efferendus fuerit ad tumulum, induatur Abbas alba stola, manipulo cum baculo; & pulsato signo, sicut ad Missam, qui psalmos cantant, finito psalmo vertant se ad altare. Abbas vero, & qui crucem, lumen, incensum cum thuribulo, & aquam benedictam ferunt, ordinentur ad caput defuncti hoc modo: Prius aqua, postea lumen, deinde crux, ultimus Abbas. Thuriferarius vero juxta Abbatem, ut quoties Abbas corpus thurificaverit ad finem uniuscujusque collectae, paratum tribuat ei thuribulum. Cantor vero, vel cui ipse injunxerit, teneat ei collectaneum. Interim fratres vertant se ad alterutrum. Expleto itaque officio, eat thuriferarius in ordinem suum, scilicet inter lumen, & aquam. Et tunc imposita antiphona a Cantore, exeant cantando psalmos scilicet: *In exitu Israel*: *Confitemini* 4.: *Quemadmodum*: *Memento Domine David*: *Domine probasti*: *Domine clamavi*: *Voce mea* 2., & post psalmos dicatur versus: *Requiem aeternam*, & antiphona: *Chorus Angelorum*, & statim: *Clementissime Domine* cantando; & dum dicitur: *Domine miserere super peccatore*, omnes petant veniam. Incedant autem eo ordine, quo stant in choro, Sacerdotibus praeeuntibus, ita ut Abbas sit primus post crucem, novitii vero post monachos. Sed & quatuor fratres, vel plures a Priore provisi induti scapularia subtus cucullas sustollant corpus: aliquis autem remaneat, qui & ecclesiam, & claustrum custodiat. Dum ad tumulum pervenerint, Abbas, & ministri ordinentur ad caput fossae: Qui vero corpus deferunt ponentes illud a parte meridiana, exuant cucullas, & sint parati ad corpus sepeliendum. Quo tumulato, reinduti cucullis, revertantur ad chorum in ordine suo. Fratres vero vertentes facies ad alterutrum seorsum ab Abbate, post eos cantantes ita ordinentur, ut Priores sint a parte defuncti.

LIX.,, Interim Abbas officium peragens, solis ministris sibi respondentibus, si tumulus nondum paratus est, cum ad: *Temeritatis quidem* venerit, dicat de sequentibus collectis, hac reservata. Quo praeparato antequam inchoet ipsam collectam, aspergat corpus, postea fossam; deinde thurificato corpore tradat thuribulum illi, qui est in fossa, ut eam thurificet. Moxque deponatur corpus, & iterum aspergatur ab Abbate, & ab illo, qui in fossa est, thurificetur. Quo operto Abbas super eum terram semel projiciat. Quo facto, revertat se contra sepulcrum incipiens: *Temeritatis quidem*. Ordinetis ante eum cruce, lumine, thuribulo, aqua benedicta, & sic consummet cetera, quae restant. Quibus consummatis, incipientes VII. psalmos poenitentiales revertantur ad ecclesiam verso ordine, scilicet Laicis monachis praecantibus, & si fuerint novitii, eant primi, & ingressi medium chorum stent eo ordine, quo venerunt, donec Sacerdotes a superiori parte prosternantur. Interim Abbas exutus veste Sacerdotali prosternatur in primo ordine inter Priores. Post psalmos, dicto: *Requiem aeternam*, & quod in collectaneo habetur, discedant.

LX.,, Fratres, qui extra chorum sunt pro infirmitate, & minuti ad easdem dormientes, & ad sepulturam, & ad VII. psalmos post sepulturam, si possint, ordine suo consistant; sin autem impossibilitatem suam Abbati suggerant: Ab his vero, quae in ecclesia pro eo aguntur, permittantur abesse. Qui in infirmitorio sunt, si potuerint similiter ordine suo exeant ad tumulum: Reversi vero in ecclesiam extra chorum, se prosternant, sicut & novitii; Conversi autem in suo choro, vel in retro choro. Dehinc fiant plura brevia, quae dentur portario distribuenda peregrinis. Quicquid vero pro eo fit, antequam terrae tradatur, erit extra dubium, quod ei debetur.

Ex Breviario Casalis Benedictini.

LXI.,, Egressa anima statim hoc devote circa corpus dicatur ℟. *Subvenite sancti* &c. *Kyrie eleison*: *Pater noster*: *A porta inferi*: *Requiescat in pace*: *Domine exaudi*: *Dominus vobiscum*. Oremus: *Tibi Domine commendamus* &c.

LXII., Dehinc lavetur defuncti corpus, & vestimentis sibi congruentibus induatur, Clericus tunicella, & cucullia, Conversus tunicella, & mantello; habeat etiam pedules, ne qua corporis pars nuda appareat; postea componatur in feretro, habeatque candelas ad caput, & ad pedes accensas, crux etiam imponatur in pectore. Deinde hora, qua ad sepeliendum fratrem congrua visa fuerit, congregentur in sacrarium monachi, qui processionaliter è sacrario ad locum, ubi defuncti corpus jacet, praecedentibus Ceroferariis, & cruce, nihil dicentes perveniant. Tunc Sacerdos, monachis circa feretrum assistentibus, incipiat absolute cantando: *Kyrie eleison*, & chorus continuo prosequatur: *Christe*

„ ste eleison: Kyrie eleison; Deinde alta voce Imponat Sacerdos: *Pater noster*, & chorus secreto prosequatur. Interim Sacerdos aqua benedicta defuncti corpus aspergat, & incenset: ℣. *Et ne nos*. ℟. *Sed libera*: *In memoria* &c. *Ne tradas Domine bestiis* &c.: *Non intres* &c. *A porta inferi* &c. *Requiescat in pace*: *Domine exaudi*; *Dominus vobiscum*: *Oremus*: *Suscipe Domine animam famuli tui* &c. Finita oratione, statim coordinati, quo venerant, redeant monachi ad ecclesiam cantantes ℟. *Subvenite sancti Dei*, & feretrum præcedentes. Et dum defuncti corpus ad ecclesiam, & postea ab ecclesia defertur ad tumulum, campanæ pulsentur. Deposito igitur in oratorio corpore, atque ante altare collocato, mox incipiantur vigiliæ: Duo Cantores in medium prodeuntes incipiant Invitatorium: *Regem cui omnia*: & solemniter cantentur vigiliæ cum novem Lectionibus absque Laudibus. Interim Sacerdos cum ministris præparet se ad Missam solemniter decantandam, si tempus congruum fuerit, in qua tres dicantur orationes. Prima, quæ funeri competit cum aliis duabus. Finita Missa, Sacerdos casula exutus cappam induat; Et veniens una cum ministris, Subdiacono crucem ferente, stet ad caput defuncti; & monachis in circuitu feretri collocatis, absolute incipiat cantando sequentem orationem: *Non intres*. Deinde Cantor incipiat ℟. *Subvenite sancti* &c. Et dum cantatur, Sacerdos aqua benedicta defuncti corpus aspergat, & incenset. Finito ℟., Sacerdos cantando dicat: *Kyrie eleison*, & chorus prosequatur: *Christe eleison*: *Kyrie eleison*. Postea Sacerdos imponat alta voce: *Pater noster*, & chorus secreto prosequatur; ℣. *Et ne nos*, ℟. *Sed libera*: *Dominus vobiscum* &c. *Oremus*: *Deus cui omnia vivunt* &c. Deinde Cantor incipiat ℟. *Ne recorderis*. Interim Sacerdos, ut supra, aqua benedicta defuncti corpus aspergat, & incenset. Finito ℟., Sacerdos cantando dicat: *Kyrie eleison*: *Pater noster* &c. *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Fac quæsumus* &c. Deinde incipiat Cantor ℟. *Libera me Domine* cum suis versibus, post quos repetatur a capite. Interim Sacerdos aqua benedicta defuncti corpus aspergat, & incenset. Finito ℟., Sacerdos cantando dicat: *Kyrie eleison*, ut supra, *Pater noster*: *Requiem æternam*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*: *Absolve quæsumus Domine* &c. Statim accipientes feretrum monachi has sequentes, dum pergunt ad sepulchrum, cantent antiphonas: antiphona: *In paradisum* &c.: *Chorus Angelorum* &c. Cum autem perventum fuerit ad sepulcrum, deponatur feretrum juxta illud, & Sacerdos stans ante sepulcrum, expletis prius antiphonis, absolute hanc decantet orationem: *Deus qui fundasti terram* &c. Asperso denique aqua benedicta, ac incensato defuncti corpore, & sepulcro, deponatur defunctus in sepulcrum supinus capite ad Occidentem, & operiatur humo. His peractis, in persona defuncti, cantantur ab utroque choro hæ antiphonæ cum suis psalmis; antiphona: *Aperite mihi* &c. Ps. *Confitemini*, qui dicitur Dominica ad Laudes; antiphona *Ingrediar* &c. Ps. *Quemadmodum* antiphona: *Hæc requies mea* &c. Psal. *Memento* &c.; antiphona: *De terra formasti*. Psal. *Domine probasti*; antiphona: *Omnis spiritus*: Ps. *Laudate Dominum de cœlis*. ℣. *Audivi vocem*. ℟. *Beati mortui*. Ad Benedictus antiphona: *Ego sum resurrectio* &c. Canticum *Benedictus*. Interim dum istæ Laudes a choro dicuntur Sacerdos adstantibus sibi ministris subscriptas supra sepulcrum legendo dicat orationes: *Oremus fratres charissimi* &c. *Oremus*: *Deus cui omnia vivunt* &c. *Oremus*: *Temeritatis quidem est* &c. *Oremus*: *Opus est misericordiæ* &c. *Oremus*: *Debitum humani corporis* &c. *Oremus*. *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori* &c. His orationibus, & Laudibus expletis, Sacerdos aqua benedicta tumulum aspergat, & incenset, imponendo alta voce: *Pater noster*: ℣. *Non intres* &c. ℣. *A porta inferi* &c. ℣. *Requiescat in pace* ℣. *Domine exaudi orationem*. *Dominus vobiscum*. *Oremus*; *Satisfaciat tibi quæsumus Domine* &c. ℣. *Requiem æternam* &c. *Requiescat in pace*, *Amen*. *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*. ℟. *Amen*. Prædictis omnibus rite peractis, statim eo ordine quo venerant, monachi ad chorum redeant, cantantes ℟. *Memento mei Deus*, Finito ℟. Sacerdos una cum ministris stans in medio chori ante altare cantando imponat: *Pater noster*: *Requiem æternam* &c. *A porta inferi* &c.: *Requiescant in pace*: *Domine exaudi*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Tibi Domine commendamus* &c. ℟. *Amen*, & completum est.

Ex Ordinario Cartusiensium capite 34.

LXIII. (III.) „ Infirmo vero defuncto statim dicentur quinque sequentes psalmi: *Verba mea*: *Domine ne* 1. *Dilexi*: *Credidi*: *De profundis*. Sequitur: *Pater noster*; & subdit Sacerdos cum stola: *Et ne nos*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*; & orationem: *Deus cui proprium*, in qua, si qui mortuus est, fuerit ad sacerdotium promotus, additur: *famuli*, & *Sacerdotis tui*. Quibus expletis, si tempus non fuerit aliis Religiosis rursum convocandis opportunum, præsentes psallendo congruam expectent horam, qua conventus possit convocari.

LXIV. (IV.) „ Sciendum est autem ab hora, qua contigerit infirmum mori, usque ad sepulturam ejus, deputandos esse a Præsidente monachos, & Conversos, qui alternatim bini, & bini (ubi adest eorum copia) corpus defuncti custodiant, circa illud psallentes, & orantes. Porro, qui primi vigilant, Completorio pulsato, dicunt Completorium utrumque circa corpus, & ante pulsum Matutinarum possunt dicere Matutinas B. Mariæ, & diei, & quod superest temporis, expendunt in psalterio dicendo, usque ad secundum pulsum matutinarum. Inceptis autem matutinis vadunt dormitum: quæ dum cantantur, nulli monachi vigilant circa corpus, si tunc in ecclesia positum sit, sed qui postea vigilaturi sunt, excitari, & esse in ecclesia debent, antequam conventus exeat, ubi dicunt circa corpus utrasque Matutinas & utramque Primam, ac de psalterio, quantum possunt; donec vel ipsi, vel alii missas celebrent, aut inchoetur officium sepulturæ.

LXV. (V.) „ Post hæc hora congrua, quæ nec divino officio celebrando, nec communi refectioni, nec nocturnæ dormitioni sit deputata, iterum convocantur, & conveniunt omnes, tam monachi, quam Conversi, quantum fieri potest, atque ad cellam defuncti, vel in ecclesia in choro monachorum, aut alio in loco juxta consuetudinem domorum, agendam integram cantant monachi, Cantore hebdomadario eam incipiente, & nocturnis dicendo: *Dirige*; postea *Exultabunt*; & ad postremum *Placebo*; & in hac agenda non flectimus genua, etiamsi in horis illius diei essent flectenda, cui si quis non interfuerit, eam per se tenetur persolvere, nec cuiquam computatur ex brevibus septimanæ illius.

LXVI. (VI.) „ Porro hujus agendæ orationes sunt: prima propria defuncto, secunda pro tricennario currente, tertia: *Fidelium*: Si tamen eo die fiat officium de anniversario, aut tricennario inchoando, aut alio officio defunctorum; tunc dicatur in agenda defuncti secunda oratio pro tali officio, & tertia pro tricennario currente.

LXVII. (VII.) „ Interim dum hæc agenda dicitur, defuncti corpus (si ante non potuit) abluitur, ubi est consuetum, & induitur, si monachus fuerit, cilicio, tunica, caligis, pedulibus, cingulo canabino, & cuculla; & novitius similiter, sed cum cuculla novitii, & sine cappa: Frater autem Conversus, & donatus induitur tunica, caligis, pedulibus, cingulo, & caputio. Omnia autem prædicta sepeliendorum indumenta honesta sint, saltem non detrita valde. Sic indutus imponitur feretro, & cilicino tegumento, vel panno nigro cooperitur.

LXVIII. (VIII.) „ Expleta autem agenda, Sacerdos, qui officium sepulturæ exequitur, accedit ad corpus a dextris ejus in medio. Procurator autem, vel is, qui vice illius thuribulum ministrat, hic, & per totum officium sepulturæ stat a dextris Sacerdotis, ac incensum in thuribulum ponit, & illud Sacerdoti ministrat. Sacerdos vero primo aspergit aqua benedicta corpus defuncti, deinde accepto thuribulo thurificat semel ad crucem, quæ ad caput defuncti ponitur, & semel ad corpus; & dicit: *In memoria æterna erit justus*; *Ne tradas bestiis*: *Ne intres in judicium*: *Dominus vobiscum*; *Oremus*. *Deus cui omnia vivunt*: *Per Dominum*.

LXIX. (IX.) „ His expletis, defuncti corpus, nisi prius jam delatum sit, fertur ad ecclesiam; præcedentibus, qui portant aquam sanctam, cereum accensum, crucem, & thuribulum. Et quidem aqua sancta, & cereus a Conversis deferantur, & ubi pauci sunt Conversi, unus potest portare simul cereum, & aquam: Ubi autem pauci, & nulli sunt Conversi, Laici eorum supplent vices. Verum crux portatur a Novitio, seu ultimo, & in XL. cooperitur: Thuribulum autem deferre Procuratoris est. Post hos sequitur Sacerdos cuculla toga ecclesiastica, stolaque nigra, & librum officii manu ferens:

„ Dein-

Deinde sequuntur antiquiores, & ceteri per ordinem cantantes coopertis capitibus psalmum: *Beatus vir*, cum sequentibus quantum tempus permittit, donec veniant ad introitum ecclesiæ; postea sequuntur, qui portant Corpus, Conversi scilicet aliquot, aut si desint, eorum loco Laici; tandem reliqua familia, tam Conversi, quam alii.

LXX. (X.) „ Cum autem Corpus est ad introitum ecclesiæ, statim intermissa psalmodia, Cantor incipit alta voce ℟. *Credo, quod Redemtor*, & absque ulla mora, ante depositione corporis ad portam chori Conversorum, defunctus in eodem choro collocatur, cum cruce ad caput ejus posita, cereo ardente ad pedes ejus, & aqua benedicta ad latus dextrum. Et si plures simul essent defuncti, nihilominus unicus cereus ad pedes eorum ponetur, & crux ad caput inter eos. Sacerdos autem stat a dextris feretri in medio, & a dextris Sacerdotis Procurator cum thuribulo, conventus autem hinc & inde stat. Singulis juxta chorum suum dispositis, ℟. *Credo* cum ℣., & partis repetitione finito, cantatur *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison*; & incipit Sacerdos: *Pater noster* alta voce, & aspergit corpus & thurificat crucem, & corpus, & subdit: *Et ne nos inducas: A porta inferi: Nihil proficiat: Ne intres: Dominus vobiscum*, *Oremus: Suscipe Domine animam* &c. Nec tunc continuatur alia ℟., nisi ex aliqua caussa immediate tunc mortuus esset sepeliendus. Ex tunc etiam, & quandiu in ecclesia defunctus præsens est, portæ chori semper apertæ manent.

LXXI. (XI.) „ Cum Conversus defunctus a domo inferiori, aut aliunde apportatur in domum superiorem, ponitur ante portas ecclesiæ: Et collocatur crux ad caput, & lumen ad pedes; & convocato, ac præsente conventu, Prior induens cucullam ecclesiasticam cum stola exit ad eum, remanente conventu in choro Conversorum, & aspergens eum aqua sancta, ac thurificans crucem, & corpus, incipit alta voce: *Pater noster: Et ne nos inducas: In memoria: Ne tradas: Ne intres: Dominus vobiscum*, *Oremus*: *Deus cui omnia vivunt*. Finita oratione, & responso *Amen*, Prior intrant in ecclesiam, & post eum statim corpus introducitur, & cantatur ℟. *Credo*, ut supra.

LXXII. (XII.) „ Posito autem in ecclesia in choro Conversorum defuncto, & cantato ℟. *Credo* cum precibus, & oratione: *Suscipe Domine*; si Missa pro eo nondum statim est cantanda, aliqui a præsidente ad custodiam corporis deputantur, qui circa illud psallant, & orent, sicut dictum est. Si vero statim Missa sit dicenda, primo fit bina pulsatio pro Missa; & Sacerdos ad gradum altaris facit orationem: ceteri autem Religiosi pergunt ad sedes suas singuli in choro suo: Indutoque Sacerdote, tertia fit pulsatio; & sic Missa inchoatur: cunctis tam Religiosis, quam Conversis, quantum fieri potest, præsentibus.

LXXIII. (XIII.) „ In hac autem Missa dicuntur orationes tres: prima propria defuncto, secunda pro tricenario currente, & *Fidelium*. Si autem præcedenti die dicta sit a conventu agenda anniversarii, aut tricenarii inchoandi, aut proprii cujusdam pro defunctis officii, additur in Missa præsentis mortui secundo loco oratio pro præcedenti officio, & tertio loco oratio pro tricenario currente cum oratione: *Fidelium*. Quemadmodum in omnibus Missis defunctorum eodem die ex debito persolvendis oratio præsentis mortui secundo loco dici debet.

LXXIV. (XIV.) „ Si statim post hanc Missam sepeliendus sit mortuus, accedit conventus, & stat juxta corpus hinc inde, Sacerdos etiam indutus alba cum stola, & manipulo accedit ad corpus, & stans a dextris contra medium feretri, incipit alta voce: *Pater noster*, & aspergit corpus, thurificatque crucem, & corpus; & subdit: *Et ne nos*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*; *Deus vitæ dator*. Deinde Cantor incipit ℟. *Credo*, & alia duo ℟. cum precibus, & orationibus subjunctis, prout in breviariis nostris continentur. Et post singula ℟. dicto: *Kyrie eleison: Christe eleison: Kyrie eleison*, Sacerdos incipit alta voce: *Pater noster*, & aspergit corpus, thurificatque ad crucem, & corpus antequam dicat: *Et ne nos inducas*. Si autem non statim post Missam sepelitur defunctus, is qui facit sepulturæ officium induendus est cuculla tantum ecclesiastica cum stola: Cetera autem facit, ut supra.

LXXV. (XV.) „ Finitis ℟., & orationibus incipitur a Cantore psalmus: *In exitu Israel*; & statim defunctus eo ordine ad sepulcrum portatur, quo fuit ad

ecclesiam allatus; monachis coopertis capitibus prædictum psalmum cantantibus cum his sequentibus: *Miserere mei Deus*: *Confitemini*: *Quemadmodum*: *Memento Domine*: *Domine probasti*: *Inclina*: *Laudate Dominum de cælis*: *Benedictus Dominus Deus Israel*: *Magnificat*, cum *Requiem* in fine cujuslibet psalmi.

LXXVI. (XVI) „ Cum ventum est ad sepulcrum, qui crucem portat, stat ad caput sepulcri, tenens imaginem crucifixi versus sepulcrum. Sacerdos autem in dextra parte juxta crucem, & qui portant aquam & thuribulum, a dextris ipsius Sacerdotis. Tumque incipit Sacerdos submissa voce: *Pater noster*: *Et ne nos*: *A porta inferi*. *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Tibi Domine commendamus*, cum sua conclusione. Tunc benedicit fossam, dicens: *Deus qui fundasti terram*. Deinde aspergit fossam, & thurificat crucem, & fossam; tuncque deponitur corpus in ea, & Sacerdos primus ponit terram: & dum operitur, Sacerdos ceteris Religiosis prædictos psalmos canentibus, submissa voce dicit: *Dominus vobiscum*, *Oremus*: *Obsecramus*: *Deus apud quem*: *Oremus fratres*: *Deus qui justis*. *Debitum humani*: *Temeritatis quidem*: *Omnipotentis Dei*: *Inclina Domine, ut animam famuli tui*: In qua ultima oratione, si defunctus Sacerdos fuerit, additur: *Et Sacerdotis*. Dicitur autem *Oremus* ante quamlibet orationem, & quælibet suam habet conclusionem: Respondetur vero Sacerdoti in his, atque præcedentibus ab his, qui ferunt crucem, thuribulum, & aquam.

LXXVII. (XVII.) „ Orationibus, & psalmis pariter expletis, incipit Sacerdos alta voce *Pater noster*, & aspergit tumulum. Sequitur: *Et ne nos*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*; & orationes: *Tibi Domine commendamus*, & *Deus cujus miseratione*; quarum quælibet suam habet conclusionem. Quibus finitis, Sacerdote aspersorium tenente, & cœmeterium aspergente, hoc ipso ordine quo venimus, redimus a tumulo, capitibus coopertis cantantes psalmum: *Miserere mei Deus*, & etiam *De profundis*, si opus sit. Quo in ecclesia finito, conventu super misericordias inclinato, Sacerdos ad lectorium stans dicit: *Requiem æternam dona eis Domine*: *Pater noster*: *Et ne nos*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Fidelium*: *Requiescant in pace. Amen*.

LXXVIII. (XVIII.) „ Post hæc Sacerdote præcedente, exeuntes de ecclesia convenimus in claustrum, ibique Prior stans, ceterisque cum eo stantibus, nudataque capita habentibus, sequentem facit deprecationem: *Dominus vobiscum*. *Oremus*: *Absolve Domine animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis tuæ gloria inter sanctos tuos resuscitatus respiret*: *Per Christum Dominum nostrum*. *Amen*. *Requiescat in pace*. *Amen*.

LXXIX. (XIX.) „ Deinde dicto: *Benedicite*, sedet, ceterisque pariter sedentibus, commendans defunctum, brevem facit exhortationem. Qua finita, injungit Vicario, vel Sacristæ describere in Calendario conventuali anniversarium defuncti, qui describendus est in die obitus ejus, si ante Completorium obierit; alioquin sequenti die. Injungit etiam prior Procuratori mittere brevem ad alias domos, nisi jam missus sit. Procurator autem sit sollicitus, quantocius poterit, mittere brevem defuncti ad domos ordinis, & maxime ad domum suæ professionis, & eidem associatur: Et ad domos in quibus fuit Prior, vel Vicarius monialium, ut monachatus, quem in illis domibus habet, cito persolvatur. Et mittendo illum brevem ad dictas domos, designet diem obitus defuncti, ut anniversarium ejus perpetuum, quod habet in illis domibus, describi possit in calendariis conventualibus dictarum domorum.

LXXX. XX.) „ Post prædicta Prior, si videat expedire, Conversis in suum capitulum convocatis, aliam facit exhortationem de statu nostri consideratione. Et sic completur officium sepulturæ.

LXXXI. (XXI.) „ Si contingat duos, vel plures esse simul sepeliendos, pro eis una duntaxat agenda, & unica Missa dicetur, & preces, & orationes dicentur in plurali; & simul in una fovea sepelientur.

LXXXII. Brevius Statuta Guigonis, & etiam paullo aliter, ex quibus hic subjicio caput 13. *Quomodo tractandus sit, qui moritur*.

LXXXIII. „ Cum jam mori videbitur, ab his, qui ei serviunt, signo dato, postposita omni occasione, currunt cuncti, nisi cum divinum in ecclesia contigerit officium celebrari; tunc autem Prior, vel cui ipse injunxerit, cum duobus, aut tribus ad morientem festinat, depositoque eo super benedictum cinerem, letaniam,

pro ut

„ pro ut res patitur, longam, vel brevem faciunt; sequitur: *Pater noster*, & preces: *Salvum fac*: *Esto ei*: *Nihil proficiat*; deinde oratio hæc: *Misericordiam tuam*. Post hanc quinque psalmi: *Verba mea*: *Domine ne in furore* primus. *Dilexi quoniam*: *Credidi*: *De profundis*: *Pater noster*: *A porta inferi*: Oratio: *Deus cui proprium est*; exinde agenda plenaria, cum Laudibus, & Vesperis; post hanc psalterium. Interea defunctus abluitur, & induitur; Monachus cilicio, & cuculla, & caligis, & pedulibus; Laicus tunica, & capitio, caligis, & pedulibus. Inde imponitur feretro, & intermissa psalmodia, dicit Sacerdos: *In memoria æterna*: *Ne tradas bestiis*: *Ne intres in judicium*; post hæc orationem istam: *Deus cui omnia vivunt*. His expletis, fertur in ecclesia, & cantatur R. *Credo, quod Redemptor*; post hæc dicit Sacerdos: *A porta inferi*: *Nihil proficiat*; *Ne intres*. *Oremus*: *Suscipe Domine animam*. Posito autem in ecclesia defuncto, repetitur psalmodia, ubi fuerit intermissa, & hoc omnino procuratur, ut duo ad minus psalteria dicantur; unum in ecclesia, & alterum in cellis cum veniis, si vero de eo, quod in ecclesia dicendum est, restiterit aliquid, redditur in cellis; nam si tempus permittit, eadem die, non tamen nisi post Missam pro eo cantatam sepelitur. Sin autem; servatur in crastinum, noctemque ipsam Monachi cum Laicis, & pro sui numero, & pro ipsius quantitate dividunt, circa corpus psalterium frequentantes. In crastino autem Missa cunctis præsentibus cantata, sepelitur hoc modo. Stat chorus juxta corpus, & dicit Sacerdos: *Pater noster*; precem; *A porta inferi*; Oratio: *Deus venia dator*; R. *Credo quod Redemptor*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: precem: *Ne intres*. Oratio: *Deus qui animarum*: R. *Ne abscondas me*: *Kyrie eleison*: *Pater noster*: precem: *Ne tradas bestiis*: Oratio: *Non intres in judicium*: R. *Ne intres*: *Kyrie eleison*, *Pater noster*: precem: *Requiem æternam*: Oratio: *Fac quæsumus Domine*. Tunc portatur ad tumulum cum his psalmis: *In exitu Israel*: *Miserere mei Deus*: *Confitemini*: *Quemadmodum*: *Memento*: *Domine probasti me*: *Inclina*: *Laudate Dominum de cælis*: *Benedictus Dominus Deus Israel*: *Magnificat*. Cum ventum est ad sepulcrum, dicit Sacerdos: *Pater noster*: *A porta inferi*. Oratio: *Tibi Domine commendamus*. Tunc benedicit fossam, & aspergit aqua sancta, & thurificat; deinde ponitur corpus in ea; & dum operitur, dicit Sacerdos orationes ipsas, ceteris prædictos psalmos cantantibus: *Obsecramus*: *Deus apud quem*: *Te Domine*: *Oremus fratres*: *Deus qui justis*: *Debitum humani*: *Temeritatis quidem*: *Omnipotentis Dei*: *Inclina Domine*. Quibus pariter, & psalmis expletis, sequitur *Pater noster*, & orationes: *Tibi Domine commendamus*, & *Deus cujus miseratione*; dehinc a sepulcro redeunt cantantes: *Miserere mei Deus*, & in ecclesia hac oratione totum complent officium: *Fidelium Deus*.

LXXXIV. His ex omnibus colligere debemus 1. veteres monachos, ut primum aliquis frater obierat, statim eum absolvisse, & ejus animam Deo commendasse, idque sive in ipso defuncti cubiculo, sive in capitulo, pro monasteriorum more.

LXXXV. Secundo, absoluto defuncto, corpus ejus lavisse; quod præstabant quatuor fratres in albis; ex collectaneo S. Petri supra Divam, & quidem ejusdem cum defuncto ordinis, hoc est Sacerdotes, si Sacerdos esset; Diaconi, si Diaconus; Subdiaconi, si Subdiaconus, &c., psalmosque interim continentes ex Udalrico l. 3. c. 29. „ (Inter lavandum, inquit, lavatores, quotquot sciunt „ psalmos, non cessant a psalmodia, & Sacerdos dicit „ hanc collectam: *Suscipe Domine animam servi tui*.) Lavabantque in loco ad id destinato. In monasterio S. Theoderici prope Remos, juxta sacellum infirmorum in magno lapide concavo defunctorum corpora a fonte ibidem propius manante abluebantur, ex historia MS. ejusdem monasterii p. 449.

LXXXVI. Lavari autem defunctorum corpora non solum apud Monachos; sed etiam apud reliquos Christi fideles, mos est antiquissimus, quem videre est apud Sanctum Gregorium Papam homilia 38. in Evangel., ubi agens de Tarsilla quadam. (Cum corpus ejus, inquit, „ ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum &c.) & in vita Sancti Amandi, authore Baudemondo, c. 12. sæc. 2. „ (Adveniente itaque matutinali tempore, convocatis fratribus, aquam jussit afferri; illis autem suspicantibus, ut corpus ad sepeliendum, *sicut mos est*, „ abluere deberet, subito cellulam ingressi viderunt eundem hominem, quem mortuum reliquerant, sanum.) Veteres tamen Ægyptii defunctorum corpora pigmentis variis, & aromatibus condiebant, quod itidem in more fuisse apud Judæos, patet ex Evangelio, ubi de Christo. Idipsum etiam de nostrorum nonnullis sanctis legimus: In primis de S. Bertilla Abbatissa Calensi, cujus „ (beatum corpusculum balsamo perunctum condiderunt in sepulcro,) teste Anonymo in ejus vita n. 3. sæc. 3. Ita S. Humberto defuncto, „ (corpus sanctissimum discipuli ejus aromatibus condientes detulerunt ad oratorium, quod ipse construxerat, cum hymnis & psalmis, ibique sepelierunt eum in magna gloria.) Similiter & S. Guillelmi Abbatis Divionensis in monasterio Fiscamnensi defuncti, tom. 1. Spicil. „ (corpus a medicis, qui ibi „ aderant, conditum aromatibus honorifice traditum est „ sepulturæ in ipso monasterio ante altare Sancti Taurini Confessoris,] ut legimus in chronico Sancti Benigni. His accedit Chron. Centulense l. 4. c. 32., ubi de Nitardo Abbate hæc leguntur: „ (In eodem, quo pausaverat, sarcophago invenit lecticam ligneam coriatam „ Domni Nithardi filii ejus Abbatis, & comitis corpus „ continentem *sale perfusum*.) Vide vitam S. Hugonis Abbatis n. 29. auctore Raynaldo apud Boll. 29. April. Sed hujusmodi condimenta reprobabat S. Ephræm Diaconus, & monachus, cujus in testamento hæc feruntur: „ (Si „ quis autem mirrha me condierit, hujus pars in ardentem „ fornacem, & in gehennæ ignem erit: verum in mea me „ tunica, & pallio deponite, quibus quotidie utebar, & „ induebar.)

LXXXVII. Tertio, lotum vestibus monasticis induisse. 1. Hujus ritus antiquitas patet ex vita Sancti Pauli primi Eremitæ, cujus corpus a S. Antonio pallio sibi ab S. Athanasio tradito obvolutum est, teste S. Hieronymo; ex vita S. Hilarionis, in qua Hesychius quidam furatus fuisse dicitur corpus illius, & Majumam translatum in antiquo monasterio transtulisse: „ (Illæsa tunica, cuculla, & pallio, & toto „ corpore, quasi adhuc viveret, integro;) Ex vita Sancti Pachomii, qui cujusdam fratris funeri obviam factus „ [præcepit defuncti vestimenta splendida, quibus indutus „ erat, auferri, quæ coram omnibus fecit exuri.] Ex testamento S. Ephræm modo citato, & ex actis S. Ordinis Benedictini passim.

LXXXVIII. Circa hunc ritum notandum in primis, quod in Patrum Apophtegmatis a Johanne Baptista Coterio editis legitur in Abbate Phoca, monum. Eccles. græc. p. 703. „ (Solent quippe Ægyptii Patres Levitonem, in „ quo sanctum habitum sumpserunt, nec non cucullam „ usque ad mortem servare, & cum illis sepeliri, gestantes solummodo die Dominica ad sanctam communionem, statimque post contrahentes.) Idem & a nostris usitatum fuisse discimus ex Petri Boherii primo commentario super Regulam S. Benedicti, in cap. 55. ad verbum: *Scapulare*, ubi hæc scribit: „ (Illud insuper scapulare benedicitur ab Abbate, quando monachus profitetur: apud nos vero cuculla, vel floccus solum benedicitur, qui vel quæ per aliquos ad suam sepulturam „ reservatur.) Aliquamque hujus rei praxim videre est in vita S. Bertulfi Abbatis Renticensis n. 40. sæc. 3. part. 1. p. 61. Referunt S. Amalbergæ scrinio, „ (visum „ eo cernere omnem pene virginei corporis Christi Amalbergæ pulverem, & plures castissimorum ossium ejus particulas, una cum vestimentis ejus, de peplo, paraqua, & baculo, cilicio etiam, & sacrato pretioso operis, „ colorisque velo; *velo, inquam*, quo divinitus per Beatum Willibrordum, Sanctamque Gertrudem legitur velata, Deoque consecrata.)

LXXXIX. Deinde notandum ita composita fuisse defuncti corporis indumenta, ut nulla ejus pars nuda circumstantibus appareret; unde & sudario vultum illius operiebant, ut patet tum ex relatis Statutis Lanfranci, consuet. Clun., & S. Benigni; tum ex vita S. Ethildritæ n. 27. n. 50. sæc. 2. p. 763., ex vita S. Corbiniani n. 36. sæc. 3. part. 1. p. 515., tum denique ex epistola Indensium monachorum de obitu S. Benedicti Abbatis Anianensis, quæ ejus vitæ subjicitur sæc. 4. part. 1., quare singulare est illud, quod de S. Stephano Abbate Obazinensi legitur in ejus vit. l. 4. n. 7. tom. 4. Misc. Baluz. „ (Et quia „ totus Sacerdotalibus erat opertus, sola manus osculanda „ cunctis patebat.)

XC. Præterea notandum, vestes mortuorum ex eodem extitisse panno, quo vivi utebantur; & tamen „ [Beatus Humbertus depositionis suæ diem prænoscens, lineas vestes ad usus exsequiarum suarum ab ipsa virgine „ (S. Aldegunde) postulavit,) ut habent ejus acta n. 3. sæc. 2.

XCI. Notandum insuper eos, qui sacro aliquo ordine initiati essent, cum aliquo ordinis sui signo sepultos fuisse, hoc

hoc est cum stola, aut veste Sacerdotali, ut infra demonstrabimus, patetque ex libro Miraculorum Sancti Wulframni n. 2., ex vita Sancti Wunebaldi n. 20. sæc. 3. part. 2., & ex chronico Sancti Benigni, in quo refertur tom. 1. Spic. p. 435. quod cum sub Sancto Guillelmo Abbate Divionensi S. Benigni construeretur ecclesia nova, „ (Domini Argrini Pontificis, ac Monachi *Sacerdotalia* „ cum cucullo, nec non interiore cilicio, vestimente in „ testimonium ipsius sanctimoniæ, incorrupta sunt reperta.)

XCII. Denique præter vestes, quibus induebant mortuos, integra eorum corpora sindone obvolvebant, ut colligitur ex Cummeneo albo in vita S. Columbæ Abbate Hiensi num. 23. sæc. 1., cujus „ (Sanctum corpus „ mundis involutum sindonibus cum debita veneratione „ humatur;) Ex vita S. Ethildritæ c. 29. sæc. 2., ubi de Translatione ejus: „ (Linteamina vero omnia, quibus involutum erat corpus venerabile, ita integra ep„ paruerunt, &c.) Ex actis S. Humberti, cujus corpus cum anno 153. ab ejus depositionis die a tumulo levatum fuisset, „ (Linteamina, quibus involutus exsequiarum tempore fuerat, nihil corruptionis in se habere „ omnibus paruerunt, &c.) n. 8. sæc. 2. ex Beda in vita S. Cuthberti c. 37., ubi hæc ejus verba refert: „ (Est „ autem ad aquilonarem ejusdem oratorii partem sarco„ phagum terræ cespite abditum, quod olim mihi Cudda „ Venerabilis Abbas donavit; in hoc corpus meum reponite, involventes in sindone, quam invenietis istic „ nolui quidem ea vivens indui, sed pro amore dilectæ „ Deo feminæ, quæ hanc mihi misit, Verææ videlicet „ Abbatissæ, ad obvolvendum corpus meum curavi.) Denique ex Othlono in vit. S. Bonifacii lib. 2. c. 21. sæc. 3. part. 2. ubi inter alia ejusdem ad S. Lullum monita istud habetur: „ [Et linteum, quo istud decrepitum cor„ pus post obitum meum involvatur, in theca librorum „ meorum repone.)

XCIII. Tandem non solis monachis singulare exsitit mortuos vestitos sepelire, cum priscis Christi fidelibus id fuerit commune; testante S. Hieronymo, cum sub finem vitæ Sancti Pauli primi Eremitæ quosdam increpans ait: *Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus*; & S. Gregorius Nissenus de sorore sua Macrina: (Nunc quidem, *inquit*, in„ vidiosum non erit, si defunctæ splendidiorem adjecerimus „ ornatum, & purum illam, immaculatamque carnem cla„ rioribus vestimentis induerimus.) Nonnulli tamen solis linteis obvolvebant, ut patet ex vita S. Antonii, authore S. Athanasio cap. 57. „ (Mos Ægyptiis est, nobilium, & „ præcipue beatorum Martyrum corpora linteamine obvol„ vere;) & ex S. Hieronymi epistola 49. de muliere septies icta, „ (clerici, quibus id officii erat, cadaver cruen„ tum linteo obvolvebant.)

XCIV. Porro sive sæculares, sive monachi super defuncti feretrum velum expandebant. De sæcularibus quidem luculentum habemus testimonium apud Severum Sulpitium in vita S. Martini l. 1., ubi agit de funere gentilis cujusdam hominis, cujus cum corpus ad sepulcrum deferretur, *agente vento linteamina corpori superjecta volitarent*. De monachis vero vide vitam S. Agili Abbatis Resbacensis c. 27. sæc. 2. p. 325.

XCV. Quarto, continuam circa defunctum psalmodiam a toto conventu actam fuisse; qui tamen nocte in duas, tresve turmas distribueretur: quem ritum probat vita S. Aredii Abbatis, sæc. 1. p. 552., quo post secundam noctis horam defuncto, & ejus „ (corpore ex more compo„ sito, atque in feretro collocato, totam in psalmis, & „ hymnis pervigilem beati Magistri deduxere discipuli no„ ctem; Vitæ S. Ebrulfi Abbatæ n. 24. sæc. 1. p. 359. quem mortuum „ (fratres cum magna reverentia in ec„ clesia deportaveret, diebus tribus, & noctibus hymnos „ & laudes Deo canentes, sanctum illius corpus diligenter „ visi sunt custodisse, expectantes conventum servorum „ Dei;) Vita S. Anselmi Abbatis Nonantulensis n. 8. sæc. 4. part. 1., quo defuncto „ (flentes fratres, & „ psallentes super Beati viri corpus, totam illam diem, „ & sequentem noctum in ejus exequiis perdurantes „ usque ad horam alterius diei sextam, condiderunt „ illud in marmoreo lavello (idest vase) infra orato„ rium Beatæ Dei Genetricis;) Vita S. Popponis Abbatis Stabulensis, num. 62. apud Boll. 25. Januarii. „ (O„ ratorio deinde exponitur, nox illa cum precibus usque „ jam in crepusculum lucis pro eo transigitur;) Vita Sancti Stephani Abbatis Obazinensis l. 3 num. 3. tom. 4. Miscell. Baluz. „ (corpus ejus ex more composi„ tum, & sacerdotalibus indutum, quantum noctis su„ pererat, in ecclesia est observatum, omnibus fratribus „ cum quibusdam Abbatibus, qui convenerant, devote „ flantibus, & vigilias cum cereorum apparatu solemni„ ter eorum eo agentibus.) His accedit Regula Sancti Aureliani utraque ad Monachos, & Virgines: „ [Quan„ do aliquis defunctus fuerit, usque media nocte cum pau„ ci fratres in oratorio pervigilent, & Missas faciant; „ post mediam noctem qui vigilaverunt, quiescant, & „ iterum alii vigilent. Et certe prægrandes vigilias cir„ ca defunctum innuit Herbertus lib. de mirac. cap. „ 13.)

XCVI. Quinto, notandum nullum ante defuncti sepelitionem permissum fuisse in claustro colloquium, nec cuiquam monasterio egredi licitum; immo omnes absentes infra quinque leugas convocatos fuisse, vel saltem infra duas, pro diverso monasteriorum more.

XCVII. Sexto, ex communi monasteriorum usu sepulturæ obsequium defunctis post Missam præstitum fuisse, ut patet ex Breviario Cassinensium, Concordia Dunstani, Benignianis, & Cluniac. consuetudinibus; confirmaturque ex vita S. Rusticulæ Abbatissæ sæc. 2. p. 146., quæ a Theodosio Episcopo, & a toto Clero extra monasterium in basilica S. Mariæ ad dextram partem altaris post celebrata sacri altaris mysteria sepulta legitur; ex vita S. Appiani Ticinensis monachi in app. ad sæc. 3. p. 553., cujus corpus Episcopus „ (debitis obsequiis lavit, *& celebrato* „ *decenter Missæ officio*, sepelierunt in arca saxea juxta „ ecclesiam S. Gervasii Martyris.;) ex vita S. Popponis Abbatis Stabulensis n. 63. apud Boll. 25. Jan.: „ (Sepul„ tura mox post Missarum solemnia illi in medio cryptæ, „ ubi ipse vivus elegerat, aperitur; atque ibidem id offi„ cii non sine Angelica præsentia peragitur.) Denique ex vita S. Stephani Abbatis Obazinensis tom. 4. Misc. Baluz. „ (Itaque feria quarta hebdomadæ secundæ Quadragesi„ mæ *dicta generali Missa*, & a cunctis Abbatibus, „ qui ex diversis partibus, vel ordinibus venerant, fa„ cta solemniter absolutione; nam Episcopus tunc in illa „ regione non erat: B. Viri corpus in capitulum tumu„ landum defertur, & in sarcophago lapideo colloca„ tur.)

XCVIII. Septimo, circa sepulturam ipsam notandum quod præscribitur in Rituali Ausonæ, ut scilicet omnes sint in *albis*; & ante ipsam novem absolutiones, a novem Sacerdotibus in cappis fiant.

XCIX. Octavo, commune monachis fuisse cœmeterium, in quo defunctorum corpora sepelirentur, quod confirmat Johan. Diaconus in vit. S. Greg. Papæ lib. 1. c. 20., probat Menardus noster in notis ad Concord. Regul. c. 15. §. 12. pag. 293.; peræque ex Regula S. Isidori c. 23. decernentis, ut „ (corpora fratrum, uno sepelienda sint „ loco, ut quos viventes caritas retinuit unitos morientes lo„ cus unus amplectatur.) Illud autem cœmeterium apud antiquos monachos extra monasterii claustra positum erat; hinc S. Pachomius in monte sepultus legitur; S. Benedictus in oratorio S. Johannis, quod extra monasterii ambitum constructum erat; & S. Johannes Abbas Reomensis sæc. 1. „ (sepultus est *haud procul* a cœnobio infra terminos „ monasterii loco, quem ipse prædixerat,) teste Anonymo in ejus vit. n. 14.

C. Idem patet ex vita S. Ebrulfi Abbatis n. 19., & 28. sæc. 1. Bened. ex vita S. Romani Abbatis Condatiscensis n. 9. apud Boll. tom. 3. Febr. p. 743.; ex vita S. Radegundis Reginæ, & Sanctimonialæ n. 27., & 28. sæc. item 1. ex vita S. Rusticulæ Abbatissæ Arelatensis n. 33. sæc. 2. ex vita Eligii Episcopi auctore S. Audoeno cap. 18. tom. 5. Spicil., qui S. Eligius Parisiis „ (ædificavit „ basilicam in honore S. Pauli ad ancillarum Dei cor„ pore sepelienda, cujus tecta sublimia operuit plumbo „ cum elegantia, qua in basilica, *inquit*, Beatus quoque „ Quintilianus jacet Abbas humatus;) ex vita S. Cuthberti authore Beda sæc. 2. in qua cujusdam *corpus defuncti fratris sepeliendum carro* delatum dicitur cap. 34. quod certe carro deferri necesse non foret, si intra monasterium sepeliendum esset; ex vita S. Bercharii Abbatis Dervensis, qui *sepultus est quadam loca extra cœnobium*, ut habent ejus acta n. 21. ex vita S. Bertini Abbatis Sithivensis c. 6. sæc. 3. part. 1., ubi dicitur, quod commodis omnibus monasterio suo perquisitis, cœmeterium parare non potuerit, nisi existens in palude, quare inito cum S. Audomaro consilio ille „ (fossa ambiens cœmeterium eidem „ cœnobio consecravit in prædicti collis vertice, constru„ cta in ejus medio basilica in veneratione S. Dei gene„ tricæ Mariæ, quam communi perfectam opere S. Ber„ tino, ejusque cœnobitis concessit integre anno 660. „ Incarnationis Dominicæ.) Extat ibidem S. Audomari carta donationis prædicti cœmeterii. Vide ejusdem S. Audomari vit. n. 14. in not. sæc. 2. p. 564., & lib. 1. Miracul. S. Bertini cap. 7.; ex vita S. Segolenæ Abbatissæ Trociarensis n. 32.

n. 32. in append. ad sæc. 3.; ex historia Translationis S. Glodesindis Abbatissæ Metensis n. 4. sæc. 4. part. 1., & ex vita ejus n. 7. sæc. 2. pag. 1090. ex vita S. Ursmari Episcopi, & Abbatis Laubiensis sæc. 3. part. 1., qui ædificatam a se „ (ecclesiam nequaquam passus pollui cadaveribus mortuorum, fecit aliam in honore S. Mariæ in „ montis vertice, cui subjacet prædictum monasterium, ubi „ cimiterium esset fidelium,] ut scribit Fulcuinus citatus in observat. præviis ad vit. S. Ursmari, vide vit. ab Ansone scriptam n. 10., & appendicem. Denique ex Litteris Odelrici Abbatis S. Michaelis ad Mosam ad Urbanum II. Papam tom. 4. Miscel. Baluz. „ (Fratres nostri morientes circa cœnobium nostrum non sepeliuntur, sed ad „ quamdam cellulam nostram, & in alto cacumine mon„ tis statutam a cœnobio longo milliario disjunctam, at„ que umbrosa nemoris densitate circumvallatam efferun„ tur ..... Quapropter Religiosis Abbatibus nostræ reli„ gionis visum est, ut circa ecclesiam nostram, quam no„ vam construximus sepulturam de cetero constituemus, „ & licet, sola Episcopi licentia possit fieri, nos tamen „ absque dulcedine vestræ authoritatis facere non acquie„ vimus.

CI. Postea vero translatum est cœmeterium infra monasterii ambitum, sed extra ecclesiam, & extra claustrum, cujus in medio parvum erat oratorium; hinc forte capiendus est locus ex vita Venerabilis Eigilis n. 20. sæc. 4. part. 1. p. 238., qui, ut scribit Candidus, „ [ecclesiam parvam „ ædificavit rotundam, ubi defunctæ corpora fratrum se„ pulturæ tradita requiescunt, quam cimiterium vocant; „ (quam in locum Mabillonius noster:) Oratorium San„ cti Johannis in cœmeterio fratrum itidem construi jussit „ Benedictus Abbas Anianensis sup. in vit. num. 39., & „ hic mos ordinis nostri erat, ut peculiare cœmeterium „ haberetur cum sacello extra claustrum.) In delineatione monasterii Sancti Galli, quale erat Ludovici Augusti temporibus, habetur quidem cœmeterium extra claustrum, sed cum sola cruce in medio, sine oratorio, monasterii muris inclusum. In Floriacensi S. Benedicti cœnobio cimiterium ad orientalem ecclesiæ partem situm erat, ut colligimus ex Aimoino l. 2. n. 4. In Parisiensi S. Germani ante primariam ecclesiæ portam, quod inde conjicimus, quod his nostris temporibus in novæ ædificiorum constructione plurima ibidem reperta sint in sarcophagis gipsis, seu lapideis defunctorum corpora. Ita etiam Framnoaldus Longoreticus monachus ad limen ecclesiæ S. Petri sepultus legitur in visione Baronti n. 11. sæc. 2. De cimiterii Obazinensis monasterii situ hæc legimus in vita S. Stephani Abbatis: „ (feria VI. ante passionem Basi„ licæ fundamenta aperiri cœperunt, prius ab Episcopo „ Domno Gerardo in circuitu loci cimiterio consecrato.)

CII. Successu vero temporis in claustro sepeliri cœperunt monachi, cujus rei primum vestigium reperi in vita S. Walfridi Abbatis Palatioli in Tuscia n. 8. sæc. 3. part. 2., qui morti proximus ad fratres dixisse fertur: *In medio claustro monasterii ibi sepelite me*; & infra n. 14. de sanctimonialibus sub ejus disciplina viventibus ita legitur: „ [Illic in claustro sui monasterii, ut defuncta „ fuerit, sepelitur.) Idem videre est in vita S. Petri Urseoli num. 19., quem „ (celebratis Missarum solem„ niis ..... sepelivimus in claustro.] Sæc. 5. Bened.; & in vita S. Adelheidis Abbatissæ Vilicensis n. 25. apud Boll. 5. Febr., quæ „ (adhuc vivens in corpore ... roga„ vit, ut siquando a mundo transiret, Domino vocante, „ non in sacris locis, sed infra claustra monasterii tumula„ retur.) Obiit autem anno 1015. Ita etiam Giso Abbas Piscariensis anno 1125. Spicil. tom. 5. „ (sepultus est in clau„ stro a parte sinistra egredientibus de ecclesia,) sicuti & Leonas ejusdem monasterii Abbas anno 1182. teste Chronographo Piscariensi l. 3. p. 486., & 530. Similiter Hugo Abbas Corbejensis: *In claustro ingressu oratorii sepultus* dicitur in instrumento primo de petra S. Petri, scripto an. 1275. habeturque in appendice ad vitam S. Adalardi sæculo 4. part. 1. p. 375.

CIII. Aliquando insigniores monachi, & qui vitæ sanctimonia aliis præluxerunt, in ecclesia, sive in oratoriis sepeliebantur, ut de S. Vodoalo apud Suessiones monacho, & recluso sub finem sæculi VII. in primis legimus in app. ad sæc. 4. „ (corpus ejus ad monasterium puellarum est „ deportatum, ibique in basilica almæ Crucis dedicata ad „ sinistram partem a religiosis pollinctoribus in mauso„ leo positum honorifice est humatum;) & de Odelgario Centulensi monacho Hariulphus in chronici l. 4. c. 10. Spicil. tom. 4. „ (Reverendissimus vero Abbas Angelran„ nus eum, *ut decebat vere sanctum*, in ecclesiola sancti „ Vincentii Martyris, quæ erat claustro contigua, vene„ rabiliter sepelivit.)

CIV. Sed hoc singulare erat quorumdam sanctitatis privilegium, alias enim ecclesiam mortuorum cadaveribus pollui non patiebantur, ut de sancto Ursmaro Abbate Laubiensi scribit Fulcuinus supra citatus; & de sancto Lingero Episcopo Monasteriensi Altfridus in ejus vita l. 2. n. 8. sæc. 4. part. 1. his verbis: „ (Non erat un„ quam consentiens, ut in ecclesia sua consecrata sepeliretur „ corpus humanum;] hinc sanctus Ephræm Diaconus, & monachus in suo testamento c. 2. „ (si quis, *inquit*, „ fallacibus rationibus ausus fuerit sub altari me colloca„ re, superum, ac ecclesiæ altare talis numquam vide„ at; non enim decet vermem putredine scatentem in „ templo, & sanctuario Domini reponi, sed neque alio „ in loco templi permittatis me poni.) Quapropter tanquam singulare aliquid de S. Fulgentio Ruspensi Episcopo Anonymus ejus discipulus refert in ejus vit. c. 30. apud Boll. 1. Jan., quod „ (primus in basilica Pontifex „ poni meruit, ubi nullum mortuum, neque Sacerdotem, „ neque laicum sepeliri antiqua consuetudo sinebat, sed „ magnæ vis dilectionis removerat impedimentum con„ suetudinis.) Nihilo tamen minus Sanctimoniales fœminas, quas S. Benedictus excommunicasse dicitur, in ecclesia sepultura donatas fuisse docet S. Gregorius Papa in lib. 2. dial. 23.; communeque omnibus Abbatibus exstitit privilegium in ecclesia tumulari, ut dicemus postea, ubi de sepultura Abbatum. Antequam vero ulterius progrediamur, obiter hic notandum, quod de quodam puero Stabulensis monasterii monacho legitur in vita S. Popponis Abbatis n. 66. apud Boll. 25. Jan., quod nimirum ejus „ (cor„ pus e coætaneis sibi sociis favore pariter, & dolore cir„ cumdatum, & ante scolas, licet quibusdam invitis, est „ sepultum.

CV. Porro non promiscue, aut confuse sepeliebantur, (a) sed unusquisque secundum commigrationis suæ ordinem, ut facile colligimus ex vita S. Erbildrudis Reginæ Abbatissæ Eliensis sæc. 2., quæ „ [ut ipsa jusserat, non „ alibi, quam in medio suorum *juxta ordinem, quo tran„ sierat* ligneo in loculo est sepulta,) inquit Thomas Eliensis monachus in ejus vita n. 4., qui quod ait in ligneo loculo sepultam fuisse, certe singulare prorsus extitit; nam veteres monachi, & sanctimoniales mortuos suos in *sarcophagis lapideis* deponebant, ut sexcentis exemplis demonstrari potest; in primis ex historia Translationis S. P. Benedicti in Gallias ab antiquissimo authore anonymo descripta tom. 4. Anal. p. 451. „ (Destructo vero lapide, *inquit*, „ invenerunt ossa S. Benedicti Abbatis, & in eodem mo„ numento ossa Beatæ Scolasticæ sororis ejus subter jace„ re, marmore tamen interposito;) ergo utriusque corpus in lapideo, seu marmoreo vasculo depositum fuerat. Ita S. Ebroifus Abbas Uticensis *saxo marmoreo mirifice sepultus* dicitur in ejus vita n. 25. sæc. 1.; S. Arnulfus ex Episcopo Metensi monachus *in urna lapidea*, in ejus vita n. 23. sæc. 2.; S. Babolenus *in pretiosa, lapideaque sarcophago*, in vita n. 12. sæc. 2.: Ita ad sepeliendum S. Frodobertum Abbatem Cellensem *lapideum monumentum* emtum fuisse dicitur in ejus vita n. 23. sæc. 2.: Ita Wulfetrudis Abbatissa Nivialensis „ (in gremio Basilicæ S. Petri Apo„ stoli cum summa diligentia marmoreo tegitur tumulo.) Ex actis S. Gertrudis Nivial. c. 6. sæc. 2. Idem videre est in vita S. Bercharii Abbatis Dervensis n. 23. sæc. 2. in vita S. Aicadri c. 33. in libro Mirac. S. Wulframni n. 2. sæc. 3. part. 1. in vita S. Willibrordi authore Alcuino n. 25. sæc. 3. in vita S. Anselmi Abbatis Nonantulensis sæc. 4. part. 1. in vita S. Simperti Episcopi Augustani n. 4. sæc. 4. part. 2.; in MS. Chronico Cavensis monasterii ad vitam S. Constabilis Abbatis a Bollando citato 17. Febr. in vita S. Stephani Abbatis Obazinensis l. 3. n. 9. tom. 4. Miscell. Baluz. Visunturque hactenus in nostris monasteriis perplurimis lapidea monumenta aliqua, quæ veluti tot hujus antiqui situs testimonia certa haberi possunt. His insigniora duo loca, quæ hunc ritum mirifice confirmant, & ornant, adjiciam, unum ex Cypriano in vita S. Cæsarii Arelatensis Episcopi n. 32. „ (Ut auferret, *inquit*, „ sacris, quas congregaverat, virginibus curam necessariæ „ sepulturæ, monobiles (forte immobiles) arcas cor„ poribus humandis aptissimas de saxis ingentibus fecit excidi,

(a) Græci tamen monachi suos omnes uno sepeliebant in monumento, ut docet Theoclerastus in vita S. Nicetæ Hegumeni Medicensis monasterii n. 29., ubi de S. Athanasii ejusdem monasterii œconomi sepultura sic loquitur: „ (cu„ jus sepulturam curantes recondidimus eum in proprio tumu„ lo, ut moris est nostri; neque enim, ut in aliis mona„ steriis, defunctis omnibus unum commune est apud nos „ monumentum, sed placitum unicuique aptamus locum, „ ibique monumentum illius facimus.) Apud Boll. 3. Aprili.

„ excidi, quam per omne pavimentum Basilicæ constipatis „ ilernis fecit ordinibus: ut quæcunque congregationis il- „ lius de hac luce migrasset, locum sepulturæ paratissi- „ mum, & sanctissimum reperiret.) Ipse S. Cæsarius „ (sepultus est in Basilica sanctæ Mariæ semper Virgi- „ nis, quam ipse condidit, ubi sacra virginum corpora de „ monasterio suo conduntur;) ut scribit Messianus in ejus vita l. c. n. 3x. Alterum ex Orderico Vitali in hist. l. 8. ad an. 1x8., ubi agens de S. Serenici monasterio: „ (Ubi *inquit*, sub regimine S. Serenici olim multi „ contemtores mundi modeste conversati erant, & in or- „ dine monachico jugum Domini fine tenus gesserant, „ centum quadraginta, ut fertur, sub præfata archiman- „ drita cultores ibidem in vinea Domini Sabaoth labora- „ verant, quorum *lapidea sepulcra* palam advenientibus in- „ ter basilicam, & in circuitu ejus testimonio sunt, cujus „ meriti, & reverentiæ inibi homines requiescant.)

CVI. Aliquando tamen defectu lapidum ligneis utebantur locellis, ut videre est in vita S. Ethildritæ ex Regina Abbatissæ Eliensis monasterii sæc. x., quæ idcirco in ligneo tumulo deposita fuit, quia ea in insula nulli reperiebantur lapides, ut docet Thomas Eliensis monachus in ejus vita n. 48. Idem videre est apud Herigerum in vita S. Berlindis Virginis monasterii Merbecæ n. 13. sæc. 3. part. 1. p. 19., „ (sed cum, in quo eam reconderent, sar- „ cophagum non haberent lapideum, quorum in hac „ regione penuria est; quercum magnam juxta templum „ stantem succiderunt, illique ex eadem quercu vas, in „ quo posita est, aptaverunt.) Eadem forte ratione Sigobardus S. Richarii Abbatis Centulensis discipulus ad sepeliendum S. Patris corpus „ (lignum inveniens fidit, „ cavavit, & corpori patris coaptavit,) ut scribit Alcuinus in vita S. Richarii n. 14. sæc. x. & Nithardi Abbatis Centulensis, & Comitis corpus in *lectica lignea coriata* inventum dicitur ab Hariulpho in Chronico Cent. l. 4. c. 32. Spicil. tom. 4. Non defuere etiam, qui lapidea refugerent sepulcra, in primis S. Ephræm, cujus testamento c. 7. hæc verba: *Ex marmore autem cave, monumentum mihi feceris*.

CVII. Aliquando etiam mortuos plumbeo includebant tumulo, ut colligimus ex vita S. Guthlaci n. 33. sæc. 3. part. 1.: misit „ (Egburga Abbatissa Adulfi Regis filia „ ad sublimium meritorum venerabilem virum Guthla. „ cum sarcophagum plumbeum linteumque in eo vo- „ lutum, quo virum Dei post obitum circumdari roga- „ bat;) sed singulare est, quod tradit Herkempertus, „ (Carolomanni corpus in *locello aureo* ab eodem Germano „ suo cum aliis muneribus ad dictum monasterium suum „ in Casino remissum fuisse; (quod ex eo Leo Marsicanus accepit l. 1. c. 7. Chron. Cass. „) Nostro ævo, *ait* „ *Angelus de Nuce*, Carolomanni ossa sub ara maxima in- „ venta sunt in urna onychina.)

CVIII. Depositum in tumulo corpus lapide primum, vel ligneo operculo, deinde terra abscondebant: Quamvis sancta Reinula Eikensis Abbatissa; sæc. 3. part. 1. „ (non poterat pati, ut sarcophagum suæ sanctæ sororis „ (Harlindis) tegeret tellus, sed puro linteamine decen- „ ter contectum super humum mundam posuit,) ut habetur in earum vita n. 17. Quibus ex verbis etiam colligimus, pannum aliquem, seu velum super defuncti sepulcrum expansum fuisse. Huc facit, quod in vita S. Gertrudis Abbatissæ Nivialensis c. 7. sæc. x. legitur: „ (Cum ad „ diem pervenit extremum, ita decrevit, ut in ipso sepultu- „ ræ loco nullum laneum, nec lineum vestimentum super „ se mitterent, præter unum velum vile multum, quod „ quædam peregrina Sanctimonialis ante dies plures illi „ pro benedictione direxerat ad caput cooperiendum; „ & ipsam cilicium in sepulcro, ubi in pace quiescit; „ nulloque alio velamine cooperire exceptis his duobus „ cilicio, quo induta erat, & panno vetere, quo ipsum „ cilicium tegebatur: dicebat autem, quod res superflua „ nihil morientes, nec viventes adjuvaret.)

CIX. Aliquando super sepulcralem defuncti lapidem inscriptiones, seu, ut loquuntur, Epitaphia ponebant. Ita „ (imposuerant sepulcro S. Hiltrudis laminam lapideam „ hoc modo inscriptam: Hic jacet Hiltruda Christi Vir- „ ginis corpus, quæ obiit v. Calendas Octobris,) ex ejus vita n. 8. sæc. 3. part. 2. Ita in cujusdam monachi e S. Kentigerno quondam resuscitati „ (tumbæ operculo, „ qualiter resuscitatus fuerat a S. Kentigerno, litteris „ exaratur,) ex vita S. Kentigerni n. 10. apud Bol. 13. Jan. Ita super sepulcrum Frodoeni Presbyteri, & Monachi S. Germani a Pratis, in quadrato lapide longo uno pede, lato sesquipede inscriptum est istud Epitaphium: „ (Hic „ requiescunt membra Frodoeni Sacerdotis, qui obiit „ in Domino.) Hunc autem obiisse ante annos 700. colligimus ex Necrologio S. Germani. Sed hujusmodi epitaphia una cum sarcophago terræ insodiebantur, vel superficie terræ tenus ponebantur.

CX. Aliquando etiam defunctorum figuræ in eorum sepulchris insculpebantur, cujus rei egregium nobis exemplum Ingulphus suppeditat, narrans, quo pacto Godricus Abbas Croylandensis anno 870. Ingul. in hist. Croyl. ad petitionem Prioris de Incaig Medeshamsted omnia monachorum dicti monasterii paganorum gladiis interemtorum corpora „ (numero LXXXIV. in medio cœmeterio di- „ cti monasterii contra frontem ecclesiæ quondam orien- „ talem, scilicet in uno latissimo tumulo ad hoc apato „ in festo S. Cæciliæ Virginis sepelivit; ponens supra „ corpus Abbatis in medio filiorum suorum quiescentis „ petram pyramidalem, tres pedes in altitudine, & tres „ in longitudine: & unum in latitudine continentem, „ insculptasque imagines Abbatis, & Monachorum suorum „ circumstantium gestantem.)

CXI. Pro capitis hujus conclusione unum hic addam ex Beda de S. Ceada ita scribente l. 4. hist. c. 3. „ (Est „ autem locus sepulcri tumba lignea in modum domun- „ culæ facta coopertus, habens foramen in pariete, per „ quod solent hi, qui caussa devotionis illo adveniunt, „ manum suam immittere, ac partem pulveris inde assu- „ mere; quam cum in aquas miserint, atque has infir- „ mantibus jumentis, sive hominibus gustandas dederint; „ mox infirmitatis ablata molestia ad cupitæ sospitatis „ gaudia redeunt.

CAPUT XI.

De sepultura monachorum extra monasterium morientum, & hospitum.

I. HActenus de sepultura veterum monachorum pluribus; de fratribus extra proprium monasterium morientibus deque hospitibus consequenter, eodemque tenore dicendum fuisset, ut ne prolixitate capitis jam satis diffusi lectori fastidium generaremus, rem altero, brevique hoc capitulo concludere operæ pretium duximus.

II. Morientum autem extra monasterium tria erant genera. Alii enim veri erant, & proprii monasterii professi, qui præcipuam vitæ partem sub servi obedientiæ jugo duxerant; sed casu, & fortuito v. g. in itinere constituti defuncti erant. Alii vero totam fere vitam inter graves sæculi curas; immo aliquando inter voluptates exegerant; qui in extremis positi, ut propriæ ipsorum saluti consulerent, habitum monasticum petebant, suscipiebantque ut cum hoc salutifero signo ante conspectum cœlestis judicis securius apparerent: hi proprie non erant monachi claustrales, ut pote qui numquam in habitu monastico pedem monasterio intulerant; dicebanturque *monachi ad succurrendum*, quia ut animæ succurrerent, monachi effecti fuerant, de quibus agit noster Mabillonius in præfatione ad sæc. . . . Alii denique erant veri monasterii professi, aliquantoque tempore religiose cum aliis fratribus in cœnobio conversati erant; sed successu temporis ad prælaturas, aliasque ecclesiæ dignitates assumti, aut in aliud monasterium translati extra proprium professionis locum defuncti erant; de quibus, quæ nostris reperimus in libris, prout ibidem extant, pauca hic subjicimus.

Ex Statutis Lanfranci cap. 25.

De morientibus extra monasterium.

III. „ Si frater extra monasterium de hac vita migra- „ verit, nec fratres secum fuerint qui eum abluant, ce- „ teraque, quæ superius dicta sunt circa eum adimpleant, „ deportatus ad monasterium in feretro, quod sibi præ- „ mitti debet cum pallio, per portas curiæ ingrediatur, „ & cooperante fratre, cui infirmorum cura commissa „ est, in domo infirmorum deponatur. Quo deposito „ famulus, ut solet, ad ostium claustri veniat, tabulam „ percutiat, conventus adveniat, fiantque cetera, ac si „ de hac vita migrasset in eadem infirmorum cella; ex- „ cepto quod non dicitur: *Proficiscere anima Christiana*. „ Porro si fratres secum fuerint unus, aut plures, factaque „ sunt ea, quæ in tali negotio fieri oportet, procedat ei „ conventus obviam per majores portas monasterii psal- „ lendo hos psalmos: *Miserere mei Deus secundum: Deus „ in nomine tuo: Miserere mei Deus, miserere mei: Ad „ Dominum cum tribularer*, & qui sequuntur, donec ad „ corpus perveniant: at ubi pervenerint, faciant stationem „ versi ad alterutrum, Sacerdos alba indutus, & stola „ accedat, & aspergat corpus aqua benedicta, & incen-

„ set:

„ ser: Deinde monest, ut orent pro eo, dicendo: *Pater noster*: *Et ne nos*: *Non intres in judicium*: *Requiem æternam*: *A porta inferi*: *Dominus vobiscum*: *Oremus*, Collecta: *Suscipe Domine animam servi tui*. Alia: *Suscipe Domine servum tuum*. Inde revertantur, Cantore incipiente ℟. *Subvenite*. Dum intrant in ecclesiam pulsentur omnia signa; & deponatur in loco, in quo ceteri fratres deponi solent, & agantur cetera quæ agerentur, si in domo infirmorum mortuus, & de illa domo illuc deportatus fuisset.

IV. „ Quacumque hora, ex quo infantes mane incipiunt legere, usque ad collationem, de monacho congregationis alibi defuncto, atque sepulto, vel sepeliendo certus nuntius, aut brevis ad monasterium venerit; si fratres non sunt in capitulo, aut in refectorio, aut in dormitorio meridianis horis, aut si in monasterio, vel extra monasterium non intersint alicui obsequio, quod deseri, & imperfectum relinqui commodum non sit, statim Prior tabulam percutiat, & residentibus in capitulo fratribus fratris obitum nuntiet, & subjungat: *Eamus, & faciamus ei, quod justum est, & nostri ordinis consuetudo habet*, & surgentes, & *Verba mea* canentes, sonantibus signis, in chorum venient, expletisque inceptis psalmis cum collecta, Vesperas mortuorum &, officium cum novem Lectionibus, & Laudibus dicant, accensis ante altare duobus luminaribus; Missa matutinalis pro eo festive dicatur, nisi dies Dominicus, aut magna solemnitas sit. Quod si evenerit, in alium diem differatur: post hæc in primo capitulo absolvatur. Continuatio triginta Missarum si in eo loco, ubi mortuus est, non fit; pro eo injungatur, fiantque cetera, quæ pro fratre congregationis in congregatione defuncto fieri solent. Vide, quæ superiori capite retulimus, ex rituali Corb.

Ex consuetudinibus Farfensis monasterii.

V. „ Cum aliquis frater nostræ Congregationis in alio loco finierit, statim quando nuntius venerit, debet Prior sonare tabulam si talis hora fuerit, qua convenire possint. Si postquam Prima fuerit incepta, venerit, dicta Prima, & matutinali Missa, ad capitulum venientibus omnibus ibi nuntiatur; & cum inde surrexerint, statim officium pro defuncto pulsantes signis faciant. Si ad refectorium ituri sunt, & antequam squilla sonet, Prior breve acceperit, antequam manducent, pulsata tabula officium faciant. Si post cibum venerit, & meridiana non sunt agenda fratribus, statim fiat, & servitoribus, ut remaneant, licentiam donet. Si vero meridiana debent agere post Nonam, pulsata fuerit tabula, dicto ℣. officium fiat, & quod ipsa die post Vesperes officium solent agere, remaneat, si alter nuntius non veniat; sed si ante Nonam factum fuerit, propter hoc quod solitum est, non remanebit.

VI. „ Si aliquis ex monachis, qui subjacent nostris locis, defungitur, & tam longe positi sunt, quo ad monasterium omnino deferri non valent: tunc illi fratres, qui in ipso loco constituuntur, faciant per omnia, sicuti in monasterio majori noviter defunctis usus est agere, & cum legatus ad cœnobium devenerit, faciant pro eo plenum officium septem diebus, signa non sonabuntur, nisi in illo, qui in primis celebrabitur, & triginta diebus detur justitia, nec non & *Voce mea*, & quinque psalmi cantentur pro illo & in regula atque in libro vitæ scribantur, similiter debent agere omnibus locis respicientibus ad nos, & si in illo loco Sacerdotes tanti non habentur, ubi ille frater defunctus fuerit, qui Missam impleant triginta dierum, monasteriales fratres faciant.

VII. „ Item cum nuntius de quolibet defuncto fratre professo venerit, statim pulsetur tabula, & eant in ecclesiam, pulsentur cuncta signa, & agatur officium mortuorum. Tres candelæ sint ante altare ipsa hora ad primam Missam, quam pro eo cantaturi sunt, sit unus infans in choro cum cappa, dictis psalmis familiaribus, & *Benedicamus Domino*, statim pulsentur omnia signa, alii duo pueri ante altare albis vestibus induti, & dicant ℟. Diaconus, Subdiaconus in casula, & tres Conversi, quorum duo candelabra, tertius thuribulum.

VIII. „ Æger extra monasterium accipiens habitum, & ibi finierit, nihil agendum est pro eo a fratribus, nisi tantummodo corpus ejus in cimiterio fratrum condendum est, vel in tali loco dispositum, ubi talis defunctus mittatur, nullo modo in populari cœmeterio ponatur; nam si in domo infirmorum deportatus fuerit, & ibi finierit, tunc agantur pro eo omnia, sicuti „ de alio fratre, etiam *Voce mea* pro eo cantetur.

Ex MS. consuetudinibus monasterii Cluniacensis.

IX. „ Si quis ad succurrendum habitum indutus in monasterium veniens fuerit introductus in fine ita, sibi impendentur omnia, sicut alicui professo. Si vero obierit, antequam ingrediatur claustrum, tanquam alius de sæcularibus suscipietur, nec in cœmeterio fratrum sepelietur; postea vero in potestate Prioris erit, qualem sibi, vel quantam impendere voluerit misericordiam.

Ex Rituali Beccensis monasterii.

De monacho facto propter infirmitatem.

X. „ Quoties aliquis fit monachus propter infirmitatem extra monasterium ad succurrendum, & sic forte moritur; non habet in conventu Missam festivam nisi forte aliquid magnum ecclesiæ contulerit, propter quod hoc illi concedatur; sed tamen ab unoquoque Sacerdote Missam unam habebit.

XI. „ Qui vero moriuntur in Curia in habitu monachali, accipiunt dispositionem Abbatis, quod jusserit.

Item ex eodem Rituali.

De Abbate, qui moritur in ecclesia altera.

XII. „ Quando aliquis monachorum Becci moritur Abbas in Ecclesia altera, Cantor Becci facit de illo centum breves, & Eleemosynarius mittit eos.

Ex MS. consuetudinibus Farfensis monasterii.

XIII „ De Episcopis, vel Archiepiscopis, seu ex Abbatibus, qui habent factam professionem, sic scribantur in Martyrologio; Depositio, vel obitus D. N. Episcopi vel Archiepiscopi nostræ congregationis monachi.

Ex Libro Usuum Cisterciensium cap. 101.

Quomodo hospes sepeliatur.

XIV. „ Cum hospes nuntiatus fuerit obiisse, provideat Prior, qualiter anima commendetur; Hospitalis, qualiter apte præparetur, Prior vero quando viderit competere, mittat Sacerdotem cum collectaneo, & stola, & duos fratres cum cruce, & aqua benedicta, & lumine in absconsa, & thuribulo; & quod coluerit ad deferendum eum in ecclesiam, cantando voce mediocri. Prior vero provideat, ne corpus solum, vel sine lumine remaneat. Si interim officium, vel Missa pro defunctis cantatur, pro eo collecta secundo loco dicatur: ad aliam vero Missam eo loco dicatur, quo solent dici collectæ pro defunctis. Quacumque hora sepulcrum paratum fuerit, potest sepeliri etiam post refectionem.

XV. „ Tunc signo pulsato ordinantur fratres circa defunctum. Quando vero conventus est in labore, ad sepeliendum mortuum non tenetur occurrere; minor campana bis tantum pulsetur.

XVI. „ Sacerdos vero, cui Cantor injunxerit, habens stolam super cucullam; & ceteri, quos ipse providerit, cum cruce, & aqua benedicta, & igne in absconsa, & thuribulo, ordinati more solito compleant officium plane, scilicet non cantando; nisi forte Abbati visum fuerit, pro reverentia personæ debere cantari. Quo expleto sicut mos est, afferatur ad tumulum. Quo tumulato, si Cantor viderit expedire, interrumpat psalmodiam, & dicat: *Requiem æternam*; deinde: *Chorus Angelorum*; postea: *Clementissime*. Quo finito, Sacerdos expleta collecta, quam dicit, dicat alte: *Pater noster*; deinde, *Et ne nos*. *Requiem æternam*; *A porta inferi*: *Ne tradas Domine bestiis animas*: *Domine exaudi orationem*: *Dominus vobiscum*. Collectam: *Absolve Domine*: & post eam: *Deus cujus miseratione*. Qua dicta discedant.

XVII. „ Ab hoc obsequio possunt remanere infirmi, & minuti, & qui diversis officiis deputati sunt, cum necesse fuerit. Et sciendum, quod omnes Presbyteri, & omnes Religiosi qui in hospitio moriuntur, deferuntur in chorum; & nullus alius, nisi Abbati visum fuerit; & eorum exequiæ cantando fiunt; venia tamen ad *Clementissime* non petitur, nec septem psalmi post sepulturam dicuntur; eo quod hæc tantum pro Monacho, vel Converso, aut Novitio nostri ordinis facienda sunt. Fugitivis vero tam Monachis, quam Conversis in infirmi-

mitorio pauperum decumbentibus, detur habitus, cum in extremis agere videbantur, & deportentur in infirmitorium Monachorum, si Monachi fuerint: si Conversi, in infirmitorium Conversorum.

Ex Statutis Guigonis capite 41.

XVIII. „ Simili etiam tenore sancitum est, ut neminem prorsus sive intra, sive extra eremum istam defunctum, suo sepeliant in cimiterio, nisi forte aliquem hujus propositi hic obire contigerit. Sed & ceterarum Religionum si quis hic defunctus fuerit, quem sua congregatio hinc asportare, aut neglexerit; hunc sepelient: nomen vero cujusque in suo non scribent Martyrologio; nec cujusque anniversarium ex more facient.

XIX. Antiqua Cartusiensium Statuta 1. part. cap. 49. n. 22. addunt: „ Fundatores quoque domorum nostrarum, seu nostras ædificantes ecclesias, sed non eorum hæredes, consuevimus in nostris cimiteriis sepelire, quibus nihil pacto aliquo promittatur. Episcopos etiam sive nostros, sive alios, & Cardinales, si elegerint in domibus nostris sepulturam, fierique sine incommodo nostro quiverit, poterimus sepelire.

CAPUT XII.

De Sepultura Abbatis.

Ex consuetudinibus S. Benigni Divionensis cap. 15.

I. „ SUper hæc omnia Domno Abbati ab hac vita decedenti adduntur etiam hæc: Omnibus Sacerdotalibus vestimentis post lavationem induitur, ac virga pastoralis in ejus dextro brachio ponitur: Cantores personam stationis ejus, qui sunt quatuor, induti sunt cappis; & illi, qui portant eum ad tumulum, albis. *Verba* mea unius anni curriculo pro eo dicitur, & præbenda ejus integra in mensa majori per annum similiter danda ad eleemosynam ponitur; & non solum apud nos agitur hoc; sed in cunctis Monasteriis, & Cellis nostris; & xxx. Missæ in cunctis Monasteriis, & Cellis nostris pro eo celebrantur; si tamen tot sunt Sacerdotes, qui hoc explere possint, exceptis illis octo, quæ ex debito cunctis fratribus persolvuntur. In anniversario ejus ad Vesperos, qui ea vice cantantur in choro, priusquam processio fiat ad S. Mariam v. candelabra accenduntur, & tam ad officium, quam ad Missam omnia signa diu pulsantur: Tractus a duobus Cantoribus cum cappis cantatur, XII. pauperes, interim dum Missa cantatur, in hospitali pane, & vino, & carne reficiuntur; si tamen est ea dies, in qua caro comedi debeat, alias detur, quod tantumdem valet, & unusquisque fratrum cantant Missam pro ipso ipsa die: qui vero pro tricenario cantat, collectam dicit ad Missam suam, & alii septem psalmos.

II. Eadem videre est in MS. consuet. Cluniacensis Monasterii, & apud Udal. l. 3. c. 32.

Ex Rituali MS. Beccensis Monasterii.

III. „ Cum Abbas ægritudine laboraverit, de qua se curari non speret, Confessorem vocet, quem voluerit, & ei confiteatur, prout sibi viderit expedire. Postea vocetur conventus totus per signum tur pulsandum, & fiat de eo per omnia, sicut in libro continetur, in quo de morientibus, & mortuorum officiis plenissime agitur: provideant autem Capellani ipsius, quod cum anima cœperit in exitus sui dissolutione laborare, vocetur conventus per tabulæ pulsationem, quacumque hora hoc contigerit, quia licet juxta antiquam Becci consuetudinem hoc pro quolibet simplici claustrali de jure debeat fieri, multo magis tamen pro eo, qui pro se, & pro omnibus, & sibi commissis Deo redditurus est rationem. Quod si moram migrandi fecerit, post VII. psalmorum, & letaniæ decantationem, unus ex Leviticis remaneat, & legat passionem Domini secundum quatuor Evangelistas distinctam. Cum autem omnino mortuus fuerit, provideant fratres seniores scilicet, & sapientiores domus, ut mittant ad Dominum terræ sub omni festinatione, cum litteris sigillatis sigillo conventus, continentibus mortem Prælati, & liberare petentibus electionem. De obsequio autem ipsius ita debet fieri. Si in camera sua mortuus fuerit, debet præparari lectum magnum de fœno in infirmaria, & ibi corpus cilicio superposito, & sangallo deponi, superpositis stragulo, & cooperiorio, & cuculla: & tunc debet tabula pulsari ad convocandum conventum; sic vidi fieri de Abbate Willelmo. Postea deferatur in fleobotomariam, & ibi lavetur honestissime, & provideat Camerarius, quod habeat staminéam novam, & caligas, & nocturnales sine centone; ita honorifice vestiatur, facie discooperta semper: Secretarius provideat de amictu albo, & de amictu parato super caput positis, & de alba simplici, & de casula honesta, & decenter corpore composito, & ornato stola, & manipulo, & baculo pastorali, manibus supra pectus reverenter collocatis, imposito feretro corpus imponatur, abjecto operculo feretri. Provideat etiam Secretarius, quod habeat tabulam magnam præparatam in medio chori, tabulam videlicet, ubi ponuntur cappæ in majoribus festis, & unum magnum pallium super illam tabulam, & quatuor magnos cereos, unum videlicet ad caput, alium ad pedes, tertium ad dexteram, quartum ad sinistram. Et ita corpus a fratribus in Monasterium delatum ibidem solemniter ponatur, & numquam sit corpus sine frequentia fratrum, & totum servitium peragatur ibidem. Quo peracto, incipiatur psalterium, & remanentibus ibidem junioribus cum Magistro Novitiorum, secundum quod tempus, vel hora poterit, dicant de psalterio. Quacumque hora diei obierit, fiat, sicut supra taxatum est. Si de nocte obierit, similiter; hoc tantum observandum est, quod corpus erit in medio chori, usque in diem tertium; & provideat Secretarius de carbone, & incenso abundanter circa corpus. Partiantur etiam vigiliæ secundum consuetudinem duabus noctibus, procurante Priore de consilio partis conventus sanioris. Interim vocentur Abbates vicini duo, vel tres, qui funeri ejus devotionis suæ caritate munus impendant; & ejus interratio cum omni fiat diligentia in capitulo, in sepulcro videlicet prædecessorum suorum: conventus totus non investiatur, quia septem psalmos prostrati omnes in choro pro eo persolvent.

Ex MS. consuetudinibus Lyræ cap. 74.

Quid sit agendum pro Abbate mortuo.

IV. „ Primo capitulo obitus Abbatis Becci præcipitur tricenarium, deinde annuale, & a singulis Sacerdotibus septem Missas, aliis tria psalteria, aliis DCCC. *Pater noster*. Tertia die inhumatur; tempus post Missam matutinalem, quæ cantatur ad majus altare, omnes sunt in albis ad Missam; & ad inhumandum tria dicuntur Responsoria: illi vero, qui tenent chorum, quinque dicunt Responsoria, etiamsi sint Abbates; mensæ sunt coopertæ die, qua inhumatus Abbas Becci, & pitantiam, & panem similam, & gastras, & nebulas habent primo die obitus sui.

Ex lib. Institutionum capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis dist. 10. c. 26.

De Abbate extra propriam domum defuncto.

V. „ Si quis Abbas extra propriam domum obierit, liceat Monachis suis, si voluerint, ad domum propriam de auctoritate Capituli generalis eum reportare. Et si quis defunctus pro intolerabili fœtore sustineri non possit in ecclesia, usque dum Missam habeat, sepeliatur ipsa die; & in crastino pro ipso Missa celebretur in conventu ab Hebdomadario, nisi proprietas alicujus Sancti hoc impediant; & a singulis Sacerdotibus pro eo privatim celebretur, ac si eadem die traditus fuisset sepulturæ. Si vero corpus alicujus Abbatis defuncti ad quaecumque Abbatiam Ordinis nostri portari contigerit, ad portam domus processionalites occurratur ei a conventu, & in chorum Monachorum honorifice deportetur, & circa ipsum nocte more solito vigiletur, & pro ipso in crastino solemniter celebretur.

VI. Ex his observare debemus 1. Abbatum sepulturam in alterum, tertiumve diem dilatam fuisse. Cujus rei antiquissimam praxim videre est in vita S. Columbæ Abbatis Hiensis nu. 23. sæc. 1. „ (Post (cujus) egressum sancta animæ, hymnis matutinalibus terminatis sacrum corpus de ecclesia (in qua obierat) ad hospitium cum canora fratrum psalmodia reportatur, ubi etiam ternis diebus, totidem noctibus honorabiles exequiæ rite explentur, quibus in Dei laudibus terminatis, sanctum corpus mundis involutum sindonibus cum debita veneratione humatur;) & in vita S. Ebrulfi Abbatis Uticensis n. 24. sæc. 1. quem defunctum „ (fratres cum magna reverentia „ in ec-

in ecclesia deportantes, diebus tribus, & noctibus, hymnos, & laudes Deo canentes, sanctum illius corpus diligenter visi sunt custodisse, expectantes conventum servorum Dei.) Idem constat ex vita S. Wolphelmi Abbatis num. 43. apud Boll. 22. April.; & ex vita S. Hugonis Abbatis num. 43. apud Boll. 29. April.

VII. Secundo, convocatos fuisse ad eorum exequias vicinos Abbates. Id non obscure innuit locus citatus ex vita S. Ebrulfi: *Expectantes conventum servorum Dei*; sed luculentum hac de re testimonium habemus in vita S. Frodoberti Abbatis Cellensis n. 24. sæc. 1. ,, (Universis igitur ad usus sepulturæ pertinentibus elegantissime præparatis, supradictus Reverendissimus Pontifex *Abbatum Suburbanorum*, clerique, ac populi agmine circumseptus ad B. Frodoberti exequias properet, cum adhuc sacrum ejus corpus in cella christiano more compositum, jaceret;) vide vitam S. Wolphelmi Abbatis n. 43. apud Bollend. 22. April.; & vit. S. Roberti Abbatis Molismensis nu. 15. ibidem 29. April.

VIII. Tertio, Abbates cum veste Sacerdotali sepultos fuisse; hinc Sancti Bertilonis Abbatis S. Benigni, qui Sæculo IX. obierat, effosso temporibus Halinardi Abbatis, hoc est ann. 1045. Spicil. tom. 1. sepulcro; ,, (corpus ejus monachili habitu indutum, stola Sacerdotali auro texta ornatum,) repertum est ex Chronico S. Benigni p. 419. apud Bolland. 11. Febr. hinc ,, (cum Domnus Georgius de Lucerna Monasterii (Taurinensis) Abbas ecclesiæ suæ ædificia repararet, sanctissimi viri (Gosini) tumulum, in quo jacet, occurrit. Conspicit itaque justi, ac piissimi Patris epitaphium, corpusque pallio, corona, quam mitram dicimus, & baculo *more majorum* decenter contectum;) inquit Anonymus in hist. Inventionis S. Gosini Abbatis Taurinensis. Similiter in Monasterio nostro S. Germani a Pratis anno 1656. inventum est Venerabilis Guillelmi Abbatis cognomento Episcopi anno 1418. defuncti corpus incorruptum, Monasticis, & Pontificalibus indutum, cum annulo in digito. Ita etiam S. Poppo Abbas Stabulensis, teste Everelmo in ejus vita nu. 61. apud Boll. 25. Jan. defunctus ,, (Sacerdotalibus infulis, ut sacris adstare altaribus solebat, vestitur .... alba etiam & casucula sanctum illud corpus fratres curabant vestire.) Vide vit. S. Stephani Abbatis Obazinensis. An vero iste ritus passim ubique receptus fuerit, certo affirmare non possum, præcipue cum olim quamplurimi extiterint Abbates non Sacerdotes, quos Sacerdotalibus vestire consonum non foret. Certe cum an. 1636. cryptas ecclesiæ S. Germani Antissiodorensis lustraret Dominicus Seguierus Episcopus, repertum est corpus Abbonis Monachi, & Abbatis ejusdem Monasterii, ac postea ejusdem urbis Episcopi in eadem ecclesia post sæculum IX. medium sepulti, ,, (cilicio indutum, superposito habitu monachili, quem nunc froccum vocant, eadem omnino formæ, quo nostro tempore Patres reformatos ejusdem Cœnobii indutos videmur,) inquit in suo verbali processu idem Dominicus Seguierus. Similiter & S. Bethonis sæc. X. defuncti corpus ,, (hujuscemodi indutum cuculla, sive flocco, quo S. Abbonis corpus, cilicio aspero subtus adhærente,) ubi nulla vestis Sacerdotalis mentio fit. Certum tamen est, Sacerdotes ante hæc tempora cum Sacerdotalibus sepultos fuisse, saltem aliquibus in locis.

IX. Præter vestes Sacerdotales nonnulli oblatas, sive hostias non consecratas in defuncti Abbatis tumulo includebant, testatur liber 1. Miraculorum S. Othmari Abbatis c. 3. sæc. 3. part. 2. in cujus sepulcro ,, (sub capite, vel circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæsæ, atque ab omni corruptione extraneæ ab Episcopo inveniebantur;) & Anonymus in vita Sancti Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis lib. 4. apud Boll. 2. Mart. ,, (A navigantibus ad insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato, *oblatis super sanctum pectus positis*, vestimenta Sacerdotalia indutus in obviam Christi calceamentis suis præparatis, in sindone cerata curatus, animam habens cum Christo gaudentem, corpus incorruptibile requiescens, & quasi dormiens in sepulcro lapideo honorabiliter in basilica deposuerunt.) Postea etiam in detectione sacri ejus corporis ann. 1104. facta, præter ,, (pallium, dalmaticam ex purpura, & linteamina, (invenerunt) pectinem eburneum, forcipes, altare argenteum, corporalia cum patena, etiam calicem parvum quidem, sed materia & opere pretiosum; cujus inferior figuram Leonis ex auro purissimo habens, gestat dorso lapidem onicium arte pulcherrima cavatum,) uti in libro Translationis. Sed hæc omnia forte non tam propter Abbatialem, quam propter Episcopalem ejus dignitatem. Præterea narrat Cyrillus Scytopolitanus de magno Euthymio Abbate in ejus vit. num. 112. tom. 1. Mon. Eccles. Græc., quod post ejus mortem Patriarcha Hierosolymitanus ejus corpus ,, (in sacro loculo deposuerit tute, ut numquam posset amplius aperiri, nec ulla, vel parva hinc auferri reliquiarum viri portio. Porro imposita, *inquit*, tabula ænea desuper quasi ad pectus defigit.)

X. Olim una cum mortuis sepeliebantur vasa testacea carbonibus plena, cujusmodi inventa sunt nonnulla in Monasterio S. Dionysii in Francia, ea in parte claustri, quæ est ecclesiæ contigua, & in Monasterio S. Germani a Pratis, una cum sarcophagis gipsis ad limen ecclesiæ positis.

XI. Notandum etiam, quod de Sancto Mauro refert Faustus in ejus vita apud Boll. 25. Jan., quod nimirum epistolam sibi a Sancto Benedicto missam tumulo inferri præceperit; cujus exemplo ,, (quasdam litteras exhortatorias a Venerando Abbate Richardo olim de caritate S. Popponi conscriptas, una cum calice pectori ejus superposuere) ejus discipuli; vid. vit S. Hiltrudis num. 7. sæc. 3. part. 2. pag. 423.

XII. Quarto, circa sepulturæ locum observandum, singulare fuisse jus Abbatum sepeliri in ecclesia, aut saltem in oratoriis; cum alii communiter Monachi in cæmeteriis extra Cœnobii claustra constitutis inhumarentur. Ita S. Lupicinus Abbas Condatiscensis, teste Gregorio Turonensi lib. de vit. Par. c. 1. *intra Monasterii Basilicam est sepultus*; ita S. Martius Abbas, ut idem refert c. 3. ,, (cum summo honore ablutus, dignisque vestimentis indutus, infra oratorium Monasterii est sepultus;) ita S. Pater Benedictus referente alio Gregorio lib. 2. Dial. Magno scilicet, in oratorio, quod ipse in honorem S. Johannis Baptistæ construxerat, sepulturam accepit; it. S. Maurus, ut scribit Faustus in ejus vita n. 70. sæc. 1. *in Basilica S. Martini ad dexteram partem altaris* sepultus est; S. Ebrulfus Abbas Uticensis ibid. *in Basilica S. Petri Apostolorum Principis, quam ipse ex lapidibus ædificaverat*, ex ejus vita nu. 25. S. Romanus S. Benedicti Magister in sua ipsius Basilica ex ejus vita n. 6. Idem videre est de S. Gallo Abbate in ejus vita, authore Walfrido c. 33. de S. Geremaro in ejus vita nu. 16., de S. Serenico in ejus vit. n. 17.; de S. Gisleno in ejus vita n. 17.; de S. Humberto in ejus vita n. 3. sæc. 2.; de S. Austreberta Abbatissa in ejus vita n. 20.; de S. Thoma Abbate Farfensi in ejus vita n. 10. de S. Leofredo in ejus vita n. 25.; de S. Wandone Abbate Fontanellensi in ejus vita; de S. Gonrado Abbate in vita S. Hiltrudis n. 10.; de S. Albarto Abbate Gembronensi in ejus vita n. 17. sæc. 3. de S. Adalardo in præfatione S. Gerardi ad lib. 1. Mirac. ejus; de Venerabili Vala ejus fratre in l. 1. de ejus vita c. 13. sæc 4.; de Ingelardo Abbate Centulensi in Hariulphi Chron. l. 3. c. 32.; & de multis aliis, quibus referendis, ne forte nimius sim, supersedeo.

XIII. Quamvis nonnullos legamus, qui humilitatis gratia, aut quacumque alia de caussa, extra ecclesiam sepulturam elegerint. Ita S. Angilbertus, ut scribit Hariulphus in Chron. Centul. lib. 2. c. 12. Spicil. tom. 4. ,, (ante portam majoris ecclesiæ sepelitur. Locus autem ipsius sepulturæ ita aditui ecclesiæ proximus est, ut a nemine Basilica ingredi possit, qui non sanctam corporis ejus tumbam calcaret, ubi, sicut paulo superius dictum est, humilitatis obtentu poni se poposcerat &c.;) sed quod de Gervino ejusdem Cœnobii Abbate piissimo scribit, supremam profecto spirat humilitatem: hic nimirum a suis interrogatus, quo loco sepulturæ donari eligeret, respondisse fertur: ,, (scio, inquit l. 4. c. 35. quia non facietis; verum si faceretis, magnum mihi proveniret inde scelesto remedium. Nectentes pedi meo restem, trahite me, & projicite in sterquilinium in medio platearum, quia non meliori dignum me credo sepulcro.) Ita de S. Wigberto Abbate Fritislariensi Lupus Ferrariensis refert, quod esset ,, (corpus illius ante ecclesiam in conditorio nullius ambitionis, ibique per aliquot annos quieverit.)

XIV. Postea vero Abbates sepulturæ locum in claustro Monasterii sibi delegerunt, quod jam sæculo Christi octavo factum fuisse patet ex vita S. Walfridi Abbatis Palatiolensis in Etruria, hic enim morti proximus inter alia ad fratres: ,, (In medio claustro Monasterii, *inquit*, ibi me sepelite,) & ita post eum S. Johannes Abbas Parmensis ex ejus vita n. 15. sæc. 5.; Manso Cassinensis ex Leone Hostiensi l. Chron. cap. 19.; Giso, & Leonas Piscariensis ex Chron. Piscar., atque Hugo Corbejensis in claustro sepulti sunt.

XV. Tandem successu temporis communis sepulturæ Abbatum locus fuit in capitulo, ut videre est in Rituali Beccensis, & in Chronico ejusdem Monasterii ad calcem operum Lanfranci a nostro Dacherio vulgato. Hujus ritus exemplum

plum nullum ante seculum nonum reperi. Hoc autem tempore Ansegisus Abbas Fontanellensis legitur „ (cum
„ fletu maximo tumulatus extra Basilicam S. Petri ad
„ aquilonarem plagam, in portico, in qua fratres con-
„ ventum celebrare soliti sunt, ac consultis Deo dignis
„ aures accommodare.) Seculo insequenti in Casino; Chron. Cass. „ (Sanctus Martyr Christi Bertharius juxta
„ ecclesiam S. Benedicti in capitulo fratrum sepultus legi-
„ tur,) apud Leonem Hostiensem, qui idem de succes-
soris ejus Bassacio asserit. Eodem seculo in Monasterio Croylandensi „ (obiit Abbas Egelricus secundo Nonas Au-
„ gusti, & in capitulo sepultus est,) ut scribit Ingulphus, qui idem tradit de alio Egelrico ad annum 992. de Godrico ad an. 1017; de Brichtmero ad an. 1048.; & de Wulgato ad an. 1052. Denique seculo XII. nimirum an. 1152. Oldrius Abbas Piscariensis *tumulatus fuit in capitulo ejusdem Ecclesiæ*, referente Chronographo Piscariensi 3. Spicil. tom. 5. p. 449. Et apud Cistercienses in capitulis sepulturæ locum habebant Abbates, ex libro Institutionum capit. Gener. Ord. Cisterc. dist. 10. c. 25.

Gaufridus Abbas Audrensis Monasterii ante ostium capituli sepulturam accepit. In ipsa enim ecclesia a Deo consecrata nullum umquam Abbas consuevit tumulari, sed in claustro, vel in capitulo constat omnes, sicut vidimus, & audivimus, sepeliri, Spicil. tom. 9. p. 437.

C A P U T XIII.

De suffragiis pro defunctis, deque societatibus apud veteres Monachos.

I. INter alia veterum Monachorum officia, quibus sese fraterna dilectio in Monasteriis invicem consolatur, recenseri merito possunt quæ pro mortuis solebant impendi suffragia; ex quibus celebre est, quod tertio, septimo, trigesimo, & anniversario depositionis die offerebatur pro defunctis sacrificium: ex antiquis nonnulli tertium, nonnum, & quadragesimum diem celebrabant, ut patet ex vita S. Theodosii Cœnobiarchæ n. 27. apud Boll. 21. Jan. „ (Jubet autem Pater omnia ipsi fieri, quæ lex
„ vult fieri mortuis; ternarum, inquam, novenas, & con-
„ sequenter etiam quadragenas;) de quibus vide Menardi notas in concord. Reg. c. 7. §. 11. Sed præter hæc suffragia, quæ aliis Christi fidelibus solebant una cum Monachis esse communia; plurima ex lege Monasterii invicem caritatis obsequia sibi impendebant, quo defunctorum fratrum animæ ad refrigerii sedem citius pervenirent, de quibus jam nonnullorum Monasteriorum consuetudinum referimus.

Ex concordia Dunstani cap. 12. ubi præter eas, quas ipso depositionis die pro defunctis Deo offerri preces decernit, hæc subjicit.

II. „ Dehinc per septem continuos dies plenarie agatur
„ vigilia, offerentibus cunctis ad matutinalem Missam,
„ & omnibus horis regularibus finitis, unum ex præscri-
„ ptis prostrati canant psalmum, sequente oratione. Exin-
„ de usque ad trigesimum diem, more solito, cum tribus
„ lectionibus agatur vigilia, offerente uno choro ad Mis-
„ sam; trigesimo vero die iterum plenarie. His tamen
„ xxx. diebus quotidie Sacerdotum unusquisque secretis
„ oratorii locis specialiter pro eo Missas celebret: Diaco-
„ ni vero psalterium ex integro. Subdiaconi quoque quin-
„ quagenarium devotissime psallant; si autem occupati
„ una die nequiverint, alia persolvant: mittatur etiam
„ epistola ad vicina quæque Monasteria, ejusdem deposi-
„ sitionis denunciatura diem &c.

Ex B. Petri Damiani opusc. 15., quod est de suæ congregationis institutis.
Cap. XIX. De pietate erga defunctos.

III. „ Illud etiam silentio præteriri dignum esse non
„ ducimus, quia cum frater quispiam ex nostris obierit,
„ qui videlicet nobiscum degunt; pro eo unusquisque se-
„ ptem dies jejunat, septem disciplinas cum millenis sco-
„ parum ictibus accipit, septingentas metanœas facit; tri-
„ ginta insuper psalteria ex more decantat; & unusquis-
„ que Sacerdos septem Missas illi pro sua persona persol-
„ vit, salvo eo, quod continuis quoque triginta diebus
„ pro eo Missarum solemnia in conventu communiter ce-
„ lebrantur. Hæc igitur hujus loci regula nulla anni va-
„ rietate postponitur: hæc consuetudo circa defunctos di-
„ stricta prorsus, & inviolabili semper observatione tene-
„ tur. Si autem quis fortasse nostrum, vel quolibet mo-
„ do junctam pœnitentiam morte præventus consumma-
„ re non potuit, mox ut ad fratrum notitiam res patefa-
„ cta pervenerit; cum magno fervore tota pœnitentia,
„ parili facta inter eos divisione, suscipitur; & quanta
„ libet sit, brevi spatio per diversos afflictionis modos
„ ovanter expletur.

Ex statutis Lanfranci cap. 24.

IV. „ Septem plena officia pro eo in conventu agant,
„ triginta diebus: *Verba mea*, & ad omnes horas: *Voce*
„ *mea* pro eo dicant: Singulariter unusquisque, quantum
„ Abbas præcepit, pro anima ejus faciat; triginta quo-
„ que diebus, aut pluribus, si Abbas ordinaverit, pa-
„ nem unum cum potu, & regularibus cibis Eleemosy-
„ narius accipiat.

Ex litteris S. Geraldi Abbatis Silvæ-majoris.

V. „ Cognoscant omnes tam præsentes, quam subse-
„ quuturi, quod ego Geraldus Abbas S. Mariæ Silvæ-ma-
„ joris quamvis indignus, utilitati vivorum, & mortuo-
„ rum consulens, communi totius congregationis consi-
„ lio stabilivi, & ut in æternum permaneat, literis man-
„ dari præcepi. Si quis nostræ congregationis decesserit e
„ seculo, nobiscumque sepultus fuerit, usque ad annum
„ panis, & vinum pro eo tribuetur; & usque ad trigin-
„ ta dies ab omnibus Missæ, & vigiliæ mortuorum com-
„ muniter celebrabuntur: ita autem, ut priores septem
„ Missæ, & vigiliæ solemniter, pulsatis omnibus signis,
„ persolvantur. Sacerdotum vero unusquisque pro eo se-
„ ptem Missas peragabit: qui Sacerdos non est, tria psal-
„ teria: qui ad psalterium nondum pervenit, usque ad
„ dies triginta septem psalmos quotidie cantabit: qui au-
„ tem nescit, septies quotidie *Miserere*: qui vero nec
„ *Miserere*, septies quotidie *Pater noster* ..... Si autem
„ duo, vel etiam plures simul moriantur, insimul omnes,
„ quasi unus, ponantur: Quod si infra duos dies, vel
„ quatuor, vel etiam amplius decesserit, insimul utrisque
„ positis, quod uni in principio minuetur, finito alterius
„ officio restituetur. Omnis autem congregatio primis se-
„ ptem diebus ante altare, post capitulum psalmos pro-
„ strata cantabit .... Si vero in cella, quæ a monaste-
„ rio longe, sit aliquis obierit; totum pro eo, quod
„ pro præsenti, persolveret; excepto, quod panis, &
„ vinum in cella, ubi obierit, usque ad annum, sicut
„ jam dictum est, in eleemosyna constituetur.

Ex Udalrico l. 3. consuet. Cluniacensium c. 29.

VI. „ Ipso vero die, quo defunctus sepelitur, omnes
„ Sacerdotes cantant Missam pro eo. Insequente autem
„ die quicquid ad cœnam panis, aut vini remanserit, ad
„ eleemosynam pro eo datur. Inchoatur & septenarius
„ ejus, & tricenarius. Septenarius ita, ut per septem dies
„ officium, & missa cantetur a conventu pro eo genera-
„ liter. Tricenarius vero ita, ut per triginta dies detur
„ ad eleemosynam ejus præbenda plena, cum fabis, &
„ generali; & psalmodia, quæ dici solet post Matutinum,
„ & psalmus *Voce mea*, qui dici solet ad omnes horas,
„ tunc pro eo dicatur, & *Verba mea*, & xxx. Missas pro
„ eo cantandas a sex Sacerdotibus, Priore incipiente,
„ quorum unusquisque cum suas finierit, in capitulo pro-
„ nunciat, ut alius incipiat in crastino; quod numquam
„ intermittitur pro qualibet festivitate, exceptis per an-
„ num quinque diebus, idest in Nativitate Domini, in
„ ejus Resurrectione, & in illis tribus diebus, qui eam-
„ dem Dominicam Resurrectionem antecedunt...... Et
„ de cetero quoties venerit anniversarius ejus, iterum
„ præbenda sua dabitur ad eleemosynam. Missa vero,
„ quæ tunc cantanda est pro illo, aliquando aliqua im-
„ peditur festivitate; quæcumque tamen proxime canta-
„ tur pro defunctis, non minus pro illo, quam pro aliis
„ cantatur; sed ea psalmodia: *Verba mea* non differtur.

Caput XXX. Si quis obierit in aliqua cella.

VII. „ Frater, qui ad aliquam cellam propriam mis-
„ sus ibi obierit, ibi quoque habebit triginta Missas,
„ quarum supra memini. Et cum ad nos venerit brevis
„ ejus depositionis, agitur pro eo officium, & missa, si-
„ gnis omnibus pulsatis, & de reliquo utrimque, & ibi
„ ubi sepultus est, & apud nos agendus est eodem
„ modo ejus septenarius, ejus tricenarius, & anniversa-
„ rius ejus. Nimirum tam in Missis, psalmis, orationi-
„ bus, & eleemosynis, ut ex MS. cons. patet.

Ce-

Caput xxxi. Quid agatur pro quolibet fratre in singulis obedientiis.

VIII. „ Ut autem fatear, quod verum est, quid fiat in cellis nostris pro quolibet fratre, qui apud nos, vel alibi obierit, non facile dixerim; nisi quando brevis evenerit, agitur officium, & quicumque Sacerdos est, cantat Missam pro eo, & qui non est Sacerdos, quinquaginta psalmos, aut toties orationem Dominicam. Tamen tera sunt loca illa in quibus præbenda non detur pro eo: Nam & in quibusdam datur septem diebus, in quibusdam etiam triginta, & semper in anniversario ejus: hoc totum dispositum est, & ordinatum per Dominum Abbatem, secundum quod ipse cognovit possibilitatem, & facultatem cujusque loci.

IX. Eadem, aut saltem fere eadem legere est in MS. consuet. Cluniacens. , & S. Benigni c. 15. licet verbis aliquantisper immutatis.

Ex Chronico Piscariensis monasterii lib. 3. tom. 5. Spicilegii p. 498.

X. „ Oldrius Abbas Piscariensis erga defunctos fratres ita erat sollicitus, ac si unusquisque moriens esset germanus suus; & instituit, atque in capitulo coram omnibus fratribus corroboravit, ut pro unoquoque fratre defuncto fiat centenarius hoc modo: ut a die obitus uniuscujusque fratris justitia de pane, & vino, & ceteris cibis quotidie in mensa Abbatis ponatur pauperibus tribuenda: In officiis defunctorum prima oratio & ad capitulum psalmus, & oratio usque ad centesimum diem pro eo dicantur: in septimo namque, tricesimo, & centesimo die solemnes vigiliæ, & Missæ cum pulsatione signorum agantur, & psalteria dicantur ab universis ipsius cœnobii fratribus, sicut in die depositionis ejus.

XI. Obiit autem prædictus Oldrius ann. 1152. cum præfuisset monasterio Piscariensi an. 23. mens. 8.

Ex Lib. Usuum Beccensis monasterii.

De monacho claustrali, & de non claustrali.

XII. „ Pro monacho claustrali quando defungitur, sic agitur: quandiu corpus est super terram; quicquid pro defunctis agitur, tam privatim, quam in conventu in psalmis, Missis, & ceteris agendis, pro illo fit singulariter. Si vigilia dicenda est in conventu, omnia signa pulsentur, & singulariter pro eo una collecta dicitur: a singulis tres Missas singulares; ab aliis psalterium; quinquaginta psalmos pro Missa: privatum tricenarium, panem in refectorio; *Voce mea* dicetur xxx. diebus; brevia fiunt pro eo. Tricenarium in conventu, hoc est vii. officia plenaria, & xxx. diebus orat. *Inclina Domine. Verba mea* unoquoque die, idest agenda mortuorum cum Missa. Si ea hora obierit, ubi oportet eum custodiri, a toto conventu custodietur per dispositas vigilias, ut dictum est. Sacerdotes debent ei xxx. Missas; alii decem psalteria; qui psalmos nesciunt, *Pater noster* mille quingentas.

XIII. „ Pro non claustrali, si moritur in domo infirmorum, sicut diximus supra, fiet, quandiu fuerit super terram. Ceterum in potestate Abbatis erit, quomodo fiat post sepulturam; si jusserit, omnia supradicta fiant, quemadmodum pro claustrali: Sin autem, a singulis unam Missam tantum, vel quinquaginta psalmos, brevia, tricenarium in conventu. In martyrologio scribitur. *Voce mea* non dicitur, nec tricenarium privatum, neque panem habebit &c. Claustralis habetur, qui vel semel in claustrum, & in ecclesiam pedibus propriis venerit.

Ex MS. consuetudinibus Lyræ C. LXXII,

De monacho claustrali, qui etiam semel fuit in claustro.

XIV. „ Claustralis monachus habetur, qui semel in claustrum, & in ecclesiam propriis pedibus venerit. Pro monacho claustrali, quando defunctus est, sic agatur: Quandiu corpus est super terram, quidquid pro defunctis tam privatim, quam in conventu in psalmis, Missis, & ceteris agendis, pro eo fit singulariter: a singulis Sacerdotibus tres Missæ dicuntur singulariter, & xxx. pluraliter; ab aliis undecim psalteria, quinquaginta psalmi pro Missa, ab aliis ter millies, terque centies *Pater noster*, hoc est cantum pro Missa: privatum tricenarium habet, & commune, panem in refectorio xxx. diebus, *Voce mea* ad Vesperas dicitur pro eo diebus festis, breves fient pro eo.

C. LXXIII. De monacho non claustrali.

XV. „ Pro monacho vero non claustrali, si moritur in domo infirmorum, sicut supradictum est, fient omnia, quandiu fuerit super terram. Ceterum in potestate Abbatis erit quomodo fiat post sepulturam; si jusserit, omnia supra dicta fient, sicut pro claustrali; sin autem, a singulis una Missa tantum dicetur: in Martyrologio scribetur.

Ex Libro Usuum Cisterciensium cap. XCII.

XVI. „ Quidquid vero pro eo fit, antequam terræ tradatur, erit extra debitum, quod ei debetur: hoc est autem debitum, ut collecta pro eo dicatur in conventu ad officium defunctorum in Vesperis, & Laudibus usque ad trigesimum diem: scilicet *Deus cui proprium est*, & hæc eadem in Missa quotidiana diebus totidem repetatur. Quibus finitis, trigesima die commemorante Cantore absolvatur in capitulo, & tunc conjungatur in collectam, scilicet; *Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam*. Et ab unoquoque Sacerdote tres Missæ privatim; & ab unoquoque Clerico psalterium; & qui ipsum ignorant, centies quinquagies: *Miserere mei Deus*; qui etiam ipsum ignorant, toties *Pater noster* dicant. Si quis nostri Ordinis ad quamlibet Abbatiam nostri Ordinis supervenerit, & ibi obierit: tantum pro eo agatur, ac si illius domus professus fuisset, nihilominus tamen pro eo in propria domo agatur.

XVII. „ Tempore Cisterciensis capituli sequenti die post Exaltationem sanctæ Crucis, post sermonem habitum in capitulo, cum devotione stantibus omnibus, ab eo, qui capitulum tenet, absolvantur defuncti nostri, ita dicente *Animæ fratrum, & familiarium nostrorum hoc anno defunctorum requiescant in pace*; & respondentes omnes: Amen; dicant: *De profundis*; & post flectentes genua, etiam Dominicis diebus, dicant: *Pater noster*; & qui præsidet dicat: *Et ne nos inducas in tentationem: A porta inferi: Dominus vobiscum: Oremus, Deus veniæ largitor &c.*, & in fine post *Dominus vobiscum*, *Requiescant in pace: Amen*. Eodem modo fiet absolutio xi. Cal. Octobris in unaquaque Abbatia Ordinis nostri, commemorante Cantore; & eodem die ad Vesperas incipiatur solemne tricenarium, nisi forte in crastino dies præcipui jejunii, vel Dominica dies occurrerit: quod cum contigerit, absolutio quidem non differtur; sed in die S. Mauritii, nisi forte & ipsum dies Dominica sequi debuerit; ad Vesperas incipiatur solemne tricenarium, & sequens dies, quæ tunc prima erit tricenarii, solemniter agetur. Post absolutionem defunctorum prosequatur, qui capitulum tenet, & dicat, quid amplius pro eis fieri debeat. Et hoc est debitum: Tres præbendæ omni die in unaquaque nostri Ordinis Abbatia: ab unoquoque etiam Sacerdote viginti Missæ infra annum; a ceteris decem psalteria, ab iis, qui psalterium nesciunt, mille quingentis vicibus: *Miserere mei Deus*, vel toties *Pater noster*.

XVIII. „ In quibus omnibus, si priusquam persoluta fuerint, de parentibus, seu de familiaribus nostris, vel etiam de fratribus nostri ordinis aliquis obierit, recipi poterit, nisi forte ea aliquis per negligentiam suam nondum persolverit. Si quis tamen quamvis adhuc debito teneatur capituli, vel etiam aliis temporibus, quandiu debet aliquam Missam pro defunctis, de præsenti solemnitate ex devotione cantare voluerit, non ei reputabitur pro negligentia. Et ex quo hæc absolutio facta est, unusquisque quod fratribus suis debet, non expectato reditu Abbatum de capitulo, devote, ut Dominus cuique dederit, solvere satagat.

XIX. „ Et cum Abbates de Cisterciensi capitulo venerint, prima die, qua in suo quisque fuerit capitulo, ad admonitionem Cantoris iterum absolvantur cum flexione genuum etiam Dominicis, & festis diebus. Omnibus quoque tricenarii diebus collecta tricenarii pro eis in conventu, exceptis xii. Lect. diebus tam ad Missas, quam ad officia dicatur. Super hæc omnia Missa una quotidie, excepto Natali Domini, Parasceve, Sabbato Paschæ, & ipso die Paschæ, & Pentecostes, tam pro eis, quam pro aliis omnibus de ordine nostro, qui ab hoc sæculo migraverunt, vel quotidie migrant, dicatur.

Ex

Ex Statutis Guigonis c. 14.

De cura mortuorum.

XX. „ Ab ipso autem sepulturæ die usque ad tricesimum quotidie pro eo, non tamen in conventu, Missa cantetur, & prima in agendis oratio ei specialiter deputatur; notatoque in Martyrologio obitus ejus die, semper anniversaria in conventu pro eo Missa hyeme post, æstate ante primam celebratur. Eo autem die, quo defunctus sepelitur, antilas fratres tenere non coguntur; & consolationis gratia, bis, nisi præcipuum jejunium fuerit, simul vescuntur. Et hoc sciendum, quod sine ulla personarum acceptione, pro omnibus defunctis nostris, idem & par officium facimus, nihil pro monacho, plus quam pro Laico, vel pro Prælato, quam pro subdito. Pro benefactoribus vero nostris, excepta assidua commemoratione, quæ fit semper in precibus ecclesiastici officii, penultima in omnibus agendis oratio dicitur, & per singulas hebdomadas, tam pro eis quam pro omnibus hujus loci habitatoribus, & universaliter pro cunctis fidelibus defunctis ab Hebdomadario, æstate ante Primam, hyeme post, Missa una cantatur.

Ex Declarationibus Cassinensium ad Reg. c. 73.

XXI. „ Cum itaque aliquis monachus, commissus, vel novitius peracto cursu hujus laboris, & ærumnosæ vitæ spiritum Domino Creatori suo reddiderit, ut charitas viventi exhibita, etiam defuncto servetur; volumus, ut in loco, ubi frater in Domino requieverit, vel sepulturæ traditus fuerit, officium totum persolvatur secundum rubricam Romanæ curiæ in die funeris. Celebretur etiam Missa solemniter, si fieri potest, & tempus permiserit; alias sequenti die. Die quoque vigesimo, & trigesimo, & anniversario depositionis semel tantum Missa conventualiter cantetur cum ℟. *Libera me Domine*, cum versibus suis, & oratione, sicut moris est. Pater vero monasterii ipsius, in quo defunctus est frater, scribat ceteris patribus congregationis, notificando diem dormitionis in Domino, & nomen fratris defuncti omnino: nec prætermittatur ex negligentia, prout nonnulli faciunt in detrimentum animæ suæ, & proxime defuncti. Qui Patres habita notitia fratribus denuncient, arctius eis animam fratris ipsius defuncti commendando, & quam primum fieri poterit, singuli in suis monasteriis conventualiter celebrari faciant Missam pro defuncto fratre, aut pluribus, sicut nunciatum eis fuerit.

XXII. „ Et quia olim Sacerdotes triginta Missas pro quolibet defuncto fratre dicere tenebantur: quia nunc Deo propitio tantum crevit congregatio nostra, & consequenter quolibet anno numerus defunctorum, ad tollendum scrupulum de mentibus fratrum, declarantes ordinamus, ut singuli Sacerdotes in triginta Missis ad participationem tantum hujusmodi defunctos admittant, memoriamque faciant expresse, vel secrete. Ceteri autem monachi, & Commissi in suis officiis mortuorum, usque ad triginta dies idem faciant. In monasterio tamen, in quo aliquis requieverit frater, dicantur triginta Missæ, pro animæ ejus remedio, quarum distribuendarum cura sit Sacristæ ejusdem monasterii.

XXIII. „ Et quia post precum emissionem, ad extinguendos purgatorii cruciatus multum confert eleemosyna, ordinamus, quod in monasterio, in quo frater decessit, ponantur quotidie in loco, ubi sedere solitus erat ad mensam in refectorio, omnes cibi, & vinum, sicut singulis fratribus datur, ac si viveret. Quæ postmodum dentur in eleemosynam alicui pauperi, vel pluribus pro anima ipsius defuncti, aut tantumdem, sicut Superior ordinaverit, usque ad triginta dies, nullusque sedeat in loco illo: sed vacuo remanente apponatur crux parva lignea super mensam juxta locum vacuum, in memoriam fratris defuncti, ut fratres memoria mortis compuncti, & pro fratre ferventius orent, & ad perfectius vivendum excitentur.

Ex Constitutionibus Congregationis Olivetanæ, in Capitulo generali anni 1564. determinatis, prima parte.

Caput XXI. *De memoria defunctorum.*

XXIV. „ Meminisse debent omnes, quod Scriptura divina dicit: Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis: quare si obsequia orationum defunctis libenter præstiterimus; nobis quoque, qui residui post hanc vitam a superstitibus auxilia impendi nos debitabimus, ea propter ut unusquisque certo sciat, quid vel quando orandum pro defunctis sit; ordinem rei studiose apponimus: ut absoluto Capitulo, tam generali, quam intermedio, statim cum ad loca sua pervenerint Prælati, ordinent, ut decantato prius mortuorum officio, Missæ solemniter pro universali memoria, tam monachorum, quam benefactorum, & devotorum ordinis; sed pro eis præcipue, qui, vel quæ, obtinuerunt literas participationis orationum ab ordine nostro; Missæ, *inquam*, cum ministris nigris vestibus indutis celebretur. Singuli autem Sacerdotes debeant dicere tres Missas. Clerici vero ter dicant officium mortuorum, Conversi, & Oblati ter centies *Pater noster*, & *Ave Maria*, *Requiem æternam* in fine cujuslibet adjungentes. Cum vero contigerit, mori aliquem de nostris monachis, sive novitiis sive Oblatis, vel ex benefactoribus, aut ex habentibus literas participationis, præter illa, quæ Abbas generalis imposuerit in Capitulo generali, vel intermedio; & præter Missas sepulturæ, & exequias factas in loco, ubi fuerit defunctus, vel defuncta, & Missas S. Gregorii, quæ loci cujusque Prælatus curet celebrentur pro anima defuncti, vel defunctæ, incipiendo statim die sequenti post obitum ejus; singuli Sacerdotes quam primum nuntium acceperint de obitu monachi, vel monialis, ter sacrificium offerant pro singulis defunctis; et clerici ter mortuorum integrum officium; Conversi vero, & Oblati ter centies *Pater noster*, & *Ave Maria*, cum *Requiem æternam* in fine cujuslibet dicant. Declaramus insuper Abbatem illius loci, ubi ex hac vita migraverit monachus, vel monialis, debere in primis Abbatem generalem commonefacere, a quo facile omnes admoneri poterunt, ut absque mora sacrificium pro illius anima quam primum offeretur; cantata tamen mortuorum, ut moris est, vigilia. Ordinamus etiam, sicut obtentum fuit in Capitulo generali, quod quater in anno in perpetuum devota, & solemnis memoria anniversaria fiat defunctorum hoc modo: videlicet, quod in prima feria, quæ magis commoda fuerit, post Quatuor tempora Pentecostes fiat pro animabus monachorum nostri Ordinis, & oratio erit: *Deus qui inter Apostolicos*. Post vero Quatuor tempora mensis Septembris, fiat pro animabus omnium parentum, & affinium fratrum nostrorum. In prima autem feria, quæ magis fuerit commoda, post Quatuor tempora Decembris fiat pro animabus omnium benefactorum Ordinis; in quibus supradictis duobus sacrificiis oratio erit: *Deus veniæ largitor*. Ceterum post Quadragesimæ tempore offeratur sacrificium pro omnibus defunctis, & oratio erit *Fidelium Deus*. In quibus omnibus cantetur vigilia mortuorum secundum consuetudinem Ordinis nostri, & quilibet Sacerdos debeat, nisi legitima caussa præpeditus fuerit, quolibet dictorum dierum dicere Missam mortuorum; quod si præpeditus esset, debet supplere alia die. Quilibet autem Clericus officium mortuorum integre; Conversi vero, & Oblati quinquagies *Pater noster*, & *Ave Maria*, cum *Requiem æternam*, ut supra &c.

Ex MS. Constitutionibus Congregationis Casalis Benedicti.

Cap. 42. De Fratrum obitibus.

XXV. „ Exequiis devote celebratis, in monasterio, ubi requieverit frater, dicantur triginta Missæ pro animæ ejus remedio, quarum per triginta dies distribuendarum curam gerat Tabularius, aut Monasterii Sacrista. Quo finito trecenario, dicantur vigiliæ trium Lectionum submissa voce in choro more, quo dici solent privatis diebus, & die sequenti Missa alta voce celebrabitur a novitiis tantum, & loco Missæ, quæ de B. Maria dici solet quotidie. Quod si velut hospes degens in aliquo monasterio morte correptus decesserit; tunc in proprio suo monasterio dicantur hujusmodi Missæ, pariter & eleemosynæ fiant, licet in eo ultimum vitæ non clauserit diem. Et quia post precum emissionem, & pretiosi Sacramenti oblationem ad extinguendos Purgatorii cruciatus multum confert eleemosynarum largitio, ordinamus, quod in dicti fratris monasterio ponantur quotidie in loco ubi sedere solitus erat ad mensam in refectorio omnes cibi, & vinum, prout singulis fratribus datur, ac si viveret; quæ quidem distribuantur usque ad triginta dies continuos, vel sit in Superioris arbitrium,

nul-

nullusque sedeat in loco illo, sed eo remanente vacuo apponatur crux parva lignea super mensam ante dictum locum vacuum, in memoriam fratris nuper defuncti, ut fratres recordatione mortis defuncti, & pro mortuo ferventius orent, & ad perfectius vivendum pretiosamque in conspectu Domini sanctorum mortem felicius consequendam excitentur. Præterea statuimus, ut quilibet fratrum, & Patrum totius nostræ Congregationis pro singulis quibuscumque defunctis nostris, tam Sacerdotibus, quam non Sacerdotibus, & Conversis, quæ sequuntur, quantocius fieri poterit, ex intima charitate persolvat: videlicet Sacerdotes cuique mortuo tres Missas, non Sacerdotes integrum psalterium: Conversi vero centies *Pater noster*, & totidem *Ave Maria*. Sed hi, qui noverint legere, vigilias tantum tres cum novem Lectionibus, singulis cum Vesperis, & Laudibus, quod officium mortuorum vocamus, persolvent. Pro patre vero, qui dum viveret, Abbas extitit, etsi tempore sui decessus ea hac vita pastorali vita non fungeretur amplius, nec in Abbatiali dignitate tunc constitutus esset; dum tamen culpis suis exigentibus ab illa semotus, & depositus non fuisset, quoniam in tali casu, si ante triennium suum depositus fuerit, privilegio Abbatum privabitur, nec aliter pro eo fiet, quam pro alio simplici fratre in dicta nostra Congregatione defuncto, dicant Sacerdotes quinque Missas, non Sacerdotes duo psalteria, & Conversi bis centies *Pater noster*, & totidem *Ave Maria*; Sed & ubicumque administraverit dictus Abbas defunctus onus Abbatis, etiam tricenarium, & eleemosynam solitam dari, ut diximus pro mortuis fratribus, atque ibidem singuli Sacerdotes similiter dicent quinque Missas, & conventualiter habebit vigilias altas, cum Missa similiter, & alta in duplici majori in singulis conventibus dictæ Congregationis: non Sacerdotes etiam dicent duo psalteria, & Conversi, sicut in priori suo monasterio, dicent bis centies *Pater noster*, & totidem *Ave Maria*. Si vero contingat visitatorem tempore suæ visitationis ab humanis decedere, & mori, in monasterio suæ defunctionis habebit tricenarium eleemosynarum, sicut in monasterio suæ professionis, & alibi ubicumque fuerit Abbas, pro eo dicent Sacerdotes, & non Sacerdotes, & Conversi, sicut de Abbatibus diximus, & per omnia observabuntur prædicta. Si etiam contigerit novitium mori tempore sui novitiatus, in monasterio, in quo ad probationem receptus erat, dicentur vigiliæ novem Lectionum submissa voce, & Missa alta conventualis, & a singulis Sacerdotibus dicetur una Missa pro eo; a non Sacerdotibus autem dicentur vigiliæ novem Lectionum, & a Conversis triginta *Pater noster*, & totidem *Ave Maria*, & eleemosyna in die obitus sui, tantum pro eo dabitur, nec fiet pro eo tricenarium.

Ex Impressis Romæ an. 1629. Constitutionibus Cælestinorum cap. 1. §. 4.

XXVI. „ Anno quolibet ultra præcipuum mortuorum officium, quod recitatur secunda die Novembris, & alia singularia officia mortuorum, tam in die quo humatur, quam in septimo, & trigesimo, seu alio die, ac etiam anniversario; tria generalia mortuorum officia fieri mandamus in omnibus locis, & monasteriis ipsius Congregationis; unum quidem pro defunctis monachis nostræ religionis post Exaltationem Sanctæ Crucis; alterum autem pro defunctis Fundatoribus, & Benefactoribus post octavam Epiphaniæ; tertium vero pro defunctis monachorum nostræ Religionis parentibus, & consanguineis post octavam Corporis Christi: prima scilicet feria, in qua non occurrit festum post festa prædicta.

XXVII. „ Item pro quolibet monacho, & Oblato nostræ Religionis, tam novitio, quam professo, qui moritur in habitu Religionis, decantur vigiliæ mortuorum, ut ejus obitus nuntiatus fuerit.

Idem cap. 2. §. 3.

XXVIII. „ Item pro quolibet Congregationis nostræ monacho, & oblato, tam novitio, quam professo cum habitu, & gratia Religionis defuncto, singulis in locis, & monasteriis cantetur defunctorum Missa, ut primum ejus obitus ipsis monasteriis fuerit nunciatus, & quilibet Sacerdos Missam celebret pro illius anima. In monasterio autem, ubi moritur, quilibet Sacerdos tres Missas pariter celebret. Idem quoque fiat, quando Summi Pontificis, aut Protectoris obitus auditur in omnibus monasteriis.

§. 4.

XXIX. „ At post Exaltationem S. Crucis pro omnibus fratribus defunctis; post octavam Epiphaniæ pro omnibus Benefactoribus, & Fundatoribus; & post octavam festi Corporis Christi pro omnibus parentibus, & consanguineis monachorum Ordinis nostri: prima videlicet feria, in qua non occurrit festum, post festa prædicta, usque ad tres dies annuatim continuas per singulas prædictas ferias in omnibus locis, & monasteriis nostris per omnes ipsos tres dies cantatur Missa pro eisdem solemniter, & Sacerdotes dicant tres Missas post festa prædicta pro eis. Cum autem inter ipsos tres dies festum occurrit duplex, ad sequentes dies similiter non impeditos Missæ prædictæ decantandæ celebratio transferatur: Semper quoque Sacerdotes in Missa commemorationem faciant omnium mortuorum Congregationis nostræ sive sit Missa pro vivis, sive pro mortuis, in *Memento*, pro defunctis.

Ex Constitutionibus Fuliensium c. 62.

XXX. „ Pro anima cujusque fratris etiam Donati cum in monasterio, cui adscriptus fuit, diem suum obierit, singuli Sacerdotes ejusdem monasterii ternas Missas celebrent: totius vero Congregationis singulas. Clerici monasterii psalterium semel recitent: Conversi *Pater noster*, & *Ave Maria* centies quinquagies: Donati quinquagies dicant: Clerici Conversi, & Donati totius congregationis tertiam partem Rosarii, hoc est *Pater noster*, quinquies, & *Ave Maria* quinquagies.

XXXI. „ Quod si in aliquo monasterio Sacerdotum numerus denarium non attigerit, tot Missæ pro ipso celebrentur, quæ numerum tricenarium perficiant.

XXXI. „ Quod si Superior generalis in officio decesserit, idem suffragium fiat per totam congregationem, quod in unoquoque monasterio fit pro præsenti defuncto. Idemque observetur pro defuncto Provinciali in monasteriis suæ Provinciæ.

XXXIII. „ Ut supradicta præstari possint, Superior monasterii, in quo quisque moritur, statim de ejus morte Provincialem admoneat, qui generalem, aliosque Provinciales, fratresque suæ Provinciæ commonefaciet.

XXXIV. „ Celebrato Capitulo generali præter Missam solemniter decantandam, singuli Sacerdotes capitulares pro fratribus in triennio defunctis singulas Missas celebrent.

XXXV. „ Pro aliquo fratre Congregationis de ea benemerito vita functo possit de mandato Superioris ad constituta suffragia aliquid adjungi.

XXXVI. Porro ut integrum ab igne Purgatorio refrigerium quam citius fieri posset, defunctis procurerent, societatem, fœdusque cum vicinis, immo etiam cum remotis monasteriis inibant, quibus se invicem precum, eleemosynarum, aliorumque piorum operum participes reddebant. Quapropter ubi quis in aliquo monasterio diem clauserat extremum, literas obitum fratris defuncti significantes, precumque suffragia pro eo deprecantes ad associata hujusmodi monasteria mittebant. Hujusmodi literas, brevia, rollos, rotulosque vocabant, quarum hic nonnullas formulas subjungimus.

Ex lib. epistolarum S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, & Martyris.

Epistola CVIII.

Precatorium memorandi fratrum defunctorum.

XXXVII. „ Sanctis, & Venerabilibus fratribus ill. Præposito, omnibusque sibi in Christo subjectis fratribus ex monasterio ill. in Christo salutem. Direximus itaque fratrum nostrorum nuper defunctorum nomina, ut eorum in vestris sanctis orationibus solito more memoriam habeatis, & ad cætera deinceps monasteria eadem nomina scripta dirigatis, sicut & nos facimus, quoties de vobis, sive de ceteris monasteriis defunctorum fratrum nomina veniunt. Hoc est, & reliqua.

Ex epist. CXI. S. Lulli ad Cuthbertum Abbatem.

XXXVIII. „ Nomina quoque fratrum, & amicorum nostrorum de hac luce migrantium tuæ caritati commendantes hæc sunt ......

Ex

Ex lib. 3. Chronici Centulensis c. 9. Spicil. tom. 4.

XXXIX. ,, Fratres cœnobii Sancti Richarii gloriosæ memoriæ omnibus Christi militibus. Petimus obnixe paternitatem vestram, pro nostris fraterno geri defuncto, & vestrorum æque diligi vocabula mortuorum, diemque adventus præsentis cursoris ad vos venientis per monimenta Calendarum significari, ne fallaciæ suæ præstigiis nobis possit mentiri. Officio vero Abbaticio, seu Præpositure una cum Decaniæ, qui fungi videntur pariter intimare sciat. Obiit itaque apud nos Domnus (a) *Hrnodulfus* Comes, Abbasque simul noster VIII. Idus Januarii. Ideoque rogamus, quatenus pro eo decertetis apud Dominum, ut & vos mercedem habeatis, & illa in congregatione justorum aggregetur, vestris suffultur sanctissimis opitulationibus. Statuimusque justum esse, ut quem Patrem habuimus piissimum, dulci filiorum amore pium Dominum incessanter rogemus.

Ex Concordia S. Dunstani capite ultimo.

XL. ,, Dominus N. Abbas monasterii N. cunctis sanctæ Ecclesiæ fidelibus tam Prælatis, quam & subditis. Cum cunctos maneat sors irrevocabilis horæ, notum vobis esse cupimus de quodam fratre nostro N., quem Dominus de ergastulo hujus sæculi vocare dignatus est die N.; pro quo obsecramus obnixe, ut sitis strenui interventores ad Dominum, sentitisque in interventione, quibus fuerat unitus in Ordinis communione.

Ex Tom. 1. Miscellaneorum Stephani Baluzii.

Epistola Encyclica monachorum Floriacensium de cæde Abbonis Abbatis.

XLI. ,, Universis Abbatibus, Christique fidelibus quoquo locorum habitantibus Floriacensis conciola dejecta, & patre viduata. Fletu pene absorptis, dolore contritis manum porrigite spiritalis auxilii Patres sanctissimi per affectum fraternæ caritatis. Pene mœroris, potuque amaritudinis cibati vestris orationibus meremur recreari, quorum cithara lætitiæ versa est in luctum mœstitiæ, quorum organum luctuose sonat lamentum, & jocunditas vocem tantummodo flentium. Pervenit gladius doloris usque ad animam, dum deploramus pro sanctæ religionis studio, Dominum, & Abbatem nostrum Abbonem accessisse a sæculo coronatum Martyrio, qui Wasconum gladius felix promeruit feliciter Beatorum Martyrum socius fieri, cujus animæ contagia vestra ratio abstergat, qui vestri amator, omniumque Christi servientium verus extitit semper dilector. Nobis quos orphanos reliquit, fraternis succurrite votis, & Deum omnipotentem placate orationum hostiis, ut dignetur gratia gregem decapitatum, & pio Patre orbatum consolari. Obiit Idibus Novembris die Natalis S. Brici.

Ex tom. 4. Analectorum pag. 323.

Sindeberti Episcopi, & Abbatis Morbacensis Epistola Encyclica.

XLII. ,, Reverendissimæ Matri familiæ ill. *Sindebertus* dono Dei vocatus Episcopus, atque Abba de monasterio Morbac in Domino æternam salutem. De cætero comperiat mellisflua caritas vestra, eo quod frater vester nomine ille, vel ille de hac luce migravit, ut credimus, ad Christum: que ex re obnixe obsecramus almitatem vestram, ut pro ipsius anima sic jubeatis agere de psalmis, seu Missis, atque vigiliis, ceu ingens bonitas vestræ consuevit. Optamus vos bene valere.

Ex MS. Cons. Farf. monasterii.

Pro defunctis fratribus Breve.

XLIII. ,, Obiit N. nostræ congregationis monachus. *Et in ultimo scribatur pronomen, & Provincia unde ortus fuit ad agnoscendum eum.*

De pueris taliter.

XLIV. ,, Obiit N. puer nostræ Congregationis.

Item al. cum supplicatione pro monachis.

XLV. ,, Obiit N. Cantor nostræ Congregationis monachus, pro quo cuncti fideles sub sancta professione viventes humiliter petimus, apud Dominum intervenite.

Ex Libro Usuum Cisterciensium c. 68.

Forma Brevium pro defuncto scribendorum.

XLVI. ,, Prima Augusti obiit in monasterio N. Nonnus N. de N. Sacerdos, & Sacrista ejusdem monasterii, pro cujus anima vestras precamur orationes ex charitate, & orabimus pro vestris. *Et sic de similibus mutatis mutandis die scilicet, loco, nomine, ordine, & officio, prout contingit.*

XLVII. Hujusmodi literas, sive brevia ad vicina monasteria statim ab ipso defuncti obitu mittebantur; ad remota tantum semel in anno, ut patet ex his, quæ legimus in MS. S. Benigni consuetudinibus c. 27. ,, (Nonnullæ sunt Congregationes non solum monachorum, sed etiam Clericorum, quæ habent societatem nostram & fraternitatem, ut si brevia venerit de defunctis illorum ad nos, vel ad illos nostra; officium, & Missa geritur, & postea septenarius cum officiis, & Missis: De fratribus autem habentibus societatem loci nostri, qui adeo remoti sunt, quod brevis sæpe non potest transmitti, talis consuetudo est, ut scribant x., vel xii., qui defuncti sunt in anno, & mittunt insimul, vel sicut tempus sinit eum, & commoditas nuntium aveat, & sic pro omnibus fit unum officium cum generali Missa, & cæteris, quæ solent fieri pro nostris, excepta præbenda, & brevium transmissione, et Regulæ adnotatione, nisi forte de præbenda aliqui constitutum specialiter habeant. Sciendum autem, quoniam non dicitur *Verba mea*, cum affertur in capitulum brevis deforis, nisi de illo tantum, de quo amplius non sit, & tunc pulsantur signa, exceptis duobus majoribus, sicut fit de mediocribus familiaribus, & extraneis monachis, vel Clericis.

XLVIII. Ut autem alicujus defuncti fratris obitus alicuo in monasterio adnuntiatus erat, statim convocatis omnibus in capitulo ejus breve publice legebatur, tum nulla interposita mora ad ecclesiam pergebant, officium pro eo decantaturi. Deinde sine ulla cunctatione alia bonorum operum suffragia eidem impendebant. Quænam vero essent illa suffragia, certo definire non possumus; hoc enim ex conventione, quæ inter utriusque monasterii monachos intercesserat, præcipue pendebat. Cudbertus Abbas pro fratribus quorum nomina ad se miserat Lullus Episcopus: *Nonaginta, & eo amplius Missas* cantare præcepit, ut testatur ipse in epistola ad Lullum inter Bonifacianas 95. In literis societatis monachorum S. Remigii Remensis cum monachis S. Dionysii in Francia circa an. 838. Spicil. tom. 4. promittunt, ut cum aliquis a sæculo migraverit ,, (unusquisque nostrum infra triginta dies psalterium pleniter compleat, ac Sacerdotes nostri Missas eidem psalterio congruentes pro eo celebrare studeant & tres vigilias, idest primo, & septimo, atque tricesimo die communiter pro eo, & devotissime peragamus.) In antiquis vero Germaniæ consuetudinibus n. 6. circa decimum sæculum scriptis præscribitur, ut ,, (cum Abbas, vel monachus de fraterna, vel conjuncta congregatione, & ejusdem religionis obiisse nunciatur, conveniunt mox omnes in ecclesiam, & dum pulsaverint signa, officium mortuorum devotissime celebrent ejusque animam absolventes, Domino commendent, & faciant hoc per triginta dies, nomenque ejus notetur in breviario, & in Martyrologio, ne tradatur oblivioni ejus anniversarium. Hoc quoque potest Abbas facere, de quibuscumque voluerit, dum aliquis horum infra monasterium sepelitur.) Circa idem tempus S. Dunstanus in regulari Concordia cap. ult. decrevit, ut ,, (si ex alio monasterio noto ac familiari, quis nunciatum fuerit defunctus, conveniant pulsata tabula undique fratres, moxque, uti prædiximus, omnibus signis, vel. pœnitentiæ prostrati in oratorio modulentur psalmos, hac subsequente oratione.)

XLIX. ,, *Satisfaciat tibi Domine Deus noster pro anima fratris nostri N. Beata Domini Genitricis, semperque Virginis Mariæ, & Sancti Petri Apostoli, atque S. Benedicti Confessoris tui, Omniumque SS. tuorum oratio, præsentis familiæ tuæ devota supplicatio, ut peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat, nec eum patiaris*

Tom. IV.

(a) Obiit autem circa medium sæculum IX.

cruciari gehennalibus flammis, quem ejusdem Filii tui Domini nostri Jesu Christi gloriosa sanguine redemisti, qui tecum, & cum Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Et agatur pro eo prima, tertia, septima, trigesima dies plenaria, reliquis sub brevitate, & nomen ejus notetur in anniversariis. Et ex ignoto, tantum commendatio animæ, & una dies.

L. Denique in literis Societatis monachorum Cantuariensium cum fratribus Sancti Bertini, apud Clem. Reyn. in app. 3. part. p. 254. hæc continentur: „ (Hæc est societas inter nos, & Ecclesiam S. Bertini; Percussa tabula, pronunciatoque obitu defunctorum, fiet officium in conventu, & Missa. Præterea tricenarius Missarum fiet cum præbenda, & nomina eorum in Martyrologio, & in brevi scribentur; & si aliquando eis placuerit moram nobiscum facere de licentia Abbatis sui, sicut uni ex nobis fiet eis, & similiter nobiscum eis commorantibus.) Videsis alias societatis literas Cluniacenses, & Cartusienses monachos; inter Divionenses S. Benigni, & Remenses S. Remigii tom. 3. annal. p. 480. & seq., ubi noster Mabillonius de Societatibus inter monachos docte pro suo more disserit, sicuti & in præfatione ad sæc. 3. Benedictinorum part. 1. n. 100., cui superaddere quidquam omnino supervacaneum foret.

LI. Ceterum hujusmodi orationum, aliorumque bonorum operum communionem non solum extraneis monachis; sed etiam Clericis, aliisque sæcularibus viris concedebant; hinc Divionenses S. Benigni consuetudines cap. 17. „ (Sunt plerique, *inquiunt*, fideles, tam pauperes, quam divites, qui cum adducti in capitulum nostrum venerint, suscipiunt fraternitatem nostram, prius extra capitulum istud implorantes a Domno Abbate, vel Priore, vel per se, vel per hospitarium; quæ cum libro datur eis, & annuitur, ut partem, & communionem habeant de omnibus bonis, quæ fiunt non solum apud nos, sed etiam in cunctis locis nostris, in orationibus, vel eleemosynis, & ceteris bonis. Pro his omnibus, & pro cunctis benefactoribus nostris quamdiu sunt in hac vita, specialiter cantatur per singulas horas: *Deus in adjutorium meum intende* & collecta: *Pretende Domine*, quoties ad majorem, vel minorem Missam dicitur pro eis apponitur. Post mortem autem ad Missam, & ad officium defunctorum ea collecta: *Omnipotens sempiterne Deus cui numquam*, quando non est in ordine Collectarum prima, illic proprie deputata est. Et illæ Matutinæ pro defunctis, quæ a LXX. usque ad Calandas Novembris post XII. Lect. dicuntur, & Vesperi, & Matutinæ, quæ in festis XL., & in Rogationibus dicuntur. Præterea ter in anno, idest initio XL., & post Pentecosten, & post festivitatem Omnium Sanctorum, specialiter eorum commemorationem facimus cum officio, & Missa generali, cum septenario, & tricenario Missarum, & præbendæ eodem modo, quo solet agi pro quolibet fratre, qui obierit extra monasterium Divionense. Et hoc superadditur, quod XII. pauperes reficiuntur; hoc minus agitur, non a singulis Sacerdotibus Missa cantatur:) Similia videre est apud Udalricum l. 3. c. 33.

LII. Hanc bonorum operum participationem in gratiam collati alicujus beneficii concedere solebant, eamque tanto ampliorem, quanto majora ab ipsis monasterium perceperat beneficia; nuda aliquando eadem omnino piis hisce fidelibus impendebant suffragia, quæ singulis monachis. Ita Molismenses in gratiam donationis terræ Rumiliaci sibi ab Hugone Trecensi Comite, & ejus uxore Constantia factæ, Spicil. tom. 4. p. 238. „ (& pro aliis innumeris beneficiis ab eis sibi multimode collatis statuerant pro eis Fratrum orationes privatas, & communes, & tantumdem beneficii pro quolibet se acturos, quantum pro uno ex fratribus, si moreretur, spoponderunt. Et insuper duos pauperes in eleemosyna monasterii deinceps sustentandos pro eis posuerunt. Patrem quoque, & matrem ejus, & utrosque fratres hujus beneficii participes non minus concesserunt.) Vide literas Richardi Cantuariensis Episcopi, ejusque monachorum, quibus suam in fraternitatem recipiunt Ludovicum Juniorem Francorum Regem, apud Clementem Reynerium Apost. Benedictinorum in Angl. in app. 3. parte p. 254. in quibus silentio prætermitti non debet, quod in illis mentio fit communionis e non Sacerdotibus pro illo faciendæ „ (Sacerdotes etiam cum ceteris fratribus inferioris ordinis in celebratione Missarum & maxime *in perceptione Corporis, & Sanguinis Domini tenentur*, quantum ad hoc Deus eos inspiraverit, memoriam vestri vestrorumque facere.) Vid. Alberti militis, & ejus uxoris literas, quibus societatem ineunt cum monachis S. Andreæ Viennensis, Spicil. tom. 13. p. 293.

CAPUT XIV.

De Sepultura Sæcularium in Monachorum Monasteriis.

I. PRæter suffragia, de quibus superiori capite, Laicis nonnullis, maxime Benefactoribus, ac Principibus, aliisque potentioribus viris concessam legimus in Monasteriis Monachorum sepulturam, idque sive in ecclesia, sive in claustro, sive in capitulo; non solum viris, sed etiam mulieribus. Ita in Savigniacensi Monasterio anno 1249. tom. 2. Miscell. Baluz. Hugo de Basellis miles 18. Calendas Maji defunctus „ (sepultus est juxta matrem suam in claustro ante capitulum; & (post eum) Agatha Domina de Basalliis sepolta est in claustro juxta virum suum,) ut scribitur in Chronico ejusdem Monasterii. Extat hac de re statutum Cisterciensium in lib. Institutionum Capit. General. Ordin. Cist. dist. 10. cap. 65. „ (In majoribus ecclesiis nostris non sepeliantur nisi Reges, & Reginæ, & Episcopi; in capitulis vero Abbates, & prædicti si maluerint; & lapides, qui positi sunt super tumulos defunctorum, in claustris terræ coæquentur, ne fiant offendicula pedibus transeuntium.) De fœminis tamen hanc olim legem tulerat Justinianus Imperator Nov. 133. (Nequaquam virum recondunto in muliebrium Monasteriorum sepulcris, neque mulieres virorum Monasteriis, seu Asceteriis defodiuntor.)

II. Jam vero quo ritu eorum exciperentur corpora, ac sepulturæ mandarentur, ex antiquis consuetudinibus Farfensis Monasterii accipiendum est: „ [Quando aliquis Laicus obierit, & ad Monasterium defertur, omnes fratres in ecclesia obvient, & accipient Conversi candelabra, aquam sanctam, incensum, & crucem. Inchoet Prior in choro psalmum *Miserere mei Deus*, & alios; & eant contra defunctum in obviam. Dicat Prior, *Pater noster*, &c. ut supra. Tunc sonentur signa, & ingrediantur in ecclesiam; Sacerdos sit in alba revestitus cum stola. Duo fratres inchoent; *Kyrie eleison*; Sacerdos dicat orationem, tunc incenset altare Sanctæ Crucis, & corpus defuncti tribus vicibus. Hoc peracto, incipiat antiphonam: *In paradisum*, & eant ad cimiterium, sic per ordinem: Aqua sancta antea, deinde crux, subsequatur incensum, cum duobus candelabris, infantes, & Conversi, ceteri incedant, sicut sunt priores, deinde feretrum post omnes. Psalmis expletis, & antiphona, quæ est in Evangelio, *Absolve Domine*; tunc pronunciet Sacerdos: *Pater noster: Et nos*; cap. *A porta inferi*, &c. Revertentibus cunctis, cantantur VII. psalmi, usque dum sunt in ecclesia, & peragat unusquisque officia sua. Nec debet loqui in claustro, usque dum exeant infantes, & dicant: *Benedicite*, si tempus fuerit loquendi.

III. „ Si quis autem ex mediocribus expiraverit, eant quanti Prior jusserit. Infantes nihil peragant in hac hora. De Conversis pergant, quanti necesse sunt, ut portent omnia, quæ hic congrua sunt, de reliquo faciant, ut supra.

IV. At pro Episcopis defunctis majorem præscribunt solemnitatem: „ (Quando aliquis Episcopus migraverit, & ad Monasterium fuerit portaturus, omnes fratres debent esse in cappis revestiti, infantes in albis. Inchoet Prior: *Miserere mei Deus* &c., & eant extra portam cum phanonibus, famulis portantibus, duabus crucibus, quatuor candelabris, thuribulis duobus, & aqua sancta. Cum venerint, ubi constitutum fuerit, sicut per ordinem, sicut ad processionem, decantent hos psalmos: *Ad Dominum cum tribularer* usque ad *Laudate Dominum de cælis*, si tantum persisterint. Sed mox ut venerint corpus defuncti, dimittant psalmos, & dicat Sacerdos: *Pater noster: Et ne nos*; cap. *Non intres in judicium* &c., & deposito corpore, incensetur, ac inchoetur R. *Subvenite*, pulsantibus cunctis signis, usque dum sit in ecclesia depositum feretrum: septem candelabra tam ad caput, quam ad pedes ponantur. Tunc incensetur altare. Deinde celebratura pro eo Missa sonetur signum unum, quod majus est, tres vices, & dentur cerei per omnes, incipiant duo fratres: *Kyrie eleison*, Domnus Abbas dicat: *Oremus*: *Non intres*. Deinde incenset altare tribus vicibus, corpus defuncti similiter. Hoc peracto, sonentur omnia signa; deinde antiphona: *In paradisum*. Debet esse omnis processio, sicut supra, excepto phanone. Reliqua omnia, quæ facienda sunt, faciant sicut mos est ad defunctum Monachum faciendum.),

In MS. etiam consuetudinibus S. Benigni Divionensis cap. 18. integrum habetur caput *de processionibus ad defunctum susci-*

suscipiendum, in quo præscribitur ut præcedentibus candelabris, aqua benedicta, thuribulo, & cruce, omnes, vel secundum personæ dignitatem pars tantum obviam procedat cantando psal. *Miserere mei Deus: Deus in nomine tuo: Miserere mei Deus, miserere mei; Deus misereatur nostri: Deus in adjutorium: Ad Dominum cum tribularer*. Adveniente corpore cesset psalmodia, impositoque *Pater noster*, Prior aspergat, & incenset defunctum; tum præmisso *Et ne nos*, cum capit., dicat consuetam collectam. Postea incipiatur Ab Armario ℟. *Subvenite*, deferaturque corpus in ecclesiam; ubi finito ℣. Armarius cum alio fratre incipiat *Kyrie eleison*, postea tria subjungat ℟. ad libitum, inter quæ ter altera, toties que defunctum Sacerdos incenset, addita in fine cujuslibet ℟. collecta. Qua finita, & incepta antiphona; *In paradisum*, cum psalmo *In exitu*, deferatur corpus in tumulum, quem prius Sacerdos aqua sancta aspergat, atque incenset; completaque sepultione, omnes revertantur in ecclesiam. Ac tandem ita concludunt; „ (De sepulture vero cujuslibet defuncti nunquam pecunia exigitur, sed omnes quicumque efferuntur, sine conventione pecuniæ sepeliuntur;) quæ postrema verba extant etiam in MS. cons. Cluniac. Monast.

V. In libro Usuum Beccensium de eodem argumento pauca hæc reperiuntur; „ (Quando pergunt fratres obviam corpori, dicant hos psalmos; *Miserere mei Deus; Deus in nomine: Miserere mei Deus, miserere mei: Ad Dominum cum tribularer*, & qui sequuntur, donec ad illud perveniant. At ubi pervenerint, faciant stationem versi ad alterutrum; Sacerdos albe indutus, & stola accedat, & aspergat corpus aqua benedicta, & incenset. Deinde moneat, ut orent pro eo, dicendo: *Pater noster: Et ne nos: Non intres in judicium cum servo*, vel *Ancilla tua Domine: Requiem æternam: A porta inferi: Dominus vobiscum*. Orat. *Suscipe Domine animam servi tui*: al. *Suscipe Domine servum tuum*. Inde revertentur, Cantore incipiente ℟. *Subvenite*, vel *Libera me*, si fuerit Monachus, vel honeste persona; & dum intrant ecclesiam, pulsentur omnia signa.) In Rituali additur, ut cum ad suscipiendum hujusmodi defunctum fratres extra claustrum procedunt, nulla alia in claustro processio eo die peragatur, nisi ea forte, quæ Dominicis festis præcipuis, feria sv. in capite jejunii, & in Rogationibus fieri consuevit.

CAPUT XV.

De susceptione Principium, aliorumque illustrium Virorum in Monasteriis Monachorum.

I. DE Principum, aliorumque illustrium Virorum defunctorum susceptione, superiori capite pauca tetigimus. De eorumdem viventium in Monasterio adventu, aliquid consequenter dicere naturalis ordo exigere videtur. S. Benedictus in Regulæ capite 53. omnibus in Monasterium supervenientibus hospitibus congruum honorem exhiberi mandat, deque magnatibus nominatim agens „ (divitum terror, *inquit*, ipse sibi exigit honorem.) Quapropter cum Reges, Principes, aliique illustres Viri suum in Monasterium adventum Monachis significabant, haud vulgari, sed solemni prorsus ritu a tota simul Congregatione suscipiebantur. Ita S. Gislenus sæc. 2. p. 793. „ (sumta lympha sanctificata, thuribulo cum thymiamate sanctoque Evangelio,) Dagoberto Francorum Regi ad se venienti processisse obviam dicitur in ejus vita n. 9. sæc. 4. part. 2. pag. 201. Ita Nominoi Britenniæ Principi ad Rothonense Monasterium accedenti „ (Venerabilis Convoion simul cum fratribus perrexerunt obviam Principi, susceperuntque eum honorifice deducentes cum laudibus, & hymnis), ut scribitur in lib. 1. de gestis SS. Rothonensium c. 11. in App. ad sæc. 1. p. 630. Ita etiam Rodolphus Abbas S. Theoderici Monasterii prope Remos Roberto Fleedrensium Comiti, & Reginæ Danorum „ (collecto Cœnobitarum suorum cœtu cum vexillis, & apparatu ecclesiastico decenter processit obviam, & honorifice utrumque recepit Comitem, & Reginam,) teste Adalgiso Monacho in lib. Mirac. S. Theodorici c. 15. Spicil. tom. 4. p. 241. Ita denique Hugonem Trecensem & Willelmum Nivernensem Comites S. Robertus Abbas Molismensis, ceterique suæ Congregationis Monachi, *honorifice, licet invitos, procedentes exceperunt*, & quidem *in albis*, ut legitur in Concilio Trecensi an. 1104. approbante ejusdem Hugonis Comitis donationem quamdam Molismensibus fratribus factam. Hoc facit, quod in vita S. Ermenoldi Abbatis scribit Anonymus apud Boll. 6. Jan., quod nimirum cum Henricus Imperator a Summo Pontifice excommunicatus ad Prufeningense Cœnobium veniret, „ [jamque Beatus Erminoldus Pater videlicet Monasterii, tam propter Imperatoriæ celsitudinis claritatem, quam propter concomitantis cum eo, & invitantis reverentiam fundatoris, cum compulsationibus campanarum, fratrumque processione canora, ac reliquiarum, ac vexillorum multiplici apparatu longe insuper extra septa Cœnobii excepturus Cæsarem credebatur: sed servus Dei talium se favori dissimilem demonstrabat;) vid. & vit. S. Osvvaldi n. 69. sæc. 5. p. 756.

II. Hujusmodi honorem non solum Principibus, sed etiam Episcopis, Abbatibus, immo etiam Monachis pietate insignioribus exhibebant. De Episcopis luculentum habemus testimonium in vita S. Aicadri Quinciacensis primum, dein Gemmeticensis Monasterii Abbatis n. 16. sæc. 2. p. 961., ubi refertur, quod Ansoaldo Episcopo cum S. Filiberto Quinciacum venienti, in eorum „ [sanctissimo adventu Abbas, & tota illius sacri Cœnobii familia cum capsis Evangeliorum, & sanctorum pignoribus occurrens, in commune laudaverunt Dominum dicentes: *Benedicti, qui veniunt in nomine Domini*. Deinde egressi ecclesiam, cum pace devota circuirent illa sancta altaria, inter cetera & hoc precantes Dominum, ut Angelus ejus bonus dirigat viam illorum, surgentes autem a sanctis precibus Domnus Abbas excepit illos in sancto hospitio.] De Abbatibus in vita S. Filiberti Abbatis Gemmeticensis n. 26. sæc. 4. p. 823. cui ad suum Gameticense Monasterium redeunti „ (obvia Monachorum turba cum laudibus, & reliquiis est egressa, sicque sanctum Dei infra propria receperunt claustra Monasterii.) Ita etiam Monachi Fuldenses sæc. 3. part. 2. pag. 281. „ (cum appropinquasse Sturmium Abbatem Monasterio cognovissent, sumserunt crucem auream, & Reliquias Sanctorum, & obviam ei e Monasterio longius processerunt: salutatoque illo, & his, qui cum eo venerant, cum spiritali carmine eum ovantes Monasterio introduxerunt.] Et ante hæc omnia venienti S. Machario Ægyptio Abbati in solitudinem inferiorem: *Fratres acceptis ramis palmarum, ei obviam prodierunt*, teste Anonymo in ejus vitæ nu. 4. apud Boll. 15. Jan. vid. Udalr. lib. 3. cap. 3., & vitam Aligerni Abbatis Cassinensis nu. 7. sæc. 5. p. 648. Denique de Monachis res patet ex vita S. Guillelmi Abbatis Divionensis auctore Rodulpho Glabro cap. 4. apud Boll. 1. Jan., quem adhuc Monachum S. Majolus Roma rediens, & secum adducens, Monasterio sui proximus „ (misit ante se ex suis unum denuntians fratribus, ut obviam ei ex more ornati procederent, quoniam excepturi erant quemdam secum advenientem, cui honor divinitus debebatur.) Ita Cantuariensibus Monachis an. 1207. a Johanne Rege expulsis, & in Sithivense Monasterium sese recipientibus „ (D. Abbas, & conventus in obviam eis cum cruce, candelis, & tymiamateriis, processionaliter incesserunt eisque ad ecclesiam S. Dionysii, & eos huc in Monasterium adduxerunt, *inquit Johannes Yperius addidque*: erant Monachi 70., familiares usque ad centum, qui omnes insimul per dies duodecim hic apud nos manserunt, donec per Abbatias circumquaque bini, vel terni e suo Priore missi sunt, ipso Priore cum avi. Monachis plusquam per annum nobiscum remanentibus.)

III. Sed integrum hunc ritum juvat hic referre ex antiquis Farfensis Monasterii consuetudinibus, ubi hæc continentur.

Ad Regem deducendum.

IV. „ Cum auditus fuerit adventus Regis in Monasterium, tunc Abbate, vel Priore annuente fratribus, si tempus non fuerit loquendi in claustro; conveniant omnes in ecclesiam, & vestiant se in cappis, etiam Conversi, & infantes induant se tunicis; Secretarii præparent processionem, & tunc sonent duo majora signa, incipientibus ire ordinati pergere, sicut in his caracteribus describitur.

Crux	Thurib.	Candelab.	Candel.	Candel.
Aqua	Crux	Textus	Textus	Textus
Crux	Thurib.	Candelab.	Candel.	Candel.

V. „ Conversi bini, & bini sint, tunc infantes cum Magistris; deinde D. Abbas, & tunc alii fratres duo, ac duo, sicut superiores. Tamen cum silentio eant. Pervenientibus ad eum, tradant ei aquam sanctam, & osculetur textum, & incensetur; deinde inchoetur ℟. *Ecce mitto Angelum meum*; & pulsent famuli omnia signa; in ecclesia tapetia sint duo ordinata, quorum unum sit ante altare Sanctæ Crucis, & alterum ante majus.

„ Tunc Abbas inchoet antiphonam, vel R. quod velit, quod conveniat, quo expleto dicant capitulum, & has orationes: *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo*, & redeant in claustrum. Ad Reginam eodem faciant; sed tamen ingredientibus ecclesiam, hanc antiphonam decantent: *Cum sederit filius hominis*.

Ad Episcopum deducendum.

VI. „ Illico ut nuntiatus fuerit in Cœnobio Episcopi adventus, annuat Prior, vel ille, qui ordinem tenuerit, fratribus, si in claustro non loquitur, ut adunentur cuncti in ecclesia, & revertantur in cappis omnes, & infantes in albis. Deinde accipiant Conversi aquam sanctam, crucem, duo candelabra, & textus Evangelii, & eant cum silentio, dent ei aquam sanctam, & osculetur textum, & incensetur: deinde inchoat R. *Ecce vere Israelita*, vel *Audi Israel*; & pulsentur universa signa, eantque in ecclesiam Duo tapetia sint ordinata, quorum unum ante altare principale, alterum verso ad altare Sanctæ Crucis, & redeant in claustrum.

Item ad Abbatem.

XII. „ Ad Abbatem namque non sonantur signa, nec vestiuntur omnes; sed tantummodo illi, qui processionem portant, nulquam canentes, nec eundo, nec revertendo. Si tamen sic talis de aliquibus dignitas fuerit, possunt omnes fratres esse in *cappis*, pueri in *albis*.

XIII. Eumdem ritum fusius describunt cap. 44. Divionenses Sancti Benigni, & MS. Cluniacensis Monasterii consuetudines, quas hic subjicimus.

IX. „ Si autem recipitur persona quælibet ad processionem, secundum dignitatem ejus, aut familiaritatem, quæ a recipientibus erga eam habetur, fit ipsa processio; videlicet in albis, aut in cappis. (*a*) Sciendum autem quia nulla persona in cappis recipitur, nisi præcepto Domni Abbatis, excepto Papa, & Rege. Revestitis vero omnibus, atque processione parata, de aqua benedicta, & thuribulo, & candelabris, & textu antequam exeant, debet ab Hospitario provideri, ne qui suscipiendus est, nimium longe sit. Egredientibus autem fratribus chorum, incipiunt duo magna signa pulsari, quæ non prius dimittuntur, donec finito cantu, qui inceptus fuerat, ab Abbate, vel Priore dicatur: *Salvum fac servum tuum*: (vel si plures, *salvos fac servos tuos*.) Et tunc Domnus Abbas cum processione prodit, vel Prior in eadem processione ordinate præcedentibus eis, qui ferunt thuribulum, & aquam benedictam: sequentibus eodem ordine, qui ferunt textum, atque candelabra, texto in medio eorum; post eos infantes cum Magistris sequuntur, ac deinde Priores; sequentibus ceteris eodem modo, quo solent ire ad processionem ad Crucifixum. Tunc ceteris omnibus intra monasterium remanentibus, solus Domnus Abbas, vel Prior exit cum processione obviam illi, qui suscipiendus est, usque ad introitum porticus; & si Papa est, vel Rex, qui suscipitur, extra Monasterium (*b*) exeunt, tam ipse, quam conventus. Si autem Episcopus, vel Archiepiscopus suscipitur, & Domnus Abbas suscipit eum; præparet ei cum incenso acerram, & ipse Episcopus, vel Archiepiscopus, ponit thus in thuribulum. Si vero Abbas, vel alterius ordinis persona, Domnus Abbas ponit thuribulum; similiter facit Prior, si majoris ordinis persona suscipitur, præparat ei acerram cum incenso. Si Laicus, ipse thus in thuribulum ponit, & mox a Domno Abbate, vel Priore data aqua, & incenso, & oblato textu ad osculandum, revertitur processio eodem, quo venerat, modo, Domno Abbate, vel Priore ducente per manum eum, qui susceptus est, prope processionem, quæ illum præcedit.

X. „ Tunc incepto ab Armario cantu (*c*) ingrediuntur Monasterium, transeuntes per medium infantium versus Crucifixum, & prosternitur susceptus, tunc demum ab Abbate dimissus super juncum extra tapete, quod ibi ex more ante Crucifixum stratum est. Abbas autem, vel Prior stando expectat, quod finiat orationem. Qui vero processioni inserviunt, ordinate stant ante altare Crucifixi versis vultibus ad conventum, qui tenet textum in medio & tenentes candelabra juxta ex utraque parte; qui vero tenet aquam, aut thuribulum, extremi, unus ex una parte, & alter ex altera, donec cantu finito, & *Salvum fac servum tuum*, surgat, qui prostratus ibi jacebat (*d*). Tunc ipsis procedentibus, qui serunt processionem; & infantibus sequentibus, & post eos Novitiis, sedeant omnes cum silentio in chorum, quisque in statione sua; & Domnus Abbas, vel Prior, & qui suscipitur, ultimi veniant in chorum. Si autem ipse fuerit Abbas, aut Monachus Episcopus, pro quo processio facta est; iterum facit orationem, illis, qui serviunt processioni, stantibus super gradum presbyterii, & conventu stante in choro. Ferentes vero processionem eodem modo stant versis vultibus ad conventum, sicut prius ante Crucifixum, donec finietur oratio. Finita autem oratione, ducit eum Abbas, vel Prior, in quem sibi placet locum, & loquitur cum eo. Eadem hora processio discedit, & omnes divestiuntur. Si vero, qui suscipitur, sæculari habitu indutus fuerit, per aliam viam, quam per chorum, ducit eum idem Abbas, vel Prior, ad majus altare; sive Episcopus sit, sive Laicus: & facta oratione ibi, si est Laicus, ducitur statim in hospitale. Si vero Episcopus, ducit eum D. Abbas in Secretarium, aut in aliquem locum huic rei aptum, quem prius apparari, sicut novit, decreverat, tapetibus, dossalibus, & hujusmodi ornatu. Ibique data ab eodem Episcopo benedictione Lectori, facit Domnus Abbas coram eo recitari de lege duos, aut etiam quatuor versus de eo loco, qui ad eum pertineat, ut ædificetur, ut est illud: *Ego sum Pastor bonus*, aut alia hujusmodi congruentia; deinde significat Domnus Abbas Lectori, ut finem faciat; & dicto *Benedicite*, osculatur eum, & alii fratres, qui cum eo sunt, ad pedes ejus, ut mos est, venias petentes. (*e*) Bis veniam nulli petat frater, nisi quatuor personis, Domno Abbati, Apostolico, proprio Episcopo, & Regi; ante osculum une, altera post, ita, sicut in Monasterio super genua sua: omnibus aliis une solummodo venia sufficiat. Post osculationem loquitur cum eo Domnus Abbas de esse suo, & de his, quæ scit esse congruentia, quo facto sufficienter, quantum videtur honestum, atque idoneum, facit eum duci in hospitium, & honeste in omnibus ipsum, & omnia sua tractari. Custodis hospitum est servare cappas, & superpellicie, quæ commodat hospitibus, qui comedunt in refectorio. Et sciendum est, quoniam nullus Laicus in refectorio per consuetudinem comedere debet; qui autem ordinis est clericalis, si comedit in refectorio, habitum quoque indui clericalem. Adductus ad ostium claustri, expectat, donec introducatur. Domnus Abbas, vel, si ipse non affuerit, Prior det ei aquam in manus. Quo facto, procedit, ut scillam pulset, & eum cum custode hospitum ante ostium dimittit qui custos mox ut scillam audierit, indecit hospitem, & sedet ad mensam principalem. Si est Episcopus, dat Lectori benedictionem, non tamen sine auta Prioris. Qualiscumque sit fratrum victus, tamen Priori, & hospiti est liberaliter serviendum. Finito autem prandio debet custos hospitum juxta eum ire & post elios com ipso exire atque extra claustrum ducere, cantando *Misereri mei Deus*, & versum cum eo finire in auditorio. Quam rem, si elio fuerit occupatus, rogabit alium, qui non sit inde ignarus ut pro eo faciat. Si Clericis, vel Laicis societas datur, hi veniam non petunt. Si videre gestiunt officinas claustri, quæsita e Priore licentia, ad alterutram Missam, dum fuerit conventus in ecclesie, inducit eos præfatus custos hospitum primum in domum elemosynariam, in cellarium, in coquinam, in refectorium, in cellam noviciorum, in dormitorium, in domum infirmorum. Summopere tamen cavendum est illi, ne tunc infirmi comedant. Ubi fratres non loquuntur, nec ipse. Cavendum quoque est illi omnimodo, ne quis aliquando intret claustrum calcaria, vel ocreas portans. Feminæ vero omnino claustra non intret.

XI. Brevius habet Usuum Beccensium. „ In processione ad suspiciendam personam majus signum sonet aliquantum tribus vicibus, ut conveniant omnes, & induantur albis, & cappis, & sedeant in choro, cum fuerint vocati: Exeat primus Abbas, post eum priores duo, & duo, deinde juniores, ultimi infantes; revertentes vero primi infantes, post juniores, extremi priores. Interim pulsentur duo signa de Majoribus: non feruntur cruces, sed aqua benedicta, candelabra, rhuribulum cum incenso, & textus; & hæc a prioribus primum exeuntibus, & in-

(*a*) Clun. addunt: Cum autem in albis recipitur, Domnus Abbas, vel, Prior, & ipsi, qui ferunt processionem, sunt in cappis.

(*b*) Clun.: Extra castellum.

(*c*) Clun. addunt; Si est Episcopus de Trinitate: si Laicus, *Deum time*, vel si Abbas fuerit ille, qui suscipitur, mediocriter: *Miserere mei Deus*.

[*d*] Clun. addunt: Et si est Episcopus, benedictionem dat.

(*e*) Hæc verba usque ad *Sufficiat*: desunt in Clun.

„ & inter personam, & conventum redeuntibus. Cum „ pervenerint, prius dabitur aqua benedicta, postea offeretur textus ad osculandum, deinde incensum. Cumque „ Cantor incipit R. revertentur; si sæcularis persona est, „ R. *Deum time*: si Episcopus: *Sint lumbi*; si Abbas, vel „ femina de Trinitate: *Benedictus Dominus*, vel *Honor* „ *virtus*, vel *Summa Trinitatis*; hæc & de omnibus pos„ sunt dici. Abbas adducet personam usque ad locum, „ ubi in choro super extensum tapetum, & pallium ante „ gradus, ubi accipiuntur benedictiones, prosternetur ad „ orationem. Interim pulsentur omnia signa. Hi qui fe„ runt textum, thuribulum, & cætera, dabunt ante alta„ re, donec cantus finiatur. Quo finito, deponent omnia, „ & exuent se, & ceteri. Si Episcopus est, surgens ab ora„ tione dabit benedictionem. Si autem, dicet Abbas, an„ tequam surgat: *Salvum fac servum tuum*: *Mitte ei Domine* „ *auxilium*: *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo* „ *tuo & dirige eum*. Si Abbas fuerit, benedictionem mo„ nachicam accipiet: *Salvum fac*: *Ecce quam bonum*: *Do*„ *minus vobiscum*: *Deus humilium visita*.

CAPUT XVI.

De variis Monachorum processionibus maxime Reliquiarum extra Monasterium.

I. EA, qua de egimus superiori capite, processio ad suscipiendas personas nos ad consequenter tractandum de variis Monachorum processionibus invitat. Harum alia erat quotidiana post Vesperas, & Laudes, de qua Divionenses S. Benigni consuetudines: „ (In omnibus, „ *inquiunt*, c. 50. solemnitatibus XII. Lectionum eorum „ Sanctorum, in quorum honore dedicata sunt altaria, „ quæ sunt in membris ecclesiæ, fit processio ad ipsa alta„ ria in Vesperis, & Laudibus, & cantatur R., & ante „ collectam, dicitur in tono *Dominus vobiscum* . . . . fit „ quoque processio ad Crucifixum,) qui nimirum erat in navi ad introitum chori, „ (in Pascha totis octo diebus, „ & in Pentecoste similiter, & etiam omnibus Dominicis „ totius anni, præter a Dominica Adventus Domini pri„ ma, usque in crastinum octavarum Epiphaniæ, & a Do„ minica in Passione Domini usque in Pascha, & præter „ præfata festa. Simili modo etiam fit processio ad S. Ma„ riam in Natali Domini totis octo diebus, & in Epipha„ nia prima, & octava die, & in festis ipsius, & etiam „ omnibus diebus, exemptis his, de quibus præscripsimus, „ totius anni, in quibus consuetudinaliter post Vesperas „ fit processio;) & lib. Usuum Becc. „ [In omnibus „ vero festis, de quibus altare est in ipsa ecclesia extra „ chorum, in vigilia ad Vesperas, & mane ad Laudes faciat „ ipse Sacerdos, sicut est indutus, totam commemoratio„ nem, quæ facienda est. Qua finita, eant ad altare festi„ vitatis cum processione: Sacerdos ante alios, post infantes „ eant, & priores posteriores; & ibi finita antiphona, „ vel R., Sacerdos ante altare dicat capitulum, & colle„ ctam sine *Dominus vobiscum*; deinde incipiens Vespe„ ras, vel Matutinos de omnibus Sanctis, incenset ipsum „ altare; si autem festivitas non habet Vesperas in vigilia, „ sive in die, & majorem Missam, non fiet processio de „ illa. Similiter fiet ad processionem, quæ fit ad eumdem „ per totas oct. Paschæ, & Pentecostes, & Ascensionis vi„ gilia, & mane. In aliis festivitatibus non expectabit Sa„ cerdos quotidianam commemorationem, nisi ea, cujus „ exceptio pertinet ad Cantorem.] Hujusce processionis, quæ, uti diximus, quibusdam in locis erat quotidiana; in aliis vero certis tantum diebus fiebat, sæpius meminimus in hisce tribus.

II. Alia vero certis anni temporibus nudis fiebat pedi„ bus feriis quartis, & sextis, de qua etiam, ubi de Qua„ dragesima. De hac ista præscribunt Divionenses S. Benigni „ consuetudines: „ (Feria vero IV., & VI. cum fit pro„ cessio, observat Secretarius, cum infantes de lavatorio re„ cesserint, & tunc pulsat duo signa, donec iidem infantes „ ingressi sint chorum. In æstate vero post Meridianam, in „ hyeme ante Tertiam observat Hebdomadarius Sacrista ad „ ostium Ecclesiæ, donec eosdem infantes capita pexentes „ viderit in scolis; & tunc pulsat unum signum, donec „ iidem infantes sint in hyeme ante altare, & in æstate „ in stationibus suis, prius facto sonitu a Priore, quod „ dimittat, ut surgant de oratione fratres. Et sciendum, „ quoniam, quoties hujusmodi processio agenda est in æ„ state, ea die post Tertiam sitiemus, post VI. dormitori„ um ascendentes simulamus potius meridianam, quam ge„ ramus; quia mox pulsatur signum, ut in ecclesiam re„ deamus facturi nudis pedibus ipsam processionem, sicut „ in omni IV. feria, & VI. usque ad festum omnium „ Sanctorum, si jejunetur, excepto, si in eis contingeret vi„ gilia Assumtionis Sanctæ Dei Genitricis, vel si alia „ processio fiat. Ad festum quippe omnium Sanctorum „ intermittitur usque ad caput jejunii; indeque fit usque in „ Ramis palmarum; tunc dimittenda usque post octavam „ Pentecostes, postmodum vero facienda, ut prædictum „ est, usque in festum omnium Sanctorum. Sciendum e„ tiam, quoniam quoties hujusmodi processio agenda est „ in IV. & VI. feria eo tempore, quo observatur Meridia„ na, in dormitorio nos discalceamus, & calceamenta in „ claustrum deferimus. In Rogationibus vero ad lectum „ dimittimus. Ab his vero temporibus, idest in Quadra„ gesima, post VI., & a Calendis Octobris usque ad „ Calendas Novembris, ad signum majoris Missæ nos in „ claustro discalceamus prope canales, ut lavaturis sint in „ promtu. Inchoatur autem ipsa processio eodem modo, „ quo in Rogationibus, cum oratione, & antiphona, „ cum psalmo *Deus misereatur*, IV., feria, & *Deus in* „ *adjutorium*, & cum collecta: qui psalmi in illo choro „ inchoantur, ubi Sacerdos dicit: *Et ne nos*. Sed sicut „ præmissum est, priusquam pueri intrent ecclesiam, duo „ signa pulsantur, quod in Rogationibus non agitur, quia „ scilicet tunc omnia signa post primam antiphonam pul„ santur, post finem collectæ antiphona pro peccatis in„ cœpta *Propitius esto*, proceditur per cimiterium ad „ ecclesiam S. Benedicti; & postea cantatur alia antipho„ na, vel R. pro peccatis. Conversi præeunt, novitiis „ procedentibus post processionem, & pueris ante Can„ tores; deinde Cantores, sicut est ordo eorum, novi„ tiis præcedentibus. Ad introitum S. Benedicti, & can„ tus, & versus, & collecta, tonali enunciatione pro„ nuntianda sunt de ipso B. Patre nostro; deinde pro„ cumbitur super formas ad orationem. Dominus Abbas, „ vel si ipse non adest, Prior incipit psalmum, *Lauda anima*, „ pro his, qui in cimiterio sunt sepulti, & Sacerdos pro„ sequitur cum versu, *A porta inferi*, & salutatione, & „ collecta: *Deus cujus miseratione*. Qua finita, incipitur „ letania a duobus Cantoribus, vel pueris, cum qua per „ claustrum, & vestibulum ecclesiæ venitur in chorum.) Hujusmodi processionem dimittebant, cum eadem die contingeret alia processio ad recipiendum defunctum, vel ad suscipiendam personam, vel pro tribulatione, vel Reliquiarum per villas.

III. Alia processio erat Dominicalis per claustrum, & ceteras monasterii officinas, quam fuse descripsimus in libri 2. cap. 3. quod consule.

IV. Alia in præcipuis Sanctorum festivitatibus, de qua passim in his tribus; sed præcipue ad Natalem Domini nostri Jesu Christi.

V. Alia certis quibusdam anni temporibus, ut in Purificatione, in Ramis palmarum in Rogationibus &c. de qua suo loco.

VI. Denique alia erat processio solemnissima Reliquiarum per villas, & urbes a monasteriis longe remotas, de qua nunc fusius agendum est. Hujuscemodi processionum causæ extiterunt plurimæ; nam primo cum Normanni, feroces quondam populi, omnia ferro flammisque ubique vastarent, & servorum Dei maxime monasteria; monachi sibi nihil consultius esse existimabant, quam ut ablatis secum SS. pignoribus, propriæ saluti fuga providerent; hinc variæ sæculo præsertim IX. Sanctorum translationes, quæ tamen proprie processiones dici non possunt, sed fugæ.

VII. Secundo, antiquus fuit veterum monachorum usus, ut cum bonorum suorum aliquod dispendium paterentur, SS. reliquiarum processiones adversus hostes domesticos facerent, quibus Sanctorum monasterii sui Patronorum corpora sistebant; ut eorum præsentia territi, ab ausu temerario, bonorumque ecclesiasticorum direptione non solum cessarent, sed & subita restitutione, illata monachis detrimenta citius resarcirent. Ita sæculo Christi X. cum Bobienses sancti Columbani monachi aliquas bonorum suorum jacturas a sæculi Principibus; sed maxime a Guidone Placentinæ urbis Episcopo, & Reinerio, aliisque paterentur, Gerlannus Bobiensis Abbas hoc ab Hugone Italiæ Rege, sæc. 2 p. 44. consilium accepit, „ (ut „ corpus B. Columbani cante de tumulo levaret, & quan„ do ipse colloquium cum suis Principibus ageret Papiæ, „ deferret, ut videntes ipsum sacratissimum corpus pro„ pter suas res illuc delatum esse, vel sic ab illarum ra„ pacitate cessarent,) quod & factum est, ut discimus ex libro Mirac. S. Columbani capite 8. Eodem sæculo cum vineas Floriacensis monasterii in suburbio Aurelianensi sitas invasisset Arnulphus Episcopus urbis ejusdem, Oiboldus Floriacensis Abbas, ut scribit Aimoinus l. I. Mir. S. Bened. c. 19., „ [cum senioribus habito consilio,

„ deliberavit, ut sumtis Sanctorum pignoribus imminente vindemia, ad locum eum aliquibus e fratribus fructuum earum collecturus properaret, ut quia eidem viro viribus armatorum obniti difficile erat, cum ipse multis sæculari potentia præditis, Regibus quoque persæpe testissima comprobetur, saltem hac arte obviam iretur;), quod delatis SS. Mauri, atque Frongantii corporibus monachis Floriacensibus pro voto cessit, l. 2. Mir. S. Bened. c. 15. „ (Simili arte cum Solmariense prædium Patriacensi cœnobio subditum quidam pervasæ mentis homines invadere molirentur; horum malitiæ Robertus monachus illi loco tunc Præpositus obsistere cupiens, instante vindemiæ tempore cum Sanctorum pignoribus ad locum properat, *inquit idem Aimoinus*,) delatis cum Patrocinio S. Benedicti, Reliquiis SS. Eocherii, Veraui, Cypriani, Sperati, ac Pantaleonis, sæc. 2. p. 799. Similiter „ (necessitate compulsi Domnus Abbas (a) Hribrandus cum suis fratribus anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1035. non valentes ferre vastationem sui loci, cum corpore B. Gisleni visi sunt adiisse clementiam Imperatoris Conradi, lacrimabiliter se reclamantes de vastatione sui loci, & de indigentia sui cœnobii; a quo benignissime consolati, & munificentiis Regiis ditati, insuper & Regali imperio optata pace donati, ad notum sibi cœnobium cum sacris pignoribus non sine lætitia sunt reversi,) ut refert Rainerus monachus Cellensis in lib. Mir. S. Gisleni c. 8. Circa idem tempus cum Maricolenses monachi quamdam monasterii villam a Balduino Marchiso detentam reperere vellent, eorum Abbas „ (post quæsitum ab Episcopo consilium, statuit in pagum Flandrensium B. Humberti corpus devehendum, ubi ipse Balduinus in locis maritimis pro rerum opportunitate se eo tempore continebat: arbitratus Comitis animum ad benevolentiam posse inflecti, dum se hominem, quem jure mortalitatis sciret corruptioni obnoxium, a sancto Dei confessore requiri specie precantis conspiceret, quem postmodum indigeret habere precatorem. Sicque factum est.) Vit. S. Humb. n. 11. sæc. 2. p. 804.

VIII. Eodem sæculo, Mir. S. Berch. sæc. 2. Dervenses monachi S. Bercharii Reliquias in Concilio in Airtyaca villa celebrato deferentes super Landrico Comite, qui monasterii prædia invaserat, proclamationem fecerunt; & Altimontenses de rebus ecclesiasticis aliquam fraudem patientes, S. Marcelli Papæ Reliquias per diversa loca detulerunt, ut discimus ex ejusdem sancti Translationis historia apud Boll. 22. Jan. Denique cum Robertus Flandrensium Comes Corbejensium nostrorum terras aliquas injuste retineret, l. 2. Mir. S. Adal. c. 1. Vid. Spicil. tom. 6. p. 602. Fulco eorum Abbas communi fratrum consilio statuit „ (Sanctum Comiti præsentare Adalardum ut Comes ejus præsentia flexus, ei, & sancto Petro suum restitueret allodium,) quibus res pro voto cessit. Vid. Relationem S. Walarici in fine in nota sæc. 5.

IX. Tertio, non sufficientibus monasterii reditibus ad reparanda collapsa monachorum ædificia, Sanctorum Patronorum Reliquias varias deferebant in terras, ut ex fidelium oblationibus haberent, unde monasterii sui ruinas resarcirent. Plurima hujus praxeos exempla nobis suppeditat Liber Miraculorum S. Marculfi Abbatis; nam cum anno 1101. Andreas Corbeniacel Præpositus (Cella est monasterio S. Remigii Remensis subjecta) multis cladibus vastatum cerneret cœnobium, & ex prædonum direptione ad extremas redactum angustias, non habentibus monachis, unde proprium sibi victum sufficerent, animadvertens aliunde sibi non patere levaminis aditum, Abbati, & fratribus S. Remigii n. 4., hoc sui cordis aperuit consilium, dicens sæpius accidisse sua ætate in regno Francorum, ut „ (quoties eam sævissima tribulatione aliqua prægravabatur Ecclesia, ibidem commorantes suarum circumferrent lipsana Reliquiarum, quatenus ex donariis, & oblationibus fidelium suæ separarent necessitatis incommodum. Nam eodem tempore Nobiles clericos S. Quintini Martyris id actitere constabat; & ante sex annos conflagrata gloriosi Martini Turonensis Basilica corpus B. Bricti (sicut ipsi perspexerant) procul a suis finibus pro hoc ipso negotio delatum extiterat, quapropter nihil sibi competentius videri adstruebat, quam ut similiter de corpore S. Marculfi fieret, si Domnus Abbas, & ceteri non obsisterent, confidere se per Dei misericordiam non defuturos, qui tam pretiosi thesauri portantibus gemmam officiosa liberalitate manum auxilii porrigerent.) His additis, qui fautoris erant consilii, causa fraternæ compassionis petitioni ejus adquieverunt.

X. His locus tria nobis suggerit exempla, unum Canonicorum Sancti Quintini, alterum Canonicorum S. Martini Turonensis, tertium monachorum S. Marculfi, qui ut ex „ (oblationibus fidelium suæ separarent necessitatis incommoda,) SS. Reliquias variis per loca circumtulerunt. Aliud in monachis S. Vedasti Atrebatensis idem liber exhibet infra n. 8.: „ (At Præpositus, cujus erat omnia illa disponere, recordatus ante quindecim annos pro reparatione suæ ecclesiæ feretrum B. Vedasti cum reliquiis Remis usque delatum, ac in B. Remigii Archimonasterio sedula liberalitate susceptum, civitatem Atrebatensium adiit, Episcopum convenit; quia cum ejus favore corpus B. Marculfi post biduum illuc afferre cuperet, intimavit &c.)

XI. Idem videre est in Libro Miraculorum S. Amandi authore Gisleberto monacho n. 2. sæc. 2. p. 732., cujus cum Elnonense monasterium anno 1066. conflagrasset, hujus „ (habitationis restituendæ gratia, fratres cum Abbate ipsius loci ex consulto Marchionis terræ, atque Episcoporum, petitione quoque Francorum obnixa, feretrum quo corpusculum venerandi Patris recubabat per Galliam detulerunt; (additque:) excessimus from monasterio VII. Junii, repedavimus in idem sub die XV. Nonas Junii.) Eadem arte usi sunt aliquandiu post nostri Remenses S. Theodorici ad perficiendam inceptam ecclesiæ porticum, nimirum anno Dominicæ Incarnationis 1102., inquit Adalgisus in lib. Mir. S. Theodorici c. 16. App. ad sæc. 1. p. 631. „ (Induximus animo porticum nobis necessariam ante valvas ecclesiæ hujus construere, quæ cum plurima ex parte nostris impensis assurgeret, sed consummari negligeretur, privatim deliberavit Sacrista noster, ut loculus aptaretur pretiosis SS. Reliquiis, qui circumcirca deferretur, quatenus devota fidelium oblatione ceptum opus perficeretur &c.) Circa idem tempus Joffridus Abbas Croylandensis monasterii ex incendio ruinas reparare cupiens „ (impetravit a venerabilibus Archiepiscopis Cantuari, & Eborac., & aliis Episcopis Anglicanis eorum suffraganeis, indulgentiam tertiæ partis pœnitentiæ pro commissis injunctæ, cuilibet suorum monasterii benefactori, & operis ecclesiæ suæ adjutori gratiose concessam: videlicet in septimana si trium dierum abstinentia alicui pro suis peccatis poenitendis imponeretur unius diei pœnitentia, per dictam Indulgentiam relaxabatur: si duo dies pœnitentiæ alicui a Pœnitentiario injungerentur, alter eorum condonabatur. Impetrata itaque hac indulgentia suæ novæ ecclesiæ fundamentum aperiens, transmisit in totam Angliam, & in terras contiguas transmarinas prædictæ indulgentiæ testimoniales litteras, supplicans universis Christi fidelibus, ad operis sui adjutorium suum impendere caritativum beneficium, & concedens cuilibet adjuvanti ante Deum reciprocum prædictæ indulgentiæ suffragium. Ad istud vero negotium strenue procurandum direxit *cum Sanctorum reliquiis* ad australes plagas in Flandriam, & in Franciam de suis commonachis venerabiles viros fratres *Ægelmerum*, & *Nigellum*; ad partes Boreales, & in Scotiam, fratres *Fulconem*, & *Ogerum*; ad *Daciam*, & *Norvagiam*, fratres *Suetmannum*, & juniorem *Vulsinum*; & ad Walliam, Cornubiam, & Hiberniam fratres *Augustinum*, & *Osbernum*, omnes suos commonachos. Petrus Bles. in contin. Ingulfi hist. an. 1109.) Vid. Mir. S. Usmari n. 7. sæc. 3.; vit. S. Moderamni n. 11. sæc. 3.; vit. S. Ermonis n. 8. sæc. 3.; Translationem S. Judoci n. 8. sæc. 5.

XII. Quarto, harumce processionum caussa erat ad avertenda iræ Dei flagella (vid. Spic. tom. 2. p. 742;) hinc cum anno millesimo, sæc. 2. p. 326. nonnulla in cœlo portenta apparuissent, ex communi Ragenardi Resbacensis Abbatis, & Ermingardis Jotrensis Abbatissæ consilio, prævio jejunio, „ (determinata die convenerunt processiones Resbacensis, & Jotrensis monasterii in locum, qui ob insignia virtutis Dei ex tunc Crux S. Agili meruit appellari,) delatis illo ex utroque monasterio SS. Reliquiis, quemadmodum testatur scriptor Mir. Sancti Agili Abbatis n. 3. & 5. sæc. 4. part. 2. Ita adversus grassantem pestem corpus S. Mauri Martyris processionaliter olim detulerunt nostri Floriacenses, ut discimus ex Tortario in lib. Mir. S. Benedicti c. 20. Idem remedium tanquam præsentissimum in eumdem morbum adhibuerunt Dervenses monachi, S. Bercharii Reliquias in afflictis pestilentia locis circumferentes, ex lib. Mir. S. Bercharii, n. 28. sæc. 2. p. 859., & Fontanellenses sancti Wulframni corpore Rothomagum delato, ex l. Mir. S. Wulf. n. 14. Spicil. tom. 5. l. 3. p. 481. Similiter cum locustæ universas segetes corroderent,

(a) Cellensis Monasterii in Hannonia, nunc Sancti Gisleni.

rent, Piscarienses monachi cunctos monasterii agros cum capsa S. Clementis circumgirantes imminentem sibi famis pestilentiam, sedabant ex Chronic. Pisc.

XIII. Idem pro obtinenda, aut coercenda pluvia non raro usurpabant. Vide librum Mir. S. Bercharii n. 30., nonas post vit. S. Tillonis monachi Solemniacensis sæc. 2. pag. 1001., Translationem S. Sindulfi, & S. Helenæ n. 3. sæc. 4. part. 2. p. 154. Tandem ad struendam pacem, S. Præcordii corpus Corbejæ Ambianus translatum legimus in vit. & Translatione S. Præcordii n. 10. Vid. Mir. S. Gisleni n. 7. sæc. 2. p. 799. apud Boll. 9. Feb.

XIV. Quinto, in publicis Episcoporum conciliis solebant olim SS. Corpora deferre, ut eorum præsentia, & „ (religiositas roboraretur , & malignorum procacitas „ retunderetur;) ita sæculo 2. in Carotensi Concilio S. Juniani Reliquias delatas fuisse perhibet Letaldus monachus Miciacensis in historia ab eo hac de re scripta n. 2. sæc. 4. part. 2. p. 434; & sæculo insequenti in Concilio Aireyensi *plurima SS. Corpora*, in his S. Bercharii, ut discimus ex libr. Mir. ejusdem S. Bercharii. Item in Concilio apud eatrem vocabulo Ansa Lugdunensis diœcesis, cui S. Odilo Clun. Abbas interfuit cum multis aliis, corpus sancti Hugonis Æduensis monachi, quod in alio item Concilio antea deportatum fuisse docet Anonymus ejus vitæ scriptor. n. 27., & 28. sæc. 5. p. 104. anno 116. Stephanus Abbas Besuensis corpus S. Prudentii ad concilium Lingonense detulit, ut legimus in lib. 3. Mirac. ejusdem S. Prudentii apud Lebb. Bibliotb. tom. 2. p. 619.

XV. Sexto denique Episcopi ipsi ad excitandam fidelium erga sanctos locorum tutelares devotionem, aliquando hujusmodi processiones injungebant; atque ita anno 1227. Philippus Episcopus Meldensis S. Fiacrii reliquias in *Pratis fabeur villam dicti S. Fiacrii deferri* jussit, concessis indulgentiis fidelibus eo convenientibus, statuitque, ut quotannis in festo SS. Trinitatis canur gloriosissimi Confessoris *ad locum memoratum processionaliter deferetur*, fidelibus ad solemnitatem confluentibus *quadraginta dies de injunctis pœnitentiis, peccata oblita, vota fracta, si ad ea redierint, offensam Patrum, & Matrum sine manuum injectione* misericorditer relaxans, quemadmodum legimus in litteris hac de re ejusdem Philippi citatis ad vitam S. Fiacrii n. 15. sæc. 2.

XVI. Circa hujusmodi processiones notandum primo: requisitam fuisse ad illas incipiendas Episcoporum, & Prælatorum licentiam, ut patet ex Reinero in libro Mirac. S. Gisleni n. 2.; et Gisleberto lib. Mir. S. Amandi n. 2.; ex vita S. Humberti n. 11.; ex historia Translationis S. Marcelli apud Boll. 16. Januarii; idque ex Decreto Concilii Moguntiacensis anno 813. statuentis cap. 50., „ (ut deinceps corpora SS. de loco ad locum nullus præsumat transferre, sine concilio Principis, & Episcoporum, & sanctæ Synodi licentia.)

XVII. Secundo, Processioni præmissum fuisse jejunium, ut videre est apud Fulcuinum in lib. Mir. S. Ursmari n. 7. sæc. 33., & ex lib. Mir. S. Agili sæc. 2.

XVIII. Tertio, sacras reliquias a præcipuis, & *senioribus congregationis fratribus* delatas fuisse, ut colligimus ex lib. Miraculorum S. Wandregesili c. 7. sæc. 2., & quidem *Sacerdotibus*, ex lib. primo Mir. S. Richarii n. 12., & 13.; suis *Sacerdotalibus* ornamentis indutis. Corpus vero S. Filiberti *Sacerdotum, Levitarum, simul ac monachorum humeris elevatum*, & delatum dicitur in historia Translationis ejus n. 2. sæc. 4.

XIX. Quarto, cum processiones ante aliquod monasterium, aut ecclesiam pertransirent, aut accederent, sacris Sanctorum reliquiis tam Clerici, quam monachi certatim procedebant obviam; cujus rei plurima nobis occurrunt exempla in actis SS., at præcipue in libro Mir. S. Wandregisili c. 7. sæc. 2., cujus cum corpus una cum reliquiis S. Amberti in ecclesia S. Petri Quentiaerco vicina anno 858. deferretur, „ (venerunt eis obviam ple„ bis innumeræ Clericorum, sive Laicorum cum sacris „ evangeliis, crucibusque, ac cereis, seu cum reliquo ap„ paratu ecclesiarum. Qui ad terram sese projicientes, „ gaudioque præ nimio flentes, exceperunt illa beatissima „ corpora cum laudibus hymnorum; ceperuntque ante illa „ ire psallendo, donec præfatam introeuntes ecclesiam, a „ senioribus hujus congregationis fratribus, qui ipsa beatissi„ ma SS. membra propriis humeris gestabant, super altare „ Apostoli S. Petri ponerentur.)

XX. Ita cum S. Leodegarii corpus Pictavos transferretur, ejus vit. n. 17. sæc. 2. p. 693. „ (per itineris loca „ ceperunt undique sponte dextra, lævaque concurrere ex „ monasteriis, vicolis, ac villis, turba monachorum, ac „ Clericorum per publicum, cum crucibus, accensisque „ cereis, & suavitatum odoribus obviam procedentes.)

Vid. libr. 2. Mirac. seu delationem Marculfi num. 6. & 7. sæc. 4. part. 2. p. 529.; Mir. Wulframni n. 14. sæc. 3.

XXI. Quinto, cum sacræ Reliquiæ aliqua pernoctarent in ecclesia, nusquam absque tuta monachorum psallentium, & orantium custodia dimittebantur; quod videre est in libro Miraculorum S. Columbani c. 11. sæc. 2.

XXII. Sexto, demorantes aliquandiu aliquo in loco sacras Reliquias vicinæ visitabant ecclesiæ; quod colligimus ex historia delationis S. Marculfi n. 16. & 17., cujus cum corpus in ecclesia sancti Johannis Peronæ aliquantis diebus servatum fuisset: „ (S. Fursei principalis clerus (urbis) „ cum corpore ejusdem Patroni sui sancti Fursei, multitu„ dine comitante, affuit; ac in introitu ecclesiæ non sine „ religiosissima deliberationis consilio psallere: *Veni Creator* „ *Spiritus*, & finito subjunxerunt hymnum *Te Deum lau*„ *damus*, &c.)

XXIII. „ (Pari modo monachi montis S. Quintini ... „ nudis pedibus cum obsecratione letania venientes, pro„ strati solo coram sancti Marculfi feretro orationem fude„ runt; ac plurimum lætati in Domino xenia nostris ex „ caritatis debito, & intimæ dilectionis munificentia obtu„ lerunt &c.)

XXIV. Septimo, recedentem processionem, ii apud quos pernoctarat, seu aliquandiu remanserat, monachi, sive Clerici solemnissime prosequebantur, ut videre est apud Aimonium l. 2. de Mir. S. Benedicti c. 15. ubi de processione SS. Reliquiarum adversus invasores bonorum Patriacensis cœnobii Floriacensi subjecti: „ (Cumque iter „ agendo, Sanctarum vectores Reliquiarum Cluniacum „ cœnobium devenissent, inibi nocte quieverunt. In cra„ stinum vero cœpti itineris callem capturi, a fratribus „ ejusdem cœnobii cum magno processionis apparatu duce„ bantur.) Vid. Mir. S. Marculfi n. 9.

XXV. Octavo, in hisce processionibus publicam ad populum de præsenti necessitate concionem nonnunquam habebant, quod colligimus ex lib. Mir. S. Agili Abbatis Resbacensis, & ex Translatione S. Sindulfi, & S. Helenæ 4. part. 2. p. 154, & ex historia delationis S. Marculfi n. 7.; & ex l. Mirac. S. Wulfrani n. 14. sæc. 3.

XXXVI. Nono, quod spectat ad ordinem in hisce processionibus observari solitum, hunc ex libro Miraculorum S. Columbani Abbatis addiscere oportet, ibi enim ejusdem sancti a Bobiensi monasterio Papiam processio ita describitur cap. 11. sæc. 2. „ (Venerabilis Abbas duos Pres„ byteros convocavit .... præcepitque illis, ut quandiu „ arca veheretur, semper ante ipsam duo tintinnabula „ personarent: jussitque antecedere cruces cum cereis, „ & thuribulis, cappamque suam, nec non & peram, „ ubi adsuetus erat, dum adviveret, evangelia portare. „ Signis vero concrepantibus, & in ecclesia convenien„ tes non modica caterva populorum, diuque cum la„ chrimis clamante, ipse Venerabilis Abbas prior accessit „ cum tribus senioribus ad arcam: imponentesque hu„ meris, ire ceperunt eo ordine, quo supra diximus. „ Monachi vero antiphonas canentes, populisque *Kyrie* „ *eleison* acclamantes, egressi a monasterio venerunt ad „ pratum, quod nuncupatur ad pontem, ibique subter „ condensam arborem deposuerunt. Jussit denique, ut cor„ tex ipsius arboris abstraheretur, quatenus signum Cru„ cis appareret: & ubicumque illud corpus deponeretur, „ ob memoriam ipsius cruces fierent.) Sed juvat totam processionis seriem tum ex Farfensis, tum ex Divionensis S. Benigni monasterii antiquis consuetudinibus hic describere. Farfenses hæc habent:

De SS. Reliquiis, qualiter deferantur ad locum, ubi necesse sunt deportandæ processionaliter, aut qualiter recipiantur cum laude.

XXVII. „ Quando Reliquiæ deportandæ sunt alicubi, „ hoc modo faciant. Annuente Armario, vel loquente, „ si tempus fuerit loquendi, vel illo, qui ordinem te„ nuerit, revestiantur cuncti in cappis, pueri in albis. „ Reliquiæ sint congrue collocatæ: Secretarii ecclesiæ pul„ sent signa: Candelabra duo deportentur a Conversis: „ Aqua sancta, Crux, incensum, phonones a famulis de„ portentur; & unum signum cum eis mittant: Cantor „ incipiat ℟. *S. Marcelle*, vel secundum quales Reliquiæ „ fuerint, & incensentur; exeantque omnes pariter ex„ tra portas murorum, quod circumdatum est monaste„ rium. Tunc sint præsentes alii fratres, qui suscipiant „ SS. Reliquias, & famuli, ut deportentur, ubi necesse „ fuerit, & fratres inchoent psalmos *Ad Dominum cum* „ *tribularer clamavi*; & revertentur in chorum, & exuant „ se, & pergant unusquisque ad officia sua. Illo tempore „ quando reversuri sunt, procurent antea nunciare in cœ-

„ nobium

nobium, ut sint omnes fratres in cappis, infantes in albis. Prior incipiat psalmum *Miserere mei Deus: Deus in nomine tuo: Deus in adjutorium: Deus misereatur*; & eant in obviam SS. Reliquiis. Secretarii pulsent signa, vel famuli, usque dum sint omnia parata. Tunc inchoent ℟. *Iste Sanctus*: Dicat Sacerdos ℣. *Magna est gloria ejus*, vel secundum quales Reliquiæ fuerint, ad ipsas pertinentes collectas, & preces: deinde incensentur. Rursus inchoent aliud ℟. congruum SS. Reliquiis; & ita peracta eant in monasterium; & ponantur Reliquiæ, ubi ponendæ sunt, denuo incensentur, & pergant unusquisque ad opus suum.

XXVIII. Divionenses vero sancti Benigni consuetudines sic loquuntur: „ Quoties enim aliqua urgente necessitate Reliquiæ Sanctorum extra monasterium sunt ferendæ, hujuscemodi obsequiis sunt prosequendæ. Primum Sacrista in ornatu eas feretro componit; deinde fratres, ad cujus obedientiam sunt portandæ, alii etiam seniores, cui a Priore earumdem custodia Reliquiarum specialiter committitur, omnia necessaria, id est candelabra duo, crucem, thuribulum, urceolum aquæ benedictæ, vexilla tria, cortinam quoque, & tintinnabulum, quod a duobus fertur hominibus, vestimentum, & reliqua ecclesiasticis usibus accomode præbet. Cum ab ecclesia fuerint producendæ, omnes albis induuntur. Deinde Sanctum corpus a Priore incensatum duobus albatis Cantoribus committitur usque ad terminos cimiterii ferendum. Omnia signa pulsantur; ℟. competens a Cantore incipitur. Præcedente processione, sequuntur bajuli pigneris sacri, deinde infantes, postremo Cantores, ad ultimum conversi. Cum ventum fuerit ad prædictum terminum, Laici suscipiunt commendatum. Finitoque ℟., & incipiente Priore psalmum *Ad Dominum cum tribularer*, Processio eodem revertitur ordine.

XXIX. „ Item quando revertitur, primum cuncti fratres albis induuntur, & duo signa majora pulsantur, ac deinde præcedente processione, id est aqua benedicta, thuribolo, cruce, & candelabris, simili per omnia modo usque ad terminos cimiterii, cum omni silentio progrediuntur. Ibi denique Prior accepto thuribulo sanctas incensat Reliquias: impositoque a Cantore ℟., cunctis resonantibus signis, eodem, quo exierat, suscipitur modo. Reliquiæ autem illius Sancti, in cujus honore monasterium fundatum est, quando suscipiuntur; antiphona primum de eodem a Cantore incipitur, ad cujus initium omnis conventus submissis usque in terram manibus inclinat: Deinde ab Abbate, vel Priore versiculus pronunciatur, & subsequenter collecta de ipso sancto dicitur: Qua completa, incipiente Cantore ℟., eo, quo supra dictum est ordine, defertur ad ecclesiam.

XXX. „ Quando vero fit processio pro qualibet tribulatione, si portatur feretrum alicujus Sancti, facta, sicut mos est, oratione, & finita antiphona: *Exurge*, & psalmo *Deus in adjutorium meum*, sive, *Deus misereatur nostri*, debet ipsum feretrum incenseri in primis; deinde incepto aliquo cantu de Sancto, cujus Reliquiæ feruntur, egrediuntur fratres chorum; primitus processio cum aqua benedicta, & cruce, & candelabris, & feretro, sicut mos est, cum portantur Reliquiæ. Sequuntur Conversi omnes, post quos .... omnes; & deinde Cantores, sicut est ordo eorum. Signa autem omnia pulsantur, sicut cum fratres filacteria portant, antequam egrediantur ecclesiam propter Reliquias. Similiter cum redeunt ad introitum ecclesiæ. Ad exitum vero Galileæ monasterii sunt parati duo famuli Eleemosynarii hinc inde cum baculis, quos consuetudinaliter fratres portant, quotiescumque nudis pedibus exeunt extra monasterium ad processionem; & quisque de sua parte dat singulis egredientibus baculum in manu. Finito autem cantu de Sancto, incipiuntur antiphonæ de tribulatione, & cantantur, usquequo veniatur prope ecclesiam, ad quam vadit processio; tunc si ecclesia in honore duorum Sanctorum est dedicata, videlicet in honore B. Mariæ, & alicujus Sancti, in primis cantabitur ad introitum de Sancta Maria, deinde de Sancto, in cujus honore est ecclesia. His finitis, Sacerdos prosequitur orationes de Sanctis, præmissis capitulis sicut cantus processit. Quo facto, facit conventus orationem brevem, aut ad terram super genua, aut acclivis, si Dei auctoritas postulat. Expectato vero a Priore, quod *Pater noster* possit finiri, incipit psalmum *Lauda anima mea*. Quo finito, dicit Sacerdos hanc orationem: *Deus cujus miseratione*, pro animabus in cimiterio quiescentium. Tunc facta iterum oratione cum inclinatione consueta, cantatur Nona, cantanda quoque in majori ecclesia ab infirmis qui ad processionem exire non potuerunt, signo pulsato ad horam competentem a Custode ecclesiæ; & interim Sacerdos, & alii ministri revestiuntur ad Missam, omnes nudis pedibus, nisi tantum frigus sit, quod non possint sufferre. Secretarius enim præmisit per famulos suos quæque ad Missam necessaria. Cantatur Missa de instanti necessitate, videlicet pro pluvia, vel pro serenitate, vel hujusmodi; qua perecta continuo incipitur letania, & nominato sancto Johanne Bapt., nominatur bis Sanctus monasterii, & recedit processio. Famuli autem, qui baculos ministrant, sicut receperunt de manibus ingredientium illos, ita egredientibus reddunt unusquisque de parte sua. In hujusmodi processionibus est Eleemosynarii baculos ministrare, Fratres vero omnes, & ad processionem, & ad opera manuum eunt coopertis capitibus, & in froccis. Letaniam autem, sicut mos est, finiunt Cantores in choro stantes.

XXXI. Hactenus de processionibus satis, ubi quæ de ferendis adversus bonorum monasterii invasores sacris Reliquiis dicta sunt, ea nos monent, ut de clamore pro tribulatione inter Missarum solemnia faciendo aliquid subjungamus. Rem ita expediunt antiquæ Farfensis monasterii consuetudines: „ (Hac ratione faciendus ecclesiastici ordinis clamor ad Dominum. Ad Missam principalem jam dicta oratione Dominica, ministri ecclesiæ cooperiant pavimentum ante altare cilicio, & desuper ponant Crucifixum, & textum evangeliorum, & corpora Sanctorum, & omnis Clerus in pavimento jaceat prostratus canendo psalmum: *Ut quid Deus repulisti in finem*, sub silentio. Interim duo signa percutiantur ab ecclesiæ custodibus, solusque Sacerdos stet ante Dominicum Corpus, & Sanguinem noviter consecratum, & ante prædictas Reliquias Sanctorum; & alta voce incipiat hunc clamorem dicere: *Ostende nobis*: *Esto nobis Domine*: *Memento nostri Domine*: *Memor esto cong.*: *Exurge Domine*: *Domine exaudi orationem*: *In spiritu humilitatis*, *& animo contrito ante sanctum altare tuum*, *& sacrosanctum Corpus*, *& Sanguinem tuum*, *Domine Jesu Redemtor mundi accedimus*, *& de peccatis nostris*, *pro quibus juste affligimur*, *culpabiles contra te nos reddimus*. *Ad te Domine Jesu venimus*, *ad te prostrati clamamus*, *quia viri iniqui*, *& superbi*, *suisque viribus confisi undique super nos insurgunt*, *terras hujus Sanctuarii tui caeterarumque sibi subjectarum ecclesiarum invadunt*, *depraedantur*, *& vastant*, *pauperisque tuos cultores earum in dolore*, *& fame*, *atque nuditate vivere faciunt*; *tormentis etiam*, *& gladiis occidunt*. *Nostras etiam res*, *unde vivere debemus in tuo sancto servitio*, *& quas B. animæ huic loco pro salute sua reliquerunt*, *diripiunt*, *nobis etiam violenter auferunt*. *Ecclesia tua hæc Domine*, *quam priscis temporibus fundasti*, *& sublimasti in honore B. semper Virginis MARIÆ*, *sedet in tristitia*, *non est*, *qui consoletur*, *& liberet eam*, *nisi tu Deus noster*. *Exurge igitur Domine Jesu in adjutorium nostrum*; *conforta nos*, *& auxiliare nobis*; *expugna impugnantes nos*; *frange etiam superbiam illorum*, *qui tuum locum*, *& nos affligunt*. *Tu scis Domine*, *qui sunt illi*, *& nomina illorum*, *corpora quoque*, *& corda eorum*, *antequam nascerentur*, *tibi soli sunt cognita*. *Quapropter eos Deus*, *sicut scis*, *justifica in virtute tua*; *fac eos cognoscere*, *prout tibi placet*, *sua malefacta*, *& libera nos in misericordia tua*; *ne despicias nos Domine clamantes ad te in afflictione*; *sed propter gloriam nominis tui*, *& misericordiam*, *qua locum istum fundasti*, *& in honore Genitricis tuæ sublimasti*, *visita nos in pace*, *& erue nos a præsenti angustia*. *Amen*. Quo clamore facto, reportentur Reliquiæ suis locis, & dicat Sacerdos sub silentio collectam: *Libera nos quæsumus Domine*.

XXXII. Hactenus Farfensis monasterii consuetudines. Hujus rei praxim aliquam advertere licet in libro Miraculorum S. Aigulfi Martyris n. 6., sæc. 2. p. 669. cujus in Provinensi monasterio cum Clericus quidam tres furatus esset calices, & inde monachi calumniam paterentur; „ (sumto consilio super hoc, placuit omnibus, ut corpus S. Aigulfi cum capsula ad terram deponeretur, & tandiu ibi jaceret, quousque sacrilegum Deus revelaret. Decreverunt etiam, ut post orationem Dominicam in Missa tres psalmi cum tribus orationibus cantarentur, ut Deus petitionem eorum per meritum Sancti Martyris exaudire dignaretur.) Huc revocare licet insigne S. Bernardi Abbatis Clerevallensis, Vit. ejusd. l. 2. c. 6. factum cum Guillelmo Aquitaniæ Duce, pulsos sedibus Episcopos restituere denegante: inter Missarum solemnia: „ [peractis consecrationibus, & pace data, & diffusa in populum, vir Dei jam non se agens ut hominem, Corpus Domini super patenam ponit, & se-

cum

„ eum tollit, atque igneâ facie, & flammeis oculis non supplicans, sed minax, foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogavimus te, inquit, & sprevisti nos; supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, conventu, servorum Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput, & dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest judex tuus &c.) Quod factum Ducem adeo terruit, ut Episcopos nulla interposita mora suas in sedes revocaverit. Vid. Præf. sæc. 2. n... p...

XXXIII. Alium hujusce clamoris ritum subjiciunt antiquæ item Farfensis monasterii consuetudines, quem nos hic etiam subjicere duximus operæ pretium: (Cum surrexerint a capitulo die Dominico sonent signum, agant orationem, dein exeat Sacerdos cum infantibus, & præparent se ad Missam. Tunc sonet signum denuo, quod majus est duas vices pro annunciatione populi. Ad expletionem evangelii, dicatur: *Credo in unum Deum*; quo expleto, ascendat Armarius in pulpitum, & nuntiet plebi malitiam persecutorum. Dein procedat alius Frater, & legat anathemata, vel maledicta tam novi, quam veteris testamenti, secundum utilitatem, & a vicinis Episcopis prohibitionem; maledictionem non emendantibus; benedictionem iis, qui se præparant ad emendationes. Qua lecta, extinguatur candela, pulsentur omnia signa, dimissis prosternant se omnes in terra, & hos psalmos decantent: *Domine quid multiplicati sunt: Deus in adjutorium*: vel illos duos adjungentes ad Deum ne *Benedixisti: Fundamenta*, vel quales habuerint constituti ex aliis. Cap. *Ostende nobis: Esto nobis: Exurge Domine*. Orationes: *Concede nos famulos tuos: Quæsumus Domine: Omnipotens sempiterne Deus mæstorum*, vel sicut diximus, decretas habuerint, surgentes cantent offerendam, perficiant Missam. Aliis diebus cotidianis agant ita: Mox ut surrexerint a capitulo, veniant, & dicant quinque psalmos pro defunctis, & tunc sonentur signa, & dejiciant se in humo, & dicant sicut supra.)

XXXIV. In MS. vero Cluniacensis monasterii consuetudinibus, & in Benignianis c. 27. de hoc pro tribulatione clamore hæc habentur: „(*Privatis diebus ita fit* de tribulatione. Finita offerenda majoris Missæ, incipit Armarius ℟. *Deus, qui sedes*, vel aliud huic negotio congruum; & dum cantatur, omnia signa pulsentur, ut possit comperiri, quia extra solitum hoc fit. Finito autem ℟. sine versu suo, continuo prostratus cantat totus conventus hos tres psalmos: *Domine quid multiplicati sunt: Deus noster refugium*, & *Ad te levavi*; quos sequuntur hæc capitula præmisso *Kyrie eleison*, & *Pater noster*: *Post partum virgo*: *Salvos fac servos tuos*: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*. Deinde hæ collectæ: *Concede nos famulos tuos*: *Omnipotens sempiterne, qui facis mirabilia magna*: *Hostium nostrorum quæsumus Domine*. In XII. Lect., & in octavis eodem omnino modo fit, nisi quod psalmi non cantantur prostrate; hoc autem tamdiu fit, donec Domnus Abbas cessari præcipiat.

XXXV. Et alibi eædem Benignianæ consuetud.: „(Cum aliquo prædone vastante res ecclesiæ, volunt inde ad populum querimoniam facere, præcipitur, ut omnes populares die Dominica ad majorem ecclesiam conveniant; & tunc cantatur Missa matutinalis ad Crucifixum. Finito evangelio, quidam fratrum ascendit pulpitum, & de præceptis divinis aliquantisper primum loquens, tandem manifestat eis tribulationem, suggerens eis, ut faciant eleemosynas, atque rogent Dominum, quatenus illum malefactorem pacatum eis reddat, & convertat de malo ad bonum. Adjungit quoque quædam humilia, & persuasoria dicens: Scitis, quia si aufertur nobis nostra substantia: non possumus vivere; rogate ergo fratres Deum, & nos faciemus ad eum proclamationem. His dictis incipitur in choro ℟. *Aspice Domine*, vel *Congregati sunt inimici nostri*; & omnia signa ter interim parumper pulsantur. Finito autem ℟., signisque dimissis dicit conventus hos tres psalmos: *Domine quid multiplicati sunt* &c. ut supra.] Aliter imminentem a se tribulationem avertere tentabant Pomposiani monachi; cum enim Heribertus Ravennensis Episcopus cum armata manu totum destruere cogitasset Cœnobium, ubi consilium illius ad S. Guidonis Abbatis aures pervenisset „(se cum omnibus monachis devotissime contritoque corde in orationem dedit. Nam a parvo usque ad maximum, exutis solitis staminiis, induti sunt asperrimis vestibus, & ciliciis, cantantes cum Psalmographo: *Dum mihi molesti essent induebar cilicio*. Per tres autem continuos dies, & noctes, ita induti, discalceati, hordeaceo pane solummodo, & aqua contenti, acriter quotidie in capitulo sed sponte, verberati sunt: nulla sede nec in ecclesia, nec in refectorio, nec alicubi, nisi terra usi sunt,) inquit Anonymus scriptor in secunda vita S. Guidonis n. 12. apud Bollandum 31. Martii. Vid. S. Rudesindi Episcopi miracula n. 42. sæc. 5. p. 543.

CAPUT XVII.

De fratribus in viam directis.

I. POstquam superiori capite de variis extra monasterium processionibus egimus, æquum est, ut de singulari fratrum pro monasterii utilitatibus, aliisque caussis necessariis foras prodeuntium aliquid dicamus. S. Benedictus regulæ cap. 67. scripsit integrum de Fratribus in viam directis, in quo maxime differit de precibus, orationibusque faciendis pro fratribus dirigendis in viam, pro eis jam in itinere constitutis, & pro eisdem ex eo reversis; at, quam observare tunc debeant, disciplinam omnino reticet: quapropter rem ab antiquis asceticæ vitæ Patribus, ipsaque Ordinis Benedictini praxi repetere operæ pretium existimavi.

II. Itaque ante omnia regula Abbatis Isaiæ c. 29. „(Si miserit te, *inquit*, Magister tuus ad faciendum iter, postula ab eo quomodo te regas, & fac juxta mandatum ejus, ne transferas verba, si custodieris oculos tuos, & aures tuas, minime peccabis lingua tua.)

III. Secundo, ut operi Dei nihil prorsus se præponere demonstrarent Cistercienses præscribunt, ut „(si intra monasterii portam primum horæ canonicæ signum, vel capituli, sive collationis præoccupaverit (egredientem,) revertantur;) quod idem in MS. Cluniacensis monasterii consuetudinibus legitur in hæc verba: „(Est autem consuetudo, ut nullus monasterium egrediatur postquam ad aliquam horam, vel ad capitulum inceptum fuerit ipsum signum pulsari.) Vid. Udalric. l. 3. c. 5., & cons. S. Benigni c. 2.

IV. Tertio observandum, veteres monachos, non nisi pedites, aut ad summum jumenti auxilio adjutos iter confecisse, ut patet ex vita S. Lupicini Abbatis authore Anonymo num. 11. apud Boll.: „(Non illo tempore (scilicet sæc. Christi v.) Frater ab Abbate foras ob caussam aliquam destinatus, (quod nunc quoque refragatis ubique institutionibus referre pudet, ac dicere) sensibilis, ac bipes quadrupedi invectus est equo: Sed sufficiebat cuique cum sustentatione baculi crassior, fortiorque monasterii tunicula:) Rarius vero usos fuisse curru, unde S. Paternus, non nisi „(multa Regis Childeberti prece compulsus est, ut ipsi glorioso Regi Childeberto Parisius in carro cooperto reclusus occurreret,] ut scribit Fortunatus in ejus vita n. 14. Pedites vero baculum, & peram deferebant, ut discimus ex Cassiano coll. 11. c. 3. „(Sumto itaque baculo, & pera, ut illic *cunctis viam egredientibus monachis moris est*, ad civitatem nos suam itineris dux ipse perduxit.] Pera autem erat pellis caprina, ex eodem Cassiano l. 1. c. 8. & 9., quam in mortificationis indicium sæcularibus exhibendæ monachi portare solebant, baculum vero ad repellendos latrantes canes, & ad malum incitantes; ubi certe illud venit in mentem, quod de S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo Romam profecturo scribit Eadmerus in ejus vit. l. 2. n. 33. apud Boll. 21. April.: *Peram, & baculum peregrinantium more coram altari suscepit*.

V. Ii vero, qui equo aliove jumento utebantur, quid observare deberent docent nos Divionenses S. Benigni consuetudines cap. 51. his verbis: „(Monachus cum iter unius diei aggreditur equitare, vel etiam majus, numquam debet ire sine fasciolis. In cuculla nec magnum, nec parvum debet equitare, nisi forte calor nimius, aut hujusmodi qualibet intolerabilis anxietas artaverit eum. Quod si contigerit, poterit equitare in cuculla; sed hoc summo studio cavendum est ei, ne sic equitans intret burgum, aut villam, aut obviet alicui. Ideoque debet, post se portare froccum suum ligatum, & cum opus fuerit statim induat eum. Et hoc satis apparet ex hoc, quod adeo est furtiva, quatenus hæc consuetudo non est multum regularis. Si opus habet, ut cingulo succingatur; prius induat cappam, post succingatur; numquam enim, sine cappa succingi, vel non succinctum equitare, regularem monachum certum est. Non debet sine possa, & pectorale equitare. Cum in montem ascendit, si non habuerit possam, non est grandis negligentia: similiter cum descenderit, si non habuerit pectorale; videat tamen, ut nusquam sine pectorale ascendat; neque sine possa descendat. Quando ascendit, ita debet se girare graviter,

tes, quod pedem finistrum, qualicunque modo stet in alto primitus, debet in stafam mittere; deinde dextrum super renes equi, quoadusque vestimenta sua sub se componat, paramper sustentare, sicque se cum gravitate super equum deponere. Super quodlibet jumentum, nec comedere debet, nec bibere. Cum voluerit retro aspicere, non debet caput torquere; sed cum toto equo se girare. Non debet super unam coxam equitare. Non debet pedem super equi collum ponere, ut gambam sustentet. Neminem debet post dorsum portare.)

VI. Quarto, iter jam aggressi juniores Majoribus obtemperabant, ,, (Majores, qui cum fratribus mittuntur foras, *inquit S. Pachomius Reg. art.* 189. *Cod. Reg. eadem habet regul. Orient. c.* 22., quandiu ibi fuerint habebunt jus Præpositorum, & eorum cuncta regentur arbitrio, docebuntque fratres per constitutos dies. Et si forsitan aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audient ipsi Majores, & dijudicabunt caussam, & dignum culpa increpabunt, ut ad imperium eorum statim pacem plano corde consocient;) & S. Columbanus in Pœnitentiali: ,, (Si cui injunxerit Abbas, aut Præpositus de fratribus iter agere, ita observandum est, ut seniori junior obediat; si tamen rectum fuerit, quod ei indicaverit, observare studeat. Si quid præceperit Abbas, vel œconomus, major, & alius humilior intervenit œconomus, ipse obedire debet, indicans tamen in silentio quod præceperit alius major.)

VII. Quinto, regula Orientalis cavet c. 22. ne alter separetur a socio: ,, (Missi vero, *inquit*, non singuli, sed bini, vel terni ambulent, ut dum se invicem custodiunt, & consolantur, & seniores eorum de honesta eorum conversatione securi sint, & illi non periclitentur.) Ubi observare licet, quod habent antiquæ Farfensis monasterii consuetudines: ,,) in itinere si pergant duo Conversi, & unus Sacerdos, qui junior illorum sit; ubicumque sederint, debet Sacerdos sedere in medio illorum. Quando vero pertexit unus ex eis cum Sacerdote, semper debet Sacerdos sedere super illum, & loqui non decet illum, nisi per ejus licentiam.

VIII. Sexto, supradicta Orientalis Regula jubet, ut a fabulis abstineant: ,, (Observantes, *inquit* c. 22., hoc, ut non se invicem fabulis inanibus destruant, neque negligentiæ dent locum destructionis; sed unusquique in actu suo attentus sit.)

IX. Septimo, ut facilius a fabulis abstinerent, aut silentio, aut psalmis vacabant; silentio quidem juxta Regulam S. Antonii, cujus hæc verba: ,, (Si iter feceris cum fratribus, secede ab illis paramper, & sis in silentio, & dum incedis per viam, ne te convertas sinistrorsum, vel dextrorsum, sed meditare psalmos tuos, & ora in mente tua ad Deum.) Idem habet regula Isaiæ Abbatis n. 17. Psalmis vero, & hymnis, uti præscribit S. Basilius Reg. fus. disp. c. 39. ,, (Ut id itineris liceat cum psalmis, & precationibus, ac reliqua in aliis ædificatione conficere;) inquit agens de proficiscentibus ad distrahenda opera. Utrumque a nostris frequentatum fuit, & silentium, & psallentium. Silentium omnino servabat S. Adalardus, de quo Paschasius aurea protulit hæc verba in ejus vit. num. 28. ,, (Si inter mundi discrimina hoc illucque pro Ecclesiæ negotio occupatus esset, instituta tamen Regulæ minime deserebat; sed pro lectione vacabat fletibus, & pro reliquis officiis mentis jubilo Domino famulabatur; noverant igitur omnes sui comites, & itineris socii continuo se nolle appropinquari, idcirco procul ab eo gradiebantur quatenus ille soli Deo vacaret:) S. vero Agilus *psalmorum melos ex more* peragebat in ejus vit. n. 10. sæc. 2. Idem de Gemmeticensibus monachis duobus tempore S. Filiberti Abbatis docet Anonymus in vita S. Aicadri c. 12. Idem de Garvino Centulensis monasterii Abbate piissimo Hariulphus in Chron. l. 4. c. 26. sæc. 2. Spicil. tom. 4. ,, (Si quolibet iter agebat, *inquit*, more S. ac Beatissimi Patris nostri Richarii, aut psalmi ex ore ejus resonabant, aut salutaris prædicatio, seu correctionis admonitio audiebatur.) Idem de S. Odone Abbate Cluniacensi narrat Johannes monachus in ejus vita pluribus in locis, scilicet l. 2. n. 5. 6. & 19, ubi refert latronem quemdam Aimonem nomine ,, (cum vidisset eum, fratresque, qui comitabantur illum, incessanter psallere, & psallendo iter peragere) illico corde compunctum conversum fuisse. Idem de S. Stephano, postea Abbate Obazinensi in ejus vita l. 1. n. 24. tom. 4. Misc. Baluz. Hoc referendum est, quod de Ceolfrido Abbate in Anglia refert Beda Venerabilis in vit. Bertol. Biscop. l. 2. c. 2., eum nimirum in itinere constitutum, præter canonicum officium, duo quotidie psalteria sacrumque Missæ sacrificium decantasse, quod per dies minimum centum, & decem præstitit.

X. Octavo, author est Abbas Isaias orat. 3. ut ,, [si cum seniore iter facis, sarcinam, si qua ferenda est, ne sinas illum omnino gestare; sin autem æquales estis, eam ambo vicissim gestate, ita tamen, ut semper onustus præcedat;) & alibi orat. 4. ,, (Si cum iter facitis, est aliquis inter vos imbecillior, sinite ipsum præire; ut si sedeat velit possit.) Eadem omnino habet in regula n. 42.

XI. Nono, optimo Sancti Antonii consilio, ,, (neque revertaris invisere consanguineos tuos carnales, nec faciem tuam illis videndam præbeas, nec adeas ad illos.) Optimum, inquam, consilium, quo tamen non omnem prorsus consanguineorum visitationem excludit; sed *carnalium* tantum. Pios enim, & in Dei servitio devotos nonnumquam invisere, & licet, & utile est, at vix unquam monacho necessarium. Et hoc quando fit, cum magna cautela; ubi observandum venit quod præscribunt Divionenses S. Benigni consuetudines c. 51. de disciplina foras iter agentium: ,, (Nullam umquam fœminam permittitur osculari, neque sororem, nisi matrem tantummodo; sed nec debet capere quicquam de manu fœminæ. Nec eam communicare. Et cum offerendam ab ea accipit, manum suam velare debet.]

XII. Decimo, ad alium quam præfixum erat a Patre monasterii locum non divertebant, unde Regula Tarnatensis: ,, (Si quis vero a fratribus in quocumque negotio ad civitatem, aut ad castellum, sive ad viam seniore imperante dirigitur, nisi ad illum, quo destinatur, non præsumat accedere.

XIII. Undecimo, optimum suis dat monitum Abbas Isaias in Reg. c. 48. ,, (Cum urbem, aut oppidum ingressus fueris, ad terram dimitte visum tuum, ne visa abs te sint tibi certaminis caussa in cella tua;) ubi recte redit in memoriam, quod de Sancti Stephani Abbatis Obazinensis discipulis refert Anonymus in ejus vita l. 2. n. 57. tom. 4. Misc. Baluz. ,, [Nullus aliquando imparatus, vel absque digna, & rationabili caussa iter arripiebat, nullus in extraneis locis prandere, sive manere, nullus per vicos, & plateas incedere solitus erat, sed aut per mediam villam, vel civitatem operto capite cum disciplina transibant, aut extra perducentem semitam ad destinatum locum pergebant: non enim villas tunc temporis ingredi consueverant, nisi eos injuncta, aut inevitabilis necessitas compulisset. Si cui casu aliquid loquerentur, tanta sermones suos circumspectione librabant, quod nullus eos in verbo capere, vel reprehendere posset:) & quod præscribit Regula S. Stephani Grand. c. 52.: ,, (In itinere caveta viatorum societatem, prout res exiget, ingressusque civitatum, & castellorum, ne exterior oculus videat, unde interior cæcus fiat.) Huc etiam revocari potest, quod præscribunt Benignianæ consuetudines c. 51. ,, (Non debet per mercatum ire, ut aliquid emantur; sed si aliquam parvam caussam vult comparare, debet jubere famulo suo emere. Si autem grandem, in aliquam solitariam mansionem mercatorum cum sua revocare, & cum omni honestate facere, ut benedicatur Deus in servis suis.)

XIV. Duodecimo ,, (In ipso loco, quo proficiscendum est constituti, *inquit S. Basilius Reg. fus. disp.* c. 39. ,, eadem eligant diversoria; ut se invicem observare, & nullum precandi tempus, sive diurnum, sive nocturnum negligere) valeant. Ubi duo decernit, 1. ut eodem omnes divertant in loco, 2. ut diurnum nocturnumve divini officii pensum reddere non negligant. Ad primum spectat Anonymi Episcopi Constitutio Synodalis anno 1237. facta apud Spelmannum tom. 2. Conc. Angl. p. 236. ,, (In civitatibus, burgis, seu villis, ubi ecclesia conventualis est, maxime sui ordinis, non hospitetur, nisi penes Religiosos; & si domus ei, & vectuis suis non sufficiat, nihilominus si fieri possit, de nocte dormiat infra septa illius monasterii.) Hic observare licet, quod statuit in regula sua Magister c. 57. ,, (Et hoc præceptum Abbatis, & Præpositorum exeuntes in viam fratres accipiant, ut quotiescumque fratres spiritales positos visitant, & cum introierint cellas, aut oratoria orantes dicant hunc versum: *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus*. Exeuntes inde orantes, similiter dicant hunc versum semper: *Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitas tuas edoce me, dirige me in veritate tua*; aut fortu alium versum pro isto, si voluerint dicere: *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea*. Ergo cum ceperint a monasteriis, & cellulis spiritalium nostri fratres exire, prius oratorio valefaciant.) Observandum etiam, quod ajunt Divionenses S. Benigni consuetudines c. 51. ,, (Cum autem veneris ad tantam

„ tam congregationem fratrum, quæ adeo magna fuerit,
„ ut ibi sit scola infantum; si nunquam ibi amplius fuit,
„ aut si fuit aliquoties, & moratur per annum, aut dimi-
„ dium, non illuc redierit; consuetudo præcipit quatenus
„ ad monasterii introitum prius ablatis calcaribus, & fa-
„ sciolis petat veniam unam super genua, & orationes
„ suas intus faciat prostratus, quæcumque dies sit. Si
„ vero aliquando, saltem transiens ipsum monasterium in-
„ gressus, quod dictum est persolvit, atque ad redeundum
„ plusquam quatuor, aut quinque mensibus moram non
„ fecerit, non petat ad introitum præfatam veniam, neque
„ orationes prostratus faciat, nisi forte conventus ad pre-
„ ces super formas prosternatur. In claustro non debet
„ aliquem osculari, nisi conventum osculetur totum, in
„ aliis officinis cum licentia osculari potest.) Porro
etiam in publico hospitio diversatos fuisse veteres mona-
chos pro comperto habetur; unde S. Athanasius, seu qui-
vis auctor syntagmatis doctrinæ ad monachos, & Clericos.
„ (Cauponam, *inquit*, nunquam ingrediaris, sique in
„ itinere cibo, ac potu opus habes, mitte, qui emat,
„ inque loco quodam ecclesiæ separato ede, ac bibe;) &
hac forte ratione Goffridus Abbas Vindocinensis in itine-
re constitutus aliquando *panem*, & *vinum*, *piscem*, &
caseum secum deferebat, ut in quadam ejus epistola vide-
re licet. Quid vero sure necessitas aliud cogebat; Docet
præfatus Athanasius l. 4. ep. 7. addens: „ (Ubi vero ec-
„ clesia ibi non fuerit, neque domus quidem ulla Ortho-
„ doxorum, ita ut cogaris frequentare hospitium publi-
„ cum; in hospitium intre, in quo nullæ sunt fœminæ,
„ neque taverna, fleas interea in tristitiam animo, vul-
„ tuque.)

XV. Almaure, quod ex citatis S. Basilii verbis nota-
vimus, erat exacta diurni, nocturnique officii recitatio.
Certe ea fuit veterum Benedictinorum circa divinum offi-
cium religio, ut etiam in itinere constituti statis, solitis-
que horis, tam die, quam nocte, illud persolverent, quos
etiam si meditos per campos horæ alicuius præoccupasset,
concito equo desiliebant, genua ad terram flectebant, facta-
que oratione, inceptam horam equum ascensi absolvebant, ut
videre est ex dictis in comm. ad c. 51., & insuper in
Benignianis consuetudinibus c. 11., ubi hæc leguntur:
„ (Cantaturus horam quamlibet descendit, flexisque ad
„ terram usque genibus, prius faciet orationem suam bre-
„ vitet; deinde surgens sine ante, & retro dicet: *Deus*
„ *in adjutorium*; & petita venia, ascendit equum suum,
„ & ibi finiet horam. Hoc modo faciet, si privata dies
„ fuerit, alioquin nihil horum faciet; sed super equum, &
„ incipiet, & finiet horam. Verumtamen cavendum est
„ illi, ut neque in privatis, neque in aliis diebus habeat
„ capitium suum in capite, aut chyrothecas in manibus,
„ dum psallit horam.) Ubi videt quanta devotione, quan-
ta reverentia Patres nostri officium divinum privatim per-
solverent; cui certe referendum videtur Petri Venerabilis
Abbatis Cluniacensis Statutum n. 40., quo decernit „ [ut
„ nullus Priorum, nullus aliorum iter faciens, ducat se-
„ cum plusquam tres equitaturas, vel si Prior ordinis fue-
„ rit, quatuor, aut plus quinque, & hoc tam propter
„ honestatem, aut testimonium societatis, quam propter
„ officia ecclesiastica studiosius decantanda.) Sane tot equi-
taturas, utpote modestiæ religiosæ minus convenientes, ac
fastum sæcularem nimis redolentes hæc nostra ætas non
ferret. At illis temporibus aliis vivebant legibus, quibus
hæc tunc non repugnabant: unde Gregorius Papa IX.
in Bulla ad Cluniacenses „ (circa equitaturas, *inquit*, &
„ familiam, omnem superfluitatem amputare volentes,
„ mandamus, ut Abbas Cluniacensis equitaturis sexdecim
„ contentus existat, & alii Abbates ejusdem ordinis, ac
„ Prior de Charitate octo: Prior Sancti Martini sex,
„ Priores alii conventuales tribus, vel quatuor, & cæteri
„ Priores minores duabus avectionibus sint contenti;)
quam Constitutionem postea confirmavit Nicolaus Papa IV.
in Bulla item ad Cluniacenses. Sed & omnium modestissimi
Cistercienses in suis institutis c. 40. hæc habent: „ [Ab-
„ bas veniens ad capitulum Generale intra Abbatiam Mo-
„ nachum non adducat, nec plusquam duos equos; sed con-
„ tentus sit uno Converso, vel uno serviente.) In Insti-
„ tutionibus vero nonnullis dist. 5. cap. 6. duos, quibusdam
tres equos permittunt. Redeo ad officium, quod ut facilius
in itinere constituti persolverent, libellos in sacculis secum
deferebant, ut de Cisterciensibus colligitur ex vita B. Ro-
gerii Abbatis Ellantii cap. 6. apud Boll. 4. Jan., eo enim
in viam directo „ (tempus ut fuit horam canonicam per-
„ solveret, ad quam dicendam necessarium fuit, ut librum
„ de sacculo traheret,) quem incaute terram in amnem
delapsum, nihil detrimenti passum reperit. Sanctus etiam
Odilo, ut auctor est Petrus Damiani in ejus vita c. 12. *Li-
bros*, & *lectulum* secum deferebat, & ex capite 13. *Li-
brum Sacramentorum*.

XVI. Hujusmodi libellos eo, quod longe breviores Le-
ctiones, quam Lectionarii Monasterii continerent, poste-
ris appellatos *Breviaria* visum est, tanquam abbreviatas Le-
ctiones habentes; nam & in nocturnis vigiliis longe bre-
vius officium decantasse veteres Monachos, patet ex Re-
gula Magistri, quæ cum prolixum satis præscripsisset offi-
cium fratribus in Monasterio remanentibus, constituit in
via breve trium psalmorum, nocturnum injungit in strato
recitandum: „ (Cum surrexit nocte, *inquit c.* 58. supra
„ stratum suum frater, aut solus, aut cum alio adimplens
„ nocturnos, post versum tertio repetitum a capite, vel re-
„ sponsorium, primum tres psalmos dicant, etiam respon-
„ sorium, lectiones, versum, non amplius propter laborem
„ viæ præteritum, & futurum. Matutinos vero omni
„ tempore in via, post nocturnos simplicitos mox subse-
„ quentes, conjungant: ne cum lux eos occupaverit, Ma-
„ tutina in squalidis, in importunis, vel spurcatis casæ, vel
„ tabernæ locis, antecedentes, aut post decedentes, no-
„ strum propositum laicos sine reverentia videatur com-
„ plere.) Hæc autem non referimus quasi licitum esset
Lectiones, aut psalmorum numerum abbreviare, aut quasi
ansam præbimus negligentibus Monachis in viis sistentibus,
aliquid ex officio detrahendi; hæc enim sembant prisca
tempora, non nostra. Et etiam multos nunc habeamus
Monachos longum iter sæpe sine ullo jumenti adjutorio
pedites, ac sarcinis onustos conficientes, solidos, & inte-
gros dies sine ulla sibi perceptione præterquam ad Vesperam
transeuntes, interrupto somno, nocte surgentes ad confiten-
dum Deo. His plane nocturnum officium abbreviem aliquo
modo permittemus; at rara avis in terris.

XVII. Decimo tertio, sicut orationis, ita etiam lectionis
tempus nonnulli observabant. Illud expressis verbis præ-
scribit præfatus Magister in Regula: „ (Si in viam lon-
„ giorem dirigentur, *inquit c.* 57., codiculum modicum
„ cum aliquibus lectionibus de Monasterio secum portet,
„ ut quamvis hora in via tepuisaverit, aliquantulum te-
„ nere legat; ita tamen si fuerit psalteratus: si vero non
„ fuerit, tabulas a majore superpositas psalmis secum por-
„ tet, ut ad refectionem prandii, aut ad mansionem cum
„ applicuerit, aliquantulum, quantum occurrerit tamen,
„ meditetur, ut quotidie Regulæ reddat, quod suum est.)
Ita Sanctus Æquitius, ut scribit S. Greg. lib. 1. Dial. c.
4. „ (super semetipsum sacros codices in pelliciis sacculis mis-
„ sos dextro, lævoque latere portabat, & quocumque per-
„ venisset, scripturarum aperiebat fontem, & rigabat pra-
„ ta mentium.) Ita Helinardus Abbas Divionensis Spicil.
tom. 1. „ (Adeo lectioni deditus erat, ut in itinere po-
„ situs libellum sæpius gestaret in manibus, itaque in e-
„ quitando reficiebatur animus legendo;) inquit Chro-
„ nographus Benignianus. Idem de S. Majolo Abbate Clu-
niac. scribit Syrus in ejus vit. l. 2. c. 3. sæc. 5. Idem de S.
Odilone supra vidimus; & ante hæc omnia Germanus Mo-
nachus *ex libro, quem via comitem gestare in sinu erat soli-
tus alta voce pronuncians non modico spatio* media nocte le-
gisse dicitur in vita S. Eudociæ n. 3. apud Boll. 1. Mart.
Idem etiam nunc quidam ex nostris summa cum laude fa-
cere consueverunt.

XVIII. Decimo quarto, Magister in Regula cap. 28. &
59. ab octavo Calendas Octobris ad Pascha feria quarta,
sexta, & Sabbato non solum solitum servari jejunium ad
Nonam; sed insuper usque ad Vesperam protrahi præcipit,
ne forte occasione refectionis retardetur iter, & ingratius
a taberna suscipiantur, a quibus incœnatis lucri nihil spe-
rant: Cistercienses vero circa jejunia hæc statuunt: „ (Je-
„ junia consuetudinaria tam æstate, quam hyeme juxta
„ consuetudinem teneant, nisi forte Abbas quispiam eum
„ secum prandere fecerit, & hoc in suis tantummodo Mo-
„ nasteriis, aut quilibet Episcopus, vel Archiepiscopus, seu
„ etiam Sedis Apostolicæ Legatus. At jejunia præcipua,
„ quibus videlicet in ordine nostro cibis tantum Quadra-
„ gesimalibus vesci mos est, juxta morem custodiat. Ad
„ mensam non loquatur: sagimine non vescatur.)

XIV. Decimo quinto, circa refectionem ipsam: „ (Et
„ si a carnibus, & vino nunquam supervacaneis abstinere
„ soleas ex instituto tuo, *inquit Athanasius Syntag. doctr.*
„ *ad Monachos &c.*, ideo tamen inter peregrinandum
„ noli inanes stare glorias, sed similis fias fratribus, v.
„ g. si oleribus, ac decoctis vesci consueveris, necessitate
„ imposita, garum edito, vel piscem quoque.) At vola-
tilia etiam jubente Episcopo Monachis comedere est inter-
dictum ex Decreto Concilii Aquisgranensis statuentis
cap. 9.: „ (ut nullus Episcoporum Monachis volatilia
„ comedere præcipiat.) Porro non decet Monachos hospi-
tio receptos coquorum studia, & inventiones requirere,
quæ

quæ tanquam a religiosa vivendi ratione aliena refugere debet, ut de Gervino Centulensi Abbate scribit Heriulphus in Chron. l. 4. c. 26. Inter edendum vero hæc observanda præscribunt Benignianæ consuetudines c. 51. „ [In pellicia sua, vel nudis pedibus, nec edere debet, nec bibere. Ad prandium suum leget, sicut mos est, in principio, & in fine, & versum totumque *Miserere mei Deus*. Sed non facit ante, & retro nisi in Monasterio sit.)

XX. Decimosexto, circa lectum, Regulæ Magistri: „ (Adplicantes, *inquit* c. 57., in via ad mansionem fratres tali loco lectum sibi eligant facere, qui sit semotus, & mundus, ubi digne super stratum lenitet in nocte Deum memorentur.) Cistercienses vero in libro Usuum c. 88. „ (In plumis (*a*) non jaceat, nisi forte stramen, vel aliud tale quid, super quod jaceat sine magno labore, aut somnum habere non possit; (adduntque:) Et sciendum est, quod tam Abbates, & Monachi sagum, quod vulgo dicitur stratum, secum possunt deferre, & cervical. Qui autem pro strato sagum portare voluerit, liceat ei: tantum observet ne sint pretiose, vel curiosa.) Cisterciensibus singulare non fuit lectum secum in viæ deferre, cum ante eos id fecisse S. Odilonem scribat Petrus Damiani in ejus vita. Observandum autem, quod ait Abbas Isaias Reg. cap. 18. „ (Ne cubes cum alio sub eodem stragulo, ora multum ante cubitum, quamvis defatigatus sis ab itinere.) His adde, quod habent Benignianæ consuetudines cap. 51. „ [Omni nocte, si possibile fuerit, debet lumen habere.)

XXI. Decimoseptimo, optime S. Antonius Reg. c. 47. ibid. c. 17. „ (Quocumque in loco ingredieris, ne præsidentes agas cum incolis illius; (& alibi;) si adieris aliquem fratrem, ne diu moreris in domicilio ejus.) Optimum quoque erit, ut foras proficiscens Monachus corde remaneat in claustro, ut de Sancto Albino primum Monacho, dein Episcopo Andegevensi, scribit Venantius Fortunatus in ejus vita nu. 6. sæc. 1. „ (Talem se intra Monasterii septa tractavit, ut, vel si quando processit ad publicum, esset intra carcerem sui cordis inclusus, nec aliud extra se respiciendum prætulit, quam Christum, quem in pectore fidelis portitor bajulavit.)

XXII. Denique reversi ab itinere omnia, quæ gesserant, Abbati solebant intimare, ut patet ex Johanne Monacho in vita S. Odonis l. 1. nu. 36. Hæc sunt præcipua, quæ de disciplina veterum Monachorum in viam directorum dicenda nobis occurrerunt; plura superaddere possemus, nisi supervacaneum videretur hic ea repetere, quæ in commentario ad Reg. c. 50. 51. & 67. diximus. Videsis etiam Benedictum Haeftenum l. 11. tract. 4. disq. 4.

CAPUT XVIII.

De locutione per signa.

I. QUanta fuerit veterum Monachorum, & maxime Benedictinorum in silentio religio, nihil exprimit amplius, quam inducta, receptaque passim apud eos per signa loquutio. Scio Erasmum perpetuum Monachorum sugillatorem, aliosque ejusdem mentis homines, qui & fortes se animos habere simulant, cum tamen, vel ad minima quotidie deficere probentur, etiam hac nostra ætate hujusmodi signa tanquam histrionum gesticulationes reprobasse, atque damnasse; at certe tanta non est istorum virorum authoritas, quæ tot sanctissimorum Monachorum sententiæ prevalere debeat, quorum & numerus, & pietas, & meritum, & doctrina, apud æquiores rerum æstimatores, omnesque probos viros illorum susurrationibus præponderare deret. Porro pia hæc per signa loquendi consuetudo ipsi Cœnobitarum institutori S. Pachomio originem debet, qui edentibus ad mensam, Regulæ art. 33., & laborantibus in pristino art. 65. eam commendaverit. Eamdem laudat Cassianus l. 4. de institutis Renunciantium c. 17., eamdem Nicephorus Historiæ lib. 9. cap. 14. agens de monachis; at multo magis exemplo suo Abbas Theodosius, qui, ut refert Johannes Moscus lib. 10. de vit. Patr. c. 67. „ (triginta quinque annos egerit in solitudine semper post biduum comedens, & jugiter silentium servans, neque ad aliquem loquens, ceterum, si loqui voluisset, *signo* potius, quam verbo utebatur.) Ipse justorum omnium spiritu plenus S. Legislator noster Benedictus necessaria ad mensam *sonitu cujuscumque signi* potius, quam voce peti instituit. Idem post eum senserunt S. Fructuosus Bracarensis Episcopus in Regula Monachorum cap. 5., & Magister in Regula item c. 30. Verum commendandos præ omnibus hic in præsi sub S. Odone Abbate se se exhibuerunt Cluniacenses nostri, de quibus Johannes Monachus in vita S. Odonis l. 1. n. 32. sæc. 5. Bened. „ (Quotiens necessarias ad exposcendum res indigebant, totiens diversa in invicem fiebant ad perficiendum signa, quas puto Grammatici digitorum, & oculorum notas vocare voluerunt. Adeo nempe inter eos excreverat ordo iste, ut puto, si sine officio linguæ essent, ad omnia necessaria significanda sufficere possent signa ipsa.) Et hæc quidem non sub Odone solum, sed sub successoribus etiam ejus Abbatibus viguere, neque dominaret apud Cluniacenses, sed apud Cassinenses, Cistercienses, aliosque passim Monachos. Solus fere Guigo Cartusiensium Prior signorum legibus suos adstringere noluit; sic enim in Statutis cap. 31. „ (Soli enim degentes signa Cœnobiorum, aut nulla, aut pauca novimus, sufficere putantes linguam solam, non etiam ceteros artus reatibus implicare loquendi; & ideo, si cuius necessitas urget, non, vel duobus, aut certe paucissimis verbis, quod res postulat maluimus indicari.) Quibus verbis generalem *Cœnobiorum* praxim non damnat, sed hominibus solis degentibus, vixque umquam loquentibus non necessariam indicat tantum; alioquin fratribus Conversib., quibus ex conditione sua frequentius loqui incumbit, ipse alibi signa assignavit his verbis cap. 45. „ (Habent enim signa pleraque rusticana, & ab omni facetia, vel lascivia aliena, per quæ de his, quæ ad sua pertinent officia, rebus, vel instrumentis possunt adinvicem sine voce commemorari; aliena autem discere signa, vel sua docere alienos, licitum non est eis.) Utinam illa haberemus signa, quæ quia nos deficiunt, interim Benedictinorum, prout extant in MS. Cluniacensis Monasterii consuetudinibus, & ea ex Leone Ostiensi refert Petrus Boherius, accipe.

Ex MS. consuetudinibus Monasterii Cluniacensis.

De Signis.

II. „ (Postquam opus habet, ut signa diligenter addiscat, quibus tacens quodammodo loquatur, quia postquam adunatus fuerit ad conventum, licet ei rarissime loqui: & tales in claustro officinæ sunt, in quibus traditum est a Patribus nostris, & præfixum, ut silentium perpetuum teneatur, idest ecclesia, dormitorium, refectorium, & coquina regularis. In his singulis tam in nocte, quam in die, si, vel unum verbum quoquam audiente loquitur, non facile veniam absque judicio meretur. Et si, vel unam antiphonam, vel ℟., vel aliquid tale absque libro nominaverit, & in libro simul cum emissione verbi non viderit, de hoc non plene aliud, quam silentium videtur infregisse. De ipsis autem signis, ut aliqua ponam v. g. Et primum, quæ ad victum pertinent. Pro signo panis, fac unum circulum cum utroque pollice, & his duobus digitis, qui sequuntur, pro eo, quia & panis solet esse rotundus. Pro signo panis, qui coquitur in aqua, & melior solet esse, quam quotidianus, generali signo panis præmisso, hoc adde, ut interiora manus super alterius exteriora manus ponas, & ita superiorem manum quasi ungendo, vel imbuendo circumferas. Pro signo panis ligaliæ, & qui torta vulgariter appellatur; iterum generali signo præmisso; hoc adde, ut crucem per medium palmæ facias, pro eo quod id genus panis dividi solet per quadrum. Pro signo tortulæ, quæ præter solitam libram datur in quinque principalibus festis: duos digitos, qui pollicem sequuntur paululum divisos, pone oblique super duos alteros digitos eorum similes de altera manu similiter divisos. Pro signo fabarum, primo pollicis articulo sequentis digiti summitatem suppone, & ita fac ipsum pollicem eminere. Pro signo ovorum, cum digito in alterum digito, simula testam ovi vellicantem. Pro signo pulmenti oleribus confecti, trahe digitum super alterum digitum, quasi qui coquendas, inciderit herbas. Pro signo generali piscium, cum manu simula caudam piscis in aqua commoventem. Pro signo sepiarum divide omnes digitos ab invicem, & ita eos commove, quia & sepiæ ita multiplices esse videntur. Pro signo anguillæ, conclude utramque manum, quasi, qui ita tenet, & premit anguillam. Pro signo lampredæ, in maxilla cum digito simula punctim tres, vel quatuor propter ipsos punctos, quos lampreda habet subtus oculos. Pro signo salmonis, vel sturionis, præmisso generali signo piscium, hoc adde, ut pugnum erecto pollice supponas mento, quo superbia significatur; quia superbi maxime, & divites tales pisces solent habere. Pro signo lucii, iterum generali signo præmisso piscium, hoc adde, ut cum manu signum facias celeritatis, quia lucius celerius, „ quam

(*a*) Vid. Vit. S. Johannis Abb. Gorziensis n. 85. sæc. 5. p. 394.

„ quam alius piscis natat. Pro signo (a) truttæ, hoc adde, ut digitum de supercilio ad supercilium trahas, propter ligaturas, quæ hoc in loco habentur a feminis, & quia trutta feminino genere pronuntiatur. Pro signo milii, fac girum cum digito, pro eo quod & ipsum milium ita vertitur in olla cum cocleari. Pro signo crispellarum, vel, ut alii dicunt, frigdolarum, cum pugno accipe crinas quasi cupias, ita eos facere crispos. Pro signo casei utramque manum conjunge per obliquum, quasi qui caseum premit. Pro signo fladonum, præmisso generali signo, & panis, & casei, de una manu omnes digitos inflecte; & ita manu cava in superficiem alterius manus impone. Pro signo sufflearum, vel, ut Teutonici loquuntur, craphojum, præmisso generali signo panis, simula cum duobus digitis illas minutas involutiones, quæ in aëre factæ sunt ex ea parte, qua sunt complicatæ, & quasi rotundæ. Pro signo lactis, minimum digitum labiis impinge, pro eo, quia ita sugit infans. Pro signo mellis, paulisper linguam fac apparere, & digitos applica quasi lambere velis. Pro signo pomorum, vel maxime (b) .... pollicem cum aliis conclude. Pro signo (c) cerasorum, hoc adde, ut digitum subtus oculum ponas. Pro signo porri crudi, pollicem, & digitum ei proximum simul conjunctos extende. Pro signo allii, seu (d) rafæ extende digitum contra buccam, paullulum apertam propter id genus odoris, quod sentitur ex illis. Pro signo aquæ, omnes digitos conjunge, & per obliquum move. Pro signo vini digitum inflecte, & ita labris adjunge. Pro signo potionis pigmentatæ, conclude manum, & ita simula molentem. Pro signo potionis, quæ est melle, & absinthio temperata, duos digitos, id est indicem, & medium a ceteris disjunge, & ipsos quoque ab invicem disjunctos ita move, quia & absinthium in suis ita foliis est divisum. Pro signo sinapis, articulo anteriori minimi digiti pollicem suppone. Pro signo aceti, frica cum digito guttur, quia & in gutture ejus acrimonia sentitur. Pro signo scutellæ, manum latius extende. Pro signo cyphi, qui capit quotidianam vini mensuram, incline manum deorsum, & ita cavam tene digitis aliquantulum inflexis. Pro signo pateræ, ex qua bibitur, tres digitos aliquantulum inflecte, & sursum tene. Pro signo phialæ vitreæ præmisso præcedente signo, hoc adde, ut duos digitos circa oculum ponas, ut splendore oculi splendor vitri significetur.

De his, quæ ad vestitum pertinent.

III. „ Pro signo staminiæ, manicam ejus tene cum tribus digitis, idest minimo & duobus sequentibus. Pro signo femoralium, hoc adde ut manum in femore deorsum trahas, quasi qui se femoralibus vestit. Pro frocci, manicam ejus tene eodem modo, quo manica stamineæ est tenenda. Pro signo cucullæ, hoc adde, ut cum duobus digitis retro tangas capellum. Pro signo manicarum, tene manicam frocci, & signum, quod est pro femoralibus, adde. Pro signo pellicii, de una manu omnes digitos expande, & ita in pectore positos contrahe, quasi qui lanam constringit. Pro signo calcearum, digito digitum circumfer, quasi qui calceos cum corrigia ligat. Pro signo nocturnalium calceorum hoc adde, ut manum in maxilla ponas sicut dormiens solet. Pro signo pedulum, fac idem signum quod est pro calceis, & hoc adde ut manicam frocci cum digitis teneas. Pro signo coopertorii, fac idem signum, quod est pellicii, & hoc adde ut manum in brachio de deorsum trahas in sursum, quasi qui coopertorium vult mittere super se. Pro signo cotti, trahe manum per brachium eodem modo quo trahitur pro signo coopertorii, & adde, ut cum digitis teneas manicam frocci, quia utrumque, & froccus, & cottus est de lana. Pro signo stulæ, quæ subslarnitur, & lena vocatur a S. Benedicto, utriusque manus digitos super invicem positos simul, & secundo retrahe, & unam manum a pectore movens expande, quasi qui aliquid involutum expandit. Pro signo capitalis, quod vulgariter cussinum appellatur, leva manum, & summitates digitorum inflexas quasi ad volandum move, postea pone manum ad maxillam, sicut dormiens solet. Pro signo corrigiæ ad stamineam digitum digito circumfer, & de utroque latere confer digitos manus utriusque quasi qui se corrigia cingit. Pro signo cinguli femoralium (e) fac idem signum, & hoc adde, ut manum in femore de deorsum trahas, propter femoralia, & caligas, quibus hoc ipsum cingulum est inferendum. Pro signo acus, cum pugno percute pugnum, quod metallum significat, & postea simula, quasi in una manu teneas filum, & acum in altera, & mittere velis filum per foramen acus. Pro signo fili digitum digito circumfer; & hoc adde, quasi mittere velis filum per foramen acus. Pro signo cultelli, trahe manum per medium alterius palmæ, quasi qui cum cultello aliquid incidit. Pro signo vaginæ cultelli, summitatem unius manus trahe per alterius manus extremitatem, quasi qui cultellum mittit in vaginam. Pro signo pectinis, tres digitos trahe per capillos, quasi qui se pexit. Pro signo tabularum, manus ambas complica, & ita complicatas simul avolve. Pro signo graphii, cum pugno percute pugnum, & digitum pollice adjuncto extende, & postea cum eis simula scribentem.

De his, quæ ad divinum maxime pertinent obsequium.

IV. „ Primo pro signo Lectionis, manui, vel pectori digitum impinge, & paululum attractum ita fac resilire, quasi qui folium codicis avertit. Pro signo responsorii articulo digiti pollicem suppone, & ita fac eum quasi resilire. Pro signo antiphonæ vel versus responsorii, articulo minimi digiti pollicem suppone, & hoc quod præmissum est de desiliente adde. Pro signo *alleluia*, leva manum & summitates digitorum inflexas quasi ad volandum move propter Angelos, quia, ut creditur ab Angelis cantatur in cœlis. Pro signo prosæ, vel quod a Teutonicis sequentia vocatur, leva manum inclinatam, & a pectore amovendo, eam inverte, ita ut quod prius erat sursum sit deorsum. Pro signo tractus, trahe manum per ventrem de deorsum, quod longum semper significat, & contra eum applica manum, quod cantum significat. Pro generali signo libri, extende manum, & move sicut folium libri moveri solet. Pro signo libri Missalis, generali signo præmisso, adde, ut facias signum Crucis. Pro signo textus evangelii, adde, ut in fronte facias signum Crucis. Pro signo libri epistolaris adde, ut in pectore facias signum Crucis. Pro signo libri, in quo legendum est ad nocturnos, præmisso generali signo libri, & lectionis, adde, ut manum ponas ad maxillam. Pro signo (f) antiphonarii, præmisso generali signo libri, adde ut pollicem inflectas, propter neumas, quæ sunt ita inflexæ. Pro signo regulæ, adde ut capillum super aurem pendentem cum duobus digitis apprendas propter duo nomina, quibus Abbas appellatur Abba & Domnus; quia & S. Benedictus auctor Regulæ hujus erat officii. Pro signo hymnarii, adde, ut pollicem, & digitum ei proximum proferas summitatibus eorum conjunctis, quo præsens tempus, vel quod primum est significatur, & hoc signum ad hymnarium inventum est pro occasione hujus solius versus, quo hymnarius ita incipit *primo dierum*. Pro signo psalterii, adde, ut summitates digitorum cava manu ponas in caput, propter similitudinem coronæ, quam Rex solet portare, quia & author psalmorum David Rex erat. Pro signo libri sæcularis, quem aliquis paganus fecit, præmisso generali signo libri, adde, ut aurem tangas cum digito sicut canis cum pede pruriens solet, quia nec immerito infideles tali animanti comparantur. Pro signo Angeli, fac idipsum, quod facis pro signo *alleluia*. Pro signo Apostoli, trahe deorsum dexteram de dextero latere in sinistrum, & iterum de sinistro in dexterum propter similitudinem pallii, quo Archiepiscopi utuntur, & Episcopi quoque non est aliud signum. Pro signo Martyris; impone cervici dexteram, quasi qui cum cultello aliquid incidit. Pro signo Confessoris, fac idem signum, quod facis pro Apostolo, si tamen est Episcopus; Si Abbas, fac illud, quod facis pro Regula S. Benedicti, capillum comprehendendo. Pro signo sacræ cujusque Virginis, trahe digitum in fronte de supercilio ad supercilium, quod est signum mulieris. Pro signo festivitatis, fac primo signum Lectionis, & profer omnes digitos utriusque manus.

Nunc mixtim de personis, & rebus aliis, & caussis.

V. „ Pro signo Monachi, cum manu tene capellum cucullæ. Pro signo Clerici, digitum auri circumfer, quasi gitando propter similitudinem coronæ, quam in capite Clericus habet. Pro signo Laici, mentum tene cum dextera propter barbam, quam antiquitus non raserunt id genus hominum. Pro signo monachi, qui nutritus est in mo-

(a) Boher. Furennæ.
(b) Boher. Maximi mali.
(c) Boher. Cerasorum.
(d) Boher. Rapa.
(e) Boh. addit: quod alio nomine sublumbar dicitur, sive subligar.
(f) Boh. Officiari.

in monasterio, generali signo præmisso, adde, ut minimum digitum labris admoveas, pro eo, quod ita fugit infans. Si bene ad litteratus, digitum contra pectus submitte, quod est signum sciendi. Pro signo Domni Abbatis, fac idipsum, quod facis pro signo Regulæ. Pro signo Prioris, simula cum duobus digitis scillam tenere, & ita eam sonare. Pro signo majoris, adde, ut manum extendas, quod semper aliquid magnum significat; sicut e contrario cum minimo digito, quod parvum est, significatur. Pro signo custodis ecclesiæ, cum manu simula campanam sonare. Pro signo Camerarii, simula denarios numerare. Pro signo (a) Cellerarii, simula in manu clavem tenere, & quasi seræ infixam avertere. Pro signo Granetarii, qui annonam recipit, & servat, simula cum ambabus manibus connexis quasi alicui vasi annonam infundere ad metiendum. Pro signo Ortolani, digitum inflecte, & attrahe sicut, qui rastrum trahit de terra. Pro signo custodis hospitii, ubi hospites, qui sunt ditiores recipiuntur, simula gladium trahere de vagina. Pro signo Eleemosynarii, qui pauperes recipit, trahe manum de dextro humero in sinistrum latus, sicut (b) corrigia peræ solet a pauperibus portari. Pro signo Infirmarii, qui obsequitur infirmis, pone manum contra pectus, quod significat infirmitatem, (c) quamvis non semper confessionem significat. Pro signo Refectorarii, fac idem signum, quod est refectionis, ut contra os moveas in summitate conjunctos pollicem, & digitum sequentem. Pro signo Armarii, & Præcentoris interiorem superficiem manus leva, & move, sicut qui innuit in choro, ut æqualiter ab omnibus cantetur. Pro signo Magistri puerorum ori (d) emove minimum digitum, & digitum pollici proximum pone subtus oculum, quod & signum est videndi. Pro signo noviciorum magistri, trahe manum obliquam per capillos contra frontem, quod & signum est novitii, & adde prædictum signum videndi. Pro signo senis, trahe manum directam per capillos contra aurem. Pro signo mariscalchi, cum duobus digitis tene capillos anteriores, propter jubas, quas habet caballus. Pro signo asinarii, prope aurem erige manum, & move, sicut asinus aurem. Pro signo compatriotæ, vel consanguinei tene manum contra faciem, & medium digitum naso impone propter sanguinem, qui inde nonnumquam fluit. Pro signo hominis, qui est alterius linguæ, cum digito labia tange propter loquelam. Pro signo loquendi, contra os tene manum, & ita eam move. Pro signo audiendi, tene digitum contra aurem. Pro signo nesciendi, cum digito erecto labia terge. Pro signo mentiendi, digitum intra labia trahe. Pro signo osculandi, duos digitos, idest, medium, & indicem labiis oppone. Pro signo vestiendi maxime cum alba, per pectus trahe manum deorsum. Pro signo exeundi cum pollice, & digito sequente albam a pectore trahe. Pro signo lavandi pedes, ambarum manuum interiora ad invicem converte, & ita superioris manus summitates paululum move. Pro signo boni quidquid sit, quod bonum dixeris, pone pollicem in maxillam, & alios digitos in aliam, & ita fac eos in extremitate menti blande conlabi. Pro signo mali, digitis sparsim in faciem positis simula ungem avis (e) aliquid lacerando attrahentis. Pro signo cujusque rei, quæ jam facta est, tene manum æqualiter contra pectus, & interior pars manus sit sursum versa, & ita eam adhuc plus sursum a pectore move. Pro signo annuntiationis, leva manum moderate, & move non inversam, sed exterior superficies sit etiam sursum versa. Pro signo (f) negationis, summitatem medii digiti pollici subpone, & ita fac resilire. Pro signo celeritatis, pone manum super alteram manum in modum serræ, & ita eam celeriter move, quasi qui serram trahit. Pro signo tarditatis, de umbilico trahe manum paulatim per ventrem sursum. Plura sunt, quæ adhuc dicere possem, sed cum modo meminerim, quibus sum loquutus, video, quod nec opus fuerit tantum dixisse de hujusmodi, &, ut ait ille, in silvam ligna contulisse; unde, ut de his tamen taceam, quæ, quantum puto, melius nostis, quam ego, videndum est de securis, ut ea loquar, quæ necessaria sunt illi, qui vobiscum voluerit conservari.

VI. Petrus Boherius omisso his verbis: *Plura sunt, quæ adhuc dicere possum* &c. addit hæc signa: „ Pro signo ligaorum, tende brachium sinistrum, & cum manu dextera extensa super illud percute quasi ligna incidens. Pro signo ignis, vel coci, contra indicem exsuffla. Pro signo caldarii, pugno super pugnum percute, & digitum inflecte, pro eo, quod super ignem ita suspenditur. Pro signo sartaginis, præmisso signo hoc, adde ut manum sinistram super brachium dextrum extensum a manu, usque ad humerum trahas. Pro signo Carpentarii, tene mentum cum manu dextra, & manui sinistræ extensæ manum dextram jungendo simula eum dolabre incidentem.

Finita sunt hæc signa.

Ex his signis nonnulla reperimus in statutis Abbatum de Maseriis, & de Samobiaco Cisterciensium, & de Ligeto, ac de Glanderiis Cartusiensium Priorum factis authoritate Apostolica pro Ordine Grandimontensi, in quibus cum plurima alia superaddita leguntur, integrum caput hic referre visum est alicujus operæ pretium.

Caput x. De silentio, & signis.

VII. „ Statuimus etiam, ut silentium in Ecclesia, in claustro, in refectorio, in dormitorio, & a Completorio usque mane in omnibus locis ab omnibus tam Clericis, quam Laicis, sicut in privilegio, quod est secunda collatione 3. xx. c. *Continetur*, districte, & firmiter teneatur: Frangentes autem silentium scienter, & aperte donec signa necessaria didicerint secundum morem Cisterciensis Ordinis, disciplinæ subjaceant, quæ in privilegio continetur: necessitatem autem suam, si quis uno verbo, aut duobus submissa voce in aure non potest alii intimare, debet ipsum in auditorio convocare, & ibi plenius, quo indiget, declarare, nisi sit post completorium, quo tempore omnino est silendum. Cum autem fratres signa didicerint, etiam in locis prædictis volumus, ut omnino abstineant ab omni loquela. Signa autem hæc erunt in ecclesia. Pro Sacerdote, fac signum Crucis cum dextera manu. Pro Diacono, fac signum Crucis in fronte. Pro Subdiacono, fac signum in pectore. Pro omni libro, excuta manum similiter. Pro signo libri resp. sive antiph. excute manum, & pollicem minutissima per alios digitos inflecte, & tange. Pro officiorum libro, vel graduali, præmisso signo libri, fac prius signum Crucis & summitates digitorum contra os amove inflexas. Pro *alleluja*, leva manum, & summitates digitorum inflexas, quasi ad volandum move. Pro prosa, leva manum, & percute manum extentam cum manu altera extensa, quasi plaudendo. Pro signo tractus, tene manum per ventrem deorsum, & contra os applica manum. Pro capitulario fac signum libri, & extende manus junctas ad cœlum. Pro Psalterio, pone manus super caput per similitudinem coronæ, quam Rex portare debet. Pro versiculo, articulo exterioris digiti minimi pollicem subpone. Pro lectione, manu, vel pectora digitum injunge, & paululum extractum fac resilire, quasi qui ceram a candela legentis super folium labefacta labore unguium expungit. Pro responsorio, articulus indicis subpone pollicem, & ita fac resilire eum. Pro antiphona, articulo proximi extremi digiti minimi pollicem subpone, & ita fac resilire eum. Pro libro sequentiæ, leva manum inclinatam, & a pectore eam amovendo averte, ita ut quod plus erat seorsum, sit deorsum. Pro libro, in quo leguntur Dominicales, vel feriales Lectiones, fac signum libri, & adde prius signum Lectionis, & brachium cum pugno clauso super humeros pone, simulans, quasi qui omnes portet magnitudine libri. Pro libro in quo leguntur Lectiones Sanctorum, præmisso signo libri, adde prius signum Lectionis, & ut manum extensam circa collum, quasi ensem feras, quo Martyres olim decollati sunt. Pro libro hymnorum, adde, ut pollicem, & digitum ei proximum perferas summitatibus eorum junctis, per quos prius significatur. Pro signo libri Regulæ, cum signo libri capillum pendentem super aurem apprehende cum duobus digitis. Pro signo Confessoris, pone manum supra pectus. Pro signo Martyris, pone manum dextram cervici, quasi aliquid incidere velis. Pro signo Virginis, & Martyris, præmisso signo Martyris, adde, ut supercilio ad supercilium trahas. Pro superpellicio, manicam ejus tene cum eisdem digitis. Pro signo B. Mariæ, ambas manus ad cœlum extende, adde, ut de supercilio ad supercilium trahas, quod est signum feminæ. Pro signo festivitatis, fac primum signum Lectionis, & profer novem digitos utriusque ma-

(a) Boh. Cellerarii.
(b) Boh. corrigia.
(c) Boh. vel confessionem.
(d) Boh. admove.
(e) Boh. ens quid lacerantis.
(f) Boh. negotiationis.

manus. Pro calica, tene tres digitos in erectum apertos & fac signum Crucis. Pro vestimentis ecclesiasticis, tange vestes tuas ante pectus. Pro candelis, frica manus tuas, tanquam aar calefaciendo. Pro Cantore, & cantu, duc manum suam ante os tuum. Pro vino ad Missas, pone digitum, qui dicitur index, super nasum tuum. Pro aqua benedicta, ostende quinque digitos simul junctos, & fac signum Crucis. Pro croce, junge duos, qui vocantur indices, ad modum Crucis. Pro altari, percute contra frontem cum digito, & pro omni re dura similiter. Pro pace, pone digitum in erectum. Pro confessione, pone manum suam ante os tuum. Pro visu, appone digitum, qui vocatus index, oculo. Pro auditu, appone similiter aurei. Pro thure, appone pollicem cum indice naso. Pro brasarle, in qua sunt carbones ardentes, tange pollicem cum indice, & sufsla in palma. Pro thuribulo, fac, tanquam si thurificca. Pro signo loquendi pone duos digitos ante os. Pro hospite, duc manum ab humero usque ad zonam. Pro mergulio, ostende manum clausam, pollicem in erectum tenendo. Pro signo festinandi, percute cum manu dextra super brachium sinistrum. Pro signo taquetudinis, duc manum subtus mentum. Pro signo moræ duc manum tuam a zona usque ad humerum. Pro Missa, fac signum Crucis cum manu. Pro signo communicandi, junge pollicem indici, & appone ori tuo. Pro signo volendi, sarge pollicem cum indice, & duc subtus mentum tanquam trahendo. Pro die, & omni re alba, pone indicem super ciliciom. Pro nocte, & omni re nigra, pone duos digitos super oculum, eundem clausum tenendo. Pro mortuo, duc indicem subtus ante collum. Pro excommunicato, frica manus, & sossia cum ore. Po vinageriis, flecte indicem ad te.

Hæc sunt signa in claustro.

VIII. „ Pro claustro, fac circulum cum uno digito. Pro silentio, pone manum ante os. Pro collatione, pone manum super frontem. Pro signo pulsandi, fac signum pulsandi. Pro Tertia, ostende tres digitos. Pro meridie, divide manum ab altera manu. Pro Nona, ostende novem digitos. Pro Vesperis, ostende novem (forte decem) digitos. Pro omni re ordinata, duc pollicem super alios digitos, incipiens ab auriculari usque ad indicem. Pro omni re inordinata, fac contrarium.

Hæc sunt signa in dormitorio.

IX. „ Pro signo dormiendi, pone manum super caput inclinando. Pro coopertorio, pone manum tuam super manum, eam ducendo per totum brachium usque ad humeros. Pro omni infirmitate, pone manum super pectus. Pro signo surgendi, ostende digitum erectum. Pro tunica, tange tunicam tuam. Pro sotularibus, fac circulum cum uno digito circa pedem. Pro igne, pone digitum tuum ante os parumper sufflando. Pro horologio, pelsa cum duabus manibus clausis, utrumque auriculare digitum erectum tenendo. Pro camera, & omni domo, necte manum tuam manu. Pro palea, pone indicem super summitatem alterius indicis digiti. Pro literis, & sigillo, imprime pollicem in medio manus tuæ. Pro pellicia, accipe cum duobus digitis pellam alterius manus; & pro omni pelle, & cum omni corio similiter. Pro pulvinari, ventila cum una manu contra aurem. Pro lintaeminibus, flecte manum tuam contra manum; & pro omni mappa similiter.

Hæc sunt signa in refectorio.

X. „ Pro pane junge pollicem cum pollice, indicem cum indice digito. Pro caseo, pone manum super manum, quasi ipsum faciendo. Pro ovis, frica indicem cum indice. Pro sale, move manum, quasi pro saliendo aliquid. Pro scutellis, ostende manum apertam pollice intus clauso. Pro sapore, frica cum una manu clausa super aliam manum clausam, quasi aliquid molendo. Pro sinapio, include nasum tuum inter digitos tuos cum eis superius attinendo. Pro aliis, duc manum tuam ante os tuum, quasi aliquid sufflando. Pro omni pisce, extende manum tuam flectendo hinc, & inde. Pro lucio, præmisso signo piscis, pone duos digitos subtus rostrum, eos in arectum tenendo. Pro pertica, præmisso signo piscis, percute cum una manu super brachium. Pro trutha, accipe mentum tuum cum una manu. Pro salmone, præmisso signo piscis, pone digitum tuum super supercilium. Pro carpa, præmisso signo piscis, percute cum indice frontem. Pro allectibus, pone indicem ex una parte nasi, quasi eum pingendo. Pro anguillis, ambas manus extende, quando clausas, quando apertas, unam super aliam sæpe, & sæpius ponendo. Pro vino albo, pone digitum tuum super supercilium. Pro vino rubeo, frica cum uno digito super faciem. Pro omni re bona, duc manum tuam suaviter super faciem tuam. Pro fabbis, pone indicem in prima uncia pollicis. Pro pisis, pone pollicem in prima uncia indicis. Pro porris, percute cum manu clausa in fronte. Pro oleribus, percute cum manu aperta super calvisiem frontis. Pro scypho, ostende tres digitos eos in erectum apertos tenentes. Pro justa, fac similiter eos inferius includendo. Pro racemis, include quinque digitos, quasi eos mulgendo. Pro pomis, ostende manum clausam eam parumper movendo. Pro piris, ostende quinque digitos similiter junctos eos inferius promovendo. Pro nucibus, pone indicem intus dentes. Pro poto, pone indicem super mentum. Pro sepis, percute cum manu clausa super aliam apertam. Pro Abbate, junge indicem transversum cum summitate pollicis. Pro Priore, vel Subpriore, junge similiter indicem cum indice, & pro Converso, fac similiter pollice arecto juncto cum mento. Pro signo apportandi, pone manum tuam super humerum. Pro signo tacendi, pone indicem ante os. Pro signo veniendi, extende manum tuam, & reduc ad te. Pro Cantore, duc manum tuam ante os tuum. Pro Sacrista, præmisso signo fratris, junge, ac si orares, manus. Pro Hostiario, præmisso signo fratris, duc manum tuam ab homero, usque ad zonam. Pro Refectorario, præmisso signo fratris applica manum tuam ad os tuum. Pro Infirmario, præmisso signo fratris, pone manum tuam super pectus. Pro Portario, præmisso signo fratris, junge manus, & eas postmodum expande. Pro Cellarario, præmisso signo fratris, fac cum digitis, ac si denarios computares. Pro Procuratore, præmisso signo fratris, fac signum levandi raubam circa zonam. Pro Coquinario, præmisso signo fratris, ostende manum apertam, pollice intus clauso. Pro Scriptore, præmisso signo fratris, junctis tribus digitis fac signum scribendi.

Hæc sunt necessaria ubique signa.

XI. „ Pro Rege, pone quinque digitos super caput. Pro milite, fac de manu sua, ac si ejicias gladium de vagina, & percute collum tuum cum eadem manu. Pro armigero, fac solummodo de manu tua, ac si ejiceres gladium de vagina. Pro Gargifero, duc digitum tuum super mentum, quasi transeundo. Pro mendacio, duc manum tuam super mentum, quasi descendendo. Pro latrone, pone duos digitos subtus mentum tanquam furcas. Pro ribaldo, percute cum una manu super cubitum alterius manus. Pro amico, appone duos digitos ad dexteram partem nasi. Pro equo, tange pillos frontis. Pro salla equi, verte digitos unius manus cum digitis alterius. Pro cane, percute cum uno digito in auriculari digito. Pro rumoribus, pone duos digitos super pillos frontis. Pro signo sciendi, pone digitum tuum super pectus, quasi abscondendo. Pro signo nesciendi, duc digitum ante faciem tuam. Pro omni carne, tene cum manu dextra carnem sinistræ manus. Pro bove, pone duos digitos tuos erectos circa quamlibet aurem. Pro ariete, fac similiter ipsos tantum digitos de subtus flectendo. Pro porco, percute eum pugno in fronte quia sic occiditur. Pro gallina, fac signum, quasi ipsam plumando. Pro aliqua re magna, ostende manum clausam pollicem erectum tenendo. Pro aliqua re minima, ostende parvum digitum. Pro Episcopo, duc manum tuam ab humero, usque ad humerum. Pro Burgense, frica pollicem cum indice. Pro Physico, unge manum tuam cum digito appellato medio. Pro causidico, percute super manum sinistram cum duobus digitis alterius manus. Pro Patre, junge manum clausam cum alia manu clausa. Pro matre, fac similiter, præmisso signo mulieris. Pro sorore, junge indicem cum indice addendo signum mulieris. Pro detractore, bilingui, aut murmuratore, tange linguam, eam percutiendo cum indice. Pro capitulo, pone manum tuam apertam super aliam apertam. Pro verbere, adtrahe manum tuam ad te, quasi verberando. Pro rustico duc manum tuam super mentum,

„ quasi descendendo. Pro signo laborandi, ens aliquid faciendi, flecta indicem contra terram, quasi fodiendo. Pro signo vestiendi, duc digitum ante faciem. Pro monacho albo, vel nigro, tange caputium tuum a te trehendo. Pro fratre Prædicatore, Cartusiensi, Præmonstratensi, Carmelitano, & hujusmodi fratribus cappam, & scapulare portantibus, tanquam, & aliquantulum leva inferiorem partem scapularis. Pro fratre minore, tange, & leva aliquantulum caput Symoicli. Pro fratre Augostiniano, tange, & leva aliquantulum caput zonæ. Pro canonico, Regulari, duc digitum tuum circa aurem, & post inclina manum dextram apertam versus terram, ac si dimitteres cadere manum super pelliciom versus terrare. Pro Hospitalerio, fac signum Crucis in cubito sinistri brachii.

CAPUT XIX.

In quo varii de diversis rebus ritus referuntur.

Ex Rituali Beccensis monasterii.

Quomodo Episcopus debet cantare Vesperas.

I. „ IN præcipuis festis, si Episcopus debet dicere Vesperas, intar signa revestiatur, & unus Sacerdos in cappa cum eo ad serviendum ei, & duo Conversi, qui ante eum candalas ferant. Iis ita completis, sonet classicum, & ingrediatur ad locum, ubi stare debes, & Vesperas cantare, Ceroferariis præeuntibus, remanente classico, ipsa Episcopus incipiat Vesperas. Imposita antiphona, & primo psalmo inchoato, ponant Conversi candelabra ante altare, & revertantur in chorum, & in ostiis revastiti stent. Ex quo Episcopus capitulum inchoat, Conversi candelabra resumentes, usque capitulum terminetur, teneant. Interim ad *Magnificat* eadem teneant, & Episcopum altaria incensantem ea portantes præcedant. Item ad preces, & ad collectam, donec *Benedicamus* finitur, versi ad Episcopum eadem candalabra teneant, & eumdem Episcopum post *Benedicamus Domino*, de choro exeuntem ea portantes præcedant. Inchoato tertio psalmo, qui R. cantaturi sunt, ad revestiandum exeant: qui dum Episcopus capitulum dicit, cappis induti ad R. canandum chorum intrent. Quo R. cum V., & *Gloria* cantato, in chorum revertentes in medio stent. Dicto capitulo, Abbas ad revestiendum de choro exeat, & si fieri potest, ad gloriam Responsorii rediens intret. Inchoato hymno, Hebdomadarius majoris Missæ, vel quilibet alius, cui Cantor jusserit, cum Priore revestitum perget. Cantor ad gloriam hymni antiphonam Episcopo portet. Qua ab Episcopo inchoata, & a conventu tota cantata, si omnia Responsoria a duobus dicantur, unus ex illis, qui R. cantaverat, *Magnificat* imponat. Quo imposito, Prior, & frater, qui cum eo revestitus est, Conversis cum thuribulis eos sequentibus, incensum portantes cum Abbate de sede sua venientes, ad Episcopum accedent. Imposito thuribulis ab Episcopo incenso, Prior, & alius frater thuribula accipiant, & Conversi incensum. Deinde Episcopus, & Abbas ante altare majus prius flectentes genua thuribulum accipiant. Prior Episcopo, & alius frater Abbati serviant; Frater alius, qui cum Episcopo in loco Capellani cappa indutus est, baculum Episcopalem portans cum Priore Episcopo serviet.

II. „ Episcopus, & Abbas majus, & minus altare incensent. Iis perfectis Prior, & qui cum eo revestitus est ante minus altare, thuribula accipientes, altaria per cruces incenset. Interim Episcopus ad sedem suam revertatur. Abbas autem ad sedem suam non revertatur, sed expectat, donec Prior, & alius frater ingrediantur. Quibus regressis, Prior cum Abbate Episcopum incenset. Quo incensato, Prior, & alius frater Abbatem in locum suum reversum incenset; deinde duos fratres in choro, in cappis stantes. Conversi, qui ibi expectaverunt, ibidem thuribula accipiant & Priorem, & fratrem cum eo revestitum ad locum, ubi stare debent, reversos incensant, & postea conventum. Dicto *Benedicamus Domino*, & *Deo gratias*, Cantores in eodem loco inclinatis capitibus benedictionem Episcopalem cum conventu accipiant. Qua accepta post Episcopum ad derevestiendum exeant. Si hospites affuerint, benedictionem non accipiant. Si commemorationes dicendæ sunt, frater, qui cum Priore ad thuribulum ferendum revestitus est, eas dicat. Si processio de choro ad aliquod altare facienda est, ipse frater omnes commemorationes dicat. Si processionem non sunt acturi, illas commemorationes tantum dicat, quarum antiphonæ a Cantore inchoantur, alias quilibet alius Sacerdos. Interim frater ille ad derevestiendum se exeat.

Si Episcopus fuerit ad Matutinos in festis.

III. „ Si forte aliquis Episcopus in præcipuis festis fuerit ad Matutinos, XII. Lectionem leget. Cum autem dixerit Episcopus: *Jube domne benedicere*, conventus, respondeat: *Ora pro nobis pater*: tunc ab Episcopo benedictione data, legat Lectionem. In Pascha, & Pentecoste legat tertiam Lectionem.

Quomodo Episcopus cantare debet Missam.

IV. „ Si Episcopus Missam dicturus est, post Tertiam retenente classico, ornata processione, ad Missam dicendam ingrediantur. Si major festivitas fuerit, tres Diaconi, & totidem Subdiaconi. Sin autem, unum tantum utriusque ordinis. Quatuor Conversi in albis; duo ad candelabra, & duo ad thuribula ferenda. Frater quidam in cappa, ad serviendum Episcopo, qui frater, & Diaconus, qui Evangelium lecturus est, Episcopum hinc, & inde tenentes, usque ad altare perducant. Ceteri vero Diaconi, & Subdiaconi, & Conversi cum candelabris, & thuribulis præcedunt. Si tres Diaconi, & totidem Subdiaconi cum Episcopo revestiti sunt, Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram partem alteris sedeant. Quotiens Episcopus ad populum se verterit, Diaconi, & Subdiaconi cum eo se vertant, excepto eo, qui ad evangelium legendum revestitus est, qui flexis genibus, ut mos est, casulam paululum trahendo aptare debet. Quicumque ad Missam legunt, aut cantent, finito cantu, aut Lectione, ante Episcopum flexis genibus benedictionem accipiunt, excepto Diacono, qui ante evangelium benedictionem accipit. Finita Missa, Episcopus benedictionem circumstantibus det. Si Episcopus die Dominica ad processionem fuerit, finito cantu, & remanente classico, benedictionem circumastantibus det. Deinde Sacerdos dicat V. *Kyrie eleison* &c. sicut in aliis Dominicis.

De Episcopo, qui cantat Missam in conventu.

V. „ Si forte Episcopus Missam in conventu cantare voluerit, qualiscumque sit Missa, ad majus altare cantabit. Tunc ubicumque cantaverit, qui post illum cantabit, licentiam ab illo accipiet.

Item de eodem.

VI. „ Si in adventu, vel a LXX. usque ad Pascha Episcopus in conventu Missam cantaverit, Diaconi dalmaticis, Subdiaconi tunicis induentur.

De Episcopali benedictione.

VII. „ Omnis benedictio propter benedictionem Episcopalem dimittitur, præter illas, quæ ad hebdomadarium Lectorem, & ad hebdomadarios servitores pertinent.

Quomodo Abbas cantare debet Vesperas.

VIII. „ Si Abbas Vesperas dicturus est in duplicibus festis; dicto capitulo, ad revestiendum de choro exeat, & si potest, ad gloriam Responsorii rediens intret. Inchoato hymno, Hebdomadarius majoris Missæ, vel quilibet alius, cui Cantor jusserit, cum Priore revestitum pergat. Cantor ad gloriam hymni Abbati antiphonam portet. Qui revestiti sunt ad altaria incensanda, ex quo secundus versus de *Magnificat* inchoatur, incensum portantes, duobus Conversis cum thuribulis eos sequentibus, ad Abbatem in choro stantem veniant. Qui Abbas imposito thuribulo incenso, altare majus, & minus cum Priore incenset. Deinde ad sedem suam revertatur, cui eunti, & redeunti omnes inclinent; qui cum ad sedem suam reversus fuerit, clinet, & cum eo omnes. Interim Prior, & qui cum eo revestitus est, altaria per cruces incenset; quibus regressis, ambo

„ Abba-

„ Abbatem incensent; deinde duos fretres in choro, in ceppis stantes. Convarsi, qui ibi expectavarint, ibidem thuribole accipiunt, & Priorem, & fratrem cum eo revastitom ad locum, ubi stare debent reversos incensent, & postea conventum. Dicto *Benedicamus Domino*, Cantores ad derevestiendum de choro exeadt. Fratribus de via venientibus ipse Abbas benedictionem det. Cetera omnia, ut dictum est, si Episcopus affuerit, agantur. Tribus diebus, qui fiunt in ceppia, post diem Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumtionis S. Mariæ, Johannis Baptistæ, Petri, & Pauli, & iis similibus, si Abbas Vesperas dicit: Sacerdos Hebdomadarius magnæ Missæ, si Prior deest, cappa indutus sit ad altaria incensanda. Hic solus altaria per cruces, & Abbatem, & fratres, qui ℟. cantaverint, incenset.

De Abbate, qui est in choro in festivit. xii. Lect.

IX. „ Si Abbas in festivitatibus xii. Lect. est in choro ad Vasperas, Sacerdos Hebdomadarius, qui ad altaria incensanda revestitus est, ipsi Abbati incensum afferet, & Conversus thuribulum. Quo incenso thuribulo ab Abbate imposito, ipse Sacerdos majus altare, & minus, & alia per crucem incanset, deinde Abbatem in loco suo stantem, post hæc Conversus ipsum Sacerdotem, & conventum incenses.

Item de eodem.

X. „ Si Abbas alius quilibet est in cruce, Sacerdos postquam altarie in ipsa cruca incensaverit, ipsum Abbatem incenset,

Item de Abbate.

XI. „ Si Abbas quilibet est in cruce, & nullus in choro, ipse Abbas, qui est in cruce, incensum ponat; Sacerdos postquam altaria in ipse cruce incensaverit, Abbatem incenset; deinde altaria in alia cruce, si adhuc ea non incensaverit: iis ita completis, cum thuribulo in choro ravertatur, quod Conversus ante gradus, ubi hospitibus benedictio datur, accipiens, Sacerdotem eumdam ad locum, ubi stare debet, incenset, & conventum.

Item de Abbate.

XII. „ Si Abbas est in choro, dum Missa quælibet festive agitur, inchoato *Kyrie eleison*, Diaconus incensum, Conversus thuribulum portantes ad Abbatem in choro stantem veniant: Incenso ab Abbate thuribulo imposito, Diaconus cum thuribulo ad Sacerdotem revertatur; incensato majora altari, cum minore; Diaconus ab Abbatem incensandum in choro revertatur; quo incenseto Conversus ibidem Diaconum incenset; Deinde fratram chorum tenentum, postea conventum. Diaconus ante evangelium in chorum veniens, benedictionam ad evangelium pertinentem ab Abbata petat, secumque incensum portet, Conversusque thuribulum. Abbas iterum incensum in thuribulo ponat. Diaconus accepta benedictione evangelium lecturus redeat, prius tamen Sacerdoti thuribulum tribuat. Post evangelium Diaconus aptato calice, iterum incensum Abbati offerat, & ut dictum est, dum *Kyrie eleison* inchoatus, sic agatur. Si Missa festiva non est; ante evangelium, ut dictum est, Diaconus benedictionem petat ab Abbate: tunc incensum secum non portet. Post evangelium, sicut ad Missam festivam, Abbas thuribulo incensum ponat, Diaconus autem incensatis altaribus, Abbatem non incenset, nec Conversus conventum.

De tribus Abbatibus, quando simul conveniunt in festis.

XIII. „ Quando tres Abbates conveniunt ad unam festivitatem, sic fiet: Ad primas Vesperas duo tantum revestiuntur. Duo tantum thuribula ad omnes pari ordine deferuntur e revestitis. Unus Abbas hospitum leget quartam Lectionem ad Matutinas; alter cui magis defertur, octavam Lectionem. Ambo vero cum Priore loci, & sex monachi ℟. duodecimum cantabunt; Abbas loci more solito Lectionem suam, & ℟. cantabit. Incensum ad Lectiones ad omnes pari ordine defertur. Ad *Benedictus*, duo tantum revestiuntur, sicut ad Vesperas. In capitulum unus ad dextram Abbatis loci, alter ad sinistram consedeat: In choro unus ad dextram, alter in sede Prioris: In refectorio stabunt, & sedebunt ad sinistram, dum sonat scillam, ad Orientem vertuntur: ad *Gloria* vertunt vultus suos ad invicem, non ad Orientem.

Ex consf. S. Benigni Divionensis c. 20.

De Hebdomadario Sacerdote.

XIV. „ In omnibus quoque solemnitatibus, in quibus D. Abbas solet majorem Missam cantare, Hebdomadarius non debet celebrare Missam ipsa die, donec videat, utrum Domnus Abbas revestiet se, an non. Quando etiam D. Abbas in choro est, si quis petiturus est licentiam cantandi Missam, sive divestiendi, aut radendi, sive cujuslibet hujusmodi egressionis de conventu, ab eo debet petere; etiam si ipse sit revestitus ad majorem Missam cantandam, quandiu poterit ab eo peti; hoc est usque quo facta sit offerenda, nulla licentia est petenda ab alio.

De illusione Nocturna.

Ex Palladii hist. Lausiaca c. 68.

XV. „ Vidimus quoque alium Presbyterum in Thebaida, nomine Dioscurum, Petrem centum monachorum, qui cum ad Dei gratiam essent accessuri, dicebat eis: Videte, ne qui nocte phantasiam habuit mulieris, audeat accedere ad sancta Sacramenta.

Ex Regula S. Isidori c. 14.

XVI. „ Qui nocturna illusione polluitur, publicare hoc Patri monasterii non moretur; culpæque suæ meritis hoc tribuat, & occulta pœnitentiam agat: Sciens, quia nisi præcessisset in eo fluxus animi turpia cogitantis, non sequeretur in eo fluxus sordidæ, atque immundæ pollutionis; quem enim prævenerit cogitatio illicita, rentetio illum fœdat immunda. Qui nocturno delusus phantasmata fuerit, tempore officii in sacrario stabit, nec audebit eadem die ecclesiam introire, antequam sit lotus, & aquis, & lachrymis. In lege quippe, qui somnio nocturno polluebatur, egredi jubebatur a castris, nec regredi, priusquam ad Vesperam lavaretur. Et si illi carnali populo ita, quid spiritalis servus Christi facere debeat, qui magis contaminationem suam debet respicere, & longe ab altero positus mente, & corpore pertremescere, atque in figura aquæ pœnitentiæ lachrymas adhibere: ut non solum aquis, sed etiam fletibus studeat ablui, quidquid forte per occultam culpam immunda contaminatio polluis. Qui fornicationis tentamentis aestuat, oret indesinenter, atque abstineat: nec erubescat confiteri libidinis æstum, quo uritur; quia vitium detectum cito curatur.

Ex Regula Magistri c. 80.

Polluti per somnum fratres, si debeant communicare, an non? Respondet Dominus per Magistrum.

XVII. „ Fratres, qui se immundos per somnum agnoverint, secrete ante fores oratorii, antequam ad illam psallendi horam intrent, qua solent communicare, Abbati ad genua incurvati confiteantur hoc ipsum: & tunc Abbas interrogans eos, quid potuerint turpiter cogitare hesterna in die, ut eis consensus libidinis venisset in nocte. Et si frater magis spiritalis est, non erubescat confiteri malum illud, sicut superiori titulo diximus, si cupit animam suam salvare de morte, quod Abbas possit monitionibus emendare. Tamen biduo se a communionis acceptione suspendant, ut jam tertia die mundi communicent. Tales enim fratres, qui frequenter astitarint, sciant se non occasione, sed voluntate sua sibi excommunicationem accersire; & a Corpore Domini ipsi se faciunt alienos, qui cogitationibus suis ipsi sibi adescant libidinem, cum carnem suam faciunt per turpia desideria sordidare. Vid. Regul. Solitariorum c. 37.

Ex MSS. consuetudinibus Sancti Benigni Divionensis cap. 32.

De rebus perditis inventis, monasteriisque datis.

XVIII. „ Est consuetudo de his, quæ inveniuntur ante

APPENDIX

AD ANTIQUOS MONACHORUM RITUS,

In præsenti Editione nunc primum publici juris facta

ANTIQUÆ CONSUETUDINES

INSIGNIS MONASTERII

SANCTI VITONI VIRDUNENSIS

Sæculo, ut ajunt X. scriptæ,

Ex Vitoniano MS. eruit, & mihi transmisit Reverendissimus Domnus Augustinus Calmet Abbas Senoniensis.

. . . .
. . . .
cultu, aut tractu, quo Prima, sed inferiore parilitate transcurrenda. Ad quod officium fratres cucullati stabunt, parique modo omnes se communicabunt, veluti in prima fecerunt; postque qui voluerit de die Missam celebrare, succincte licebit agere. Maturius igitur solito pulsabitur Prima, brevique oratione data, incipiat Cantor hymnum, *A solis ortus*, canendum usque ad finem. In Capitulo autem ante absolutionem, ordinabit Prior divinum officium, quodque omni instantia arripient fratres persequi gravi cautele, & honesto lepore. Nihilominus & hic fratres communicabunt; ad Tertiam autem, Sextam, & Nonam hymnus, *Agnoscat omne sæculum*, per scissiones cantabitur. Si necesse fuerit, patellas plenas prunis propter altare poni licebit, idque ad fratrum mensam absque errore Cellarius facere poterit. Quæ tamen mensa nil leguminis habebit; sed prima sessio scutularum erit, ovorum, & anguillarum mixtione referta; secunda sessio artocrea piperi salita; tertia ex grandibus caucis; quarta mortarioli bene confecti; quinta magni lucii cum atro pipere; sexta barbata: septima appositio porci pinguissimi: fialæ murice fulgentes plenæ clarato, exquisitius facto, bis dabuntur fratribus. Vespere autem mirifico gaudio triumphabunt, Diaconibus jam paratis usurpare sibi festum Stephani; ad cœnam dabuntur nebolæ fratribus, solitudes, & canistri bene pleni.

Solemnitates, quæ sequuntur, Stephani videlicet, & Johannis, & Innocentium, quoniam ordo ecclesiasticus eas singillatim sibi vindicat peragendas, iccirco non est, quod consuetudinaliter possit firmare, quoniam qui horum fortius gestat, magnificentius agit. Altera autem diem a festivitate Innocentium minuent fratres sanguinem, & quoniam non ignobiliter, qui hæc scribimus, arte medicinæ periti sumus, caritative hic aliquid ponimus, quod proficuum sit contra paralyseam enormitatem fratribus. Mox igitur, ut aliquis sanguinem dempserit, in refectorium properabit, & bucella panis accepta, ponet desuper sal, & tres salinæ particulas, & sic simul vorans, sumat statim puram limpham, & sic evadet omne discrimen. Veruntamen fratres sanguine flabiles meridie refectorium frequentabunt. Cenabunt autem sorbiciuncula anæ, & si abundantia piscium defuerit, habebunt ripulas, & mortariola nuce admixtum jussellum densum, & cressum. Tribus denique diebus suavius absolute libertate sese in omni m fusfinebunt, nec quisquam eos scandalizabit superfluitate sua, cessabuntque exploratores clamare, si quid injuriosum viderit, & semotim corripient negligentem. Eo quippe tempore, quo semel minuent fratres, si sanguinem minuturi sunt, hunc servabunt modum. Statuto die post Tertiam ad capitolum, dabitur signum ad Missam celebrandam; post Sextam ibunt ad mensam, versus autem, qui post cibum dicitur, jungetur, dehinc simul convenient versum dictori, *Deus in adjutorium*, quod cantabunt de more, cum Dei benedictione. Ad Nocturnale autem officium jungentur maturior, tribus brevis lectionibus lectis, liberius usque ad diem clarum pausaturi. Verum post Tertiam, & Capitulum, signo dato, & Missa finita, accipient mixtum ad Sextam pransuri, & ad Nonam bibituri, & sera cœnaturi. Si autem vel duo, vel tres, aut plures, jam dicto tempore dempserint, post capitulum pleniter comedent, & a servitoribus bibent, & vespera cœnabunt.

Octavæ Domini, & Epiphania humilius quam Nativitas honorificabuntur, Priore tamen, & Cantore, utraque in solemnitate in choro vestibus mutatis vesperi, & mane. In Purificatione S. Mariæ post Tertiam facient fratres processionem, unusquisque cereum in manibus gestans, quos post Evangelium offerent Sacerdoti; at ille eos in aqua extinguens reddet custodi. In qua solemnitate eadem cantica dicentur, quæ in Natali Domini. Post mensam fratrum erit spatium, quousque Ministri prandeant, tunc demum dabitur signum horæ Nonæ. Qua finita, recto cursu petent refectorium bibituri, quodque omnibus Dominicis diebus, & omnibus solemnitatibus usque ad festivitatem S. Martini uniformiter tenebitur.

A Septuagesima vero usque in caput Quadragesimæ tria hæc: uva, & sagenum, & caseum fratres suspense vitabunt. In his ergo tribus Dominicis diebus cœna fratrum erit simplex offa. In caput vero jejunii singuli fratres, si quid noxii humana fragilitate longum per annum admiserunt, humili confessione studebunt abluere. Quo videlicet die agant processionem, cineres super capita ferentes, quam præcedet sanctum Evangelium. Post Nonam autem cœnabunt legumen siccum, & petrosilinum, & carvisiam. His denique diebus usque in Cœnam Domini post unamquamque horam, nocturnam scilicet, & diurnam, prostrati fratres ex septem specialibus psalmis unum cum totidem ex cantico graduum cantabunt.

Feria igitur secunda post acceptos codices de victus sui discretione ordinabunt; etsi forte panis libra, quacumque necessitate retro fuit attenuata, rursus redintegrabitur. Feria denique quarta, & sexta in tota Quadragesima duobus pulmentis coctis fratres erunt contenti, legumine scilicet, & fracta faba, & carvisia. Reliquis in Sabbatho diebus, quidquid quadragesimaliter mandi potest. Quia igitur Beatus Benedictus exceptis his, quæ diximus, vitam Monachorum maxime in diebus Quadragesimæ decertbis, iccirco nos postponentes ea solum attingimus, quæ siluit, quæque levi negotio possunt oblivisci, & violari. Verum in jam dicta feria secunda costodes ecclesiæ omnem apparatum auri, & argenti, coronarum, & lampadarum in thesauro reponent, & post psalentium fratrum chorum cortinis ambient, & crucifixum linteo celabunt, & altare Domini, & Sancta Sanctorum velabunt, ac si aperte dicant: *Tempus instat, quo peracta lugeamus crimina*. In eo ipso die psalterium inter fratres dividitur, quod omni die usque in sanctum Pascha pro ejusdem loci Abbate ex integro cantabitur, & sine dispensatione hujus dilectionis, & Missæ propriæ, quæ tota Quadragesima eo die pro ipso celebrabitur; idem Abbas vicem caritatis fratribus, ut in jam dicta feria, reddit usque in Pascha. Sabbatis igitur diebus cum Diaconus dixerit: *Humiliate capita vestra*, unus e custodibus arrepta pertica, suspendet cortinas in sublimi, clementer tamen, ne celer impetus violet tenuem stamini mollitiem, ponetque super altare pallium, & facitergium, sed non per singulos dies idem ipsum. Cruces in Quadragesima etiam Dominicam, licet sit jejunium quatuor temporum, non habet usus sequi; quo videlicet tempore temperius, atque suppressius e fratribus cantabitur, exceptis Dominicis diebus. Si vero ad vigilias solito profundius aliquando surrexerint, intervallo triginta psalmorum custodito, Prior subveniente discretione nolam tribus motibus tanget. Sicque fratres cum licentia, petent lectisternia; hoc vero a Kalendis Novembris usque in Pascha, si sic expedierit, agi sanxerunt Patres Spiritu Dei repleti, discretione præcipui, caritate benigni.

A Dominica igitur quinta *Judica me Deus*, usque ad alterius ebdomadis feriam quartam solummodo ad responsoria cessabit dici *Gloria*. In Ramis Palmarum ornabunt tapetibus chorum nec quicquam ornamenti foris patebit usque ad processionem, quam præcedent cruces aureæ, & fratres cappis induti, ramos palmarum in manibus gestantes, quos tamen Cellerarius ministrabit custodi. Hoc autem

tem singulariter in hac Dominica die custoditur, quod nusquam in toto anno agitur, videlicet, quod ad nocturnale officium bini minima cantabunt altum responsum, & ad Missam cappis induti erunt, solemniterque pariter se communicabunt. Ad Vesperas autem utraque in nocte duo fratres responsum cantabunt: *Circumdederunt me*. Ad Matutinas vero laudes minime. Tractum vero sic fratres cantabunt, prout Priori placuerit ordinari. Imaginem nostri Salvatoris per processionem cuncti adorabunt salutantes: *Ave Rex noster*. Post prandium minime ibunt dormitum; feria autem quarta mane cortinas custodes deponent, lintea mina vero, quæ celant Sancta Sanctorum, & crucifixas sic permanebunt; hinc solerti industria cereum maturabunt, qui in Sabbato Sancto benedicendus est, conficere, qui cereus appendet quadraginta libras ceræ novæ ad pondus Sanctuarii. Post Vesperas autem ejusdem diei, idem ordo in pulsando cymbalo, & nola refectorii, & in versu dicendo alte, & in danda benedictione lectioni servabitur, qui in feria tertia alterius diei. Quare autem ista sic distinximus, sequens ratio manifestabit. Vidimus enim aliquando auctorum exinde errorem, & quia antiquitatis diligentia ultro caruit, neglecta tyrocinii novitas otium sancto levi dispendio miscuit barbarismum. Quapropter frivolum omne, ut hinc prorsus sit abdicatum, scribimus lineam hujus ordinis sub testificatione magnæ auctoritatis. Verum, ut jam diximus, idem ordo servabitur in feria quarta, qui pridie in feria tertia, nec abhorret a vero, quoniam canon Monachorum, secundum præceptum Beati Benedicti, in nullo eo die intercipitur, etenim usque post Completorium legaliter dabitur metalli signum, quod, si quis vult criminari, aut alterius ordinis dabit Vesperas, & Completam, quamque regulariter Monachi soliti sunt celebrare, quod nulla ratione poterit facere, aut contemptibiliter Magister erroris judicabitur esse. Age jam nunc. Numquid psalmi Vespertinales non erunt feriales, *Laudate nomen Domini*, cum antiphona: *Omnia quæcumque voluit*, & reliqua? Numquid post dictum Capitulum, non cantabunt duo fratres coram altare responsum *Circumdederunt me*? Numquid enim subsequetur hymnus: *Vexilla regis prodeunt*, & versus, & *Magnificat*, & *Kyrie eleison*, & competens oratio? prorsus tanta; quid deinde? Completorium certe sic ea nocte celebrabitur, nec minuetur quicquam, nec augebitur, sicuti longum per annum agi solet.

Ad nocturnale igitur officium: *Zelus domus tuæ*, ibi primum dabitur signum tabulæ: postquam ergo ceperit pulsari tabula, cessabit omnino dici *Gloria*; & quo modo consequens est Completorium signo tabulæ dari, & pro more Monachili peragi cum *Gloria Patri*? Atqui *Gloria*, & tabula non bene sonant. Quare absque omni ambiguitate in jam dicta feria quarta, non dabitur omnino tabula; ac si quis ad qualemcumque horam dederit; unum e duobus faciet, velit nolit; aut mediam publice cantabit, & mediam silenter murmurabit; aut penitus & ex toto sub silentio manebit. Monitor si sic non fecerit in Cena Domini, quando horæ pulsantur signo tabulæ. At quam sit absurdum in IV. feria agi, nullus fauiret sapiens ignorat. Quapropter a cordibus fidelium evellatur hoc scrupulum, & incunctanter ordinem in jam dicta feria sequantur consuetum, si non volunt participari apocryphum. Igitur, ut superius diximus, quæ prævenit Cœnam Domini, primus ad nocturnale officium sonitus audietur tabularum, ad quod officium erunt retro absidam viginti quatuor cereoli succensi, quos initio cujusque responsi, & antiphonæ singillatim clam frater absconsus extinguet; manu gestans ceratam palemidam. Ad quod, inquam, officium, silebitur *Deus in adjutorium*, & *Gloria Patri*, & *Jube Domne benedicere*, & *Tu autem Domine*, sed in initio simpliciter dicetur antiphona: *Zelus domus tuæ*, & sic reliqua uniformiter in Ordine. Porro tremula lamentatione antiphonæ, versus, & lectiones finientur. Ad postremam autem, ubi ultima antiphona insonuerit, necabitur simul & novissima candela. Tunc demum cantico de Evangelio finito in tenebris, stabunt duo pueri contra dexteram partem altaris alte inclamantes: *Kyrie eleison*, & nihilominus alii duo ad levam respondebunt *Christe*. Rursumque primi *Kyrie eleison*, sed & duo Levitæ paulo minus in inferiori grade cancelli stent, ultius quid a vocibus puerorum intonantes versus: *Qui passus*, quibus respondeant e contra duo Sacerdotes; *Domine miserere*. Deinde chorus: *Dominus factus est obediens*; hoc ergo tertio repetito, & finito, unus puerorum coram altare clamabit, gemendo: *Mortem autem Crucis*. Post cujus vocem fratres canonice dicent preces silenter, & ubi Prior signum dederit, surgent, statimque custos ecclesiæ absconditum deteget lumen; hinc fratres ibunt dormitum. Qui ordo uniformiter servabitur tribus noctibus. Matutinum forense mandatum Ministri peragent cum timore Dei.

Verum tabulæ signo Prima festive pulsabitur eo die, & post datam orationem canonice indirectum media ante cantabitur, media sub silentio finietur; hinc lectio capituli Prioris nutu inchoabitur, & nutu terminabitur. Deinde post verbum redditum, dabuntur unicuique fratri duo paria calceamentorum pedules retrorsus habentia, qui post accepta nova, reddent in præsenti vetusta lota. Si quis vero munda non restituerit, eidem sententiæ subjacebit, ut nempe a conventu fratrum exiens, lavet, & continuo lota ibi ponat veniam petens; quia vero dies remissionis est, agent absolutionem. Horæ autem ejusdem diei sic transiguntur, uti Prima canonice, & simili divisione.

Ad Missam autem pulsabuntur signa, & fratres erunt albis induti, Subdiaconus in tunica, & Diaconus in dalmatica. Ad Introitum certe *Nos autem gloriari oportet*, non dicetur *Gloria Patri*, nec Sacerdos dabit *Gloria in excelsis Deo*. Verumtamen se fratres omnes communicabunt. Denique Sanguine Domini penitus sumpto, Corpus tantum in crastinum servabitur tuto in loco, lumine ante posito. Post Missam autem nondum albis exuti omnis chorus, interim dum Prior purgat linteo altare principale cantabit responsum, *Circumdederunt me*, non tamen grandi voce. Non autem funderur desuper lympha, aut hujus generis qualibet substantia; ne forte oleum sanctificatum Pontificis consecratione illic positum abluatur. Ubi vero ventis imbrei, si quid noxium fuerit, alias sufflaverit, tunc demum Prior vino asperget plenitus desuper altare cum manipulo. In circuitu autem fratres abundanti lavabunt aqua; deinde cetera altaria bini, & bini fratres eodem modo abluent, cantantes suppressa voce, quodcumque ex Sanctis, in quorum nomine altaria sunt benedicta.

Quibus peractis, dabitur signum campanæ ad Vesperas, & tacta oratione, pulsabitur ad Mandatum signum tabulæ, ubi cum magna reverentia ibunt murmurantes septem psalmos speciales. Ad quod Mandatum tot erunt pauperes, quot fratres sunt, & quot præcesserunt Abbates. Unusquisque igitur frater suo lavabit pauperi pedes, osculans eos, & fundet aquam in manibus, & sic accepto a Priore nummo cum caritatis potu dabit ei. Itaque antequam incipiant Mandatum, projicient se humili affectu in terra omnes, deinde erectis, incipiet Cantor; *Dominus Jesus postquam cœnavit*. Expleto siquidem hoc Dominico Mandato, petent fratres oratorium, quod residuum fuerit ex septem psalmis, prostrati canituri. Statim autem dabuntur omnia signa ad Vesperas, quæ tandem indirectum canentur, adjuncta in fine oratione: *Respice Domine super hanc familiam tuam*. Et abhinc usque in Sabbatum Sanctum non audietur sonus campanæ, aut symbali, neque versus alte dicetur, sed magna contritione taciturnitati consentient.

Post cibum autem lavabunt fratres cancellum, & chorum, larga jucunditate psalmodia interveniente. Reliqui autem Monasterii longum ambitum famuli domus verrent; dato denique signo tabulæ, ibunt fratres bibere; post paulum igitur rursus data tabula convenient in unum fratres ad Mandatum, & conventu bancalibus strato, sic sedebunt, Priore omnibus serviente, quem sustinebunt duo fratres, unus officii comes, alter laticis, & carbasi bajulus. Postquam ergo omnium pedes laverit ibit sessum, & ut pedes alter in ordine prior abluet, quibus lotis rursum idem in omnium fratrum manibus fundet aquam. Interim finita semel, aut bis antiphona: *Ante diem festum Paschæ*, dabit Cantor versus, *Tellus, ac æthra jubilent*, non tamen sedens, sed stans. Expleta siquidem antiphona; *Ecce quam bonum*, procedet Diaconus cum Evangelio, vestimentis paschalibus indutus, cum reliquis servitoribus in albis vestibus cum thuribulo, & candelabris argenteis auro illinitis. Stantibus igitur omnibus, nutu indirectum arripit legere: *Ante diem festum Paschæ*; lectis ergo tribus versibus, sedebunt fratres; ubi vero ventum fuerit ad id: *Exemplum enim dedi vobis*, data tabula ibunt in refectorium, processione ante Priorem præeunte, quem sistent in medio triclinii, cœnantibus fratribus. Namque discus omnis pretioso gausape erit adopertus. Ante igitur unumquemque fratrem erunt azymæ collirides, & inter duos laganu absque fermento. De quibus nullus quid prælibet, antequam ei offerat Prior cum carchino pleno falerno; hoc denique officio Abba vice Domini completo, postmodum ipse recumbet. Et terminata nutu lectione, Diaconus propter eum cœnabit, & servitores stando ejus disco adhærentes, si tamen fuerint scholares. Exinde ibunt ad Completorium penitus sub silentio canendum.

In Parasceve autem, & Sabbato Sancto horæ quadragesimaliter pulsabuntur, & sub silentio canti ibuntur. Qua videlicet parasceve die fratres nudis pedibus incedent, & unusquisque psalterium ex integro decantabit. Hora vero nona, sicut ordo ecclesiasticus docet, post adoratam crucem

cem se communicabunt, & post Vesperas cœnabunt pane, & aqua. Sabbato sancto fratribus præparabitur usus balneorum, quibus se abluant jubis tonsis, & rasis novacula barbis. Ad officium denique omnes induti erunt, & jam cereo ad benedicendum parato, procedet processio ad altare absque lumine. Deinde Levita non versus Septentrionem, sed versus Orientem benedicet cereum, juxta quem puer stabit manu tenens Serpentem in virga ex cara factum, & novo lumine succensum. At ubi dixerit Diaconus in benedictione: *ignis accendit*, sumpta de manu pueri virga, protelabit vocem suam, quousque cereum accendat, qui cereus usque in diem tertium non extinguetur. Post benedictionem itaque cerei, agent fratres officium, uti in tabula fuerit scriptum. Ad benedictionem denique cerei nemo fratrum sedebit. Plurima, quippe quæ suprascriptis diebus aguntur, præterivimus, certe non omnino posse intermitti, quæ annuatim constat in conventu fratrum, & scribi, & legi. Icirco compendioso sermone ea solum attinguntur, quæ possunt torpenti incuria oblitterari. Verum quod ordo ecclesiasticos de his diebus in Sacramentis retinet, quid nos ea scribere debemus, præsertim cum horum scedulæ in promtu sint? Igitur, ut cepimus, officio usque ad Kyrie eleison peracto, dum Sacerdos dixerit *Gloria in excelsis Deo*, statim gradatim pulsabuntur omnes campanæ. Rursus quoque necdum Missæ finita pulsabuntur ad Vesperas dicendas. Post Vesperas flaglabitur ad missam. Namque custodes toto energiæ cœnobium reddent gloriosum, Ad Mandatum ea nocte solummodo manus abluent.

Cum igitur lucem ales nuntiaverit, dabuntur omnia signa in resurrectione Domini nostri JESU CHRISTI. Id mox ut fratres audierint, dicet quisque versum apud se, *Gloria tibi Domine, qui surrexisti*, & reliqua. Deinde brevi spatio singillatim iterabuntur signa. Cantor vero in choro stabit vestitus pallio; sed & duo fratres invitatorium cantaturi erunt albis cappis induti. Post tertium autem responsum erunt quatuor fratres albis vestiti in subterraneis specubus ad invicem quærentes, *Quem quæritis in sepulcro Christicolæ?* Respondebunt alii duo clementer eum salutantes: *Jesum Nazarenum crucifixum, o Cælicolæ*. Quibus vice Angeli primi respondebunt: *Non est hic, surrexit, ite nunciare*. Hoc illi duo fratres audito, interim dum illi persolvunt versum, festinato chorum intrabunt cum thuribulis, & cruce vacua nuntiantes: *Surrexit Dominus de sepulcro*. Mox Abbas hoc audito, incipiet *Te Deum laudamus*, & post dato versu subsequentur matutinæ laudes, plurimo lumine monasterio inflammato. Finita autem antiphona *Et valde mane*, data oratione, fiant Missæ. Mane autem primæ vestient custodes pavimentum ex foliis hederarum. Verum horæ non solum ejusdem diei, sed etiam tota Sabbati, & nocturnæ, & diurnæ erunt canonicæ. In capitulo agent absolutionem. Ad levam autem altaris ad Missam ponetur quædam palestra velata carbaso purissimo, super quam ponet custos calices aureos, onichinos, cristallinos, argenteos, sperula, thimiamateria, thuribula, crateras, offertoriola, & cetera altaris munita instrumenta. Quæ Missa summo reverentiæ cultu celebrabitur. Mensa denique fratrum, ultra quam dici potest, ardentius exquisita, fratres promptiores reddet. Post quam ibunt dormitum. Ad Vesperas omnes erunt induti albis usque ad medium pascha, stationes autem servabunt tota eptomada. Feria igitur quinta sanguinem minuent, lege qua supra. In omnibus denique Dominicis diebus quadragesimæ quinquagesimæ ab omni opere manuum extorres erunt, nec quisquam eos in aliqua abstinentia cibi, & potus gravabit. Alioquin Canonum contradictor erit, qui hæc violaverit.

In diebus Rogationum, & in Letania majori semel in die fratres prandebunt, tantum a sagina abstinentes, & si ne calido sumine legumen habentes. Namque eidem mensæ faciet marginem lactuca, & potio densa. Sabbato sancto, vigilia Pentecostes fratres balneis loti servabunt meridianum tempus. Deinde peracto quinque lectionum officio sequetur septiformis letania, omnibus albis indutis, uti in Pascha. Quod videlicet officium sonitu duarum campanarum fiet omnibus notum; tandem ad *Gloria in excelsis Deo* dabunt omnes campanæ sonitum. Post Missam autem, & Nonam ibunt ad mensam quadragesimaliter cœnaturi, ceu in Sabbato sancto priori ante resurrectionem Domini. Vesperæ autem monachiliter ex integro cantabuntur, & post reliquum nihil; nocturnale officium legaliter canonicum, ad quod cantor a principio custodiet chorum. Dato denique versu post *Te Deum laudamus*, subsequentes matutini; ubi dicetur capitulum, & coram altare a duobus fratribus responsum, & hymnus *Veni Creator Spiritus*. Dicto autem cantico de Evangelio sequitur statim oratio sine precibus, & *Kyrie eleison*. Deinde completa benedictione ibunt fratres pausare. Horæ autem ejusdem diei, & post in reliquum nocturnæ, & diurnæ erunt secundum ordinem cucullatorum, excepto quod ad Tertiam tota eptomade cantabitur hymnus *Veni Creator Spiritus*, quia igitur sanctus Spiritus remissio est peccatorum, icirco fratres facient absolutionem in capitulo. Vesperas agent fratres in cotidiano scemate, feria autem tertia, secunda, & quarta Missam celebrabunt in albis vestibus. Quod si jejunium quatuor temporum in hac sollemnitate evenerit, post Missam sollemnem hora nona de jejunio dicetur altera Missa. Quo videlicet die semel fratres, licet quadragesimaliter prandeant, solemni tamen cultu habebunt hæc piscium genera, capitonum, bat, ravennatum, persicum, trotam, lucium, cum simili varietate potuum. Quod si simpliciter, ut fieri assolet, prædictum evenerit jejunium, competenti jejunio observabunt. Cruces etiam in hoc jejunio usus habet sequi, sicuti & in jejunio septembri.

Quia igitur beatus describit Benedictus ab idibus Septembris usque caput quadragesimæ monachos ad nonam semper refici debere, & silent, quibus horis loqui, quibusve deberent vacare taciturnitati, nos hic manum mittimus, & juxta qualitatem & brevitatem dictorum, secundum quod a majoribus nostris annuatim absque vacillationis linea vidimus firmetenus teneri, scribimus, ut si forte quis erroneus exinde hæc legerit, depulso dubietatis suco, veritatis lineam sciat. Igitur ab idibus supradictis usque ad calendas Octobris licet semel reficiant, tamen æstive pulsabitur prima. Post capitolum autem, & tertiam hæc duo intervalla usum fratribus præbebunt loquendi, porro post Sextam pervissimum intervallum erit, quo simili modo licenter fratres sibi vindicabunt. Ubi vero nola dabitur signum, videlicet Nonæ ministris, ut se ad Missam præparent, data letania, dicetur Missa. Post Missam autem, uti in Regula scriptum est, vacabunt lectionibus, aut psalmis, hic ergo ordo usque ad calendas Octobris servabitur; a calendis denique Octobris usque in Pascha mane Prima dicetur, post Tertiam autem, & capitolum illo intervallo fratres non omittant loquendi usum. Et post Sextam similiter illud intervallum fratres habebunt usque ad Nonam; qui ordo stabit usque ad festum sancti Martini. A festivitate autem sancti Martini, quoniam omnino dies breves sunt, usque ad Nativitatem Domini post capitulum solummodo fratres intervallum habebunt ad loquendi usum. Nam pulsante Sexta fiet tantum a primo signo oratio, nec non dabitur aliud signum, quam fuerint ministri parati; hic certe ordo usque ad Purificationem sanctæ Mariæ curret; verum postea usque ad caput Quadragesimæ idem ordo, qui a calendis Octobris, usque ad festum sancti Martini. In Quadragesima vero usque in Pascha post Tertiam, & Sextam loquendi usum habebunt. Nam pulsata Nona post orationem inter duo signa præparabunt se ministri. A Pascha autem usque ad idus Septembris post Primam, & Nonam hæc duo intervalla absque retractatione sibi ad loquendum fratres usurpabunt.

Et quia longum per annum plurimæ Sanctorum vigiliæ, & festivitates conveniunt, quas loco suo minime potuimus differere, qualiter a monachis singulæ debeant honorari, hic compendioso sermone statuimus simul conglutinare, ut maturius a quoque possit absque compendiuatione quælibet festivitas, unde agitur, repperiri. Vigilia Apostolorum Philippi, & Jacobi quia in Pascha Domini evenit, omnino non custoditur, festivitas vero eorundem uti Dominicus dies agitur, Inventionem sanctæ Crucis festive Ecclesia custodit, Exaltationem vero ejus privatim. Vigiliam sanctorum Johannis, Petri, & Pauli, Laurentii, & omnium Sanctorum, & sancti Andreæ sic monachi servabunt, ut quidquid quadragesimaliter mandi potest, edant; horum denique festivitates excellenti memoria cum his sollemnitatibus Assumptione sanctæ Mariæ, Nativitate ejusdem, Translatione S. Benedicti, memoria Michaelis Archangeli, festivitate S. Martini, quæ vigiliis carent, monachi cappis amicti toto venerationis cultu celebrabunt. In quibus sollemnitatibus legumen fratrum mensam non violabit, sed lautioribus cibis, largo stipendio fastidita fratres alertos reddet.

Non perfunctorie autem volumus, posteri nostri audiant, aut fortuitu, qui in præsentiarum sunt, negligant, quæ scribimus, quoniam revera ea solum quæ audivimus, & vidimus, notamus; nec quicquam adinventionis nostra ex parte annectimus; immo aliqua ex his, quæ a senioribus nostris antiquitus novimus consuetudinaliter servata esse, quodam saltu omisimus, ne incredibilites loqui videremur. Etenim ut jam diximus, in omnibus sollemnitatibus, quibus se induunt fratres albis, aut cappis, profuse prandebunt, & claratum habebunt, & post cœnam bibent caritatem. Vigilias deinde Apostolorum Jacobi fratris Johannis dilecti Domini, & Bartholomæi, & Matthæi, Simonis &

Judæ

Judæ, sicut superius diximus, Ecclesia custodit, festivitates vero feriare & privatim. Sanctorum autem Evangelistarum Lucæ, & Matthæi tantummodo monachi notames feriate. Dedicationem vero Ecclesiæ non inferiori gloria, quam sanctum Pascha. Succincte ergo pergamus necesse est, omittendo plura, dicendo pauca, quia Ambrosius nos sollicitet.

Calendis Novembris auctor vestierii pelliciam novam cum nocturnalibus, & pedibus ad singulas fratrum lecte ponat. Non tamen toller vetusta, absque fratris licentia. Quæ tamen pelliciæ ex agnorum sient vellere; a supradicta autem calenda usque ad Dominicam cœnam, ad Mandatum fratres habebunt calidam aquam, quam ministrabunt pistores monitu cellarii, qui tamen si negligentes fuerint, cellararius vindicabit; a Cœna vero Domini, usque ad supradictas calendas, frigida ad Mandatum erit aqua. Verum idem frater custos vestiarii tota hieme, si expedierit, post mensam fratrum sartores in competenti domo faciet focum permaximum facere, ubi fratres simul convenient ad calefaciendum. In scola vero puerorum manabit semper ferous candent. Harum quippe bestiarum pellibus monachus indui licenter potest, hircorum, ovium, agnorum, leporum, squirorum, hienerom, & in pilleis vulpium: quatuor igitur vicibus dabuntur in anno calcamenta fratribus, exceptis nocturnalibus; scilicet in Dominica cœna duo paria, in medio Augusto alia, & in Nativitate Domini similiter alia, sed sine pedulibus pura.

Igitur quia ordinatio Abbatis in Episcopi audicibus continetur, nos hic ponimus, qualiter Abbas suos debeat benedicere, & ordinare, Præpositum videlicet, & Decanum, Cellerarium, & Thesaurarium. In ordinando itaque præposito modus iste servabitur: in conventu fratrum ordinandus stabit benigne monendus ab Abbate, ut sit cautus ad insidias diaboli, & cetera, quæ de eo proprie beatus Benedictus scribit; deinde cum voto omnium fratrum Abbas accepta beati Benedicti regula dabit ei dicendo: *Secundum, frater, quod hic habetur scriptum de te, monemus, & præcipimus te vivere, & præsens officium ad honorem Dei, & fidelitatem loci peragere.* Exinde osculato manu Abbatis, ibit in oratorium, & prostrato eodem in pavimento dabit Abbas stola amictus super eum benedictionem: *Tuam, Clementissime Pater, omnipotentiam deprecamur ut infundere digneris super hunc famulum tuum, quem tue, servitutemque tantum officio mancipamus*, & reliqua. Post hanc itaque benedictionem, ubi Abbas non fuerit, Præpositus ordinem servabit.

Eodem itaque modo Abbas Decanum sibi ordinabit. Et ubi Abbas, & Præpositus, defuerint, Decanus ordinem servabit; nec præsumet Præpositus, aut Decanus, si infra monasterium Abbas fuerit, ad priorem tabulam conscendere; verum si Abbas præsens non fuerit, Præpositus omnem disciplinam regularem super fratres exercere poterit, excepto quod neminem in gravioribus culpis mittere poterit; idipsum autem & Decanus facere poterit, si tamen Præpositus defuerit; & quantum Præpositus Abbati cedit, non tantum dicimus Decanum Præposito cedere debere; sed aliquantisper, ut si v. g. absente Præposito Decanus aliquem ex fratribus in qualibet abstinentie miserit, Præpositus indulgere poterit, communi tamen concordia. Itaque nec Præpositus, nec Decanus fratres, sicut Abbas stabiliaverit, removere poterit.

Cum igitur Abbas aliquem nevo interveniente degradaverit, aut sic simpliciter, eo modo, quo frater ab Abbate officium suscepit, reddet. Tunc demum Abbas in oratorio fratrem absolvet stola amictus cum hac oratione: *Domine Jesu Christe, qui pie servientibus tibi munificus attribuis, & clemens largiter existis, hunc famulum tuum, qui in hac domo tua nunc usque laborant, absolve*, & reliqua.

Cellerarius cum constituitur in conventu fratrum, a manibus Abbatis suscipiet regulam cum clavibus, postea benedicetur in oratorio, uti Præpositus. Thesaurarius in eodem conventu verbis tantum stabilietur cum clavibus. Porro horum solatia, si res poposcerit, Præpositus ut Decanus mutare poterit cum reliquis minoribus utilitatibus monasterii; nam in rebus præcipuis ordinationem Abbatis nemo violare poterit. Verum ad servitorum mensam eamdem vim Cellerarius super prandentes habebit, quam ad fratrum Præpositus, vel Decanus, nisi unus horum affuerit. Ceterum omnibus cujuscunque ordinis, aut dignitatis, vel obedientiæ sint, dominabitur.

Circator monasterii horis incompetentibus ubique circuiens explorabit: quod si noxium quid offenderit, mane in capitulo suum erit clamere, non tamen proterve judicare; qui etiam monstrum quoddem introrsus cavatum ad capiendos somnolentos habebit, quod ad vigilias portare frequentabit. Si cui vero fratri antepofuerit, petita venia, cum eodem subsannatorio instrumento chorum circuibit, simili modo coram eo positurus, quem forte dormientem aut non se inclinantem invenerit. Si vero nihil offenderit horum, proprio Domino repottebit.

Sententiæ [a] Abbatie, cum leguntur in capitulo, si præsens fuerit, humili sermone se excusabit; quem fratres leniori consolatione mulcebunt, & consuetudinaliter septem pœnitentiæ psalmos pro eo cantabunt. Quo videlicet die negligentes camissius tractabuntur, & mensa fratrum plus solito pleno cornu augmentabitur. Sententiæ vero Præpositi, Decani, & Cellerarii cum leguntur, post verbum redditum quis horum petet veniam, & stando reddet confessionem se errasse nimium hactenus, & in omnibus culpabilem esse, seque libenter velle emendare cum fratrum adjutorio, si Deus annuerit. Cui fratres compassionis verbum reddent, & quinque psalmos canticum graduum pro eo cantabunt, nec negliget is mensæ fratrum totis viribus subvenire. Sane cum Præpositi sententia legitur, si præsens Abbas fuerit, idem Præpositus petet veniam; seu vero minime. Cellarius licet neutrum horum sit, non tamen omittet petere. Proprium autem est, refectorario in festivis diebus ante Primam mantilia mittere, vasa autem fratrum proprie coram unoquoque lota cum coclearibus mittere, & simul cooperire; privatis vero diebus usque post capitulum sustinere, & omni Sabbato refectorium verrere.

Si quando igitur fratres ad quamlibet obedientiam perrexerint longe, vel prope, finito cursu, dicet simpliciter, qui præest: *Benedicite*, & loquendi licentiam laborantes habebunt; completo siquidem opere, simul pariter remeabunt dicentes versum: *Benedictus es Domine Deus meus, qui adjuvisti me*, & *Pater noster*. Post quem dicet Prior: *Adjutorium nostrum, in nomine Domini*; & rursus *Benedicite*. Idem ordo post Nonam servabitur competenti psalmodie completa. Interim, si dum cursus tenetur, silentium servabitur, nec quisquam seorsim se disjungere poterit absque licentia Prioris. Sabbatis igitur diebus omnino intermittebitur obedientia, sicuti & ad Missam Letania; nec solum, ut diximus, in Sabbatis diebus, verum etiam & in Sanctorum vigiliis vacabunt fratres ocio, & ad Missam cessabit dici Letania. In jejunio itaque quatuor temporum feria quarta, & sexta fratres ad Missam offerent, & quando legitimas ferias observabunt, similiter. Sabbatis vero ejusdem jejunii, & illis diebus, quibus sibi fratres arte rasorie minuunt barbas, & inde nominatissimis vigiliis solummodo unus offeret.

Igitur a Pasche Domini, usque ad solemnitatem omnium Sanctorum post Nonam dicentur Vesperæ mortuorum. Et interim dum ad Vesperas singillatim pulsantur signa, dicetur vigilia, & peracta cœna, psalmi illi, qui prænotantur: *Deus auribus nostris*. Verum a jam dicta festivitate, usque ad sanctum Pascha dicentur Vesperæ inter vespertinas campanas, & post Vesperas de omnibus Sanctis agetur vigilia; porro ad nocturnos post matutinas laudes de omnibus Sanctis dicentur psalmi: *Deus auribus nostris*. In Quadragesima autem ante mensam dicentur Vesperæ, & post cibum vigilia, & sicut superius: *Deus auribus*.

Infirmis præterea fratribus, si expedierit reconciliari, ordo ecclesiasticus dicet id, quo modo debeat agi. Nos autem quia consuetudines monachorum ea parte signamus, de his aliquid non tacemus; horis denique competentibus licenter fratres infirmum visitabunt. Verum si ad occasum appropinquaverit, more consueto septies Oleo sancto inungetur; in singulis itaque orationibus ubi Prior dixerit: *Benedic huic famulo tuo*, vel aliquid tale, quique sacerdotes cum eodem Priore tangent languentem, uti præcipit Apostolus. Ubi vero ventum fuerit ad manus, & pedes, dabit custos vestiarii ex lino wanta, & pedules, ne sacra videlicet unctio periclitetur. Ante igitur quam decedat, dabit servitor signum tabulæ, moxque ut simul concio venerit, petet coram infirmo veniam, videlicet ut sibi indulgeat, si quid in eum peccavit; idipsum autem si sic languens frater potuerit, faciet. Post viaticum deinde datum, legentur Dominicæ passiones, ut sensu integro possit affirmare verum esse, quod lectum est. Seque de Dei Filio omnino sic credere; inde exponetur a lectu, & cilicio in terram prostrato, desuper moriens frater extendetur; interim fratres agent Letaniam. Sane cujus ordinis fuerit, ejusmodi fratres lavabunt corpus; vestietur denique, decanterque componetur, uti Domino præsentandus; postquam

ergo

(a) Id est regulæ capitula, quæ agunt de Abbate. Et mox *sententia Præpositi, & Cellerarii*, sunt capitula, quæ sunt de iis.

ergo in feretro positum fuerit corpus, velabitur facies ejus sudario, quod tamen ministrabit custos ecclesiæ; rursus itaque dabuntur signa, & sistent corpus in medio monasterio, ibique servabitur vicissim a fratribus psalteria cantantibus, quousque Missa celebrata reddatur terræ terra; ad quam Missam unusquisque fratrum tenebit in manibus ardentem cereum. Postquam consimilibus fratre sepulto, pariter septem psalmos speciales pro requie fratris cantantes remeabunt in oratorium, ibi quod residuum fuerit, prostrati cantituri. Unusquisque igitur fratrum pro defuncto fratre psalterium cantabit, & unusquisque Sacerdos triginta Missas, conventus autem septem vigilias plenas, & post usque trigesimum diem solemniter memoriam ejus indeserte tenebunt, omni die matutinalem Missam celebrantes, & simul offerentes. Post officium autem ibunt in chorum absolvere animam ejus ex integro cursu decantato; tricesimo autem die vigilia pleniter pro eo dicetur, & Missa propria, & sic finietur obsequium fratris defuncti. Sed & uni Sacerdoti forensi continuis triginta diebus victus dabitur fratris unius, qui pro eodem defuncto in agendis mortuorum pleniter laborabit. Anniversaria autem fratrum in loco quiescentium prout catalogus signaverit, fratres pro affectu studebunt vigiliis, & missis prosequi. Verum, in anniversario Abbatis ejusdem loci pulsabuntur campanæ ad vigiliam, & ad *Exultabunt Domino*, & ad matutinalem Missam; ea quippe nocte bibent fratres caritatem. Sed & in anniversario Episcopi, ad cujus diœcesim locus attinet, hunc modum fratres tenebunt. Sane si brevis cujuslibet defuncti ad monasterium venerit, in capitulo legetur, & explicito dicet Prior: *Requiescat anima ejus in pace*, & fratres respondebunt, *Amen*. Exinde data tabula ibunt in oratorium cantantes V. Capituli psalmos; quibus explicitis pulsabuntur signa, & sic more consueto commendabunt defuncti fratris animam; de defuncto ...... qua hora nuntius venerit, non differetur in crastinum, sed statim ejus anima Domino commendabitur, nisi fuerit ea incompetens hora quæ non possit violari. Itaque corpora laicorum cum corporibus fratrum in uno cœmeterio non ponentur.....

CAPITULUM GENERALE

Nigrorum Monachorum Provinciæ Coloniensis, & Trevirensis, Anno MCCCCXXII. celebratum in Monasterio S. Maximini ad muros Trevirenses.

Ex Manuscripto Codice S. Laurentii Leodiensis.

UNiversis præsentes litteras inspecturis nos LAMBERTUS S. Maximini, & JOANNES S. Mathiæ, extra muros Trevirenses, et THOMAS S. Mantirii ro Thoneygia Trevirensis Diœcesis, Ordinis S. Benedicti Nigrorum Monasteriorum Abbates Præsidentes a SS. in Christo Patre, & Domino nostro, Domino MARTINO, Divina providentia Papa V. Nec non KAROLUS Abbas Monasterii S. Johannis Baptistæ Florinensis, Diœcesis Leodiensis e præseis Domnis Præsidentibus de consilio, et consensu Capitulum generale celebrantium, ob defectum quarti collegæ a Sede Apostolica deputeti ed officium Præsidentiæ Capituli Nigrorum Monachorum, ejusdem Ordinis Provinciæ Coloniensis, & Trevirensis, quæ quo ed hoc, utrique una, & eadem Provincia, secundum constitutionem felicis recordationis Benedicti Papæ XII., iimisetæ eeosentar exequendum, & secundum seriem literarum Apostolicarum nobis directarum, & auctoritetem, et potestatem nobis traditam, fideliter cum omni sinceritere edimplendum deputati; videlicet in Monasterio S. Maximini extra muros Trevirenses, dicti Ordinis celebrati, ae die decime octave mensis Octobris, videlicet die Beati Lucæ Evangelistæ inchoari, cum diebus sequentibus, enno Domini MCCCCXXII. indictione quinsedecima, enno dicti Domni Martini Papæ ejus quinto, secundum tenorem litererum prædictarum, & felicis recordationis Innocentii III., ac Honorii III., & Bonifacii VIII., & Clementis V., necnon generalium Conciliorum statute, & constitutiones dicti Benedicti Pepæ XII., et sacrorum Canonum sanctiones, salutem in Domino sempiternam.

Notum facimus, quod pro utilitete, & necessarie Monastici sacri Ordinis prædicti reformetione, ex officio nobis injuncto, & authoritetem, & potestatem nobis traditam, secundum prædicta, ut tenemur, in præsentia Domnorum Abbatum, & prælatorum in dicto eapitulo congregatorum, & convocatorum, quorum nomine sequontor, & procuratorum absentium, videlicet in Diœcesi Trevirensi, comparentes Abbas Prumiensis, per Henricum decanum, & Odulphum, custodem Monasterii ejusdem. Abbas Epternacensis in Lacu, Abbas Luczemburgensis, per Abbatem Epternacensem, & Abbatem Beatæ Mariæ ed Martyres. Abbas in medio Lacu, Abbas in Sconaw, Abbas in Gronaw, Abbas in Rocel, per fratrem Johannem de Sirek, & Petrum de Amoth. Præpositus in Husznawe. Abbas S. Mariæ ed Martyres, Abbas S. Martini. In Diœcesi Coloniensi comparenses Abbas S. Cornelii, Abbas S. Martini, Abbas S. Ludgeri Werdanensis, Abbas S. Pantaleonis, Abbas in Browilur, Abbas in Tuitio, Abbas in Syburch, Abbas in Grassehaff, Abbas in Gladebach, Abbas in Loyrsoat, Abbas in Wardut, Abbas in Sibeim, Abbas in Viburch, per magistrum Heinricum Grominghen, decretorum doctorem. In Diœcesi Monasteriensi, Abbas in Mnyi, Abbas in Felfort, Abbas in Zyle, Abbas in Dedinghen, per Domnum Abbarem in Sylfors. In Diœcesi Leodiensi, Abbas Sraveleasis per se, Abbas S. Jacobi, Abbas S. Laurentii, Abbas S. Hobarti, Abbas Broniensis, Abbas Gemblacensis, Abbas in Ulierteek, per Domnum Abbatem Florinensem. Abbas in Weltzedron, per fratrem Henricum Hugonis, Abbas S. Trudonis per fratrem Johannem de Laer, eustodem ibidem, & magistrum Reynerum Scatin. In Diœcesi Trejectensi, Abbas Egmondensis, Abbates S. Pauli, & Laurentii, per decanum Wilbelmum magistrum de Wege, legum doctorem, magistrum Jacobum de Harlem, bacalarium in decretis, & fratrem Wilhelmum in Urenhahe. Abbas in Seanra, per fratrum Johannem Pir. Electus in Smalaebe, Abbas in Diekmee, & Præpositus in Clare equa, Præpositus in Nigre aqua, per fratrem Walterum. In Diœcesi Tuilensi, Abbas Senonensis, Abbas S. Mansueti, per magistrum Ganfredum. Abbas S. Apri, per frasrem Nicolaum, Abbas Monasterii Medieni, per fratrem Hubertum.

In Diœcesi Metensi, Abbas Bosonis villæ, Abbas Gorziensis, per Abbatem Senonensem, & Adam Notarium, Abbas in Hornbach.

In Diœcesi Virdunensi, Abbas S. Agricii, per fratrem Theobaldum, Abbas de Bello loco, per eumdem fratrem Abbas S. Gwironi, per fratrem Jacobum, Abbas S. Michaelis, per fratrem Petrum; Prior de Esmenge Tullensis Diœcesis, per frattem Nicolaum, Prior de Hanseyge, per fratrem Johannem, & per Nicolaum de Spinelio.

Non comparentes in Diœcesi Metensi, Abbates SS. Arnulphi, Symphoriani, Clementis, Laureotii, & Martini, Abbas Glandariensis, Abbas de S. Nabore.

In Diœcesi Trejectensi, Abbas in Forsfart, quos, & quemlibet eorum reputevimus, ac præsentibus reputamus contumacem, vel contumaces, ac propterea pœnas in constitutionibus Benedicti XII., ac in bulle consentas, decrevimus, ac per præsentes declaramus incidisse, quas cuilibet eorum ad xx. florenos Rhenenses texevimus, & præsentibus texamus persolvendos infra hinc, & festum S. Mertini proxime futurum, & sub excommunicationis pœna, quam tempore medio quidem pro monitione canonica ipsis deputavimus, & præsensibus deputamus, si in termino præfato non satisfecerint, in ipsorum quemlibet ferimus per præsentes, et excommunicatos denuntiari volumus, & mendamus in locis, & Monasteriis ordinis præfati, prout in Benedictina continetur. Quorum absolutionem nobis præsentibus, & cuilibet nostrum, dumtaxat reservevimus, & reservemus. Tum quia Abbas in Gronawe Trevirensis Diœcesis, recessis sine licentia, & in contemptum obedientiæ, cui præceptum speciale fuit factum per unem Præsidentium de non recedendo. Quapropter juxta constitutionem Benedictinem, tamquam filium inobedientiæ reputavimus, ac præsentibus reputamus eum contumacem, ob quam contumaciam, & pœnas in dicta constitutione Domni Benedicti XII. contentas, ipsum declaravimus, ac præsentibus declaremus incidisse, quam arbitremur in hunc modum, videlicet pro hujusmodi contumacia, & pœnis prædictis solves xit. florenos Rhenenses quorum absolutionem Domini Præsidentes sibi in futuro capitulo ee ceuse reserverunt, et sententias, & pœnas non satisfacientium in statuto per nos termino, de quo collectas pro expensis capituli provincialis deputatus eorum aggravationes nobis, cum absolutione opportuna, prædictas sententias, & pœnas incurrentium, & cuilibet nostrum inposterum reservevimus, & reservamus per præsentia. Statuimus, & ordinemus, quæ sequuntur.

Indicitur proximum capitulum provinciale.

I. Primo, quod capitulum provinciale, & ordinis prædictorum proxime celebrandum, secundum statute, & sanctiones prædictas, celebrabitur in Monesterio S. Jacobi Leodiensis Diœcesis ejusdem, in quo omnes Abbates & Præpositi, ceterique prælati ad capitulum præsens vocati comparebunt, sub pœnis in bulla Papali, & in constitutionibus Domni Benedicti XII., & aliis censuris, & pœnis in corpore juris clausis contre inobedientes promulgatis. Comparebunt enno a nativitate Domini MCCCCXXIV., Dominica, que cantatur in ecclesia *Cantate*, post festum Paschæ, circa horam vesperorum ad audiendum processum in capitulo provinciali, quod diebus immediate sequentibus celebrabitur, observandum.

Præpositus Capituli.

Et in eo præsidebuns, Domni Abbates S. Willebrordi Epternacensis, Trevirensis Diœcesis, S. Jacobi infre muros, & S. Laurentii extra muros Leodiensis Diœcesis ejusdem, & Abbas in Stauria Diœcesis Trejectensis, quorum Domni Abbates Sanctorum Jacobi, & Laurentii Leodiensis Diœcesis, & Domnus Abbas in Staurie, propter eorumdem corporalem absentiam e capitulo provinciali præfeoti Dominica, *Misericordia Domini*, immediate præcedente Dominicam *Cantate*, præfatam convenient in Monasterio S. Jacobi præfato, ibidemque jurabunt in præsentia duodecim Monachorum professorum, & duorum notariorum officium suum fideliter exercere sub forma, quæ sequitur.

„ Ego

„ Ego N. Abbas.... electus, & deputatus per præsidentes provincialis capituli Travirensis, quod celebratum fuit, alias in Monastatio S. Maximini prope muros civitatis ejusdem anno Domini MCCCCXXII. circa festum Lucæ Evangelistæ, de concordi consensu celebrantium idem capitulum in præsidentem capituli provincialis proximo celebrandi, juro quod officium præsidentiæ mihi injuncturo, diligentes, fideliter, & cum omni sinceritate, ac viribus meis exercebo, omnibus amore, odio, favore, ac quocumque alio inordinato affectu postpositis, secundum Deum, & Beati Benedicti regulam, ac regularia instituta: sic me Deus adjuvat & hæc sancta Evangelia.

Insuper propria nomina præsidentium non expressimus, quia casu, quo aliquis, vel aliqui eorum tempore medio vitam terminarent, successor illius, vel illorum in locum defuncti succederet. Missam cantabit feria II. proxima, post *Cantate*, Domnus Abbas S. Jacobi per se, vel per alium. Sermonem facies Domnus Abbas in Stauria per se, vel alium, infra missam itidem decantandam.

Visitatores Monasteriorum.

II. In Diœcesi Trevirensi visitabant Domni Abbates Epternacensis, & S. Mathiæ Diœcesis ejusdem, & visitabunt Domnum Abbatem S. Mathiæ, Domni Abbates S. Johannis Baptistæ Florinensis, Leodinensis Diœcesis, & in *Sylfort* Monasteriensis Diœcesis. Sed Domnus Abbas Epternacensis visitabitur per Domnum Abbatem S. Mathiæ tum collega per eundem assumendo.

In Diœcesi Coloniensi, visitabunt Domni Abbates S. Cornelii, & S. Martini infra muros Colonienses Diœcesis ejusdem, quos visitabunt Domni Abbates SS. Jacobi, & Laurentii Leodinensis, quos visitabunt Domni Abbates SS. Maximini, & Mathiæ Travirensis Diœcesis.

In Diœcesi Trajectensi, Monasteriensi, Osnaburgensi, & Mindensi, visitabunt Domni Abbates in Stauria, & in *Sylfort*, quos visitabunt Abbas Gemblacensis, & Abbas Broniensis.

In Diœcesibus Metensi, Tullensi, & Virdunensi, visitabunt Domni Abbates S. Michaelis Virdunensis, & Senonensis Tullensis Diœceseon.

Volumus præterea, quod nullus visitatorum prædictorum ultra sex equitaturos ducere secum habeat; ita quod duo visitantes ultra duodecim equitaturos secum non habeant, nisi magna urgens necessitas periculi imminentis urgeret ad habendum plures, quod idem volumus de venientibus ad capitulum observari, quod si contrarium fecerint, ultra tantum, quantum exposuerint, teneantur solvere, reponendum in communi arca, ad utilitatem capituli præfati infra mensam, quod si non fecerint, ad duplum per præsidentes arbitrandi in dicto proximo capitulo condemnentur, nulla ejus remissione super hoc profutura.

Arca Communis.

III. Ordinamus insuper dictam arcam communem debere stare in Monasterio S. Jacobi tribus seris, & clavibus diversificatis seratam, in qua per thesaurarios, seu custodes clavium infra nominandos, de contributione communi, ex aliunde obvenientia ad utilitatem capituli præfati reponentur. Præfatos vero Thesaurarios eligimus Abbates SS. Jacobi, & Laurentii, ac Monasterii Florinensis, Diœcesis Leodinensis, dantes eisdem Thesaurariis præfatis, Visitatoribusque, & eorum cuilibet potestatem exigendi, petendi, & requirendi omnia, & singula debita in ipso capitulo imposita, vel imponenda per ipsum capitulum super personas dictæ Provinciæ, & Ordinis pro supportatione Capituli, & Ordinis prædictorum.

Taxa per Visitatores imponenda.

IV. Volumus autem recepta, seu recipienda per Visitatores præfatos, quod omnia mittant Thesaurariis jam dictis, seu eorum alteri, ut in præfata Arca reponantur, & ut omnia prædicta, & alia ipsi capitulo incumbentia valeant supportari, monemus auctoritate Apostolica, & nostra omnes, & singulos Abbates, & Prælatos Provinciæ & Ordinis prædictorum, quatenus cuilibet eorum de summa per Visitatores eisdem taxanda, valorem sex florenorum Rhenensium non excedat infra tempus trium dierum computandorum a die, qua Visitatores causa visitandi ad sua Monasteria declinaverint, nisi prius satisfecerint, vel suis Visitatoribus, seu eorum alteri satisfaciant. Quod tempus pro tribus monitionibus canonicis eis præfigimus, & volumus sufficere, alioquin eos dicto termino elapso in his

scriptis excommunicamus, & excommunicatos denuntiari volumus, & mandamus in locis in Monasteriis præfatis, prout in Benedictina continetur. Quorum absolutionem Thesaurariis præfatis, seu eorum cuilibet, & singulis Visitatoribus reservamus. Quod dicti autem Visitatores, seu eorum quilibet satisfactione præmissa, non autem alias, dictam absolutionem impendere habeat facultatem. De receptis vero seu recipiendis rationem in proximo futuro capitulo expressam facere teneantur.

Præsides, Thesaurarii, & Visitatores præveniant Capitulum.

V. Volumus etiam, quod Præsidentes, Thesaurarii, & Visitatores terminum capituli proxime celebrandi præveniant, sic quod Thesaurarii sint ibidem Sabbato ante Dominicam præcedentem Dominicam *Cantate* supradictam, Præsidentes vero die Lunæ, ac Visitatores die Martis proximi ex post sequentis. Interimque relationem de commissis ejusdem, & discussionem, quantum poterunt, ante terminum dicti capituli facere debeant, ut advenienta termino ipsius expediantur.

De Visitatoribus.

VI. Volumus, quod Visitatores omnino provideant de Conversis Ordinis, quod obediant Abbatibus, & Prælatis suis, ac omne a se excludant consortium Monialium, seu quarumcumque mulierum suspectarum, & quod non intersint secretis Monachorum sub pœnis, & censuris in Benedictinis contentis, contra inobedientes promulgatis. Volumus, quod Visitatores omnino observent formam Benedicti in Capitulo de Visitatoribus traditam, & Visitatores absentes, antequam primum actum visitationis incipiant in Monasterio visitando coram Prælato, & conventu juramentum præstabunt sub forma, quæ sequitur: „ Ego „ N. a reverendis in Christo Patribus Domnis Præsidentibus capituli Provincialis nuper in Monasterio S. Maximini prope civitatem Trevirensem Diœcesis ejusdem, „ & de consensu ipsum Capitulum celebrantium, in Visitatorem talis Diœcesis electus, & deputatus, juro per „ hæc Sancta Dei Evangelia, quod officium visitationis „ mihi injunctum fideliter, diligenter cum meis viribus exercebo, omnibus amore, odio, favore a quocumque „ inordinato affectu postpositis, secundum Deum, & Regulam Beati Benedicti, ac regularia instituta; sic me Deus „ adjuvet, & hæc S. Dei Evangelia.

De mutatione Monachorum.

VII. Exhortamur omnes Visitatores, & singulos ad præcavendum multorum perturbationem, ac molestiam, ne transferant personas ordinis de Monasterio ad Monasterium, quod si fieri contingat ex magna, & rationabili causa, sine turbatione recipientium sic translatos omnino volumus, ut extra terminos visitationis seu illos non transmittant, quia nec extra præfatos terminos nullam jus, aut potestatem a nobis se agnoscant recepisse.

Benedictina ubique habenda.

VIII. Volumus, & ordinamus, quod omnia, & singula Monasteria Provinciæ nostræ procurent sibi infra annum constitutionum copiam Benedicti VII. correctam, collationatam, ac sub manu publica signatam.

IX. Insuper ordinamus, & volumus, Visitatores a data præsentium, & festo Paschæ proxime futuro fieri cum effectu adimpleri sub pœnis in constitutionibus Benedicti XII. contentis. Quod si non fecerint, illas ipso facto incurre volumus.

X. Insuper volumus, quod si commode duo conjuncti Visitatores insimul visitare non poterunt, alter eorum officium visitationis exercere possit.

Capitulum Annale.

XI. Volumus, & ordinamus, quod Abbates, seu alii Prælati sub se Præposituras, & Prioratus habentes infra menses sex proximos a data præsentium computandos, subditos suos convocent, & juxta formam constitutionis Benedictinæ loquentis de celebratione capituli Annalis, ipsum Annale capitulum celebrent, omnia, quæ in præsenti nostro capitulo Provinciali statuta, & ordinata sunt, subditis suis pronuntient, & ea inviolabiliter observari faciant.

In præcipuis festis non vagentur Monachi.

XII. Insuper, ut devotioni succurratur sacræ nostræ Religionis professorum uberius, quod ipsam festivitas amplius expostulat solemnior, declaramus consuetudinem, seu potius abusum quorumdam Monasteriorum, quæ in hac parte sacræ derogat devotioni, omnino abolendam, quam & præsentibus abolemus, & volumus aboleri, qua in præcipuis festivitatibus quatuor majoribus, seu festo Palmarum Monachi nostri ordinis, suis derelictis Monasteriis ad alia transcurrunt. Volumus igitur, & ordinamus ut in præfatis festivitatibus Religiosi in propriis Monasteriis sedulo suo famulentur creatori.

De Officio Divino.

XIII. Insuper ad ordinis reformationem, ex officii debito oculorum aciem dirigentes, quædam ipsum totum ordinem concernentia pro ipsius reformatione duximus statuenda. Et primo ab opere Dei inchoantes, ordinamus, quod Divinum diurnum pariter, & nocturnum officium devote, tractim, paulatim, non transcurrendo, non syncopando, horis competentibus, prout in Regula Beatissimi Patris nostri Benedicti continetur, celebretur. Ad quod mox cum auditum fuerit signum, relictis omnibus, quæ fuerint in manibus, summa cum festinatione concurrant, cum gravitate tamen, ne scurrilitas fomitem inveniat. Ita tamen, quod nihil operi Dei præponetur, & ne excusari prætextu ignorantiæ non auditi signi valeant.

XIV. Volumus vero, quod tractus Matutinorum, quæ in media nocte incipi volumus, Primæ, & Vesperorum ad minus ultra quartam partem horæ perduret. Qui vero ad præfatum Divinum officium non pervenerit, irremissibiliter, prout continetur in Regula, puniatur.

De Missæ celebratione.

XV. Volumus etiam, quod Abbates, & ceteri ordinis Prælati celebrent, confiteantur, & communicent, prout in constitutione dicti Benedicti de celebratione Missarum continetur, & quod illi, qui secundum statuta Apostolica, & Benedictinarum Sanctiones... In sacris autem Presbyteratus ordinis constitui esse debent, infra annum ad ipsos ordines promoveantur.

De Capitulo.

XVI. Volumus insuper, & ordinamus, quod qualibet die in locis, ubi sunt sex Monachi, & aliis, ubi consuetum est, post Primam, si tantum una Missa cantatur; si vero duæ, post primam Missam, vel alia hora consueta teneatur capitulum quotidianum, in quo de disciplina regulari post Martyrologium, & lecturam Regulæ, quæ vulgariter per Præsidentem ipsi capitulo, seu alium, cui ipse jusserit, exponatur, antequam ad alia procedatur. Ac si Monachi in Prioratibus, ac Præpositeris, ac aliis administrationibus simul sint, & canonicas horas dicant, & in istis celebrandis suas hebdomadas ordinate, debite, & tractim non syncopando, humiliter, & devote, & horis competentibus, & cum nota, ubi fuerint tres, vel quatuor, seu plures facere teneantur. Et in talibus, ubi tres sunt, & supra, una per eos Missa ad minus cum nota die qualibet celebretur, prout in Benedictina, & de Monachis ad beneficia mittendis, & modo conversandi in eis continetur. Et contra negligentes Visitatores, prout ex officio, & juramento tenentur, procedant, & negligentium, seu delinquentium culpæ, & excessus puniantur.

Vas, & locus designandus ad Eucharistiam servandam.

XVII. Volumus, quod quilibet cum ad suum Monasterium devenit, de mundis, bonis vase, & loco, in, & ubi Eucharistia reponatur, infra mensem provideat, & libri cum ceteris ornamentis Divinum officium concernentes, cum diligenti custodia reserventur.

De tonsura, & vestibus Monachorum.

XVIII. Tum quia per decentiam habitus extrinseci dicti ordinis professi, & novitii debent morum honestatem ostendere, statuimus, & ordinamus, quod omnes tonsuras deferant largas, & latas, ita quod circulus ipsarum spatium, seu grossitudinem unius pollicis comprehendat, & non ultra excedat, seque decenter habeant in vestibus, habitibus, calceamentis, juxta Clementin. *Ne in agro*, & Constitutiones præfati Benedicti de forma, & honestate vestimentorum; ut videlicet portent tunicas, & vestes habitui superiori proximas nigri, vel bruni, aut albi coloris, juxta morem apud eos servari solitum, rotundas, & talares, non fissas, nec alia deformitate notandas; largas manicas habentes, usque ad pugnum protensas, nullo modo botonatas, seu nodatas, non tamen adeo largas, quod latitudo ipsarum supra pugnum cum pollice ei convaleat extendi, nec citra os cubiti, sicut habet abusus quorumdam, ultra protendantur, quam quod brachium possit faciliter cutti, & infra duci. Almuciis, vel pellibus loco caputiorum sint contenti. Caputiis tamen honestis in locis, in quibus soliti sunt ipsa portare absque cornupeton, sive becca, vel cornetta sistis supra humeros longitudine quatuor digitorum transversalium, uti ad minus de licentia Abbatis possunt. In vestibus pro foderaturis tantum agnicolorum, seu agnellorum pellibus, aut saltem pannis aliis non pretiosis utantur, nec foderaturæ supra collum, nec in fimbriis vestium, seu manicarum appareant aliquo modo, nec aliorum sylvestrium quorumcumque animalium, quovis modo pro foderaturis portare præsumant. Præterea cum ipsos extra Monasteria continget proficisci, floccum, cucullam, aut cappam portent, & subtus cappam, si eam portaverint, cucullam, aut scapulare; novitii vero cucullam intus Monasterium, & extra apertam ad utrumque latus; & conversi scapulare cum caputio sibi connexo clauso intus, & extra utantur. Verum quia aliqui prædictis habitibus magis amplis, & longis, alii vero minus, quam decet, utuntur, ea propter latitudinem, longitudinemque prædictorum duximus præsentibus inferendam, quas volumus observari. Et primo incipientes a caputio flocci, ordinamus, quod ipsius latitudo non attingat os cubiti grossitudine duorum digitorum transversalium, nec valeat esse strictius, seu ita breve, quin usque ad medium cubiti, & ossis superioris prope scapulam protendatur. Dictum vero caputium retro ad minus usque ad corrigiam protendatur, nec ultra ipsam ad quatuor digitos valeat extendi. Longitudo vero manicarum per cubitum unum ultra manum, & non plus extendatur, & longitudo alium cubitum cum dimidio non excedat. Inferius autem sit adeo latus, quod passus infra ipsum faciliter fieri possit, & ea, quæ dicta sunt de flocco, intelligi volumus de cuculla, quæ debet esse semotis manicis, ut floccus in statura. Intra vero Monasterium in locis, ubi fuerint duodecim Monachi, & supra, omnes flocco utantur: in aliis vero, ubi non fuerit tanta congregatio, cucullis clausis in lateribus, spatio trium digitorum ad minus, uti possint, Præsidente Monasterio, & primo post ipsum, quos floccum omnino portare volumus, dumtaxat exceptis. In operibus tamen, & officio Divino subtus albam, ac equitando subtus cappam scapulare, quod sit longum usque ad talos, & latum, quod scapulas comprehendat, vel ad minus spatium dimidii cubiti cum parvo caputio caput comprehendens honestatem habitus designando portare tantum valeant. Camisiis lineis, aut canapeis non utantur, sed vel staminea, vel vestem laneam loco dictarum camisiarum portent. Et stivellos, seu botas, vel sotulares corrigiatos altos, ita quod altitudo spatium quatuor digitorum comprehendat, de tibia super cavillam, portent. Abbates vero extra Monasterium equitaturi in cappis, & regularibus capellis equitare debent, formam Prælatorum, & honestatem monasticæ ostendant, ac capellanos etiam decenter cappatos secum ducere non omittant. Similiter singuli Monachi Monasterio exituri cucullam, floccum, aut cappam portent, non tabardum, aut mantellum, seu qualemcumque aliam vestem portare præsumant, sed sicut statutum est in Clementina: *Ne in agro*, & in constitutione sæpe dicti Benedicti duodecimi, videlicet, de forma, & honestate vestimentorum.

De refectione.

XIX. Ceterum quod fratres communiter vivant, & comedant in refectorio, in quo nullus omnino carnes vescatur. Et diligentes sint Visitatores, ut constitutiones dicti Benedicti de esu, & abstinentia carnium faciant inviolabiliter observari. Mensæque eorum non desit lectio, & qui lector fuerit tota hebdomada, Dominica ingrediatur post benedictionem, prout in Regula capitulo XXXVIII. de hebdomadario lectore continetur.

De dormitorio.

XX. Ita quod singuli per singulos lectos vestiti dormiant in eodem loco, si fieri potest, vel saltem deni, ac viceni, non autem per cameras, maxime si non fuerint cancel-

lata

latæ competenter, ita quod aperte, & clare possint videri in eis lectisternia per modum conversationis, secundum dispositionem Abbatis. Si vero tantum cameræ in dormitorio reperiantur, præcipimus, per Visitatores sæpefatos, seu eorum mandato destrui, vel competenter cancellari, quarum januæ non claudentur, neque ostia habebunt; possunt tamen pannum habere ante januas, sed non ultra cancellos extensum, qui etiam temporibus nocturnis ab ostio removebitur.

De silentio.

XXI. Et quod silentium in oratorio, dormitorio, refectorio, & claustro observetur. Et post Completorium nulli liceat quicquam loqui, nisi prout in regula continetur. Ante vero legatur collatio patrum, aut aliud ædificationis, & diebus Sabbati Mandatum, ut in Regula.

De ostiario.

XXII. Et quod ad portam cujuslibet Monasterii unus portarius, seu janitor deputetur, providus, & discretus, ne absque licentia Abbatis, aut alterius Præsidentis in Monasterio de eodem egrediendi libertas concedatur. Quod si quisquam sine hujusmodi licentia exiverit, pœnis subjiciatur constitutionis Benedicti sæpedicti, de licentia exeundi extra Monasterium sine causa non danda. Intentus insuper sit, quod mulieres nullo modo intrare permittat.

Mendicantes in Monachos non recipiendi.

XXIII. Præterea quia, ut audivimus, quidam Abbatum, seu aliorum Præsidentium, in Monasteriis Mendicantes in Monachos, etiam sine suorum Superiorum licentia recipiunt, & incorporant, quod deterius est, ipsos postmodum vagari permittunt, in animarum suarum detrimentum, & scandalum plurimorum, prohibemus, quod de cetero talia non præsumant, & quos jam receperunt, de auctoritate Sedis Apostolicæ, vel sufficienti licentia teneantur quantocius poterunt, & alios extra Monasterium vagantes, vel saltem infra dimidium annum ad Monasterium revocare, alioquin sententiam suspensionis, si in hoc diligentiam non fecerint, incurrant.

Monialium Clausura.

XXIV. Et ea, quæ dicta sunt de Monasteriis virorum, volumus in Monasteriis Monialium, quoad articulos competentes similiter observari, volentes nihilominus, & ordinantes, quod sub perpetua teneantur clausura, prout in constitutione Bonifacii VIII., quæ incipit, *Periculoso: de statu Monachorum* continetur; in virtute sanctæ Obedientiæ præcipientes Visitatoribus, quod supra hoc diligentiam exactam apponant.

Studia.

XXV. Etiam ordinamus, quod Abbates ponant in suis Monasteriis magistros sufficientes, qui suos novitios introducant in primitivis scientiis, & introductos transmittant ad generalia studia, pensiones eis assignando secundum formam statutorum sæpefati Benedicti.

XXVI. Visitatores præfati statuta facere possint, pœnas graviores infligendo, constitutione: *Ne in agro*, contra taliter inordinatos, seu professionis immemores.

Venatio prohibita.

XXVII. Porro a venationibus, & aucupationibus omnes semper abstineant, nec eisdem interesse audeant, seu canes, vel aves venaticos per se, vel alios tenere præsumant, nec a familiaribus secum morantibus, seu viventibus teneri permittant, prout in dicta constitutione Clementis quinti videlicet: *Ne in agro* continetur.

Spolia beneficiorum.

XXVIII. Ordinamus præterea, quod Abbates, & alii, quibus de consuetudine, statuto, & privilegio competit, recipere spolia beneficiorum sibi subjectorum, recipiendo illa, constitutiones Benedicti præfati observent. Quod si in hoc excesserint, graviter per Visitatores præfatos, etiam præter pœnas in ipsa contentas, quas infligere valeant, puniantur.

Locs ad firmam non danda.

XXIX. Etiam quod loca prædicti ordinis non tradantur ad firmam, nisi prius visa Benedictina, de locis non tradendis ad firmam, quam volumus firmiter observari.

XXX. Volumus, quod dum imminebunt fienda mutua, similiter prævideatur constitutio de mutuis, & venditionibus, quæ etiam similiter observetur.

XXXI. Fiant etiam inventaria in assumtione cujuslibet Abbatis, prout in Benedictina de inventariis continetur.

De numero Monachorum.

XXXII. Et ut status Monachorum prædictorum valeat cognosci, præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis infligenda per Visitatores præfatos, quatinus quilibet Abbas statum suorum Monachorum antiquum, & modernum teneatur distincte Visitatoribus præfatis tradere in scriptis. Volumus, & ordinamus, quod numerus Monachorum antiquitus instituatur, si ad hoc sufficiant facultates, vel si non, tot, quot commode contentari poterunt, teneatur; etiam quod victualia, vestimenta, & alia necessaria Monachis ministranda, nullo modo in pecunia, seu redditibus ministrentur, constitutione quacunque, aut ordinatione non obstante; & in hoc servetur constitutio præfati Benedicti, ne victualia in pecunia ministrentur.

XXXIII. Volumus autem, quod præfatis religiosis prædicta victualia, & vestimenta temporibus ordinatis in Benedictina, de censibus ministrentur.

Abbates suis fratribus præluceant exemplo.

XXXIV. Abbates quantum commode poterunt, Divinum frequentent officium, ac de fratrum suorum consortio gaudentes, Matutinis saltem, & majori Missæ, atque Vesperis, atque in refectorio intersint, ibique largiendo benedictionem in lectionibus, & incboando: *Te Deum laudamus*, in Matutinis, ac in Divinis ipsis, ac semper in gestu, habitu, atque progressu cum fratribus suis, in omni debitæ gravitatis moderamine conversentur.

Lectio statutorum.

XXXV. Et ut prædicta per omnia loca ordinis, Provinciæ, & Diœcesis præfatorum melius possint observari, volumus nihilominus, quod statuta præsentia, una cum constitutione Benedicti, bis in anno, videlicet post Dominicam: *Circumdederunt me* in Sexagesima, & post Exaltationem Sanctæ Crucis ibi incipiendo, deinde ad ordinis reformationem ex officiis debito loco lectionis meridianæ, ne quis ignorantiæ causam prætendere valeat, distincte in Monasteriis, & aliis locis ordinis Monachorum, & Monialium legantur, & publicentur. Rogantes, & requirentes in juris subsidium omnes alios dicti capituli minime subditos, quatinus contenta in præsentibus litteris, quæ executione indigent, executioni debitæ demandant, & demandari faciant competenter. Volumus transgressores puniri per Visitatores præter pœnas in prædictis contentas, & prout videbitur eis expedire.

XXXVI. Vobis interea omnibus, & singulis personis supradictis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis pœna præcipimus, ne hujusmodi reformationis statuta, & ordinata temerario ausu respuere, seu contemnere præsumatis, sed perpetuo, & inviolabiliter studeatis, & procuretis posseтenus observare. In contrarium vero facientes, prout de jure possumus, & tenemur, procedemus.

In quorum omnium, & singulorum robur, & testimonium, has præsentes litteras sigillorum nostrorum appensione, ac signis subscriptionibus Notariorum nostrorum juratorum subscriptis jussimus communiri. Acta fuerunt hæc in Monasterio S. Maximini extra muros Treverenses ordinis S. Benedicti, in loco capitulari ejusdem anno Domini MCCCCXXII. Indictione quindecima, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri Domini Martini Divina providentia Papæ Quinti, anno ejus quinto, die XXIV. mensis Octobris, videlicet Sabbato post Lucæ Evangelistæ, hora Primarum, vel circa, præsentibus ibidem Venerabilibus, & Religiosis Dominis, MATHIA B. Mariæ ad Martyres, JOHANNE S. Martini Treverensis Diœcesis, SYBRANDO IN SYLFORT Monasteriensis Diœcesis, & VALENTINO Senonensis Tullensis Diœcesis Monasteriorum Abbatibus, & quamplurimis aliis fide dignis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

REGULA
SANCTI STEPHANI
ORDINIS GRANDIMONTENSIS INSTITUTORIS

Collata cum Manuscripto Codice S. Victoris annorum circiter 600.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

SAncti Stephani ordinis Grandimontensis institutoris regulam etsi non semel jam typis mandatam, ut hic recuderemus, plura nos excitarunt. Primo operis excellentia egregium perfectionis evangelicæ speculum exhibentis, cujus sententiarum tanta est majestas, doctrinæ puritas tanta, ut omnes in sui lectionem, & admirationem facile alliciant. Deinde obtestationes iteratæ Superiorum ejusdem ordinis, ægre ferentium tanti luminis claritatem diutius latere sub modio, cum extra monasteriorum suorum claustra vix aliquando illuxerit. Demum cum non parvam statutorum ad reformationem ejusdem religionis editorum collectionem præ manibus haberemus, his præmittere primariam Grandimontensium regulam non admodum prolixam æquum videbatur.

Sed elucidandum ante omnia venit dubium, quod de illius forsan auctore posset moveri. Nam recentiores nonnulli, absque ullo rationis, aut traditionis fundamento, ajunt, eam *ab ipso S. Stephano non fuisse conscriptam, sed verbo, & exemplo per quinquaginta fere annos in discipulorum cordibus sculptam, & postmodum ab ipsis, maxime vero a Petro Lemovicano, qui immediate ei successit, fuisse collatam, ac deinde a Gerardo Grandimontis septimo Priore in eum ordinem, qui nunc habetur, reductam*. Econtrario Mabillonius in Annalibus Benedictinis, & Sammarthanus in nova Gallia Christiana eam S. Stephano constanter asserunt. Et certe, quis credat tam numerosam fratrum congregationem, qualem coadunasse dicitur Patriarcha prædictus, quam etiam quingentorum monachorum numerum superasse ajunt, regi potuisse, atque perplura fundari monasteria, absque certa norma scripto firmata. Id sane, ut opinor, in animum suum inducet nemo.

Jam vero si regulæ ipsius textum vel levi perlustremus oculo, genuinus ejus auctor sese nobis exhibet absque fuco. Audiamus loquentem in Prologo: *Si quis*, inquit, *a vobis sive bono, sive non bono animo .... vestri mores ordinis interrogaverit; de omnibus, quæ audire voluerit, sicut a NOBIS ACCEPISTIS, benigne respondete; quibus auditis, si in aliquo traditiones vestras Evangelio contrarias, aut Sanctorum Patrum monitis oppositas vobis rationabiliter ostenderit, corrigendas esse Doctorum arbitrio, concedo; quas EGO PECCATOR, licet exigui sensus, secundum quod a doctoribus, & valde religiosis accepi viris, juxta Patrum regulas diu incumbendo didici, Deo opitulante disposui*. Quis amabo sic loquitur? Stephanus ordinis institutor, an Petrus Lemovicanus, aut Girardus septimus Prior? Certe Stephanus; nam acsi *non sicut a nobis accepistis* dicerent, sed sicut a Patre nostro accepimus; non *quas ego peccator .... Deo opitulante, disposui*; sed aliis uterentur verbis.

Rem non minus evincit sequens locus ex capite nono regulæ: *Sed a nobis forte quæretis, quomodo post MORTEM NOSTRAM vivere valeatis, eo quod ecclesias, terras, bestias, reditus, & etiam quæstum VOBIS INTERDICIMUS*. Quis enim hæc omnia Grandimontensibus interdixit, nisi S. Stephanus? Id sane inficias ibit nemo sensatus. Simili prorsus modo idem Sanctus capite undecimo: *Sed forte sunt*, inquit, *& ego novi, qui simulata pietate vobis dicent: Magister vester insolito more vobiscum vivere disposuit: fiet fiet tantisper, DUM IPSE VIXERIT, SED EO MORTUO, sine terris, & ecclesiis, vel reditibus, aut bestiis, aut saltem quæstu in eodem voto diu manere non poteritis .... quod si mihi non creditis, opera post mortem meam declarabunt, si in hac vita perseveraveritis*. Ex hoc loco patet, regulam, vivente Sancto Stephano, scriptis consignatam fuisse, *fiet, fiet, quandiu vixerit*, atque ab ipsomet, qui dixit, *opera post mortem meam declarabunt*, hoc est ordinis ipsius institutore.

Clarius

Clarius & manifeſtius adhuc prodit ſe auctor capite XIV. his verbis: *Tandem in hujus vitæ dilectione, & perſeverantia vos alia ratione poſſumus confirmare, quinquaginta namque fere anni tranſierunt in multa fertilitate alii, alii in multa ſterilitate, me manente in eremo ſub hujuſmodi voto; neque tamen in ubertatis tempore quicquam mihi ſuperabundavit, nec tempore egeſtatis aliquid mihi neceſſarium defuit*; quæ quidem de alio, quam de S. Stephano interpretari nequeunt. Plura his addere ſupervacaneum prorſus videtur.

At, inquies, in capite LX., ubi de electione Prioris, regula præſcribit, ut de ſingulis cellis fratres bini, & bini *conveniant in Grandimontem*; ſed vivente S. Stephano nullus in Grandimonte conventus extitit; conſequens ergo eſt, ut poſt ejus mortem conſcripta fuerit: Verum cum ſtatim ab obitu Sancti Viri, fratres Mureto relicto, Grandimontem receperint ſeſe, nullaque deinceps apta fuerit apud Muretum religioſorum habitatio excipiendis ad electionem venientibus fratribus; qui poſtmodum aliqua regulæ exemplaria tranſcribere curaverunt, pro *Mureto*, *Grandimontem* neceſſario ponere debuerunt. Maneat ergo ſua S. Stephano regula. Et ſane, ſi quis eam cum libro ſententiarum ex ejus dictis, eo jam mortuo, accurate compacto, contulerit, tantum inter opus utrumque diſcriminis reperiet, quantum inter inſignem magiſtrum, & diſcipulos, vixque a die lucida nox atra magis diſcrepet. Regulæ ſtylus ubique æqualis, & ſemper ſibi conſtans divinum quid ſpirat. Libri vero ſententiarum, modo elatus, modo dimiſſus, ut nemo ſit, qui duas lucubrationes duobus Scriptoribus non attribuat; Regulam S. Stephano ordinis inſtitutori, ſententiarum librum ex diſcipulis ejus alicui. Iſtius auctorem vulgo faciunt Hugonem de Lacerta, cujus vitam in tom. 6. edidimus, at in veteri codice Grandimontenſi ad calcem ſententiarum hæc olim legi: *Et eſt ſciendum, quod frater Arnaldus de Gerb Grandimontenſis ordinis ex dictis S. Stephani confeſſoris compilavit hunc librum ſententiarum, ſeu rationum ejuſdem S. Stephani confeſſoris.*

Inci-

Incipit Prologus in Regula Venerabilis viri Stephani Muretensis heremitæ Sanctissimi primi patris ordinis Grandimontensis.

DUm in heremi solitudine amabilis Deo, & hominibus vir sanctissimæ, atque per omnia laudabilis vitæ STEPHANUS Grandimontensium pauperum Pater frequentia discipulorum comitatus diu maneret, ab oratione raro spiritum relaxans, oves sibi a Domino commissas sæpissime visitare consueverat, quasque orationum meritis conservabat, suarum exemplo virtutum ad religionem informabat, ac salutiferæ verbo doctrinæ reficiebat. Doctus quippe ille Pater familias quotidie coram eis proferebat de thesauro suo nova, & vetera, quos non auditores tantum, verum etiam præceptorum Dei factores, longa piæ devotionis perseverantia probaverat, Spiritu enim divino procul dubio plenus erat, & quæ, ipso ministrante, de fonte hauserat Sapientiæ, illis, qui perfecta caritate eum eo erant, cor unum, & anima una, propinare, & communicare sollicitus erat. Divina igitur inter colloquia, quæ eum eis jugiter habebat, cum inter eos de diversis modis religionum, & de diversarum secundum diversos Patres voluminibus regularum, quandoque sermo oriretur, fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, inextinguibili memoria dignus, verba hujusmodi locutus est: (Scripta sunt autem, & firmiter observata, sicut a veridicis discipulis ejus, UGONE videlicet valde Reverendissimo viro, qui cum eo multo tempore familiarissimus vixit, & aliis quampluribus visa, & audita, & relatione concordi memorata sunt.)

De unitate diversarum regularum.

FIlii mei, & fratres dilectissimi, quamvis sit ardua *& arcta via, quæ ducit ad vitam:* (*Matth.* 7. 14.) magna tamen est domus Domini, & ampla, ac spatiosa valde, nullis coangustata terminis, ad quam per arduam, & arctam viam illam pervenitur. Ad domum illam Patris summi, in qua Filius multas testatur esse mansiones (*Joh.* 14. 2.) diversæ viarum optiones, tritæ semitarum directiones, multiplices graduum ascensiones, de quibus per Psalmistam ad Dominum dicitur: (*Psal.* 83. 6.) *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Per has ergo (*Ps.* 83. 8.) *itur de virtute in virtutem, ut videatur Deus Deorum in Sion.* Quæ viarum diversitates, quamvis a diversis Patribus scripto sint commendatæ, ita quod appelletur regula beati Basilii, regula beati Augustini, regula beati Benedicti; tamen non origo religionis, sed propagines sunt; non radix, sed frondes sunt. Una est enim fidei, & salutis prima, ac principalis regularum regula, a qua omnes aliæ, quasi quidam rivuli de uno fonte derivantur, sanctum videlicet evangelium, Apostolis a Salvatore traditum, ac per ipsos in universum mundum fideliter annuntiatum. De hujus itaque plenitudine fontis inexsiccabilis omnes quotquot fideles ante nos transierunt, accipientes haustum inexplicabilem, nobis, qui hodie vivimus, aliisque, qui post nos usque in finem mundi futuri sunt, reliquerunt. Fons iste vivus patet omnibus, nulloque repellente, inde pro suæ quisque capacitatis viribus: (*Matth.* 19. 12.) *Qui possunt capere, capiunt.* Habemus namque in ipso quædam nobis sub certis mandatorum terminis omnes generaliter adscripta. Habemus & in ipso specialia consilia per ipsum, cui dictum est a Domino: (*Matt.* 19. 21.) *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me:* ad maximam nostræ salutis perfectionem concessa. Et Alibi: (*Ibid. v.* 26.) *Qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Fuit igitur mirabilis summi Patris pietas, & ineffabilis supernæ providentiæ dispensatio, ut ea nobis mandata imponerentur, in quorum obedientia humanam naturam ipse, quem nullum secretum latet, novit esse compotem, si plene, ac diligenter in auctorem suum velit intendere. Unde merito inobedientiæ rea judicaretur, si ea surda aure præterire præsumeret. Ea vero darentur in consilio, quorum obsequela ita gravis esse videretur, ut humanæ facultatem naturæ pene transcedere plures existiment, quorum tamen transgressores inobedientiæ culpa non damnentur. Sunt ergo ista talia Domini consilia; ante votum libertas, & arbitrium, post votum vero in legem transeunt, & in debitum. Cavendum itaque summopere vobis est, fratres mei, ne postquam ad aratrum gratuito misistis manum, (*Luc.* 9. 62.) retro respiciatis, ne forte veniat vobis in opprobrium uxor Loth, & sus lota, iterum involuta luto, & canis reversus ad vomitum, neve sitis omnibus subsannatio, & illusio, secundum illud Evangelicum: (*Luc.* 14. 30.) *Iste homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Sacrificate ergo Deo; (*Ps.* 140. 2.) *Sacrificium vespertinum.* Quoniam, (*Matth.* 10. 22.) *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Christo igitur (*Johann.* 15. 1. 5.) *veræ viti*, tanquam *palmites* adhærentes, evangelii ejus præcepta, quantum ipso donante poteritis, adimplere curate, ut quærentibus cujus professionis, vel cujus regulæ, cujusve ordinis vos esse, dicatis, Christianæ religionis, primæ ac principalis regulæ, evangelii scilicet, quod omnium regularum fons est, atque principium qualescumque vos observatores confiteri non erubescatis: (*Jacob.* 3. 2.) *In multis enim offendimus omnes.* Necnon apostolicis, ac canonicis institutionibus subjectos, & sanctorum patrum vestigia sequi quoquomodo cupientes, dicere audeatis. Veruntamen si quis a vobis sive bono, sive non bono animo (*Rom.* 10. 16.) *non enim omnes obediunt evangelio*) vestri mores ordinis interrogaverit, de omnibus, quæ audire voluerit, (1. *Thess.* 4. 1.) *sicut a nobis accepistis*, benigne respondete. Quibus auditis, si in aliquo traditiones vestras evangelio contrarias, aut sanctorum patrum monitis oppositas rationabiliter ostenderit, corrigendas esse doctorum arbitrio concedo, quas ego peccator, licet exigui sensus, secundum quod a doctoribus, & valde religiosis accepi viris, & juxta patrum regulas diu incumbendo didici, Deo opitulante, disposui. Confido itaque de vobis, fratres, in Domino; quod nullius Catholicæ religionis immunes, nullarum regularum prædictorum patrum, vel aliorum orthodoxorum experies esse, ab aliquo calumniari poteritis, si vobis in unum manentibus juxta formam apostolicam sit (*Act.* 4. 32.) *cor unum, & anima una* in Domino. Ecce enim, ut credo, gustatis, quam (*Psal.* 24. 8., & 1. *Petr.* 2. 3.) *dulcis est Dominus*; & (*Psal.* 132. 1.) *quam bonum, quamque jucundum, habitare fratres in unum.* Sint ergo vobis (*Act.* 2. 44., & *cap.* 4. 32.) *omnia communia*; sit mutua charitas, & unus invicem dilectionis affectus: nec quisquam vestrum existimet sibi aliquid esse proprium, nisi (*Joan.* 13. 34., & c. 15. 12. 17. *Gal.* 4. 13. *Ephes.* 4. 21. *Philip.* 2. 3. (*ut invicem diligatis, invicem obediatis.*

R E-

REGULA SANCTI STEPHANI CONFESSORIS

AUCTORIS ET FUNDATORIS ORDINIS GRANDIMONTENSIS.

Bulla confirmationis hujus Regulæ Clementis Papæ tertii.

Clemens Episcopus servus servorum Dei, dilectissimis filiis, fratribus Grandimontensibus, salutem & apostolicam benedictionem. Rationis ordo requirit, & consuetudinis ecclesiasticæ norma commendat, ut quæ dubitationem in observantia christianæ religionis adducunt, provisione moderationis apostolicæ declarentur. Ne igitur de Regula vestra in posterum quæstio referatur, quam bonæ memoriæ Urbanus prædecessor noster de consilio, & assensu Cardinalium, & multorum Episcoporum Italiæ, præsentibus ex vobis tam clericis, quam conversis, ad ejus firmitatem, & perpetuam pacem, per osculum pacis assensum præbentibus noscitur correxisse, quod in ejusdem privilegio plenius continetur, eam sub sigillo in præsentibus scriptis de verbo ad verbum duximus inserendam, quæ talis est.

CAPUT I.

De Obedientia.

QUisquis hanc religionem, Deo inspirante, ingredietur, primo promittat obedientiam Deo, & pastori, qui eum recipiet, suisque successoribus, (*a*) deinde fratribus tam præsentibus, quam futuris. Polliceatur etiam præsentem Regulam, (*b*) & cætera hujus religionis instituta, usque in finem se fideliter observaturum. Et propter hujusmodi professionem, quam primo facturus est vobis, fratres carissimi, in unum congregatis, ut uno corde Deum diligatis (*Matt.* 27. 7.) primum præcipimus in obedientia (*Hebr.* 13. 17.) Dei, & pastoris vestri, & fratrum invicem, sine murmure (*Sap.* 1. 11. & 1. *Corinth.* 10. 10.) & hæsitatione constantes (*Phil.* 2. 14.) perseverare; quoniam adversum se tantum debet quisque murmurare, non & adversus alium, tum propter multitudinem bonorum temporalium, quibus indigne utitur, tum propter pravitatem morum, unde reus habetur. Hæsitatio est contra fidem, quam debent habere fratres istius congregationis, in obedientia pastoris sui, cum dicit eis: Fratres, vos in quemdam locum pauperem ibitis, sed needum ibi libri sunt, nec etiam ædificia. Quod si quis propter hoc hæsitat, sic ei respondeatur: Non est peritus religionis, quem terret paupertas. Nulla res enim tantopere securum reddit hominem in amore divino, quemadmodum paupertas, illum præcipue, qui placet ex corde. Qui autem sæculum diligit, se liberum arbitratur, cum temporalis honor, vel aliquis census ei donatur; qui vero Deum amat, sese impeditum inde existimat. Nemo quidem tantum est expeditus, quantum obediens discipulus; quia nunquam se retardat, sed Deo semper appropinquat. (*Eccl.* 4. 17.) *Obedientia melior quam victima*: Quisquis enim obediens est, sese Deo sacrificat, & hoc magis placet Deo, quam si aliud offerret, ac seipsum retineret. Rursus alia ratione evidentius ostendere possumus, quomodo *obedientia melior est, quam victima.* (*ibid.*) Sic enim ait Apostolus: (*Philip.* 2. 8. 9.) *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Quoties (*c*) etiam fidelis discipulus præceptum pastoris, vel fratrum libenter perficit, Deus ei peccata sua dimittit. Obedientia quoque virtutes inserit, insertasque custodit: nam sine obedientia nullum est bonum salutare; homo quippe inobediens nihil valet agere, quod ei proficiat ad salutem. Item, si in qualibet parte cordis sui vir religiosus possit invenire, quod velit temporaliter exaltari, nondum sæculum plene reliquit; hoc scilicet minime relinquit, quod adhuc in seipso reperit; nec debet se quisquam a sæculo abscindere, sed prorsus eradicare: radix enim pullularet, si ibi remaneret; aliter enim nequit esse perfecte obediens, donec inde recedat integre, ac seipsum penitus abneget. Certum (*d*) est etiam, quia quicumque sponte sua non vult obedire homini in hoc sæculo, obediet invitus cunctis inferni dæmonibus; foretque sibi melius, ut esset obediens universis mundi hominibus, quam uni tantum diabolo.

CAPUT II.

De non eligenda obedientia.

PRæter hæc omnia, debet cavere discipulus, ne unquam eligat, quid sibi pastor præcipiat. Nam si hoc eligeret, neuter inde posset proficere; (*e*) immo sciat frater absque dubio, quia si electione sua velit alicubi manere, ut meliores cibos, & vestes habeat, & delicatius vivat, pastore hoc forsitan ignorante, eumque in propria voluntate sequente; si forte ibi moriatur, timendum est animæ suæ; sicut enim Dominus ait: (*Joan.* 12. 25.) *qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Rursus debet discipulus obedientiam adeo diligere, ac propter pastoris sui voluntatem, propriam odio habere, quatenus hoc ei dicat: Pater, vos illuc me mittitis, ubi jussu vestro maneo; attamen si scirem vobis magis placere, ut me alio mitteretis, & propter displicentiam meam inde me transmutare recusaretis, nequaquam animæ meæ pastorem providum vos reputarem; vos enim voluntatem meam sequeremini, non ego vestram: ideoque debet unusquisque plus alienam voluntatem, quam propriam diligere, & libentius facere, quia magis in hoc lucratur. Item, sive fratres oret, sive aliud faciat, semper sit paratus obedire, nihil obedientiæ præponendo; nam assidue laudat Dominum, qui jugiter facit ejus voluntatem. Nec propter quamlibet virtutem Deus homini tantopere secreta sua revelat, quemadmodum propter obedientiam, cum ab eo subtiliter, & absque mora intelligitur. Quisquis autem eam injungit, debet ibi communem utilitatem diligenter inspicere, in quo maxima discretio sibi necessaria est, ne profectum suum magis, quam aliorum in hoc consideret.

CAPUT III.

De præmio Obedientiæ.

CErtissime debet credi, quia quisquis in obedientia moritur, deinceps non judicabitur, diabolus enim nihil invenit, unde discipulum obedientem tenere possit. Jesus Christus etiam nullatenus eum judicabit, qui sese judicavit, ac propter ejus crucem bajulandam seipsum illi obtulit; sed potius cum eo, quem statuet a dextris suis in die judicii, cæteros judicabit.

CAPUT IV.

De terris non habendis.

OMnes terrarum possessiones, quæ sunt extra metas locorum vestrorum, vobis tanquam peregrinis, (*f*) *& hic manentem civitatem non habentibus, sed futuram in cælis inquirentibus*, ex toto interdicimus, quoniam cum ceteris mundanis ingredientes eremum, eas dimisistis, & ad (*Philip.* 3. 13.) anteriora semper est extendendum. Nam unicuique homini, cum mortuus est, tantum terræ sufficit, ubi sepeliatur; veruntamen grandis esset admiratio, postquam in sua reclusus est sepultura, si alii mortuo, qui est juxta eum, suum auferret sepulcrum. Fratres, ita & vos debetis esse mortui, quantum spectat ad negotium sæculi, ut enim ait Apostolus: (*Rom.* 6. 11.) *Oportet nos mori peccato, ut vivamus Deo.* Nonne tantum terræ vobis sufficit, unde claustrum ad habitandum faciatis? Claustrum voco ipsum nemus infra terminum habitationis vestræ vobis datum, ut ibi, ne vita vestra sit otiosa, laborem vestrum exerceatis, & ædificia vestra construatis. Tantam autem violentiam inferre debetis extra claustrum terras possidentibus, quantam infert unus mortuus alteri. An ignoratis magnum fœtorem exire ab homine mortuo, cum de sua extrahitur sepultura? minimus est fœtor ille,

non

(*a*) *Additum est ab Innoc. IV. hoc verbum* absolute.

(*b*) *Hæc verba*: & cetera hujus religionis instituta, *sublata sunt ab Innoc. IV. in I. Concil. Lugdun. an.* 1245.

(*c*) *Innoc. IV. sic corrigit, dicens*: Sæpe etiam cum fidelis discipulus, &c.

(*d*) *Ab hoc verbo*: certum est; *reliqua hujus capituli sublata sunt ab Innoc. IV.*

(*e*) *Innoc. IV. sic corrigit dicens*: minus inde posset proficere.

(*f*) *Totum hoc capitulum sublatum est ab Innoc. IV.*

non enim longe lateque diffenditur respectu fœtoris, & infamiæ, quæ procedet ex vobis, ac per multas dispergetur, & sentietur provincias, si propositum vestrum relinquentes, terras acquirere cœperitis. Nomen enim Dei per vos blasphemabitur, & dicet populus: isti sub specie humilitatis nemus introierunt, sed modo capita levare incipiunt. Parum quidem concupisceret, qui terram mundi universam vellet habere, nec aliud. Deum velit homo habere, & cælum, & terra pariter, & quicquid est, suum erit, dicente Apostolo: (2.*Cor.* 6. 10.) *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*. Et iterum: (1. *Cor.* 3. 13.) *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Vos profecto terras habuistis, sed scienter eas reliquistis, quoniam a Deo vos elongabant, & quia terras patrimonii vestri absque injuria possidere non poteratis, omnino pertimescimus si alienas acquireretis, vos inde Deum penitus offensuros. Ut enim beatus Hieronymus lib. 1. in Matth. cap. 5.: *Nemo terram istam per mansuetudinem, sed per superbiam possidet*. Terrarum vero, si vultis habere sufficientiam, nullam penitus habeatis extra clausuram, sive metas locorum vestrorum. Nam omnis terra contigua est, & si quamlibet terræ portionem acquisieritis, deinde aliam sibi cohærentem habere volueritis; & sic cupiditas vestra vix, aut numquam finietur sed potius illam maledictionem incurretis, quam dominus per Isaiam prophetam terribiliter minatur dicens: (*Is.* 5. 8. *Væ vobis, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci: Numquid habitabitis soli vos in medio terræ?* Ergo, fratres, terras relinquite, ut Deus post se vos dignetur ad cælum trahere.

CAPUT V.

De ecclesiis non habendis.

ECclesias, & res ad ipsas pertinentes, prædicta ratione, scilicet, quia cum ceteris, mundanis eas amore divino reliquistis, vobis rehabere omnino prohibemus, ut fitis imitatores Apostoli dicentis: (*Philip.* 3. 13. 14.) *Quæ retro, oblitus, in ea, quæ ante sunt, extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in CHRISTO JESU.*

Præterea populis, & ecclesiis, tam vicinis, quam remotis, non amplius, quam arbores nemoris, ubi habitatis, si fieri potest, noceatis. Itaque tricenarium, septenarium, annale, vel quodlibet pretium pro missa nominatim vobis oblatum, nullatenus accipiatis. Nec etiam judicia pœnitentiæ viris exterioribus injungere præsumatis; hujusmodi namque negotium nihil ad vestrum spectat propositum. Rursus crucem sanctam in die sancto Parasceves nullis ad ecclesias suas, eodem die recurrere valentibus in ecclesiis vestris adorare permittatis; nec non vicinis aquam benedictam de ecclesiis vestris ad domos suas deferre volentibus negare debetis. Dominicis etiam, & festis diebus, quibus eis convenit in ecclesiis suis divinis interesse officiis si ad audienda missarum solemnia apud vos frequenter venerint, eos non recipiatis. Si vero quandoque, Deo inspirante, vos visitare voluerint, a divinis non excludantur officiis. Quos etiam propriis reatibus ab Episcopis, vel presbyteris suis excommunicatos esse noveritis, quousque eos sua recipiat, nec vestra ipsis concedatur ecclesia. Hinc enim minus reverentiæ, & beneficii suis ecclesiis exhiberent. Si quis autem ecclesias vobis dare voluerit, nullatenus accipiatis. Tanta namque perfectio ad regimen ecclesiarum est necessaria, quod perfectos earum rectores vix, aut numquam imitari sufficeretis; imperfectos vero, & inutiles nullo modo sequi debetis: nec solum vos oportet cupiditatem, & invidiam a vobis expellere, sed etiam omnia, unde possunt procedere.

Quin-etiam si ecclesias vos habere contingeret, quomodo curam ageretis aliorum, qui mortui estis mundo, & membris abscissis a sæculo, pedibus caretis ad ambulandum, ore ad loquendum, & ideo nec vestri curam agere potestis; quantominus & aliorum; Quamvis enim alius regat vos, nec vos regatis alios, valde tamen lætari deberetis, si libere Dei præsentiam adire possetis.

CAPUT VI.

De bestiis non habendis.

QUoniam (*a*) omne genus bestiarum cum ceteris rebus mundanis pro Domino reliquistis, eas recuperare vobis omnimodo prohibemus; ut scilicet sollicitudinem, quam in eis emendis, multiplicandis, vendendis exerceretis, in solius Dei servitio adhibeatis. Quanto enim expeditiores a cura temporalium, tanto liberiores eritis ad cælestia adipiscenda. Nam sicut ipsa veritas ait: (*Luc.* 9. 62.) *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Ideoque penitissimum omnis generis bestias vobis interdicimus, quia si velitis in hoc sæculo temporaliter exaltari, sive in acquisitione terrarum, vel ecclesiarum, vel quorumlibet aliorum, magna pecudum copia non sit vobis mundanæ exaltationis occasio, & materia, Nihil enim vehementius religionem dissipat, quam cupiditas, & multitudo divitiarum. Cumque spatiosa pascua, pascendis pecudibus idonea minime possideatis, si bestias haberetis, aliena pascua forsitan occuparent, essetque magnus clamor vicinorum dicentium: utinam isti eremitæ numquam advenissent: nam multiplex eorum possessio multiplex nobis infert impedimentum.

CAPUT VII.

Quod amore bestiarum amor divinus minueretur.

ITem (*b*) si bestias haberetis, eas nimirum amaretis; quantumque amoris pecudibus exhiberetis, tantum divinæ dilectionis vobis subtraheretur. Nam sicut maximus pecuniæ acervus efficitur minimus, cum in plures dividitur acervos; sic animus hominis, quo amplius in diversos amores dividitur, eo minus habet in se divinæ dilectionis, quamvis enim totus sit in se collectus, tamen est minus ad Deum diligendum: quid ergo dicendum, cum in diversas partes divisus fuerit?

CAPUT VIII.

Quod ascensuros in altum decet exonerari.

INutili consilio utitur quisquis ascensurus in altum, gravi se onerat pondere, cum se potius deberet exonerare. Cum ergo in cælum velitis ascendere, cur illo pondere vos oneraretis, unde exonerati estis? Quamvis enim penitus essetis expediti, grandis tamen esset admiratio, & magna Dei misericordia, si quandoque illuc possetis ascendere. Ut enim dicit Evangelium: (*Matth.* 7. 14.) *arcta est via, quæ ducit ad vitam*. Numquid vos, qui sola intentione spiritualium huc venistis, & oves summi Pastoris esse proposuistis, pastores furibus, & prædonibus fieri permittemus? absit.

Præterea summopere cavere debetis, ne quis occasionem in vobis inveniat, quæ vestram claustrum vos exire compellat.

Postremo credite cælesti Magistro dicenti: (*Matth.* 6. 19. 20., & 21.) *Nolite thesaurizare vobis in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*,

CAPUT IX.

De quæstu vitando.

QUamdiu (*c*) sine quæstu uno die quoquomodo vivere poteritis, aliquid ab exterioribus quærere non præsumatis. Sed vos a nobis fortasse quæretis, quomodo post mortem nostram vivere valeatis, eo quod ecclesias, terras, bestias, reditus, & etiam quæstum vobis interdicimus. Quibus ita respondemus. Deum solum vobis relinquimus, cujus sunt universa, cujus etiam amore cuncta pariter, ac vosmetipsos reliquistis. Quod si hanc vitam observaveritis, ei constanter adhæseritis, (non tamen secundum voluntatem vestram, quæ humana est, & falli potest, sed secundum dispositionem suam, quæ divina est, & fal-

(*a*) *Totum hoc sublatum est ab Innoc.* IV.
(*b*) *Hoc totum sublatum est ab Innoc.* IV.
(*c*) *Totum hoc cap. sublatum est ab Innoc.* IV.

& falli non potest (ipse vobis, velut dominus, cui cura est de servis, cuncta necessaria sine dubio ministrabit. Ipse namque suis ait discipulis: (*Matth.* 28. 20.) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Si vero, quod absit, a Deo recesseritis, & præfatis Regulæ transgressores fueritis, tibi nimirum injuriam faceremus, si ipsum, vel sua vobis relinqueremos.

C A P U T X.

Quod potius a Deo, quam ab homine sit quærendum.

VEruntamen quæstum ex toto vobis non prohibemus; sed tamen vobis dicemus, quomodo quærere debeatis. Itaque diligenter considerate, a quo necessaria potius sunt postulanda; ab eo, qui habet, vel ab eo, qui non habet; ab eo, qui dare vult, vel ab eo, qui dare non vult; ab eo, qui prope est, vel ab eo, qui procul est. Si forte redeatis ad sæculum, ut aliquid ab aliquo amicorum vestrorum postuletis, forsitan carebit facultate, vel voluntate largiendi vobis, quod ab ipso petieritis. Nec non & facile tædiosi eritis, si prædicta occasione frequenter ad eum redeatis. Et, si precem vestram non exaudierit, tum vos, quam ipse pariter erubescetis: & quamvis nullum aliud damnum inde patiamini, tamen claustrum vestrum non absque periculo vos exire continget. Quod si quislibet amicos vester vos plurimque visitaverit, nihilominus eum a vobis alienare non poteritis, si ab eo sua petieritis. Petite ergo a (*Psal.* 144. 18.) *Domino, qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate*, & qui multo amplius potest, & vult vobis tribuere, quam vos velitis accipere. Petite, inquam, a Domino, dicente discipulis suis: (*Joan.* 16. 23. *&* c. 14. 13. *&* c. 15. 16.) *Amen, Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

C A P U T XI.

Quod Deus numquam desit adhærentibus sibi.

SEd forte sunt, (a) & ego novi, qui simulata pietate vobis dicant: Magister vester in insolito more vobiscum vivere disposuit, fiet, fiet tantisper, dum ipse vixerit, sed eo mortuo, sine terris, vel ecclesiis, vel redditibus, aut bestiis, aut saltem quæstu, in eodem voto diu manere non poteritis. Non erit ita, non erit ita, fratres mei; immo, ut timeo, peccatis meis exigentibus, plurima spiritualia, & corporalia bona Deus vobis differt impositurum. Quod si mihi non creditis, ipsa opera post mortem meam hoc vobis declarabunt, si in hac vita perseveraveritis. Qua ratione poterit contingere, ut Deus vobis desit, si ei adhæreatis, cum vos ipse pasceret, dum eum impugnaretis, & sæculum diligeretis?

C A P U T XII.

Quod veris pauperibus sit Deus dispensator providus.

PAupertas sit vobis thesaurus, & divitiæ. Cumque sæculares adeo suas ament divitias, quibus tendunt in infernum, vos multo charius vestras diligite, hoc est paupertatem, qua tenditis in cælum. Item, si divites esse cupitis secundum sæculum, semper eritis pauperes. Si pauperes esse desideratis secundum Deum, semper eritis divites, dicente psalmista: (*Psal.* 33. 11.) *Divites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Itaque, fratres dilectissimi, Dominum dispensatorem vestrum constituite; & vobis firmissime dicimus, quod numquam cellarium vestrum erit vacuum, dum eleves illius Deo commiseritis, dicente propheta: (*Psal.* 54. 23.) *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.*

Iterum vobis dicimus, ne quæratis eleemosynam, quamdiu una die quoquomodo vivere poteritis. Vos autem optime nostis unitatem, quæ debet esse inter vos, ut scilicet paupertas & abundantia vestra sit omnibus communis.

C A P U T XIII.

De permissione quærendi.

SI vero Deus, ut vos probet, ad tantam inopiam vos devenire permiserit, ut omnino victus deficiat, Episcopo, in cujus diœcesi locus habitationis vestræ fuerit, prius eam ita manifestare potestis: Indigentiam nostram, Domine, quam illic patimur, nolumus vos ignorare. Quod si vos super hoc exaudire noluerit; postquam biduo in cella jejunaveritis, duo de fratribus in religione firmiores, ad quærendum humiliter exeant, per molendina scilicet, & domus, ostiatim, velut ceteri pauperes, eleemosynas petentes. Acceptis autem eleemosynis, unde cum ceteris fratribus una die vivere valeant in cellam revertantur, & eas singulis cum gratiarum actione distribuant.

In hujusmodi vero quæstu amicos præcordiales devitent ne paupertati eorum, quam tunc temporis forsitan, sicut & vos patiuntur, vestra, quasi cumulus adjiciatur; & vobis subvenire nequeuntes, gravius affligantur. Quod ne aliquem gravetis, semper cavere debetis. Sunt etiam quædam vilis pretii, quæ, si necesse sit, a vicinis vestris licet vobis quærere; verbi gratia, ut palea, fimus, & hujusmodi. Quibus si poteritis, & necesse fuerit, aliquid eo præstantius retribuere non differatis.

C A P U T XIV.

Quod Deus in hac vita perseverantibus semper necessaria provideat.

VEruntamen, si in hac vita constanter perseveraveritis, tale, aut nulla necessitas vos redire coget ad sæculum causa quærendi eleemosynas. Quando enim major egestas fuerit, tunc majori vigilantia Deus vobis necessaria providebit; quia si Deum solum thesaurum vestrum feceritis amando paupertatem, dum ipse abundabit, vos nequaquam egebitis. Sic igitur in omnibus pro posse vestro, Deo communicare studeatis, ut sitis pauperes in hoc sæculo, sicut & ipse fuit; & sic eritis perpetuo divites, ubi ipse dives est in æternum. Tandem in hujus vitæ dilectione, & perseverantia, vos alia ratione possumus confirmare: Quinquaginta namque fere anni transierunt in multa fertilitate alii, alii in magna sterilitate, me manente in eremo sub hujusmodi voto; nec tamen in ubertatis tempore quicquam mihi superabundavit; nec tempore egestatis aliquid mihi necessarium defuit. Similiter vobis eveniet, si hæc instituta fideliter custodistis. (*Matth.* 6. 33. *&* *Luc.* 12. 31.) *Primum ergo quærite regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.*

C A P U T XV.

De modo emendi.

CUm aliquid emere volueritis, mandare alicui amicorum vestrorum, quatenus hoc vobis afferat; quod si vobis dare voluerit, postquam abeo ad emendum petieritis, nullatenus accipiatis. (b) Sed nobis fortasse dicetis: melius mercabimur, si nundinas adeamus. Hoc vobis prohibemus: Nam multo melius vobis est parum substantiæ amittere, quam redeundo ad sæculum animam perdere. Absque dubio vobis dicimus, quia si in justitia permanseritis, idcirco census vester numquam vobis minuetur: Hinc enim scriptum est: (*Psal.* 33. 10.) *Timentibus Deum nihil deest, nec his qui eum diligunt in veritate.*

C A P U T XVI.

De modo vendendi.

VEstra pro alienis commutare potestis, cum vobis necesse fuerit.

Veruntamen annonam, vel quodlibet aliud propter expensam vestram a vobis comparatum, si carius potestis vendere quam emistis, nulla cupiditate id faciatis. Hinc enim negotiatores efficeremini. Immo potius, quod venditis, vilius vendere, & quod emitis, carius emere vobis præcipimus, (c) ut semper a fraude declinetis. Nam prohibet Apostolus: (1. *Thess.* 4. 6.) *Ne quis in negotio circumveniat fratrem suum.*

C A P U T XVII.

De modo mutuandi.

QUoties nummos, vel alium censum ab aliquo mutuare volueritis, nisi sit supellex aliqua, eam certo reddendi termino nullatenus accipiatis. Hoc autem vobis accommodanti dicite, cum facultas erit reddendi, reddemus:

(a) *Totum hoc capitulum sublatum est ab Innoc.* IV.

(b) Sed nobis fortasse. *Reliqua hujus capituli sublata sunt ab Inn. IV.*

(c) *Inn. IV. dicit:* consulimus.

damus; si vero aliud pactum, & certum inquirit terminum, nulla inopia compellente a vobis accipiatur; caretis enim reditibus, unde redderetis. Ergo possetis delinquare, si diem certum ei constituatis. Cavate igitur a mendacio, & in veritate permanete: (*Sap.* 1. 11.) *Os enim, quod mentitur, occidit animam*. Censum autam vobis accommodatum si quis dare voluerit, nulla paupertate cogente accipiatis.

CAPUT XVIII.

De modo accommodandi.

SI quilibet (*a*) amicus vester velit a vobis censum vestrum mutuo accipere, nulla necessitate, quam ipse patiatur, nullo etiam beneficio vobis ab ipso collato, aurum, vel argentum, siva annonam ei accommodetis. Si vero quodlibet horum velit a vobis mutuare, & vos potestis ei accommodare, data potius illi amore ipsius, qui vobis hoc tribuit, si tamen dare possitis absque damno vestræ religionis; & sic majorem perfectionem facietis. Si enim alicui pecuniam vestram accommodaretis, & ipse interim modicum quid vobis tribueret, inde fœneratores esse possetis. Caveta igitur ne prædicta accommodetis; non ast enim contra evangelium, si non accommodatis, & dare vultis.

CAPUT XIX.

De non eligendis muneribus.

SI quis sola Dei gratia commotus vobis aliquid de suis jeate libitem vestrum dare volens, benigne caritate dixarit, ut de duobus, aut pluribus quod amplius vultis, eligatis, sa, quod electam fuerit, daturum promittens; nequaquam sit vestrum aligere, sed suum; hoc solum quippe (*Psal.* 83. 11.) *elegistis abjecti esse in domo Dei*. Sic autam ei respondere: Deus vobis immisit voluntatem tribuendi, quod nobis præsentatis; & quia sine inquisitione nostra velle & posse faciendi bonum, quod vultis facere, vobis tribuit, de cetaro non fatigabitur, sed vobis ostendat, quid nobis præbeatis. Nam ipse solus novit, quid nobis, & vobis necesse sit.

CAPUT XX.

De Confraternitate vitanda.

COmessationes, quas populus confraternitates vocat, nullo pacto faciant apud vos. Si vero, ubi vos non fueritis, nec nuncium vestrum miseritis, confraternitatem constituant, & postmodum pro velle suo, inde vobis aliquid afferant, licite potestis accipere, & secundum ordinem vestrum modaste expendere. Quod si hoc venire, & in locis vestris convivium suum facere, & requiam spiritalem, in qua cum Deo permanere debetis, imminuere voluerint, nullatenus id fieri permittatis, nec psalmos dicere, nec aliud divinum Officium propter pecuniam celebrare præsumatis. Deus enim exaudit orationem, quæ fit ex caritate, reprobans eam, quæ procedit ex cupiditate.

CAPUT XXI.

De Eleemosynis non eligendis.

ITem omnes eleemosynas, quas Spiritus-sanctus generabit in cordibus hominum absque inquisitione, & electione vestra, licite potestis accipere. Hac etiam sola ratione, quamvis cetera non desint rationes, cavere debetis, ne a viris secularibus eleemosynas quæretis; quia magis placebit eis, cum vobis non quærentibus, nec eligentibus eas dederint, quam si quærentibus, & eligentibus eas vobis præberent. Et quo amplius hoc eis placebit, eo gratias a Deo recipientur. Vos autem velle debetis de singulis hominibus, tanquam de vobismetipsis, ut divinam faciant voluntatem. Si vero inquisitione vestra exteriores viri vobis eleemosynas tribuerent, minus eis placeret; & tanto magis eleemosyna coram oculis Dei minueretur, quanto magis bona voluntas eorum decresceret.

CAPUT XXII.

Quod nullum promissum mittatur, nisi quid, & quantum sit, prius designetur.

RUrsus, si quis vobis dixerit: mittite ad annonam, vel ad alium censum meum, & dabo vobis ex eo; nolite inquirere de rei promissæ quantitate, ne sitis rei cupiditatis; quam nisi vobis ipse designavarit, mittere non præsumatis. Quod si postea vos interrogat: quare non misistis; sic ei respondete: Ignorabamus rei promissæ quantitatem; & ideo, aut vos, aut nos in hoc delinquere possemus: Si enim ad majus misissemus, quam nobis dare disponebatis, inde conqueri possetis: Et si plus nobis tribueretis, hoc vobis subrexisse videremus: si vero ad minus misissemus, forsitan vobis displiceret; & ideo mittere noluimus. Denique, si rei quantitatem vobis designet, licite potestis mittere, & quandoquidem ipso afferente hoc acciperetis, superbia videretur, nisi mitteretis; semper autem in corde vestro diligenter investigate, quomodo cupiditatem amplius vitare possitis. Et absque dubio vobis dicimus, quod plus etiam pecuniæ temporalis idcirco habebitis: (*Psal.* 33. 11.) *inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono.*

CAPUT XXIII.

Quales reditus liceat habere.

SI quis (*b*) vobis dixerit: hujusmodi eleemosynam dabo vobis annuatim in terra mea, tam ego, quam filii mei, minime respuetis. Sic autem ei respondete: Quamdiu vobis placuerit, hoc accipiemus. Postea vero ipso retinente, qui dederat, vel hæredibus ejus, aut aliquo raptore hoc eis auferente, petere potestis hoc modo: Nolumus vos ignorare, quod eleemosynam, quæ nobis annuatim tribuebatur, accepistis. Quo audito, si placet ei, quatenus hoc vobis reddat, date gloriam Deo; quod si facere noluerit, ne repetatis, id est, cum eo judicio minime contendatis, sed Deo gratias agite, quia sibi placuit, quod hoc vobis tamdiu permisit habere. Hujusmodi reditus tantum vobis habere concedimus; quandiu possessores eorum vobis eos reddiderint, accipite; cum retinuerint eos, patienter dimittite. Vos ergo memores consilii JESU CHRISTI dicentis; (*Luc.* 6. 30.) *qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas*; numquam cum viris exterioribus judicio contendatis; sed potius in pace permanentes, Deo jugiter adhæreatis.

CAPUT XXIV.

De chartis causa placitandi non habendis.

ITem (*c*) vobis præcipimus, ut de rebus vobis datis, vel dandis, nunquam scriptum causa placitandi faciatis, nec etiam placitare præsumatis.

CAPUT XXV.

Quæ sit clavis nostræ religionis.

NUnc autem vos reddemus securos; si in hac vita perseveretis, neminem qui vos audeat fugare, invenietis; hoc enim quod vobis dicimus, clavis est vestræ religionis, quam si bene custodieritis, nullus hostis aditum inveniet, per quam ad vos ingrediatur. Ubicumque ædificetis, cui non profueritis, saltem non noceatis; cui non benefeceritis, saltem malum non faciatis. Vobis autem firmissime dicimus; quia qui vos primitus odio habebunt, cum loca solitudinis habitare cœperitis, postea vos diligent, & multa beneficia vobis conferent. Hoc tamen pacto vobis ista dicimus, si in hac vita fideliter permanseritis. Quod si a Deo recesseritis, nonne justum erit, ut vos omnes persequantur?

CAPUT XXVI.

De eleemosyna mortui juste conquerenti persolvenda.

PRæterea, si quis in extremis positus censum suum vobis reliquerit, ut ei benefaciatis, & oretis pro eo, licite potestis accipere. Sed eo mortuo, si querelam injuriæ ab ipso cuilibet illatæ vos audire contingat; pecuniam a defuncto vobis relictam juste conquerenti misericorditer persolvite, si tamen hæredes mortui eam reddere noluerint: (1. *Cor.* 13. 5. *Phil.* 2. 21.) *caritas enim non quærit, quæ sua sunt, sed quæ* JESU CHRISTI.

CA-

(*a*) *Totum sublatum est per Inn.* IV.
(*b*) *Totum sublatum est ab Innoc.* IV.

(*c*) *Totum sublatum est ab Innoc.* IV.

CAPUT XXVII.

Quod Deus humilitati ubique præparet hospitium.

ITerum firmiter asserimus, quod multi multa loca, multis precibus vobis præsentabunt, & nemore, quæ cæteris vendere noluerint, gratis largientur, si in hujus vitæ proposito humiliter perseveretis. Nam Deus humilitati ubique præparat hospitium, eo quod ipsa ipsius sit hospitium. Estote ergo humiles, & cœlum, & terra pariter vestrum erit.

CAPUT XXVIII.

De Molendinis.

HUjus (*a*) adimpletione præcepti, ne scilicet alicui obsit vestra utilitas, molendina cum populo communia nullatenus habeatis; vicinis etenim solita molendina relinquentibus, & ad vestra venientibus, alii, molendina quorum priora extiterunt, ex vestra affinitate damna paterentur. Scriptum est enim: (*Tob.* 4. 16. *Matth.* 7. 12. *Luc.* 6. 31.) *quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.*

CAPUT XXIX.

Quod nemini pro temporalibus serviatur.

CUm soli Deo, cujus servitus libertas est, serviendum sit vobis ex debito, si detores locorum, in quibus habitatis, pro eisdem locis vos sibi deservire postulaverint, potius ipsa loca vos (*b*) jubemus deserere, quam hac intentione quodlibet etiam minimum eis petentibus tribuatis. Aliter enim non hujus mundi veri peregrini, sed velut ceteri cultores agrorum, tributa debentes essetis. (*c*) Injurium quoque, & simoniacum esset pro eo, quod quislibet erogando pauperibus, Deo obtulit, eidem datoris temporaliter deservire, & non soli Deo, cujus amore totum illud reliquit.

CAPUT XXX.

De Nemoribus petendis.

NEmus religioni vestræ idoneum prius a possessore ipsius, deinde ab omnibus aliquid juris in eo habentibus, cum necesse fuerit, postulare debetis. Cum vero ab his omnibus vobis datum fuerit, si noveritis aliquem nemoris calumniatorem, petite jus ab eo, quod in nemore dicit habere, si forte ibi velitis ædificare; Oportet enim vos, ut ait Apostolus: (*Rom.* 12. 18.) *Cum omnibus hominibus, si fieri potest, pacem habere.* Verumtamen a terra, ubi ædificabitis, aliam meliorationem exigere non debetis, nisi ut quoquomodo vos sustinere valeat ad vestram pœnitentiam ibi peragendam: quo enim deterior fuerit, eo diligentius vobis Deus procurabit, si ei fiducialiter adhæreatis. Sicut enim Dominus ait: (*Matth.* 4. 4. *Luc.* 4. 4.) *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Qui cum suos interrogaret discipulos: (*Luc.* 22. 35. & 36.) *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? dixerunt: nihil.* Terra quidem respectu cœli minima est, & parem vobis duretur si eam diligeratis. Cavete ergo, ne melius pro deteriori, hoc est, cœlum pro terra commutetis.

CAPUT XXXI.

De causis non agendis, & testimoniis non perhibendis.

QUoniam, ut ait Apostolus: (*Tim.* 2. 4.) *nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus; ut ei placeat, cui se probavit;* firmissime vobis præcipimus, ut numquam propter (*d*) vestre, vel aliene cum aliquo placitare, sive judicio contendere præsumatis, nec causas, nec controversias aliorum in manu vestre recipiatis. Quid plura? vobis præsentibus, vel absentibus, placita, vel hujusmodi conflictus sæculares nullatenus agantur in locis vestris.

Testimonium quoque de illis etiam, quæ apud sæculum vidistis, & audistis, unde controversiæ nascantur, non est vestrum cuiquam perhibere: (*Col.* 3. 3. (*Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* *Tom. IV.*

CAPUT XXXII.

De licentia ab episcopo postulanda.

PRæterea, sine licentia Pontificis, in cujus diœcesi ædificare volueritis, nec aquam benedicere, nec missam celebrare in eodem loco præsumatis. Ipsum autem humiliter exorate, ut locum illum ad consecrandam ecclesiam in honorem Dei, ac cœmeterium in sepulturam fratrem tempore opportuno visitare dignetur. Quinetiam decimas laboris vestri ab ipso pontifice, & a sacerdote, in cujus parochia manebitis, necnon a ceteris earum possessoribus, piis precibus postulate. Cum vero vobis datæ fuerint, nequaquam eas retinere, verum etiam ceteris pauperibus fideliter debetis reddere.

CAPUT XXXIII.

Quod in possessione Monachorum non ædificetur.

INter hæc vobis præcipimus, ut numquam in possessione monachorum ædificia construatis. Verumtamen ista non dicimus, ut sanctitati monachorum derogemus. Porro quidam eorum vos multum diligent, & multiplex beneficium vobis impendent; sed frequenter mutentur pastores monasteriorum, & quod alii tribuunt, alii postmodum plerumque repetentes recuperare volunt.

CAPUT XXXIV.

Quod fratres extra cellam non exeant causa visitandi infirmos sæculares, quibus alii clerici adesse poterunt.

SI forte pater vester, vel quilibet amicus vester sæcularis prope cellam vestram graviter ægrotans, & peccata sua confiteri, & res suas disponere in præsentia vestra desiderans, mandet vobis, ut eum visitetis, ejus præsentiam nullatenus adeatis, si tamen clericos necessitati sue sufficientes cum eo adesse contingat. Quod si illuc Ire præsumentes, in itinere moriamini, nequaquam Deo de vobis rationem reddemus in die judicii. Quippe summus Magister electo discipulo patrem suum sepelire volenti sic ait: (*Luc.* 9. 60.) *Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu autem sequere me.* Si quempiam vero morti proximum juxta mansionem vestram esse noveritis, ejus necessitati subvenire debetis, aliis tamen clericis ei subvenire nequeuntibus. Alioquin morte illius mortem æternam forsitan incurreretis.

CAPUT XXXV.

Quod fratres cellas non exeant causa procurandi pauperes.

CEllas quoque, causa procurandi pauperes, exire non debetis; nullus enim meliores pauperes valet procurare, quam Martha procurebat, Deum videlicet procurando: nec tamen JESUS CHRISTUS dixit Mariæ, pedibus sui assidenti: surge, & adjuva illam: sed potius alteri sororem suam nihil agere reputanti, juxta intentionem illius, sic respondit Dominus: (*Luc.* 10. 42.) *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

CAPUT XXXVI.

De Hospitalitate pro Deo exhibenda.

HOspitalitas ex caritate hospitibus est exhibenda; quippe colligendo, & retinendo indigebitis, dando, & dispergendo abundabitis. Placeat autem vobis, quod expenderis, & debitis hospitibus: quamdiu vobis hoc placuerit, numquam vobis aliquid ideo minuatur, sed semper a Deo vobis restituetur. Ipsa namque ait: (*Luc.* 6. 38.) *Date, & dabitur vobis.* Attamen de vestris nihil expenditis, Dominus enim vobis affert alimenta, & idem a vobis suscipit allata. Hinc Propheta ait: (*Paral.* 29. 14.) *quæ de manu tua, Domine, accepimus, dedimus tibi.* Et Dominus in Evangelio: (*Math*: 25. 40.) *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Verumtamen Religiosis plus honoris, & reverentiæ, quam ceteris exhibere studeatis. (*Gal.* 6. 10.) *Igitur*, ut ait Apostolus, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.*

(*a*) *Totum hoc capitulum sublatum est ab Inn.* IV.
(*b*) *Inn. ponit:* consulimus.
(*c*) *Hæc, quæ sequuntur, sublata sunt per Inn.* IV.
(*d*) *Hoc vocabulum*, vestre, *sublatum est ab Inn.* IV.

demus; si vero aliud pactum, & certum inquirit terminum, nulla inopia compellente a vobis accipiatur; caretis enim reditibus, unde redderetis. Ergo possetis delinquere, si diem certum ei constitueretis. Cavete igitur a mendacio, & in veritate permanete: (*Sap.* 1. 11.) *Os enim, quod mentitur, occidit animam*. Censum autem vobis accommodatum si quis dare voluerit, nulla paupertate cogente accipiatis.

CAPUT XVIII.

De modo accommodandi.

SI quilibet (*a*) amicus vester velit a vobis censum vestrum mutuo accipere, nulla necessitate, quam ipse patiatur, nullo etiam beneficio vobis ab ipso collato, aurum, vel argentum, sive annonam ei accommodetis. Si vero quodlibet horum velit a vobis mutuare, & vos potestis ei accommodare, date potius illi amore ipsius, qui vobis hoc tribuit, si tamen dare possitis absque damno vestræ religionis; & sic majorem perfectionem facietis. Si enim alicui pecuniam vestram accommodaretis, & ipse interim modicum quid vobis tribueret, inde fœneratores esse possetis. Cavete igitur ne prædicta accommodetis; non est enim contra evangelium, si non accommodatis, & dare vultis.

CAPUT XIX.

De non eligendis muneribus.

SI quis sola Dei gratia commotus vobis aliquid de suis juxta libitum vestrum dare volens, benigna caritate dixerit, ut de duobus, aut pluribus quod amplius vultis, eligatis, se, quod electum fuerit, daturum promittens; nequaquam sit vestrum eligere, sed suum; hoc solum quippe (*Psal.* 83. 11.) *elegistis abjecti esse in domo Dei*. Sic autem ei respondete: Deus vobis immisit voluntatem tribuendi, quod nobis præsentatis; & quia sine inquisitione nostra velle & posse faciendi bonum, quod vultis facere, vobis tribuit, de cetero non fatigabitur, sed vobis ostendet, quid nobis præbeatis. Nam ipse solus novit, quid nobis, & vobis necesse sit.

CAPUT XX.

De Confraternitate vitanda.

COmessationes, quas populus confraternitates vocat, nisi pacto faciant apud vos. Si vero, ubi vos non fueritis, nec nuncium vestrum miseritis, confraternitatem constituant, & postmodum pro velle suo, inde vobis aliquid afferant, licite potestis accipere, & secundum ordinem vestrum modeste expendere. Quod si huc venire, & in locis vestris convivium suum facere, & requiem spiritalem, in qua cum Deo permanere debetis, imminuere voluerint, nullatenus id fieri permittatis, nec psalmos dicere, nec aliud divinum Officium propter pecuniam celebrare præsumatis. Deus enim exaudit orationem, quæ fit ex caritate, reprobans eam, quæ procedit ex cupiditate.

CAPUT XXI.

De Eleemosynis non eligendis.

ITem omnes eleemosynas, quas Spiritus-sanctus generabit in cordibus hominum absque inquisitione, & electione vestra, licite potestis accipere. Hac etiam sola ratione, quamvis ceteræ non desint rationes, cavere debetis, ne a viris sæcularibus eleemosynas quæratis; quia magis placebit eis, cum vobis non quærentibus, nec eligentibus eas dederint, quam si quærentibus, & eligentibus eas vobis præberent. Et quo amplius hoc eis placebit, eo gratius a Deo recipientur. Vos autem velle debetis de singulis hominibus, tanquam de vobismetipsis, ut divinam faciant voluntatem. Si vero inquisitione vestra exteriores viri vobis eleemosynas tribuerent, minus eis placeret; & tanto magis eleemosyna coram oculis Dei minueretur, quanto magis bona voluntas eorum decresceret.

CAPUT XXII.

Quod nullum promissum mittatur, nisi quid, & quantum sit, prius designetur.

RUrsus, si quis vobis dixerit: mittite ad annonam, vel ad alium censum meum, & dabo vobis ex eo; nolite inquirere de rei promissæ quantitate, ne sitis rei cupiditatis; quam nisi vobis ipse designaverit, mittere non præsumatis. Quod si postea vos interroget: quare non misistis; sic ei respondete: Ignorabamus rei promissæ quantitatem; & ideo, aut vos, aut nos in hoc delinquere possumus: Si enim ad majus misissemus, quam nobis dare disponebatis, inde conqueri possetis: Et si plus nobis tribueretis, hoc vobis subtraxisse videremur: si vero ad minus misissemus, forsitan vobis displiceret; & ideo mittere noluimus. Denique, si rei quantitatem vobis designet, licite potestis mittere, & quandoquidem ipso afferente hoc acciperetis, superbia videretur, nisi mitteretis; semper autem in corde vestro diligenter investigate, quomodo cupiditatem amplius vitare possitis. Et absque dubio vobis dicimus, quod plus etiam pecuniæ temporalis idcirco habebitis: (*Psal.* 33. 11.) *inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono.*

CAPUT XXIII.

Quales reditus liceat habere.

SI quis (*b*) vobis dixerit: hujusmodi eleemosynam dabo vobis annuatim in terra mea, tam ego, quam filii mei, minime respuatis. Sic autem ei respondete: Quamdiu vobis placuerit, hoc accipiemus. Postea vero ipso retinente, qui dederat, vel hæredibus ejus, aut aliquo raptore hoc eis auferente, petere potestis hoc modo: Nolumus vos ignorare, quod eleemosynam, quæ nobis annuatim tribuebatur, accepistis. Quo ostenso, si placet ei, quatenus hoc vobis reddat, date gloriam Deo; quod si facere noluerit, ne repetatis, id est, cum eo judicio minime contendatis, sed Deo gratias agite, quia sibi placuit, quod hoc vobis tamdiu permisit habere. Hujusmodi reditus tantum vobis habere concedimus; quandiu possessores eorum vobis eos reddiderint, accipite; cum retinuerint eos, patienter dimittite. Vos ergo memores consilii JESU CHRISTI dicentis; (*Luc.* 6. 30.) *qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas*; numquam cum viris exterioribus judicio contendatis; sed potius in pace permanentes, Deo jugiter adhæreatis.

CAPUT XXIV.

De chartis causa placitandi non habendis.

ITem (*c*) vobis præcipimus, ut de rebus vobis datis, vel dandis, nunquam scriptum causa placitandi faciatis, nec etiam placitare præsumatis.

CAPUT XXV.

Quæ sit clavis nostræ religionis.

NUnc autem vos reddemus securos; si in hac vita perseveretis, neminem qui vos audeat fugare, invenietis; hoc enim quod vobis dicimus, clavis est vestræ religionis, quam si bene custodieritis, nullus hostis aditum inveniet, per quem ad vos ingrediatur. Ubicumque ædificetis, cui non prodeititis, saltem non noceatis; cui non benefeceritis, saltem malum non faciatis. Vobis autem firmissime dicimus; quia qui vos primitus odio habebunt, cum loca solitudinis habitare ceperitis, postea vos diligent, & multa beneficia vobis conferent. Hoc tamen pacto vobis ista dicimus, si in hac vita fideliter permanseritis. Quod si a Deo recesseritis, nonne justum erit, ut vos omnes persequantur?

CAPUT XXVI.

De eleemosyna mortui juste conquerenti persolvenda.

PRæterea, si quis in extremis positus censum suum vobis reliquerit, ut ei benefaciatis, & oretis pro eo, licite potestis accipere. Sed eo mortuo, si querelam injuriæ ab ipso cuilibet illatæ vos audire contingat; pecuniam a defuncto vobis relictam juste conquerenti misericorditer persolvite, si tamen hæredes mortui eam reddere noluerint: (1. *Cor.* 13. 5. *Phil.* 2. 21.) *caritas enim non quærit, quæ sua sunt, sed quæ* JESU CHRISTI.

(*a*) *Totum sublatum est per Inn.* IV.
(*b*) *Totum sublatum est ab Innoc.* IV.
(*c*) *Totum sublatum est ab Innoc.* IV.

CAPUT XXVII.

Quod Deus humilitati ubique preparet hospitium.

ITerum firmiter asserimus, quod multi multa loca, multis precibus vobis præsentabunt, & nemora, quæ ceteris vendere noluerint, gratis largientur, si in hujus vitæ proposito humiliter perseveretis. Nam Deus humilitati ubique præparat hospitium, eo quod ipsa ipsius est hospitium. Estote ergo humiles, & cœlum, & terra pariter vestrum erit.

CAPUT XXVIII.

De Molendinis.

HUjus (*a*) adimpletione præcepti, ne scilicet alicui obsit vestra affinitas, molendina cum populo communia nullatenus habeatis; vicinis etenim solita molendina relinquentibus, & ad vestra venientibus, illi, molendina quorum priore extiterunt, ex vestra affinitate damna patientur. Scriptum est enim: (*Tob.* 4. 16. *Matth.* 7. 12. *Luc.* 6. 31.) *quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.*

CAPUT XXIX.

Quod nemini pro temporalibus serviatur.

CUm soli Deo, cujus servitus libertas est, serviendum sit vobis ex debito, si datores locorum, in quibus habitatis, pro eisdem locis vos sibi deservire postulaverint, potius ipsa loca vos (*b*) jubemus deserere, quam hac intentione quodlibet etiam minimum eis petentibus tribuere. Aliter enim non hujus mundi veri peregrini, sed velut ceteri cultores agrorum, tributa debentes essetis. (*c*) Injustum quoque, & simoniacum esset pro eo, quod quislibet erogando pauperibus, Deo obtulit, eidem datori temporaliter deservire, & non soli Deo, cujus amore totum illud reliquit.

CAPUT XXX.

De Nemoribus petendis.

NEmus religioni vestræ idoneum prius a possessore ipsius, deinde ab omnibus aliquid juris in eo habentibus, cum necesse fuerit, postulare debetis. Cum vero ab his omnibus vobis datum fuerit, si noveritis aliquem nemoris calumniatorem, petite jus ab eo, quod in nemore dicit habere, si forte ibi velitis ædificare; Oportet enim vos, ut ait Apostolus: (*Rom.* 12. 18.) *Cum omnibus hominibus, si fieri potest, pacem habere.* Veruntamen a terra, ubi ædificabitis, aliam meliorationem exigere non debetis, nisi ut quoquomodo vos sustinere valeat ad vestram pœnitentiam ibi peragendam: quo enim deterior fuerit, eo diligentius vos ibi Deus procurabit, si ei fiducialiter adhæreatis. Sicut enim Dominus ait: (*Matth.* 4. 4. *Luc.* 4. 4.) *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Qui cum suos interrogaret discipulos: (*Luc.* 22. 35. & 36.) *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? dixerunt: nihil.* Terra quidem respectu cœli minima est, & parum vobis duraret si eam diligeretis. Cavete ergo, ne melius pro deteriori, hoc est, cœlum pro terra commutetis.

CAPUT XXXI.

De causis non agendis, & testimoniis non perhibendis.

QUoniam, ut ait Apostolus: (*Tim.* 2. 4.) *nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus; ut ei placeat, cui se probavit;* firmissime vobis præcipimus, ut numquam propter (*d*) vestra, vel aliena cum aliquo placitare, sive judicio contendere præsumatis, nec causas, nec controversies aliorum in manu vestra recipietis. Quid plura? vobis præsentibus, vel absentibus, placita, vel hujusmodi conflictus sæculares nullatenus agantur in locis vestris.

Testimonium quoque de illis etiam, quæ apud sæculum vidistis, & audistis, unde controversiæ nascantur, non est vestrum cuiquam perhibere: (*Col.* 3. 3.) *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Tom. IV.

(*a*) *Totum hoc capitulum sublatum est ab Inn.* IV.
(*b*) *Inn. ponit:* consulimus.

CAPUT XXXII.

De licentia ab episcopo postulanda.

PRæterea, sine licentia Pontificis, in cujus diœcesi ædificare volueritis, nec aquam benedicere, nec missam celebrare in eodem loco præsumatis. Ipsum autem humiliter exorate, ut locum illum ad consecrandam ecclesiam in honorem Dei, ac cœmeterium in sepulturam fratrum tempore opportuno visitare dignetur. Quintiam decimas laboris vestri ab ipso pontifice, & a sacerdote, in cujus parochia manebitis, necnon a ceteris earum possessoribus, piis precibus postulate. Cum vero vobis datæ fuerint, nequaquam eas retineatis, verum etiam ceteris pauperibus fideliter debetis reddere.

CAPUT XXXIII.

Quod in possessione Monachorum non ædificetur.

INter hæc vobis præcipimus, ut numquam in possessione monachorum ædificia construatis. Veruntamen ista non dicimus, ut sanctitati monachorum derogemus. Porro quidam eorum vos multum diligunt, & multiplex beneficium vobis impendunt; sed frequenter mutantur pastores monasteriorum, & quod alii tribuunt, alii postmodum plerumque repetentes recuperare volunt.

CAPUT XXXIV.

Quod fratres extra cellam non exeant causa visitandi infirmos sæculares, quibus alii clerici adesse poterunt.

SI forte pater vester, vel quilibet amicus vester sæcularis prope cellam vestram graviter ægrotans, & peccata sua confiteri, & res suas disponere in præsentia vestra desiderans, mandet vobis, ut eum visitetis, ejus præsentiam nullatenus adeatis, si tamen clericos necessitati suæ sufficientes eum ne adesse contingat. Quod si illuc ire præsumentes, in itinere moriamini, nequaquam Deo de vobis rationem reddemus in die judicii. Quippe summus Magister electo discipulo patrem suum sepelire volenti sic ait: (*Luc.* 9. 60.) *Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu autem sequere me.* Si quempiam vero morti proximum juxta mansionem vestram esse noveritis, ejus necessitati subvenire debetis, aliis tamen clericis ei subvenire nequeuntibus. Alioquin morte illius mortem æternam forsitan incurreretis.

CAPUT XXXV.

Quod fratres cellas non exeant causa procurandi pauperes.

CEllas quoque, causa procurandi pauperes, exire non debetis; nullus enim meliores pauperes valet procurare, quam Martha procurabat, Deum videlicet procurando: nec tamen JESUS CHRISTUS dixit Mariæ, pedibus suis assidenti: surge, & adjuva illam: sed potius alteri sororem suam nihil agere reputanti, juxta intentionem illius, sic respondit Dominus: (*Luc.* 10. 42.) *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

CAPUT XXXVI.

De Hospitalitate pro Deo exhibenda.

HOspitalitas ex caritate hospitibus est exhibenda; quippe colligendo, & retinendo indigebitis, dando, & dispergendo abundabitis. Placeat autem vobis, quod expenderis, & dabitis hospitibus: quamdiu vobis hoc placuerit, numquam vobis aliquid ideo minuetur, sed semper a Deo vobis restituetur. Ipse namque ait: (*Luc.* 6. 38.) *Date, & dabitur vobis.* Attamen de vestris nihil expenditis, Dominus enim vobis affert alimenta, & idem a vobis suscipit allata. Hinc Propheta ait: (*Paral.* 29. 14.) *quæ de manu tua, Domine, accepimus, dedimus tibi.* Et Dominus in Evangelio: (*Math:* 25. 40.) *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Veruntamen Religiosis plus honoris, & reverentiæ, quam ceteris exhibere studeatis. (*Gal.* 6. 10.) *Igitur*, ut ait Apostolus, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.*

Dd CA-

(*c*) *Hæc, quæ sequuntur, sublata sunt per Inn.* IV.
(*d*) *Hoc vocabulum*, vestra, *sublatum est ab Inn.* IV.

CAPUT XXXVII.

De beneficio pauperibus erogando.

NON mediocriter gaudere debetis, quoties pauperibus benefeceritis. Dominus enim hanc hæreditatem pauperibus reliquit in hoc sæculo, bonos videlicet viros, qui eos sibi procurent. Nimirum Deo gratias agere debetis, cum vobis suos mittit pauperes. Non enim tot nuntios inveniretis, quos ad tot pauperes dirigeretis, nec etiam sciretis eos eligere, sed Deus eos eligit, & electos vobis mittit. Itaque debetis credere, quod Dominus inopes a vobis eleemosynam postulantes minime decipit, quia, si nihil adesse sciret, quod eis tribueretis, vix aut nunquam permitteret, ut a vobis aliquid postularent. Ergo semper eis vel bonum sermonem tribuite, si forte ceteris careatis. Nam loqui cum pauperibus, est honor vester; loqui cum divitibus, plurimum formidare debetis; hinc enim facile dedecus potestis incurrere.

CAPUT XXXVIII.

De eleemosyna pauperum largius remuneranda.

QUod si forte pauperes suam parvam eleemosynam vobis afferunt, nolite respuere, sed cum gaudio eam suscipite; verum prædicationem, quam vobis faciunt, dum vobis eam tradunt, diligenter intelligite; quandoquidem, illi, qui pauperes sunt, sua vobis largiuntur, vos eis vestra, præcipue si facultas adsit, largius debetis tribuere.

CAPUT XXXIX.

De mulieribus non recipiendis.

NE mulieres in hac religione recipiantur, omnimodo prohibemus; quandoquidem a deliciis paradisi primum hominem mulier traxit; ubi quis ei resistere poterit? Si David mansuetissimus, Salomon sapientissimus, Samson quoque fortissimus muliebri laqueo capti sunt, quis ejus blanditiis non cedet? (a) Nonne ea absente, per ipsam a diabolo tentetur homo? quid ergo ea præsente faciet? Hoc autem vitium fugiendo, non impugnando, docet Apostolus (1. *Cor.* 6. 18., 1. *Tim.* 5. 11.) superari. Hoc etiam Beatus affirmat Gregorius (b), ne quis post votum continentiæ cum eis habitare præsumat. Sic igitur ab hac religione penitus disjungantur, ut nec etiam labori fratrum adjutorium impendant per diem, nec post solis occasum usque mane cellas ingrediantur. Quinetiam nulla sola mulier aliqua hora diei cellas introeat sine socio, qui ætatem habeat.

CAPUT XL.

De viris alterius religionis non recipiendis.

ALterius religionis viros in hac religione recipi omnino prohibemus. Nam vestri mores ab eorum moribus plurimum differunt: vos quippe fimum, & ligna portantes, & clibanum calefacientes, panem, & alia multa facere consuevistis; nullos enim nisi vosmetipsos habetis famulos. Vobis itaque talia facientibus frequenter improperarent dicentes: numquam de hujusmodi vilibus in nostra religione tractaremur. Facilius etiam potest in disciplina teneri, qui numquam in illa fuit, quando recenter sæculum relinquit, quam revocari ad ipsam, qui semel eam excessit. Insuper, si post longum tempus vestris perscrutatis moribus, ad pristinæ religionis habitum remeare vellent, ipso pastore, cujus obedientiæ se prius submiserunt, recipientes quasi suas oves, & licenter, & absque calumnia vestri facere possent. Unde, ne vobis, & ipsis aliquod contingat opprobrium nullo modo recipiantur. Hinc Salomon ait: (*Eccl.* 3. 28.) *Cor ingrediens duas vias, non habebit* requiem (c). Hinc Jacobus ait: (*Jac.* 1. 8.) *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.*

CAPUT XLI.

Cujusmodi homines liceat recipere.

QUicumque sæcularis homo velit ad hanc religionem accedere, licet alteri religioni sola promissione sit obligatus, hujus religionis prior licite potest eum recipere, quamdiu veste sæculari indutus fuerit.

CAPUT XLII.

Cujusmodi homines nec absolvendi, nec requirendi sint.

EContra, si quis a pastore, dono fraternitatis accepto, & certo veniendi termino constituto, postmodum aliam religionem adire, vel in sæculo remanere voluerit, pastor ipsum non requirat. Quod si absolutionem promissionis jam factæ postulet a pastore, nequaquam eum absolvat, sed et breviter ita respondeat: Nunquam a nobis requisitus fuerit. Aliter non absolvatur, nec venire cogatur, nec a quolibet susceptus requiratur.

CAPUT XLIII.

De solitario cum propria cella non recipiendo.

HUjus religionis decretum est, quod quicumque ad eam accesserit, omnes terrarum possessiones extra deserat, se totum pastoris voluntati subjiciens. Ex hoc itaque præcipimus, ne quis solitarius cum cella propria recipiatur; sed, si pastoris voluntas fuerit, aut ipsum sine cella, aut cellam sine ipso, si dare voluerit, accipiat.

CAPUT XLIV.

De viris infra viginti annos, infirmantibus, ac leprosis non recipiendis.

QUoniam spontanea voluntate, & provida animi deliberatione Christi jugum adeundum est, ideo præcipimus, ne quis infra viginti annos, aut homo infirmans, nisi equitando, aut pedibus ambulando venire possit, in hac religione recipiatur. Quamlibet etiam leprosum, manifeste cognitum, in nostra religione recipi prohibemus. Quippe membra Christi scandalizaret, & maledictionem Domini incurreret, dicens: (*Matth.* 18. 7.) *væ autem homini illi, per quem scandalum venit.*

CAPUT XLV.

De Simonia penitus vitanda.

QUinatiam (d) pastor hujus congregationis seipsum, & omnes discipulos suos ab omni genere simoniæ prorsus custodiens, & illud Domini præceptum, (*Matth.* 10. 8.) *gratis accepistis, gratis date*, fideliter adimplens, in recipiendis fratribus, solam Dei voluntatem, & animarum salutem, summa discretione consideret.

CAPUT XLVI.

Quod fratres in cella permaneant.

QUemadmodum legitur in Evangelio, (*Mat.* 4. 1. *Marc.* 1. 12. 13. *Luc.* 4. 1. 2.) Christum in desertis solitudinem ascendisse, ut tentaretur a diabolo; sic Christum sequentes, ut ei liberius per contemplationem adhæreant, solitudines nemorum, & absentiam hominum quærunt; (*Ibid.*) & sicut nec ipse, nisi devicto hoste a monte descendit; sic nec ejus imitatores, dum sunt in prœlio nondum cursu consummato, quod est omni tempore vitæ suæ, a solitudine, quam elegerunt, debent abscedere. In hoc enim vestra, & omnium eremitarum vita maxime debet constare, ut cum continuæ orationis uso, & silentio tumultum sæculi declinantes, in cellis vestris quiescatis. Nam vix, aut nunquam valde potest esse religiosus, qui una die recluditur, & altera discurrere permittitur. Ipsi namque Apostoli, qui gratia Sancti Spiritus præ ceteris abundabant, dum irent per sæculum, (*Luc.* 10. 11.) pulvere pedes suos aspergebant. Cumque Apostoli, qui perfecti viri erant, & præcepta Dei per sæculum incedebant, pulvere terrenæ conversationis aspergebantur, vos penitus qui fragiles estis, si contra propositum vestrum per mundum discurreretis, pulvis peccati macularet. Itaque vobis præcipimus, ne vagari per sæculum præsumatis.

CAPUT XLVII.

De Silentio.

SIlentium secundum loca, & tempora constituta custodiatur. In his autem locis, hoc est, in Ecclesia, in Claustro,

(a) *Hieron. Epist.* 2. *ad Nepot. c.* 1. *Greg. l.* 12. *Mor. c.* 13.
(b) *Dialog. lib.* 3. *cap.* 7. Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant.

(c) *Successus.*
(d) *Hoc caput in MS. S. Victoris extat post cap.* 63.

ftro, in Refectorio, in Dormitorio; necnon in his tempo. ribus, id est, a Completorio usque mane finito Capitulo continuum silentium fratres observent; nisi magna necessitas, quæ legem non habet, quandoque coegerit. Sicut enim Isaias testatur: (*Is.* 32. 17.) *Cultus justitiæ, silentium*, & pax. Quicumque vero in supradictis locis, vel temporibus silentium violaverit, regulari disciplinæ subjaceat. Aliud autem silentii genus, quod est tacere inutilia, & loqui necessaria, a singulis fratribus semper, & ubique summa discretione est observandum; ut enim Salomon ait: (*Prover.* 18. 21.) *Mors, & vita in manibus linguæ*. Itaque si ipse loci dispensator, vel quislibet alius frater, murmurando, vel detrahendo, vel mentiendo, vel obedientiæ, aut veritati resistendo, vel sæcularia, & vana verba sæpe referendo, seipsum, & alios corrumpat; ceteri fratres, fraternæ caritatis affectu, primo, secundo, tertio illum inde reprehendant. Quod si pravam consuetudinem suam humiliter corrigere neglexerit, regularem subeat disciplinam.

CAPUT XLVIII.

Quod fratres causa faciendi prædicationem non exeant solitudinem.

ITerum vobis præcipimus, ne causa faciendi prædicationem solitudinem exeatis. Dum enim manetis in eremo, & cavatis a sæculo, lumen est super candelabrum, id est, bona vita, quæ illucescit fideli populo. Ut enim beatus ait Gregorius: *Vita justi, viva prædicatio*. (a)

CAPUT XLIX.

Quod fratres causa audiendi prædicationem eremum non exeant.

PRæterea vobis præcipimus, ne causa audiendi prædicationem eremum exeatis. Constat enim, quod Johannes Baptista manebat in eremo, dum JESUS CHRISTUS prædicaret in terris; nec tamen dicit evangelium, Johannem exisse, ut Domini prædicationem audiret. Si vero Deus vellet Johannem ad se venire, & ipse non veniret, in hoc proculdubio delinqueret; sed non erat ei necesse, ut iret audire corporaliter sermonem JESU CHRISTI; nam vocem ipsius in corde suo spiritualiter audiebat, sicut idem in evangelio testatur, dicens: (*Johan.* 3. 29.) *Amicus sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi*. Tamen nolite arbitrari, quod ego vos Johanni Baptistæ comparem; attamen si exemplo ipsius Deo adhæseritis, & eremum exire nolueritis, ipse Deus manebit in vobis, & docebit vos.

CAPUT L.

Quod fratres viris exterioribus peccata sua non confiteantur.

SI quis vestrum aliquod peccatum (quod absit) incurrat, omnino caveas, ne cuilibet exteriori viro, quantæcumque sanctitatis sit, illud confiteatur. Quod si facere præsumeret, utique inobediens, & incredulus esset, & diceret ipsis operibus; nec in pastore meo, nec in fratribus meis habeo fiduciam; quare ab exterioribus super hoc potitis consilium. Deus autem prohibet: (*Matth.* 18. 10.) *Ne quis unum de pusillis suis contemnat*. Quinetiam multum decipitur, qui se coinquinat, cum se lavare existimat, suumque peccatum confitendo adauget. Verum hæc omnia incurreret, si quis fratrum nostrorum viris exterioribus peccatum suum confiteretur, (b) nec non & omnes alii eadem incurrunt, qui post confessionem peccata non deserunt. Ergo Deum in secreto solitudinis super universis necessitatibus vestris consulite: (*Jac.* 5. 16.] *Itaque confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*. Prædictis igitur rationibus vobis præcipimus in cellis vestris permanere, & exinde, quæ concessa sunt, scilicet adjutorium vicinorum cum bestiis suis in labore vestro, cum necesse fuerit, petere; vos tamen hujusmodi occasione cellas numquam exeatis. Nos itaque, fratres charissimi, in solitudine, ac paupertate eremitica vitam nostram, Deo annuente, ducere cœpimus, & eam in eodem, ipso adjuvante, finire debemus.

CAPUT LI.

Quod fratres in porticum exeuntes honeste se habeant.

CUm in cellis vestris reclusi fueritis, & soli Deo adhærere poteritis, tunc debetis suspirare, gemere, & deflere, tam vestra, quam aliena peccata. Quoties autem oportuerit vos exire in porticum causa loquendi cum vestris visitatoribus, lætam faciem eis prætendatis; & cum gaudio eos suscipite; & est recto, ut eis ad vos de longinquo venientibus, & processionem suam, ut ita dicam, facientibus, vos quoque vestram faciatis, & eis honeste obviam exeatis.

CAPUT LII.

Quod fratres extra cellam exeuntes, duo sint ad minus.

CUm vero, necessitate compellente, extra cellam egrediemini, ut alter alteri provideat, secundum evangelicam institutionem jubemus vos binos incedere: (*Eccl.* 4. 10.) *Væ namque soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se*. Nec non in itinere cavete viatorum societatem, prout res exigit, ingressusque civitatum, & castellorum ne exterior oculus videat, unde interior cæcus fiat.

CAPUT LIII.

De fugientibus ab hac religione.

SI quis per diabolicam suggestionem ab hac religione corruerit, licet pastori, ipsum reconciliari volentem, ad religionis unitatem cum digna satisfactione reducere: Verumtamen illud magnopere attendendum est, ut quidquid inobediens acquisivit vel ædificavit, totum illud, quantumcumque sit, sicut res perditionis abjiciatur, & reprobetur, ne, si accipiatur, fratres adhuc imbeciles sumant sibi in exemplum, dicentes: quoniam huic sic post lapsum contigit, faciamus & nos similiter: Quod ne contingat, cavendum est.

CAPUT LIV.

De cura Clericorum, & Conversorum.

OPtimam partem, (c) quæ a Domino præcipue laudatur in Maria, Clericis ab omni cura temporalium liberis, solam injungimus, ut dicere possint veraciter: (*Ps.* 15. 5.) *Dominus pars hæreditatis meæ*. Et item: (*Ps.* 118. 57.) *Portio mea Dominus*. Et item: [*Act.* 6. 2.) *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*. Sicque divinis laudibus, & contemplationi solummodo intenderet, sibi invicem, & aliis fratribus delicta sua confitentibus, spiritualia ministrent. Et ne colloquio sæcularium, aut sollicitudine exteriorum, divinum Officium interrumpatur, & mens eorumdem satietatis internæ dulcedinis obliviscatur, quod beatus Gregorius (d) sibi contigisse conqueritur; ob hoc scilicet temporalem curam cellæ solis Conversis committimus. Quicumque in labore, & in ceteris agendis, aliis fratribus, Clericis videlicet, & Conversis, non dominatione, sed caritate præcipiant, custos omnium virtutum humilitas illæsa conservetur. Quippe ipse creator omnium, creaturis suis, Mariæ videlicet, & Joseph fuit obediens, dicente Evangelio: (*Luc.* 2. 51.) *Et erat subditus illis*. Verumtamen omnibus, tam Clericis, quam Conversis expediret, ne deinceps, si fieri posset, sæculum viderent, quandoquidem illud reliquerunt. Sed quia nequit fieri, saltem Clericos in teque divinæ dilectionis volumus retinere. Conversi vero, tam pro illis, quam pro semetipsis, exeant colloqui cum gente exteriori. Attamen quandoque egrediuntur Clerici, cum ibi sunt necessarii. Magna tamen est sapientia, magnaque misericordia, dum in secreto Dei possunt quiescere, ut ibi maneant ad communem omnium utilitatem. Nam si mens eorum occuparetur ad temporalia, proculdubio minus alii providerent æterna. Quicumque vero foras egrediuntur, caveant, ne in colloquio sæcularium delectentur; quo enim amplius ibi delectabuntur, eo majus incommodum patientur. Verum si obedientia permittat, magis desiderent in secreto jugiter permanere, quam foras exire; nam si Deus intus non invenitur, foris absque dubio minime reperietur.

(a) *Gregor. lib.* 24. *Mor. cap.* 8. Viva lectio est vita bonorum.

(b) *Ad hoc*, (Nec non, *usque ad*, Ergo) *correxit Inn.* IV.

(c) *Istud Capitulum, quatenus loquitur de cura conversorum, sublatum est a Joann.* 22.

(d) *Registr. lib.* 1. *Ep.* 6. 7. *& seq. indict.* 9.

tur. Nimirum ipse Deus amicis suis sæpius, & familiarius in secreto, quam in publico secreta sua revelare consuevit; Verbi gratia, Beatæ Mariæ in thalamo, Johanni Baptistæ in eremo, Petro, Jacobo, Johanni in monte, necnon eidem Johanni in exilio. Et sic de ceteris intelligendum.

CAPUT LV.

De distributione victus, & vestitus.

FRatei, qui cellæ curam agit, prout res se habuerit, fratribus provida dispensatione victum, & vestitum distribuat, illud quod in Actibus apostolorum legitur, attendens: (*Act.* 2. 24. & c. 4. 34.) *Et erant illis omnia communia, nec quisquam egens erat inter illos, & dividebantur singulis, prout cuique opus erat.* Inter hæc nec ipse dispensator, nec alius frater sibi tantum aliquid ad edendum parari postulet, nec etiam omnibus communiter, nisi solus dispensator. Quod si quis petierit, omnino non exaudiatur, nisi forte ægrotet: ægrotanti enim, cum omni humilitate serviatur. Profecto qui dives erat in sæculo, valde reprehensibilis est, si in hac paupertatis religione aliud quam paupertatem postulet. Nonne cibis, & vestibus delicatis satis abundavit? Cur ergo hujusmodi amplius desideraret? Præsertim qui pauper fuit in sæculo, qua ratione divitias quæreret in eremo, quas habere non poterat in mundo? Ad quas enim delicias unusquisque hoc accessit, nisi ut crucem portans, Christum sequeretur? Quid vero sancti apostoli, quid sancti patres in Ægypto, quorum vestigia sequi debemus, nisi vigiliis, jejuniis, orationibus & laboribus insistere ex more postulabant? denique quos reditus, aut quæ patrimonia, se totum hostiam vivam Deo quisque sponte offerens, sibi ad hæc paranda in mundo retinuit? prorsus nulla.

CAPUT LVI.

De cura infirmorum, senum, ac debilium.

SI quis frater, urgente gravi infirmitate, conventum sequi nequiverit, in domo infirmorum reponatur. Porro cellæ dispensator unum fratrem, vel plures, si necesse sit, eligat, qui die, noctuque patienter ægroto serviant, & soli domum, ubi æger fuerit, ingrediantur. Ceteri vero fratres, sive ibi manentes, sive aliunde advenientes, non absque licentia dispensatoris, infirmum visitare præsumant. Nam cum aliquis frater qui diu in disciplina religionis permansit, &, cum adjutorio Dei, & pastoris sui, pro posse suo servit a sæculo, tandem incurrit ægritudinem, & fini suo jam appropinquat; tunc præcipue majori indiget custodia, quando animæ ipsius mercedem suam debet recipere: veluti cursores tunc penitus enituntur, cum prope locum sunt, ubi cursus eorum fuerit consummatus; si enim prius remanerent, frustra laborassent. Propter hoc expedit ægrotanti discipulo, ne quid de negotio sæculi audiat, unde spiritus suus cogitet vanitatem: Quantoque cum paucioribus loquetur hominibus, minus erit inde auditurus. Oportet autem eum semper confortari in Domino. Ipse quoque, si sapiens fuerit, dicet loquentibus secum: Sinite me in pace manere, & juvate me vestris orationibus, ut cor meum assidue Deo possit adhærere. Quod si ita cellæ, quibus indigebit, abunde non fuerint; potius ecclesiastica ornamenta servitio Dei deputata vendendari præcipimus, quam eorum, quæ licenter postulaverit, inopiam patiatur infirmus. Nam ipse templum est, in quo Deus habitat. Cumque pater, aut mater, vel quislibet ejus sæcularis amicus ad eum ingredi non permitteretur; fratres debent summopere curam illius agere. Nullum etiam negotium religionis comparari valet ægroti servitio, nisi tantum divinum Officium.

Senibus quoque, ac debilibus, humiliter & sollicite necessaria ministrantes: (*Galat.* 6. 2.) *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: illud etiam Domini præceptum fideliter adimplentes: (*Matth.* 7. 11.) *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis* similiter.

CAPUT LVII.

De temporibus jejunandi, horis reficiendi, & genere ciborum.

A Sancto Pascha usque ad Exaltationem Sanctæ Crucis, bis in die, primo videlicet post Sextam, & secundo post Vesperas refectionem vobis sumere disponimus, exceptis jejuniis in hujus temporis spatio constitutis. Verum ab Exaltatione Sanctæ Crucis usque ad Pascha vobis jejunare præcipimus, exceptis diebus Dominicis, & die Natalis Domini. Rursus a prædicto festo Veræ Crucis usque ad initium Quadragesimæ post Nonam; & exinde usque ad Resurrectionem Dominicam post Vesperas cibum sumere vobis statuimus. Item a festivitate Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Dominicam, & a Septuagesima usque ad Pascha cibo quadragesimali tantum vobis uti præcipimus. Ceteris vero temporibus, ovis, & caseis quendeque vesci vobis permittimus, (*a*) eo quod omnes tam sanos, quam ægrotos, a carne & sanguine tam volucrum, quam quadrupedum vos semper abstinere jubemus. (*b*) Veruntamen quia certos reditus non habetis, unde refectio quotidiana fratribus valeat præparari, nullus aliquid ad vescendum certis horis ex debito postulare præsumat, sed quæ, & quando ipse Dominus, quem solum dispensatorem vestrum constituimus, sua pietate sua vobis ministrabit, cum gratiarum actione suscipite. Quod si vobis alimenta pleremque dare distulerit, nihilominus ei gratias agite, recolentes illud Apostoli: (*Eph.* 5. 20.) *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.*

CAPUT LVIII.

De Divinis Officiis.

DIvina quidem Officia ex certis, & sanctis auctoritatibus collecta, quæ beatus Gregorius, & alii sancti Doctores in sancta disposuerunt Ecclesia, celebrare debemus. De quibus non est modo dicendum per singula, eo quod in libris nostris de hujusmodi plenius continetur.

CAPUT LIX.

De mutuo fratrum obsequio.

ASsidue omnes reminisci debetis, conctos subministros vestros cum ceteris mundanis exterius religiosis. Idenque oportet, ut alter alterum, servare Religionis fraternitate, honore invicem præveniat, (*Rom.* 12. 10.) & ut qui major est, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut ministrator; unusquisque ex mansuetudine libentes omnibus deserviet. Fratribus namque in obedientia positis, si possibile sit, tamquam angelis est ministrandum; credibile est enim eos sine dubio, si in hac perseveraverint, fore salvandos, sicque pares angelis futuros. Porro si cuilibet absurdum, & inconveniens videatur, dici tamquam angelis, cum homines sint, & utique peccatores; dicatur expressius, non solum tanquam angelis, sed etiam quasi Deo. In talibus namque per Prophetam se Deus habitare asserit dicens: (*Is.* 66. 1.) *Cælum*, idest anima justi, *mihi sedes est*. Et in evangelio: (*Matth.* 25. 40.) *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Et iterum in psalmo: [*Psal.* 81. 6.] *Ego dixi; Dii estis, & filii excelsi omnes*. Hoc autem non propter extollentiam vobis dicimus; sed ut frater fratri humiliter, & ex dilectione famuletur, & obediat.

CAPUT LX.

De pastoris electione.

CUm prior eligendus est, fratres ex singulis cellis bini conveniant in Grandimontem, quemadmodum ad conventum bini venire consueverunt. In eisdem vero cellis remanentes, totius electioni conventus se pro certo concedere, ceteris abeuntibus, promittant. Adunato itaque conventu post invocationem nominis Domini, duodecim fideles, & religionis amatores, sex videlicet Clerici, & sex Conversi, ad eligendum priorem designentur. Qui postquam audierint ab omnibus, electionem suam a nullo fore contradicendam; seorsum inter se de eo pertractent. Talis itaque pastor eligatur, qui antea fidelis hujus Religionis discipulus exstiterit, ut alios ex seipso considerans, prout opus fuerit, sciat unicuique utiliter providere. Si vero inter ipsos duodecim, aliqui in electione dissenserint, majori parti concedendum est, quæ scilicet fidelior, saniorque intelligitur, nihil sui nisi communem utilitatem considerans, illis dissentientibus a concilio, & etiam extra conventum, ut totum sine eis fiat, ejectis. Et ipso tamen

(*a*) *Innoc.* IV. *addidit*: exceptis omnino debilibus & ægrotis.

(*b*) *Innoc.* IV. *sustulit ab hoc verbo* (veruntamen) *usque ad* (nullus aliquid.)

men conventu totidem concilio adjiciantur, quos ejecti fuerint, & de eisdem, sive Clericis, sive Conversis; ut in duodecim semper electio consistat.

CAPUT LXI.

Quod nullus exterior digeret in Priorem.

NEminem, qui sit extra Religionem vestram, quocomque sensu, vel sanctitate polleat, in priorem vobis eligere præsumatis. Ab hac namque vita diffideret, vosque ad aliud everteret. Unum autem de vestro conventu confidenter eligite. Quippe hoc ipsum beatus præcipit Gregorius, dicens: (*Greg. Registr. lib. 7. Epist. 18. Indictione 2.*) *Defuncto pastore cujusquam Congregationis non extraneus eligant, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit.* Porro, si Deus vobiscum fuerit, ipse vobis consulet. Quod si ab ipso recesseritis, numquam bonum pastorem reperietis. Si vero omnes mali essetis, cujus esset pastor alter, qui succederet, si nullum inter vos bonum inveniret? Quemcumque pastorem habeatis, sapiens erit, si tamen ab hac vita non declinet. Si vero (quod absit) ab ea recesserit; ipse procul dubio anathema erit, & quicumque ei consenserit. Iterum vobis præcipimus, ut pastor vester, (*a*) numquam abbas, sed tantum prior nominetur. Quinetiam quemlibet exteriorum vestri pastoris electioni nullatenus interesse permittatis.

CAPUT LXII.

De Pastoris stabilitate.

RUrsus pastor vester omnino caveat, ut clausuram Grandimontis numquam, nisi necessitate inevitabili coactus, egrediatur. Sciat autem firmiter, quamdiu catena Christi religatus per sæculum ire nolueris, quo nullus ex discipulis suis audebit ei inobediens esse, nec in qualibet cella sue contra præceptum suum manere, nam ipse Dominus, cujus amore pastor vinctus fuerit, discipulus etiam vinctos tenebit. Si forte (quod absit) per sæculum abire cœperit, valde pertimescimus, quod omnes vos eum pariter sequentes, & præcepta sua contemnentes, inobedientiam incurretis: ipse vero honorem deinceps non recuperabit, quem coram Deo, & hominibus habebat die, qua claustrum suum egrediens contra votum suum per sæculum ire præsumsit. Hinc de seipso, & ceteris ecclesiæ pastoribus Beatus ait Gregorius: (*Pastor. par. 2. c. 7.*) *Nos sumus, fratres carissimi, nos sumus lapides sanctuarii, qui apparere semper debemus in secreta Dei, quos numquam necesse est foris conspici.*

CAPUT LXIII.

Quomodo prior erga suos cognatos se habeat.

ITem, quia carnalis cognatorum affectus, plerosque religiosos ab amore divino plurimum revocare, & bona ecclesiarum valde solet dissipare; hujus religionis prior omnino caveas, ne propriis cognatis, excepto hospitalitatis beneficio, & quolibet parvi pretii munusculo, aliquid largiatur.

CAPUT LXIV.

Quod relicta non recuperentur.

PRopositum, & præceptum nostræ religionis est, ut ecclesias, & res ad eas pertinentes, & quoslibet honores, qui sunt extra religionem nostram, necnon (*b*) terras, bestias, decimas, certos reditus, fora, nundines, visitationem cognatorum, causas, sive judicia, tam pro nostris, quam pro alienis, quæstum etiam, quamdiu una die quoquomodo vivere poterimus, & cetera, quæ amore Dei reliquimus, numquam recuperemus, sed potius in eremo tamquam mortui, & objecti a mundo, usque in finem perseveremus.

CAPUT LXV.

De perseverantia in supradictis.

VOs itaque, fratres carissimi, in prædictis constanter perseverate. Quod si pastor vester ab hac via veritatis vos ad aliud evertere conabitur, nec vestris consiliis ullomodo acquieverit, hæc instituta deserens, ex auctoritate Dei vobis confidenter præcipimus, quatenus ipsum, sicut apostatam potius a vestra societate penitus ejiciatis, quam propter eum ab hac via declinetis. Hinc ipse Dominus in evangelio præcipit, dicens: [*Matth. 18. 9.*] *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Quisquis igitur in hac vita sanctitatis, usque in finem fideliter perseveraverit, procuidubio salvus erit. Amen.

Explicit Regula venerabilis viri Stephani Muretensis heremita sanctissimi, primi patris Ordinis Grandimontensis, ab eodem, & ab omnibus successoribus usque in hodiernum diem, Deo annuente, confirmata.

Hæc sunt instituta venerabilis viri Stephani Muretensis, primi patris nostræ religionis, ac ceterorum pastorum sibi succedentium in capitulo suo descripta fuit ab eisdem injuncta, cum ceteris vitæ nostræ mandatis, feceruntque ea scribi, ut frequenter a fratribus commemorentur, ac opere teneantur, de quibus tanto magis cavendum est, prætermittantur, quanto ad tenendum leviora videntur.

Continuatio Bullæ Confirmationis.
Clementis Papæ Tertii.

UT autem prædicta Regula perpetuis temporibus illibata consistat, ipsam, prout ab eodem Urbano prædecessore nostro, ut superius diximus, correcta est, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes, ut nulli omnino hominum omnium liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qui autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Apostolorum ejus Petri, & Pauli se noverit incursurum. Datum Laterani V. Calend. Jul. Pontificatus nostri anno primo, anno Domini 1188.

NOTATIO.

SCiendum est, quod ipsa Regula a Sancto Stephano Confessore dicti Ordinis institutore tradita, a multis Summis Pontificibus visa, approbata, mutata, & modificata fuit, ut apparet in his, quæ subsequuntur:

Adrianus IV. approbavit eam an. 1156.

Alexander III. approbavit anno 1174.

Lucius III. anno 1182.

Urbanus III. approbavit, & aliquid in ea addidit anno 1186.

Clemens III. illam vidit, & integram approbavit anno 1188.

Cœlestinus III. eam vidit, & primus in illa aliquid mutavit anno 1191.

Innocentius III. aliquid mutavit, modificavit anno 1202.

Honorius III. aliquid modificavit anno 1218.

Gregorius IX. aliquid modificavit anno 1234.

Sed inter ceteros Innocentius IV., qui in Concilio Lugdunensi anno 1245. totam Regulam legit, atque in pluribus modificavit.

Clemens V. aliquid addidit, & mutavit Avenioni circa annum Domini 1309.

Et etiam Joannes XXII., qui Avenioni anno 1317. statuit inter cetera, Regulam prædictam modificando, ut Monasterium Grandimontis, quod ipsius Ordinis caput esse dignoscitur, gubernari jam solitum per Priorem, ex nunc in antea gubernaretur perpetuis futuris temporibus per Abbatem, & formam electionis Reverendissimi Generalis immutavit.

Qualiter Fratres hujus Ordinis de vita sua inquirentibus respondeant.

MUltis modis Beatus Stephanus discipulos suos instruebat, qualiter se de vita sua inquirentibus responderent; hoc eis dicens: Fratres, ne miremini, si nonnulli a vita vestra, moribusque dissentiunt: quandoquidem ab eo, quod illi tenent, diffidetis, & non vultis eos sequi in hoc, quod faciunt. Quid igitur vos de illis admiraremini? a ceteris vero religiosis minime requiritur, quam Regulam teneant: nam vestimentorum indicat de quibusdam. Isti sunt in Regula Sancti Augustini; ab his tenetur Ordo Sancti Benedicti. Itaque Fratres a multis vobis dicetur: novitas est hoc, quod a vobis tenetur: nec est Ordo, nec Regula Doctorum Sanctæ Ecclesiæ. Sed quamvis ille, qui

(*a*) *Hoc mutatum fuit per Joannem XXII.*

(*b*) (Terras) *& reliqua sunt sublata per Inn.* IV. præter Visitationem cognatorum, causas sive judicia pro alienis, quæstum quamdiu una die quoquomodo vivere poterimus, & cetera, quæ amore Dei reliquimus.

vobis hoc dixerit, habeat indumenta, signumque religionis, dico vobis firmiter, quod vitam suam abnegavit, ignorans, quid sit Ordo, vel Regula, cui vos hoc modo respondete. Quandoquidem vitam nostram, ac mores reprehenditis, ostendite nobis, in quo, & libenter emendebimus, si auctoritate Evangelica hoc indicare poteritis. Deinde Fratres, si confestim ille vobis non respondeat, incipite ei mantionam facere vestrarum institutionum, hoc modo.

1. Numquid pastor noster propter hoc excedit Ordinem, vel Regulam, quia permanendo in Claustro suo curam gerit, cum adjutorio divinæ gratiæ, animarum discipulorum suorum a Deo sibi commissorum?

2. Ejicit nos idem pastor noster ab Ordine, vel Regula, quia conservat inter nos unitatem omnium serem cum Dei adjutorio, nulli permittens habere proprium, nisi tantum amandi, & cæteris serviendi!

3. Intimate nobis vos, qui mores nostros reprehenditis si pastor noster ab Ordine, vel Regula nos expellit, quoniam ad cognatorum nostrorum domos, quas reliquimus, nos minime redire permittit, nec vult, ut eis ad nos venientibus paupertatem nostram indicemus?

4. Excludit nos præterea pastor noster ab Ordina, vel Regula, quia in Castella, & Civitates nos intrare non permittit, nisi iter a nobis exigeret, aliunde transire nequeuntibus?

5. Iterum, ejicit nos pastor noster ab Ordine, vel Regula: nolens nos esse negotiatores, neque mercatores?

6. Item expellit nos pastor noster ab Ordine, vel Regula, quoniam Ecclesias, & res ad ipsas pertinentes nos accipere non permittit?

7. Rursus pastos noster ideo transgreditur Ordinem, vel Regulam, quia feminas in sua Religione non recipit, nec eas, vel in cellis jacere, nec cum fratribus permittit laborare?

8. Tandem expellit nos pastor noster ab Ordine, vel Regula, quia nullum sæculare negotium, quod reliquimus, nobis concedit recuperare, præcipiens nobis in eremo tamquam mortuos, & abjectos a mundo permanere?

Fratres hujusmodi verba vitam vestram reprehendentibus respondere poteritis. Qui vero vobis ostenderat, qualiter a negotio sæculari amplius elongaremini, de hoc sibi libenter crederetis, quicumque esset sive de intus, sive de foris. Sed de augmentatione mundane illi numquam credetis, quocumque sensu polleat. Si enim Dei filius in terram adveniens meliorem viam ad ascendendum in cœlum paupertate sciret, illam eligeret, ac per eam incederet. Paupertatem ergo diligite, quandoquidem eam JESUS CHRISTUS, ut meliorem elegit. Sed non intelligetis, ut ego me, vel vos commendem in hoc, quod vobis locutus sum. Deus enim solummodo novit, quales nos summus. In vita quin sancta sit, nulla sit ambiguitas; si a quolibet vituperetur, a vobis exaltetur, si quis vos laudat, humiliate vos; sic enim sanctus Paulus Apostolus faciabat. Sciatis autem firmiter aliam non esse Regulam, nisi divina præcepta. A quocumque teneatur, Religiosus est. Quisquis ab illis discedit, extra omnem Ordinem, vel Regulam exiliit. Quidquid enim sine Deo fit, nihil est.

Quid dicatur, & ostendatur Novitio, hanc Religionem intranti.

SIcut JESUS CHRISTUS ait in Evangelio: (*Matth.* 16. 24. *& Luc.* 9. 23.) *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Similiter pastos noster eis dicebat, quos in disciplina sua recipiebat. Cum aliquis causa veniendi ad eum caritatem ab eo postularet, antequam ei tribueret, hoc modo respondebat: Frater quomodo poteris onus sustinere, quod tibi vis imponere; aspice crucem, multum est difficile ibi manere: si huc adveneris, in ea configaris, & emittens dominationem, quam habes in temetipso, in oculis, & in ore, & in ceteris membris. Manducandi, jejunandi, dormiendi, ac vigilandi tuam relinques voluntatem, multarumque aliarum rerum: & hoc quod in sæculo diligis, contingat tibi odio habere. Exinde non reverteris ad domum cognatorum tuorum, & si ipsi ad te venerint, nequaquam eis paupertatem tuam ostendes. Poterisne, Frater, fossor esse, ligna, & fimum portare, cunctisque fratribus servire? Hoc totum esset facile, sed captus tali carcere manebis, ubi non est foramen, per quod ad sæculum reverteris, nisi tu ipse feceris: & ego tui curam non agam, nec teipsum agere sinem; a sæculo quippe meos abscidi pedes, & si propter me non redeo, propter te non redibo. Adhuc aliud superfuerit: forsitan mitterem te in aliquod nemus, & annonam, quam laborando manibus cum ligneo ligone acquisieris, ego acciperem, & eis qui me hic custodiunt, tribuerem. Aliud vero restet horribilius; centupliciter melius est tibi damnari in sæculo, quam hic. Qui enim ab altiori cadit, amplius læditur. Et si hinc in infernum caderes, omnibus aliis perditis inferior esses: tu vero pergere potes ad quodlibet Monasterium, ubi magna invenies ædificia, cibosque deliciosos suis temporibus constitutos; illic bestias reperies terrarumque latitudinem: hic tantum crucem, & paupertatem. Talibus verbis vir bonus experiebatur, si ille firmum relinquendi sæculum cor haberet. Simoniacum enim eum æstimaret, si cujuslibet rei terrenæ promissione in Religionem veniret, similiter etiam postquam advenerat, si quid ex consuetudine postularet. Tandem eo respondente: propter hoc totum sustinendum huc venire desidero, non crescendi causa sed minuendi: pastor eum inter alios recipiebat.

ANTIPHONA.

O Consolator pauperum, Stephane, tuis precibus auge virtutum numerum in nobis te precantibus, & ereptos nos mortis telibus gaudere fac cælorum sedibus, ubi regnas cum sanctis omnibus.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et ostendit illi regnum Dei.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos sancti Confessoris tui Stephani confessione gloriosa circumdas & protegis: da nobis, quæsumus, ex ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

INDEX DOMORUM
GRANDIMONTENSIS
ORDINIS.

DOmus omnes Conventuales sunt numero Quadraginta sub tutela, ac titulo Beatissime Virginis Dei Genitricis Mariæ, nempe Abbatia Grandimontis Lemovicensis diœcesis, Caput Ordinis: In qua sunt sexaginta fratres præter Conversos. Habet annexas domos, de Sarra, de Hispanie, de Esclata, de Moteto de Trezens, de Rosseto, de Sancto Cornu, de Brondellis, de Bosco-Viridi, de Foretia, de Monte-Usto, Lemovicensis diœcesis, & de Garde, Xantonensis diœcesis. In regnis quoque Navarræ, & Angliæ, domos de Sancto Martiale, de Tudela, & de Stella, Turiasonensis diœcesis, de Albis-Burris, Herafordiensis diœcesis, de Escadala, Eboracensis diœcesis, & de Cressoala, Menevensis diœcesis.

Prioratus Conventualis de Rothomago, Lexoviensis diœcesis, (*a*) in quo sunt quatuordecim Fratres. Habet annexam domum de Albe-Via, Ebroicensis diœcesis.

Prioratus Conventualis de Espesia, Cabilonensis diœcesis, in quo sunt sexdecim Fratres. Habet annexas domos de Feheia, Bisontinensis diœcesis, & de Brulio, Eduensis diœcesis.

Prioratus Conventualis de Fagia, Nivernensis diœcesis, in quo sunt octodecim Fratres. Habet annexas domos de Columba, ejusdem Nivernensis, & de Fontaneto, Altissiodorensis, & de Fonte-Gadonis, Bituricensis diœcesis.

Prioratus Conventualis de sancto Mauritio, Senonensis diœcesis: in quo sunt sexdecim Fratres. Habet annexas domos de Charnes, Bituricensis diœcesis, & de Charboneriis, Eduensis diœcesis.

Prioratus Conventualis de Dimene, (*b*) Senonensis diœcesis, in quo sunt sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Trahis, ejusdem Senonensis diœc., & de Limaco, Lingonensis diœcesis.

Prioratus Conventualis de Castro-Novo, Bituricensis diœcesis, in quo sunt octodecim Fratres. Habet annexas domos de Castaneriis, & de Podio Tilleto, & de Fonte-Albo, ejusdem Bituricensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Villeriis Turonensis diœcesis, in quo sunt sexdecim Fratres. Habet annexas domos de Sausaie, & de Molinis, Bituricensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Bosco Rahesii, Turonensis diœcesis,

(*a*) *Utpote Exemptionis S. Candidi Senioris apud Rothomagum.*

(*b*) *Nunc de Infurcatura.*

cesis, in quo sint octodecim Fratres. Habet annexas domos de Monte Aussano, & de Claro-Folio, ejusdem Turonensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Pomerio-Acri, Turonensis diœcesis, in quo sint quindecim Fratres. Habet domos annexas de Fonte Maro, & de Boschero, Pictavensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Haya, Andegavensis diœcesis, in quo sint quatuordecim Fratres. Habet domum annexam de Credone, ejusdem Andegavensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Monte Guidonis, Cœnomanensis diœcesis, in quo sint quatuordecim Fratres. Habet domum annexam de Primauderia, Andegavensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Monnez, Andegavensis diœcesis, in quo sint quatuordecim Fratres. Habet domum annexam de Bello-Bilay, ejusdem Andegavensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Bersayo, Cœnomanensis diœcesis, in quo sint quatuordecim Fratres. Habet annexam domum de Habaudiere, ejusdem Cœnomanensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Quercu-Galonis, Sagiensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Bella Fago, ac de Altona, Carnotensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Bello Monte, Ebroicensis diœcesis, in quo sint quatuordecim Fratres. Habet domum annexam de Belleria, Sagiensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Bolonia, Carnotensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Cleriaco, & de Marmieco, Aurelianensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Loya, Carnotensis diœcesis, in quo sint octodecim Fratres. Habet domos annexas de Bosco Sancti Martini, & de Moincellis, ejusdem Carnotensis diœcesis, ac de Coudra, Aurelianensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Meynello, Parisiensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Belvaco, Belvacensis diœcesis, ac de Fontana, Rothomagensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Vincenis, Parisiensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Bona-Domo, Suessionensis diœcesis, & de Alneto, Senonensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Rerayo, Meldensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Vaytiaco, & de Saviniaco, Suessionensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Machereto Trecensis diœcesis, (a) in quo sint octodecim Fratres. Habet annexas domos de Atrien, ejusdem Trecensis diœcesis, de Maslona, Catalaunensis diœcesis, & de Ceitro Valleno, Lingonensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Podio Captatli, Pictavensis diœcesis, in quo sint octodecim Fratres. Habet domos annexas de Entresis, ac de Espandio, ejusdem Pictavensis diœcesis, & de Alta-Ripa, Turonensis diœcesis.

Prioratus Convent., de Vallolia, Pictavensis diœcesis, in quo sint octodecim Fratres. Habet domos annexas de Trosseja, ac de Bosco Pulvarelli, ejusdem Pictavensis diœcesis, & de Lobercio, Lemovicensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Querta, Pictavensis diœcesis, in quo sint octodecim Fratres. Habet domos annexas de Fonte Croso, de Anterua, ac de Fonte-Adæ, ejusdem Pictavensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Bosco-Alone, Pictavensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Chasseyo, & de Bona-Radice, Malleacensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Bendolia, Malleacensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Orbilerio, & de Rupe-Cervesia, Lucionensis diœcesis, ac de Diva, Pictavensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Sarmazia, Xantonensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Lancea, ejusdem Xantonensis diœcesis, ac de Barba-Torta, Lucionensis diœcesis.

Prioratus Conventualis de Jarrico, Xantonensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet domos annexas de Brolio, ac de Ursis, prædictæ Xantonensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Revello, Engolismensis diœcesis, in quo sint viginti Fratres. Habet domos annexas de Ranfeto, ac de Bello-Salto, Petragoricensis diœcesis, & de Gandaltero, Xantonensis diœcesis, & de Bosco Jejuno, Lemovicensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Fagia Jumiliaci, Petragoricensis diœcesis, in quo sint viginti duo Fratres. Habet domos annexas de Boisseto, ac de Bella-Sylva, ejusdem Petragoric. diœcesis, de Plania, & de Chernaco, ac de Podio-Gilberti, Lemovicensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Francorio, Caturcensis diœcesis, in quo sint viginti duo Fratres. Habet domos annexas de Caturco; de Degenbelee, ac de Bosco Minori, ejusdem Caturcensis diœcesis, & de Vaylleuis, Sarlatensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Defenso, Agennensis diœcesis, in quo sint sexdecim Fratres. Habet annexas domos de Ribayrola, ejusdem Agennensis diœcesis, ac de Sancta-Rosa, Lectorensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Garrigia, Agennensis diœcesis, in quo sint viginti duo Fratres. Habet annexas domos de Macmiaco, ejusdem Agennensis diœcesis, de Luco, de Bathuo, & de Landa, Burdigalensis diœcesis, ac de Breda, Petragoricensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Pinello, Tolosanæ diœcesis, in quo sint quatuordecim Fratres. Habet annexam domum de Loco Dei; Montis-Albanensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Monte Herbedonis, Magalonensis diœcesis, in quo sint septemdecim Fratres. Habet domos annexas de Salverico, Ruthenensis diœcesis, de Petrolo, Caturcensis, ac de Montibus-Ennicis, Avenionensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Viaya, Aniciensis diœcesis, in quo sint octodecim Fratres. Habet domos annexas de Bello-Joco, Lugdunensis diœcesis, de Gureia, ac de Blandona, Eduensis diœcesis, ac de Pruniolo, Claromontanæ diœcesis.

Prioratus Convent. de Chavano, Claromontanæ diœcesis, in quo sint octodecim Fratres. Habet domos annexas de Facto, ejusdem Claromont. diœcesis, de Grosso-Bosco Bituricensis diœcesis, & de Javaco, Lemovicensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Sancto Michaele, Lodevensis diœcesis, in quo sint quatuordecim Fratres. Habet domum annexam de Comberomel, Ruthenensis diœcesis.

Prioratus Convent. de Castaneto, Lemovicensis diœcesis, (b) in quo sint octodecim Fratres. Habet domos annexas de Porteriis, de Clusellis, de Majori Gorcia, & de Salmonaio, ejusdem Lemovicensis diœcesis.

Prædictorum omnium Fratrum numerus est septingentorum duodecim ex Bulla Joannis XXII. Antea erat octingentorum octoginta sex.

Finis Indicis Domorum.

GENERALES

ORDINIS GRANDIMONTENSIS,

Tam sub titulo Priorum, quam Abbatum, fuere numero quadraginta tres, ab anno 1076. qua Ordo incepit, usque ad præsentem annum 1671., & sedere cœperunt Priores nempe.

I.	SANCTUS STEPHANUS dicti Ordinis Grandimontis Institutor anno a Christo nato,	1076
II.	Petrus Lembvicanus,	1124.
III.	Petrus II. de S. Christophoro,	1137.
IV.	Stephanus II. de Liciaco,	1139.
V.	Petrus III. Petrus Bernardus,	1163.
VI.	Guillelmus de Trahingnaco, seu de Axia,	1170.
VII.	Garardus Itherius,	1188.
VIII.	Adamerus de Friaco,	1198.
IX.	Cetureinus,	1216.
X.	Elias Arnerdi,	1228.
XI.	Joannes de Aquila,	1239.
XII.	Ademerus II. de la Vernha,	1242.
XIII.	Guillelmus II. Dongres,	1245.
XIV.	Itherius Meruli,	1248.
XV.	Guido Archerii,	1260.
XVI.	Fulcherius Grimoardi,	1269.
XVII.	Petrus IV. de Caussaco,	1281.
XVIII.	Bernardus de Gandalmar,	1291.
XIX.	Guido II. Fulcheri,	1291.
XX.	Guillelmus III. de Prato-Manrelli,	1306.
XXI.	Jordanus de Rapistano,	1313.

Et hic fuit ultimus Prior.

(a) *Erectus in Abbatiam ann. Domini 1650.*

(b) *Nunc ibi sunt Moniales.*

AB-

ABBATES GENERALES

Sedere cœperunt anno Christi 1317.

XXII.	Guillelmus IV. Pellicerius, dicto anno *& primus Abbas.*	1317.
XXIII.	Petrus V. de Alberto, anno	1336.
XXIV.	Johannes II. Chabriti,	1347.
XXV.	Ademarus II. Erepi, vel Crispi, anno	1355.
XXVI.	Aymericus Fabri,	1378.
XXVII.	Ramnulphus, dictus Ithier a quibusdam, anno	1385.
XXVIII.	Petrus VI. Rodondelli,	1388.
XXIX.	Guillelmus V. de Fumello,	1437.
XXX.	Carolus Borbonius, Cardinalis, anno	1471.
XXXI.	Antonius Allemandi Episc. Caturcensis,	1477.
XXXII.	Guillelmus Briçonnet, Cardinalis, anno	1496.
XXXIII.	Sigismundus de Gonzaga, Cardin., anno	1507.
XXXIV.	Carolus de Finali, Cardinalis, anno	1513.
XXXV.	Nicolaus de Flisco, Cardinalis anno	1515.
XXXVI.	Sigismundus de Gonzaga, Cardinalis, anno.	1519.
XXXVII.	Franciscus de Nova Villa,	1525.

Hi octo fuere Commendatores. (XXX.–XXXVII.)

XXXVIII.	Franciscus II. de Nova Villa,	1561.
XXXIX.	Franciscus III. Marrandus,	1596.
XL.	Rigaldus de la Vaur,	1603.
XLI.	Franciscus IV. de Tautal,	1631.
XLII.	Georgius Barny,	1635.
XLIII.	Antonius II. de Chavaroche,	1654.

ADRIA-

ADRIANI PAPÆ IV.
EPISTOLA
AD STEPHANUM
DE LICIACO
PRIOREM GRANDIMONTENSEM,

Anno 1150. *ex Manuscripto Grandimontensi.*

Religio Grandimontensis ab eo commendatur, & approbatur, hæcque censenda est prima confirmatio Ordinis Grandimontensis.

ADRIANUS Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis STEPHANO DE LICIACO Priori Grandimontis. Salutem & apostolicam benedictionem.

Venerabiles fratres nostri Lemovicensis, & Caturcensis Episcopi, ad Sedem apostolicam venientes, religionem, & conversationem vestram multis laudum præconiis extulerunt, & magnam inde cordi nostro lætitiam, magnumque gaudium contulerunt. Nos vero, id quod prædictis fratribus nostris referentibus, de vobis gratum omnibus modis, & acceptum habentes; pium, & laudabile propositum vestrum, & sanctæ religionis fervorem, qui longe lateque diffunditur, & de vobis famose fertur, & publice prædicatur, plurimum in Domino commendamus. Verum quoniam, non qui incipit, sed qui perseverat in finem, virtutis præmium obtinebit, & quia bonum principium optimus semper debet exitus comitari: dilectionem vestram per apostolica scripta rogamus, monemus, & exhortamur attentius, ut in bono opere quod cœpistis, præeunte Divina gratia, inviolabiliter persistatis, & nihil sit, quod constantes, & viriles animos vestros a conditoris obsequio debeat aliquatenus retardare, sed pro laudabili conversatione vitæ, & sacræ religionis ardore, illud Divinæ scripturæ testimonium vobis possit non immerito adaptari, quo dicitur: laudabilis populus, cui Dominus benedixit dicens, *populus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel*. Confortamini ergo in Domino, & in potentia virtutis ejus, state fratres in fide, abjicientes opera tenebrarum, & induamini arma lucis, atque omnes antiqui hostis insidias divino comitante præsidio superate, calcate vitia, inhærete virtutibus, invicem diligentes, invicem supportantes, & mutuam in vobis metipsis caritatem continuam habentes, ita quod in nullo juxta Apostolum præsumatis, nisi tantum in Domino, & de Domino gloriari, sicut scriptum est, *qui gloriatur in Domino glorietur: non enim ille, qui seipsum commendat, ille probatur, sed quem Deus commendat.*

Nos autem, qui ex injuncto nobis officio universalis exempli fidelibus, & præsertim religiosis existimus debitores, vobis paterno providebimus caritatis affectu, & in opportunitatibus vestris, & ecclesiæ vestræ absque intermissione curabimus auctore Domino subvenire. Rogamus præterea caritatem vestram, quod supernæ majestatis clementiam pro nobis assiduis precibus exoretis, ut per suam ingentem bonitatem ecclesiæ suæ sanctæ nobis taliter præesse concedat, quod ad nostram, & fidelium populorum salutem debeat, atque in illo futuro examine divina voce mereamur audire: *Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Datum Lateranis VIII. Calen. April. Pontificatus nostri anno II., anno Domini nostri, MCLVI.

BULLA

BULLA ALEXANDRI PAPÆ III. AD GUILLELMUM PRIOREM GRANDIMONTENSEM,

Anno 1169. ex Manuscripto Grandimontensi.

Laborem in observanda regula loco pœnitentiæ, injungit, & confirmat institutionem additam regulæ pro castigatione excessuum.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis GUILLELMO priori, & fratribus Grandimontis. Salutem, & apostolicam benedictionem.

Quanto amplius tenemur religionis profectui congaudere, tanto libentius debemus, quæ ad regulæ vestræ observantiam pertinent, juxta desiderium nostrum, quod saluti proficit, effectui mancipare. Hac itaque ratione inducti omnibus regulam vestram servantibus, sicut in ordine vestro habetur, laborem loco pœnitentiæ, & in peccatorum suorum remissionem injungimus, quem in ipsa observantia patiuntur, institutionem quoque, quam ad castigationem vestram, post confirmationem felicis recordationis Adriani Papæ, prædecessoris nostri, regulæ vestræ salubriter addidistis, authoritate apostolica confirmamus, & futuris decernimus temporibus valituram.

Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Datum Tusculani VIII. idus Martii.

Reformatio Ordinis Grandimontis ab Honorio tertio Papa.

HONORIUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio... priori Grandimontis, ejusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum; Ad sopiendam materiam jurgiorum, quæ vestræ religionis quietem longo jam tempore turbaverunt, plures tam a nobis, quam a felicis recordationis Urbano, Clemente, Celestino, Innocentio, & aliis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indulgentiæ, ac privilegia emanarunt, quorum multitudinem ad compendium duximus redigendam, singula eorum capitula præsentibus complectendo, quibusdam exceptis per abjectionem, ut videtur, obtenuit, quæ vel regulæ vestræ contraria, vel inter se dissona videbantur, ac aliis de novo adjectis, prout paci, & tranquillitati vestræ vidimus expedire.

I.

De plena in temporalibus, & spiritualibus prioris potestate, & de obedientia sibi a suis subditis debita absoluta.

IN primis ergo statuimus, ut prior, qui pro tempore fuerit, plenam in spiritualibus, & temporalibus habeat potestatem, & omnes clerici, & conversi tam capitis, quam membrorum ei obediant absolute: idemque spiritualia cum clericis, temporalia cum conversis disponet. Veruntamen in ordinatione spiritualium, & temporalium licebit ei clericos, & conversos, quos voluerit, & magis idoneos viderit, advocare, & habere consilium eorumdem.

II.

IPse quoque prior cuilibet cellæ ordinis unum præficiat Sacerdotem, quem ad hoc idoneum viderit, penes quem de ipsius prioris mandato cura spiritualium tam circa clericos, quam laicos omnino resideat, & omnes eidem reverenter obedientes intendent; idemque Sacerdos corrigendi tam clericorum, quam laicorum excessus plenam habeat potestatem, ita tamen, quod nec curiosum a cura temporali deponere, nec aliquem ab ordine poterit removere, sed soli priori servetur.

III.

De contumacia fratris cujuscumque a correctore puniendi.

QUicumque autem, sive clericus, sive laicus, sive etiam curiosus, ejus correctionem accipere recusaverit, tribus diebus continuis ad terram comedat grossiori pane, & aqua, uno quoque pulmento tantum contentus; & si perseveraverit, ad priorem mittatur ejus arbitrio puniendus.

IV.

De Capitulo tenendo, & delictorum correctione, & verbi Dei propositione.

POrro ipse corrector semper diebus Dominicis, & festis post Primam, profestis vero diebus post Tertiam, & in æstate, post primam capitulum teneat, ad quod singulis diebus conveniant omnes clerici, & laici, qui poterunt convenire. Dominicis vero, & festis diebus conveniant omnes tam clerici, quam laici, eisdem omnibus corrector in ipso capitulo præsit, ubi proponat ipse corrector, sive alius verbum Dei; exponendo aliquid capitulum regulæ, aut aliud, quod ad animarum pertineat ædificationem, proponendo; idem corrector corrigat, & disciplinet, cum opus fuerit, omnes tam clericos, quam laicos, & statuta ordinis faciat ab omnibus observari; quæ omnia in ipso capitulo adimpleri volumus per priorem, vel alium, cui prior adduxerit injungendum: hoc moderamine in correctionibus observato, ut correctio illorum delictorum duntaxat, quorum emendatio, sine priore secundum statuta vestri ordinis fieri potest, per ipsum correctorem fiat: ita ut juxta ejus providentiam clerici per clericos, laici per conversos disciplinentur, ubi hoc excessus exegerint, & instituta ordinis requirent; nec ullus laicorum fratrum in confessionibus, & pœnitentiis, divinis officiis celebrandis, & corrigendis excessibus clericorum aliquam sibi auctoritatem usurpet, sed hæc omnia per priorem, & correctorem, sicut prænotatum est, impleantur.

V.

De confessionibus audiendis, & pœnitentiis injungendis.

QUæcumque peccata aliquis fratrum commiserit, alicui Sacerdoti, qui cum eo fuerit in sua cella, ea confitebitur, nec oportebit eum de necessitate cellam occasione confessionis dicendæ exire, & Sacerdoti licebit pœnitentiam injungere, iis peccatis exceptis, de quibus secundum statuta vestri ordinis, non nisi solus prior potest pœnitentiam injungere: de quibus tamen si manifesta non sint, presbytero, qui secum in cella morabatur, licebit pœnitentiam injungere confitenti.

VI.

De conventione Regis Francorum Philippi abrogata.

HÆc autem illibata volumus observari, non obstante conventione illa, quæ in præsentia charissimi in Christo PHILIPPI Regis Francorum illustrissimi, & baronum suorum, inter quosdam clericos, & conversos vestri ordinis facta fuit, cum ea statutis apostolicæ Sedis in pluribus adversetur: & ideo eam vires nullas volumus obtinere.

VII.

De cura temporalium committenda conversis.

CUram vero temporalium prior uni conversorum, quem discretiorem, & ad hoc magis idoneum viderit, in qualibet domorum exteriorum committat, qui eleemosynas, & alia bona domus recipiat, & ea in pios usus, ac necessitatem domus provida deliberatione convertat; hoc adhibito moderamine, ut curiosus iste majora negotia, ut pote ædificationes, emtiones, venditiones, obligationes,

tiones, ac debitorum solutiones numquam faciat, sine correctoris consilio, & assensu: idem curiosus de commissis sibi curis, & receptis omnibus, & expensis reddat ad minus singulis mensibus rationem omnibus fratribus in communi, vel si nequiverint omnes commode interesse, prudentioribus, quos corrector, & curiosus duxerint advocandos, redditurus nihilominus rationem priori, cum audire voluerit, & eis, quibus prior in hoc vices suas duxerit committendas.

VIII.

De clericorum mansione non mutanda, & excessibus clericorum nuntiandis priori.

CLerici per conversus mansionem non mutabunt, immo eorum mutatio de sola fiet voluntate prioris, licebit tamen converso curioso excessus clerici, qui secum degit, nuntiare priori, ut quod prior mandaverit, impleatur.

IX.

De tribus visitatoribus specialibus domus Grandimontis, & aliis generalibus visitatoribus ordinis.

AD amputandum quoque plenius audaciam excellendi, statuimus, ut presbyteri, qui de mandato prioris in domibus de Vicenis, de Bosco Raherii, & de Podio Caprarii cellis vestri ordinis, per tempus obtinebunt correctoris officium, sicut visitatores Grandimontis ecclesiæ speciales, in quoque semel in anno visitent ipsam domum, & corrigant in ea tam in capite, quam in membris, quæ corrigenda invenerint secundum Deum, & Grandimontensis ordinis instituta, & audiant de receptis, & expensis rationem, & eorumdem visitatorum consilio annuatim prior, sicut moris est, in generali capitulo provideat presbyteros idoneos, & discretos ad visitationem semel in anno per totum ordinem generaliter faciendam, qui bini & bini, uno converso assumpto, omnes cellas, ordinis cum tanta potestate, quantam eis prior concesserit, visitantes, corrigant, & reforment quæ secundum regulam, & instituta vestri ordinis, ac apostolicæ sedis statuta correctionis, & reformationis officio viderint indigere.

X.

De statutis capituli generalis servandis, & qui teneantur venire ad capitulum generale.

STatuta vero, quæ fiunt in generali capitulo, ab omnibus observentur; proviso, ut nulla fiant contra tenorem præsentis privilegii, vel regulæ instituta. Correctores, & curiosi singularum cellarum annuatim conveniant Grandimontem ad capitulum generale.

XI.

De appellationibus non recipiendis.

APpellationes autem, quæ fient contra statuta regularia, præcipimus non admitti.

XII.

De domus Grandimontis, quæ caput est, provisione.

DOmui vero Grandimontis, quæ est caput ordinis, ad arbitrium prioris, & etiam principalium visitatorum provideatur taliter de bonis mobilibus aliarum domorum, ut fratres de aliis domibus advenientes alibi necessaria quærere non cogantur.

XIII.

De domo Grandimontis destituta priore, & visitatorum potestate.

DOmo vero Grandimontis destituta priore, omnes tam clerici, quam laici totius ordinis, prædictis tribus visitatoribus ipsius domus obedient humiliter, & intendant, donec alius secundum regulam, bulla nostra munitam fuerit substitutus; ii quoque interim curam ipsius domus, & totius ordinis vice-prioris ita prudenter, & fideliter gerant, ut dignam rationem reddere possint Deo, & etiam substituto priori, si duxerint exigendam; tamen potestatem non habeant, aliquem de fratribus a suis locis interim amovendi.

XIV.

De venientibus ad hanc religionem recipiendis.

SAne ii, qui relicto sæculo ad ordinem vestrum confugerint, priori, qui pro tempore fuerit, & ejus successoribus catholicis, vel si prior non fuerit, futuri prioris nomine dictis visitatoribus obedientiam, & reverentiam absolute promittant.

XV.

De receptione, probatione, & professione novitiorum.

LIceat quoque vobis clericos, & laicos liberos, & absolutos e sæculo fugientes, dum modo juxta regulæ vestræ statuta, vicesimum annum attigerit, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione qualibet retinere.

XVI.

Quod nullus post votum possit discedere.

PRohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque prioris sui licentia de eodem loco discedere: discedentem vero, absque communium literarum cautione nullus audeat retinere; quod si quis forte retinere præsumserit, licitum sit vobis in ipsos clericos sententiam regularem proferre.

XVII.

Quod nullus habeat proprium, nec arcam.

NUllus præterea clericus, vel conversus umquam proprium habeat, nec etiam arcam.

XVIII.

Quod deposita in hoc ordine non recipiantur.

DEposita vero in ordine recipi prohibemus.

XIX.

De lecto prioris in dormitorio habendo.

PRior lectum suum habeat, dum sanus fuerit, in dormitorio, & dormiat cum fratribus.

XX.

Quod solus prior excommunicet fratres.

ILlud vero districtius prohibemus, ne aliquis clericus ordinis vestri, nisi prior, vel qui fecerit de mandato prioris, fratres suos excommunicare præsumat.

XXI.

De silentio, & claustro tenendo.

SIlentium vero tam in capite, quam in membris, in ecclesia, in claustro, in refectorio, in dormitorio ab omnibus continue observetur, & tam in capite, quam in membris, in quibus conventus fuerit, claustrum ita servetur, ut nullus exeat, nec loquatur alicui, sine licentia prioris, vel ejus, cui commiserit vices suas; in ipso autem claustro sub eadem observantia residant laici diebus Dominicis, & festivis; transgressor autem in capitulo verberetur, & pane, & aqua sit ipse die contentus.

XXII.

De signis habendis.

ET ut, quæ de silentio præmissa sunt, commodius valeant observari, statuimus, ut habeatis de cetero signa, quibus, cum expedierit, possit unus alteri, sine silentii fractione suam innuere voluntatem.

XXIII.

XXIII.

De cura committenda clerico significandi horas.

CUra significandi horas in singulis cellis, sicut & in capite, alicui fratri clerico committetur, qui ita provideat, ut omnia horis competentibus compleantur, ut fratres, qui fuerint in laboribus, ad collationem venire valeant competenter; ad quam vero collationem, necnon ad refectionem idem clericus campanam pulset, sicut & in capite prorsus amoto.

XXIV.

De custodia vasorum altaris.

VAsorum, & sacrarum vestium penes clericos erit conservatio, eorum videlicet, quæ ad quotidianum usum pertinent; alia vero vasa, & vestes in custodia unius clerici, & unius conversi consistant, quos ad hoc prior magis idoneos elegerit.

XXV.

De custodia librorum, regulæ, & privilegii.

LIbrorum omnium penes clericos erit conservatio. Regulæ vero, & præsentis privilegii, ut nihil possit addi, vel minui, unum volumen penes clericos esse volumus, & aliud penes conversos, & tertium in capitulo; prioris, & clericorum erit ecclesiastici officii ordinatio.

XXVI.

De protectione domus Grandimontis, & totius ordinis.

PRæterea domum Grandimontis, & loca vestra cum omnibus, quæ in præsentiarum juste, ac pacifice possidebitis, secundum regulæ vestræ instituta, vel in futurum secundum eamdem concessione Pontificum, largitione regum, & principum oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus: statuentes, ut ea firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant.

XXVII.

De tonsuris fratum.

PRæterea priori vestro, qui pro tempore fuerit, tonsurandi fratres vestros, & pannos eorum benedicendi licentiam indulgemus.

XXVIII.

De introitu principum in cellas.

CEterum si rex, vel episcopus, aut archiepiscopus, seu aliquis princeps cellas vestri ordinis intrare voluerit, secum tres, vel quatuor viros minime suspectos introducere possit.

XXIX.

De communitate in omnibus servanda.

COmmunitas, & æqualitas sit omnibus vobis tam clericis, quam conversis in cibo, & potu, & refectorio, & in dormitorio, & in communibus pannis, sine differentia vestimenti.

XXX.

De eleemosynis recipiendis, & earum datoribus publice nominandis.

ELeemosynæ, & eleemosynarum quantitas, earumque datores dicantur publice in singulis cellis, quibus datæ fuerint, eo, aut sequenti die, quo datæ fuerint, & sequenti hora tali, in qua possint omnes tam clerici, quam laici convenire.

XXXI.

De multiplicatione fratrum, & conversorum in cellis.

IN nulla vero cella de cetero, unus tantummodo frater clericus collocetur, sed ea potius in hoc adhibeatur discretio, ut ubi sex conversi, tres clerici, ubi octo conversi, quatuor clerici, ubi decem conversi, quinque clerici, ubi duodecim conversi, sex clerici ad minus statuantur; ubi vero duodenarius numerus excesserit conversorum, in arbitrio prioris existat multiplicare clericos, & conversos, pro ut visum fuerit expedire; hoc autem dicimus, si in ordine vestro tot clerici potuerint reperiri.

XXXII.

De exitu clericorum ad laborem.

SI vero clericis placuerit, ut exeant ad laborem, exeant cum conversis, & cum eis pariter revertantur; semper autem corrector, vel sacerdos loco ejus demissus in cella remaneat, ne desit aliquando sacerdos; quod si forsan clericus, vel conversus contra regulare statutum excesserit exeundo, contra eum, vel a clerico, vel a converso in capitulo proclametur, ubi tandem non judicetur per laicum, sed per correctorem presbyterum corrigatur.

XXXIII.

De mutatione fratrum.

PRohibemus insuper, ne clerici a cellis, in quibus recepti fuerint, sine causa transferantur honesta, & hoc ipsum cum fuerit faciendum, fiat provide a priore, adhibito sine præjudicio auctoritatis ipsius consilio clericorum.

XXXIV.

Quod fratres mutati nihil sine licentia ferant.

SI quando tamen ex justa causa fuerint transferendi, nec librum, nec scripturam, nec aliquid penitus secum ferant, nisi quantum eis fuerit de prioris concessione permissum. Sed nec conversi, cum eos mutari contigerit, aliquid secum ferant, sine prioris licentia speciali.

XXXV.

De decimis non solvendis.

SAne laborum vestrorum, quos infra metas vestras propriis manibus, aut sumtibus colitis, de terris habitis ante concilium generale, necnon de novalibus, nullus a vobis decimas exigere, aut extorquere præsumat.

XXXVI.

De consecrationibus altarium, & ordinationibus clericorum.

PRo consecrationibus vero altarium, & ordinationibus clericorum, seu pro Oleo sancto, vel ecclesiastico Sacramento, nullus a vobis sub obtentu alicujus consuetudinis, vel alio quovis modo audeat extorquere: sed hæc omnia gratis vobis a Diœcesanis episcopis impendantur; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, qui nostra fretus authoritate vobis, quod postulatis, impendat.

XXXVII.

De sententiis latis ab ordinariis in vos, vel mercenarios vestros non tenendis.

POrro si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in ecclesias vestras, vel in personas ibi constitutas excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod sicut dictum est, decimas non solvitis, sive aliqua occasione eorum, quæ a benignitate apostolica vobis sunt indulta; seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alii feriantur, sententiam

fentiam eamdem protulerint, ipfam tanquam contra Sedis apostolicæ indulta prolatam decernimus irritandam.

XXXVIII.

De pulfatione campanæ tempore generalis interdicti.

SAne cum locus vester longe fit ab hominum habitatione femotus, vobis præfenti pagina concedimus, cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis unius campanæ pulfatione fratres vestros competentibus horis ad ecclefiam convocare; hoc autem & in aliis locis vestris concedimus obfervari, qui a civitatibus, castris, ac vicis adeo feparantur, ut in eis fonus campanæ vestræ minime audiatur.

XXXIX.

De obfervatione, & præmio obfervationis Regulæ.

AD hæc omnibus regulam vestram fervantibus laborem loco pœnitentiæ in peccatorum fuorum remiffionem injungimus.

XL.

De statutis Regulæ, & Privilegii.

ET ut fitis contenti statutis regulæ vestræ, & hoc privilegio tantum; nos enim alia privilegia, five indulgentias decernimus non tenere.

XLI.

Quod nulli liceat ordinem perturbare, aut ejus possessiones auferre.

DEcernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam domum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, feu quibuslibet vexationibus fatigare; fed omnia integra conferventur eorum, pro quorum gubernatione, ac fustentatione, concessa funt, ufibus omnimodis profutura, falva Sedis apostolicæ auctoritate.

XLII.

De constitutione, privilegiis, & pœna transgredientium.

SI qua igitur in futurum ecclefiastica, fæcularifve perfona hanc nostræ constitutionis paginam fciens contra eam temere venire tentaverit, fecundo, tertiove commonita, nifi reatum fuum congrua fatisfactione correxerit, potestatis, honorifque fui careat dignitate, reamque fe divino judicio de perpetrata iniquitate cognofcat; & a Sacratiffimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni fubjaceat.

XLIII.

De fervantibus jura ordinis, quam mercedem habebunt.

CUnctis autem eidem loco fua jura fervantibus, fit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego HONORIUS catholicæ ecclefiæ epifcopus.

Ego LEO tituli S. Crucis in Jerufalem presbyter card
Ego GREGORIUS S. Anastafiæ presbyter card.
Ego THOMAS S. Sabinæ presbyter cardinalis.

Ego GUIDO Prænestinæ epifcopus.
Ego PETRUS Sabinenfis epifcopus.
Ego CONRADUS Portuenfis epifcopus.
Ego frater NICOLAUS Tufculanus epifcopus.

Ego GUIDO tituli S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus card.
Ego OCTAVIANUS SS. Sergii, & Bacchi diac. card.
Ego GREGORIUS S. Theodori diac. cardin.
Ego RAINERIUS S. Mariæ in Cofmedin diac. card.
Ego ROMANUS S. Angeli diaconus card.
Ego STEPHANUS S. Adriani diac. card.
Ego ALEBRANDINUS S. Eustachii diac. card.
Ego ÆGIDIUS SS. Cofmæ, & Damiani diac. card.

Datum Lateranis per manus Rainerii Sanctæ Romanæ eclefiæ vicecancellarii calendas Martii indictione VIII. ncarnationis Dominicæ anno MCCXVIII. Pontificatus vero Domini Honorii Papæ III. anno III.

COLLECTIO STATUTORUM

AD USUM ORDINIS GRANDIMONTENSIS EDITORUM.

Ex MS. Monasterii S. Nicolai Andegavensis.

INCIPIT PROLOGUS, SIVE PRÆFATIO IN STATUTIS DE PRIVILEGIIS INNOCENTII PAPÆ IV., ET CLEMENTIS V.

QUia Religiosi tunc conversantur quietius, cum Sedes Apostolica in ipsis discor-
diatum, & dissentionum (odia, &) ambitionem admioistrationum reprimit,
& pro qualitate temporis religionum disponit agenda : attendens Sedes ipsa,
quod idipsum, quod alias tempore exigente provide a prædecessoribus actum
fuerat, ex eo exigente contratium non improvide a successoribus revoca-
tur, videotibus interdum illud idem damnosum, & valde difficile in religionibus esse,
quod ante prosperum, & facile videbatur. Hinc est, quod cum tam de jure, quam ex
privilegio suprascripto Domini Johannis Papæ XXII., qui ad ambitionem administratio-
num Ordinis Grandimontensis tollendam, de sui sacri Collegii consilio, & Apostolicæ ple-
nitudine potestatis præfecit Abbatem in Monasterio Grandimontensi, gubernati jam dudum
solito per Priorem, & triginta novem conventuales Priores in domibus, & cellis Priora-
tibus unitis, quæ singulæ ex commissione Prioris, olim Grandimontensis, consueverant a
propriis cujuslibet ipsarum correctoribus, Abbati Grandimontensi, Prioribusque conventuas
libus dignitatis, & honoris, & prælationis nominibus insignitis major potestas, & aucto-
ritas competat, quam hactenus Priori Grandimontis, & domorum, & cellarum singula-
rum correctoribus pertinet. Constat quidem ex dicti privilegii tenore ipsum Papam Jo-
hannem ad fundandam, Deo auctore, in dicto Ordine perpetuam pacem, prædecessorum
suorum præcepta, statuta, ordinationes, seu editiones, contenta in suorum prædecessorum
privilegiis a suæ ordinationis, & reformationis ordine in punctis aliquibus deviantia,
quantum ad deviationem ipsam, & in quantum suæ ordinationi, & reformationi erant
contrariæ, revocasse, juribusque vacuasse omnino, & voluisse nullius firmitatis existere.
In aliis vero, quæ a sua ordinatione non deviant, ipsa suo robore statuens perdurare;
omissis ex Statutis privilegiorum felicis recordationis Innocentii Papæ IV., & Clementis
Papæ V., illis, quæ privilegio Johannis Papæ XXII. contraria sunt, illa ad quæ remit-
tit ipsius Johannis Papæ privilegium, & alia etiam quæ a dicto Johannis privilegio non
discrepant, & quæ olim Priorem Grandimontis, & correctores ipsius Ordinis concernebant,
& nunc pro qualitate temporis Abbatem Grandimontis, Prioresque conventuales, & fra-
tres dicti Ordinis universos adstringunt scripta inferius subsequuntur.

INCIPIUNT STATUTA EXTRACTA DE PRIVILEGIIS INNOCENTII PAPÆ IV., ET CLEMENTIS V., DE QUIBUS STATUTIS PRIMO PONUNTUR ILLA, AD QUÆ REMITTIT IN SUÆ REFORMATIONIS PRIVILEGIO JOANNES PAPA XXII. 6. 13. ET 23. CAPITULIS.

I.

De spiritualibus Visitatoribus Monasterii Grandimontis, & aliis totius Ordinis Innocentius Papa VI. universis fratribus Ordinis Grandimontis.

Ad hoc Capitulum remittit Johannes. Papa XXII. cap. 6.

AD amputandam quoque plenius audaciam excedendi, statuimus, ut presbyteri, qui in domibus de Vicenis, de Bosco Raherii, & de Podio Capraria, cellis vestri Ordinis Grandimontis per tempora correctoris officium obtinebunt, sint Visitatores Grandimontis ecclesiæ speciales.

Hi semel in anno visitent ipsam domum Grandimontis & corrigant in ea tam in capite, quam in membris, quæ corrigenda invenerint secundum Deum, & Grandimontis ordinis Statuta; & audiant de receptis, & expensis omnibus rationem; & eorumdem Visitatorum consilio annuatim pastor, sicut moris est, in generali capitulo provideat idoneos, & discretos presbyteros ad visitationem semel in anno per totum ordinem generaliter faciendam: qui bini, & bini, omnes cellas ordinis cum tanta potestate, quanta eis pastor concesserit, visitantes, corrigant, & reforment, quod secundum regulam, & instituta ordinis ac apostolicæ sedis statuta correctionis, & reformationis officio viderint indigere.

De dictis spiritualibus Visitatoribus.

CLEMENS V.

VIsitatores autem speciales domus Grandimontis omni anno ante generale capitulum visitent domum ipsam & tali tempore capitulum prævenient, quod plene, integre, & perfecte suam possint visitationem hujusmodi ante dictum capitulum complevisse, et audivisse de receptis, ac expensis dictæ domus omnibus rationem: ita ut statum pastoris, conventus, & domus prædictorum plane referre valeant diffinitoribus in capitulo generali.

Nullus etiam fratrum, qui sit de parentela pastoris, qui nunc est, vel qui pro tempore fuerit, usque ad tertium gradum, dictam domum visitet Grandimontis.

Nec de aliquo, quod ad officium visitationis dictæ domus pastoris, vel aliarum personarum, & bonorum ejusdem pertineat, se aliquatenus intromittat, etiamsi ratione domus, seu cellæ, quam regit, id pertineat ad eumdem; sed quamdiu ipsam domum reget, diffinitores alium idoneum, & non suspectum sibi subrogent, & constituant in hujusmodi officio loco ejus, & sic subrogatus cum reliquis, quibus ratione domorum, quas regunt, hujusmodi officium visitationis incumbit, visitet statutis temporibus, & omnia cum eis faciat, quæ ad visitationis officium pertinebunt. Ipseque taliter sic subrogatus visitet nomine, & vice illius visitatoris, qui erat de parente pastoris: & eadem parentela cessante per mortem, cessionem, vel depositionem prædicti pastoris, possit per seipsum hujusmodi visitationis officium exercere.

II.

De solvendis provisionibus in capitulo generali.

CLEMENS V.

Ad hoc capitulum remittit Johannes XXII. 13. cap.

QUia vero ex retardatis solutionibus pensionum, seu provisionum domui Grandimontis a cellarum correctoribus statutis temporibus solvendarum, hactenus domus prædicta magnum sustinuit, & adhuc sustinet detrimentum; statuimus, quod prædicti correctores suas provisiones easdem eidem domui debitas singulis annis solvant integre pastori Grandimontis in capitulo generali, cessante impedimento canonico, de quo in prædicto capitulo faciant plenam fidem; quod nisi tunc solverint, sententiam

excommunicationis incurrent: quam si per mensem animo sustinuerint indurato, ex tunc ipso facto suis administrationibus noverint se privatos. Facta vero solutione hujusmodi absolvendi eosdem a dicta excommunicationis sententia prædicto pastori concedimus potestatem.

III.

De expensis capituli generalis.

CLEMENS V.

Hoc statutum Joh. Papa XXII. approbat, & confirmat cap. 21.

AD relevamen tamen expensarum, quas facit domus Grandimontis annis singulis pro capitulo generali, quilibet corrector ad generale capitulum veniens pro expensis trium dierum dicti capituli generalis, ultra provisiones consuetas, & tallias, quas fieri contingat, pro se decem solidos Turonenses parvos, pro socio fratre, si secum illum duxerit, alios decem solidos, & pro quolibet equo, quem habebit in Grandimonte, similiter alios decem solidos ejusdem monetæ solvet.

Pro expensis vero festi Ascensionis Domini nihil solvent dictæ domui Grandimontis correctores, & fratres exteriorum cellarum. Quod si eodem transacto festo in domo ipsa remanserint quacumque de causa, ex tunc in antea totaliter sint expensæ suas, & nihil omnino de bonis dictæ domus ulterius ministretur eisdem, nisi solummodo illis, qui ex causa necessaria fuerint a pastore retenti. Et non solventes autem in capitulo, quæ sunt superius pro expensis dicti capituli ordinata, illas pœnas, quæ ordinatæ sunt superius contra non solventes provisiones domus Grandimontis: videlicet excommunicationis ipso facto; & si excommunicationem ipsam per unum mensem sustinuerint, privationis domus sibi commissæ, similiter ipso facto incurrant.

IV.

De esu carnium, & temporibus, quibus eis licet uti carnibus.

PRæcipimus insuper sub excommunicationis pœna pastori, & diffinitoribus capituli generalis prædictis, ut esum carnium tam in ipso monasterio, quam in membris ipsius omnino prohibeant, prout in regula continetur. Permittimus autem humanitatis causa, quod infra monasterium, & extra illud in cellis suis tantummodo, & non alibi, bis in septimana, scilicet die Dominica, & die Jovis hujusmodi esus carnium possit concedi. Et si dicta die Jovis eis carnibus uti non liceat, illa dies, in qua carnes comeduntur in septimana, præter diem Mercurii, loco habeatur illius. Sic tamen hujusmodi carnium esum concedimus, quod id fiat sine præsentia sæcularium, & secreta.

A festo vero omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, & a Septuagesima usque ad Pascha, & a festo Ascensionis Domini usque ad Pentecosten dictum esum carnium omnino prohibemus eisdem.

Ac illis diebus, quibus, uti præmittitur, carnium esus fratribus conceditur, ipsis sic ordinetur per eumdem pastorem, vel per eum, qui tenebit conventum loco ejus in dicto monasterio, & in cellis per correctorem, quod refectorium commune, in quo numquam consuetum est carnes edi, nec pulmentum conditum pinguedine carnium, decenti numero fratrum ad ipsius pastoris, vel correctoris arbitrium nullatenus deseratur. Si quis vero transgressor repertus fuerit, pro qualibet transgressione vapulet in capitulo, & in pane, & aqua sedens in solo refectorii refectionis tempore abstineat uno die. Et si sic correctus non se emendaverit, ab administratione amoveatur, quam habet; & si administrationem non habuerit, usque ad tres annos ad aliquam administrationem non assumatur. Et eadem volumus observari in illos, qui prædicta scivarint, & transgressores hujusmodi in capitulo non proclamaverint, vel aliter extra forum pœnitentialem Priori, vel ejus locum tenenti, vel aliis, ad quam spectat in ordine talium correctio,

ctio, quam citius commode poterunt, non duxerint revocandum.

V.

Quod nullus exeat clausuram domus, nisi ex causa legitima, & de majoris sui licentia.

CLEMENS V.

Ad istud capitulum remittit Johan. XXII. cap. 24.

NUllus etiam fratrum clericus, vel laicus, officialis, vel alius, ex aliqua causa exire audeat septa dicti monasterii, nisi urgente necessitate, vel evidenti utilitate ipsius monasterii, vel alia rationabili, & legitima causa. Et tunc de speciali pastoris, si præsens in monasterio fuerit, vel locum tenentis ipsius, absente pastore, petita licentia, & obtenta. De quibus pastor, vel locum tenens antequam hujusmodi concedat licentiam, se informet. Et tunc non petitum socium, sed alium honestæ conversationis fratrem concedat eidem, qui eundo, morando, & redeundo de die, & de nocte continue sit cum eo. Ac idem pastor, vel locum tenens terminum sibi præfigat, infra quem ad monasterium revertatur. Et si infra terminum ipsum non redierit, & nisi gravi tamen infirmitate corporis, vel alio justo impedimento cessante, & post terminum ipsum ultra septem dies sequentes moram traxerit; ex tunc pro fugitivo penitus habeatur, & fugitivi pœnam annalem incurrat in ordine consuetam.

Si vero infra septem dies reversus fuerit, in inferioribus sedibus chori sedeat per tres menses. Et per quot dies ultra prædictum terminum moram traxerit, per tot sextas ferias in capitulo verberetur, & in refectorio pane, & aqua contentus existat; quod quidem in cellis omnibus ordinis observetur.

VI.

De capitulo tenendo in Abbatia, & Prioratibus universis.

INNOCENTIUS PAPA IV.

POrro ipse corrector semper diebus Dominicis, & festivis post Primam: profestis vero diebus in hyeme post Tertiam, & post Primam in æstate capitulum teneat; ad quod singulis diebus conveniant omnes clerici, vel conversi qui poterunt convenire. Dominicis vero, & festivis diebus conveniant omnes tam clerici, quam laici, eisque omnibus corrector in ipso capitulo præsit: ubi proponat ipse corrector, sive alius verbum Dei, exponendo aliquod capitulum regulæ, aut aliud, quod ad ædificationem animarum pertineat, proponendo. Ipseque corrector corrigat, & disciplinet, cum opus fuerit, omnes tam clericos, quam laicos, & statuta ordinis faciat ab omnibus observari. Quæ omnia in ipso capite adimpleri volumus, per pastorem, vel per illum, cui pastor ipse id duxerit injungendum.

CLEMENS V.

DIctus pastor, vel capitulo præsidens corrigat in eo secundum regularem observantiam sine personarum acceptione, quæ repererit corrigenda, non obstantibus appellationibus, & reproclamationibus quibuscumque. Et hoc idem in cellis conventualibus faciant rectores. Sed si immoderata correctio fuerit, in generali capitulo per diffinitores ipsius capituli emendetur, vel etiam revocetur. Statuentes, ut nullus in capitulo, vel alibi in monasterio præsumat alium defendere, vel quasi tueri, etiamsi qualibet consanguinitate, vel propinquitate jungatur. Quod si quis transgressor fuerit, cum sit ausus sacri ordinis scindere unitatem, tribus diebus sit in pane, & aqua, & in capitulo verberetur. Et si qui procaciter, & protarve pastori, vel correctori suo, vel visitatoribus, seu diffinitoribus in correctionibus, vel aliis, quæ officio suo incumbunt, se opposuerint, aut illa facientibus consenserint, vel per se, vel per alios litteras, preces, insidias, aut auxilia potentum, aut sæcularium contra prædicta sibi procuraverint; in die Ramis Palmarum cum proprietariis, furibus, conspiratoribus, & aliis, qui die illa in capitulo excommunicari consueverunt, excommunicentur, & specialiter in prolatione aliarum sententiarum exprimantur, & in domo inobedientium extra quatuor domos regulares ponantur pane, & aqua contenti, quousque ad pastoris arbitrium satisfecerint de offensa.

VII.

INNOCENTIUS IV.

De confessionibus.

QUæcumque vero peccata quisquam fratrum commiserit, si manifeste venialia fuerint, alicui Sacerdoti, qui cum eo in sua cellula permanserit, poterit confiteri. Si super mortalibus certis, aut dubiis ad correctorem, vel ad eum, quem idem corrector deputandum duxerit, recurratur, qui unum ex fratribus ad id deputare teneatur idoneum, & discretum. Liceatque ipsi correctori eum ab hujusmodi removere officio, & alium, prout expedire viderit, subrogare.

Super illis autem criminibus, de quibus ad correctorem deputatus ab eo recurrendum putaverit, ipsemet peccator recursum habeat ad eumdem. Sicque non oportebit aliquem fratrem de necessitate cellam occasione dicendæ confessionis exire, sed corrector, & deputatus ab eo, ac Sacerdos prædicti injungant libere pœnitenti super suis excessibus, servata distinctione prædicta, pœnitentiam salutarem, his peccatis dumtaxat exceptis de quibus secundum statuta vestri ordinis non nisi solus pastor pœnitentiam injungere poterit: de quibus tamen, si manifesta non fuerint, correctori, qui cellæ suæ præerit, licebit injungere pœnitentiam confitenti.

VIII.

De capitulo generali tenendo in Grandimonte semel in anno.

CLEMENS V.

STatuimus, ut in monasterio Grandimontis generale capitulum anno quolibet celebretur, quod nullatenus omittatur, in quo pastor cum diffinitoribus corrigant, statuant, & reforment in ipso generali capitulo dicti ordinis, quæ corrigenda, statuenda, & reformanda viderint, tam in dicto monasterio, quam in membris. Et si omnes in unam sententiam concordare non possint, sententia valeat plurimorum.

Qui quidem diffinitores circa observantiam suarum ordinationum omnem cohortationem, si abeant, & ecclesiasticam censuram exerceant. Nec ab eorum correctionibus, statutis, & reformationibus, seu diffinitionibus alicui de ipso ordine liceat appellare.

Illi autem, qui pertinaciter, vel inobedienter resistent statutis, correctionibus, & diffinitionibus capituli generalis, & qui contentis eisdem præsument remanere, seu se intrudent in aliqua domo ordinis sæpedicti, seu ponent se sub speciali, seu generali gardia alicujus, ut fugiant capituli disciplinam: & qui per violentiam domum etiam sibi commissam per se, vel per alium invadere, vel occupare præsumpserint, sive ad prædicta invocare auxilium brachii sæcularis, sine dictorum pastoris, vel diffinitorum speciali licentia, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant: quam si per mensem contumaciter sustinuerint animo indurato, carceri mancipentur.

IX.

De juramento diffinitorum capituli generalis.

CLEMENS V.

JUrent autem pastor, diffinitores dicti ordinis in capitulo generali statim, cum diffinitores creati fuerint, in præsentia ipsius capituli stando, & tenendo manus suas ad pectus quod omni privata, & inordinata affectione remota, communi utilitate inspecta, secundum Deum, & conscientias suas audient, & diffinient sine personarum acceptione de casibus, qui ad eos pervenerint in dicto capitulo generali, & quod non revelabunt diffinitiones per eos factas, priusquam fuerint in ipso capitulo publicatæ.

X.

Ubi debeant comedere ad generale capitulum venientes.

CLEMENS V.

OMnes autem correctores, & fratres, qui de cetero ad generale capitulum venerint, insimul in communi refe-

fectorio comedant, una cum pastore, & ceteris de conventu, quamdiu durabit capitulum generale, & fint contenti cibariis pro se, feno, & avena pro equis antiquitus consuetis, nisi sint adeo debiles, & infirmi, quod bono modo non possint comedere in conventu, vel alia causa rationabilis id exposcat: & tunc de pastoris licentia in infirmitorio esse possint. Servitoribus etiam fratribus, quos secum duxerint, sint contenti: ita quod garciones, seu famulos suos, nec alios saculares, sive aliquos fratres de conventu Grandimontis in dicto infirmitorio introducant, nisi quos pastor ad serviendum duxerit deputendos, proviso quod nullus frater in hospitio dictæ domus Grandimontis dormiat, vel pernoctet.

X I.

Quod causæ ordinis extra ordinem non audientur.

CAusæ vero quæ inter personas dicti ordinis emergant, extra dictum ordinem minime audiantur: nec advocati, vel exteriores personæ super hoc aliquatenus admittantur.

X I I.

Quod nullus possit remittere penas, vel ordinationes capituli generalis.

CLEMENS V.

INhibemus siquidem, ne pœnitentias, pœnas, vel alia ordinata per diffinitores in capitulo generali pastor, vel aliquis alius audeat, vel possit ante tempus statutum a diffinitoribus in toto, vel in parte aliquatenus remittere, suspendere, vel etiam relaxare, nisi mortis, vel aliud grave corporis (incommodum,) vel alia urgens necessitas (contingat) interim imminere. Alioquin qui contra fecerit, recognoscat se in generali capitulo per diffinitores graviter puniendum.

X I I I.

De secretis ordinis non revelendis.

CLEMENS V.

SEcreta vero dicti ordinis, sive in consiliis, & tractatibus ordinis, sive in correctionibus, aut in pœnitentiis, aut aliis quibuscumque utilitatem ordinis tangentibus existant, nullus de ordine ipso sæculari, vel alterius ordinis personis, sine pastoris, vel diffinitorum licentia, vel correctorum de his, quæ in domibus suis aguntor, audeat revelare, alioquin ipso facto pœnam conspiratorum incurrat, & nihilominus ad aliquam administrationem, vel officium numquam in ipso ordine admittatur, nisi cum eo per generale capitulum, salva disciplina ordinis, ex causa rationabili, & legitima fuerit dispensatum.

X I V.

De Appellationibus.

INNOCENTIUS IV.

APpellationes autem, quæ fuerint contra statuta regularia interjectæ, præcipimus non admitti.

X V.

De mutuo contrahendo, & ordine obligando.

INNOCENTIUS IV.

PAci præterea, & indemnitati vestri ordinis providere volentes, omnimodam pastori obligandi eumdem ordinem absque consilio, & assensu totius, vel majoris partis capituli adimimus facultatem. Sed quia grave nimis esset, quoties imminerit contrahendi necessitas, generale capitulum convocare, permittimus, ut ab eodem capitulo, vel majori parte ipsius possint octo fratres ordinis ejusdem eligi, fide digni, qui una cum eodem pastore, vel major pars ipso pastore computato, si omnes concordare nequiverint, contrahendi mutuum, ac obligandi eumdem ordinem habeant ad tempus simpliciter, aut super certa summa, vel quocumque alio modo eidem capitulo visum fuerit, liberam potestatem.

X V I.

De dono vel munere magnæ quantitatis.

CLEMENS V.

INhibemus, ne aliqua persona dicti ordinis munus, vel donum notabiliter magnæ quantitatis, seu valoris ad damnum ordinis alicui faciat, nisi tractatu, & deliberatione habitis cum pastore, & diffinitoribus capituli generalis; alioquin si corrector, vel officialis alius fuerit, a sua administratione, sine spe restitutionis amoveatur omnino, & nihilominus in capitulo gravissime puniatur, & de hoc visitatores diligenter inquirant. Pastor autem si contra fecerit, per visitatores, prout eis videbitur, puniatur. Et si quis hactenus talia dona fecerit, studeat, & procuret modis omnibus, quibus poterit, & efficacem det operam, omni fictione, & simulatione remotis, ea ad ordinem, quam citius poterit, revocare, & recuperare, ipsumque ordinem juxta posse suum servare indemnem.

X V I I.

De mutuo ultra summam XXV. librarum non faciendo.

CLEMENS V.

NUlla etiam persona præfati ordinis mutuet alicui personæ, quæ non sit de ipso ordine, ultra summam XXV. librarum Turonensium parvorum sine pastoris consensu, & licentia speciali. Quod si aliquis hoc fecerit, illud revocet, & in capitulo generali per diffinitores graviter puniatur.

X V I I I.

De possessionibus, & nemoribus non alienandis.

CLEMENS V.

NUllus præterea corrector possessionem aliquam domus, quam regit, in emphiteosim perpetuam alicui tradat, sive permutationes faciat, aut nemora, quæ non consueverunt incidi in arboribus, seu lignis, seu proprietate rerum eorum, aut nemora cædua intra tempus consuetum vendat sine pastoris, & diffinitorum licentia, & assensu, excepto terrulis modici valoris, quasi infertilibus, quæ in emphiteosim ad certum censum tradi poterunt, communicato fratrum suæ domus consilio, & assensu; qui vero contrarium fecerit, per pastorem, & diffinitores in capitulo graviter puniatur.

X I X.

Quod domus ordinis de cetero non tradantur exterioribus personis.

DOmus autem, seu cellæ, quæ per fratres fænedicti ordinis in spiritualibus, & temporalibus secundum eorum scripta regularia, & privilegia sedis apostolicæ regi debent, non tradantur deinceps aliquibus personis, quæ non sint de dicto eorum ordine, in perpetuum, vel ad tempus, titulo donationis, obligationis, pignoris, vel alio quoquomodo, nec pensiones, seu provisiones dictæ domus Grandimontis a domibus, seu cellis forensibus annuatim debitæ alicui concedantur per pastorem quacumque de causa. Et si pastor contrarium attentare præsumserit, concessio hujusmodi non teneat. Et nihilominus ipse tamdiu ab ascensu gradus altaris, quem ex tunc sibi interdicimus, abstineat, quousque dictam concessionem revocaverit, & indemnem reddiderit ordinem supradictum.

X X.

De libris extra ordinem non tradendis.

CLEMENS V.

LIbri quoque domus Grandimontis nullo titulo concessionis, venditionis, vel alias tradantur, vel distrahantur, seu accommodentur alicui personæ, quæ non sit de ordine memorato, nec etiam alicui fratri dicti ordinis, nisi his, quibus usus librorum hujusmodi ad vitam, vel ad certum tempus a pastore concederetur ex causa.

Litteras autem sufficientes fratres, quibus usus librorum concedetur, tradant pastori, quod prædicti libri reddentur in Grandimonte usu prædicto finito. Et si qui traditi sunt, hactenus revocentur.

Illi sane qui mittuntur, seu transferuntur ad domos causa administrationis, seu regendi domum, vel alio modo morandi, libros, & alias res mobiles, quæ servando servari poterunt, & quæ sunt propria correctorum, vel fratrum, quas de licentia pastoris secum portent, vel alias ad suum usum ad tempus, vel ad vitam retineant, in scriptis redigant, seu redigi faciant, ac illam scripturam sub sigillo suo, si correctos fuerit; si frater simplex, sub sigillo sui correctoris, quod fideliter illas res custodiat, & non distrahat, quo usque post tempus sibi a pastore concessum, & finitum usum, reddentur dicto monasterio Grandimontis, ad æternam rei memoriam pastori tradentur eidem, ac scripturæ ipsa in libraria per custodem librorum diligentes custodiatus.

XXI.

De bonis ordinis non ponendis extra ordinem in deposito, vel commenda.

CLEMENS V.

INhibemus præterea, ne pastor, vel administrator, vel alius quispiam de dicto ordine pecuniam, aurum, argentum, libros, litteras testimoniales, aut alia bona dicti ordinis apud aliquem extra ordinem ipsum tradat in deposito, vel commenda, nec in fraudem, seu calumniam statuat, & inhibitionis hujusmodi in damnum ordinis ad hoc aliquem colorem exquiret, nisi hoc fecerit de licentia capituli generalis, vel necessitate urgente, & tunc fieri possit, scientibus correctore, & aliis illius domus fratribus depositum & valorem. Et si contingat ex causis prædictis talia deposita fieri, sola visitatoribus visitationis tempore reveletur. Si quis vero contrarium fecerit, sententiam excommunicationis, & nihilominus pœnas furis, & proprietarii ipso facto incurrat: a qua excommunicationis sententia absolvi non possit, donec tale depositum pro posse recuperaverit, & ipsum fratribus suis, vel majori parti manifestaverit, & ordinem, prout poterit, reddiderit indemnem.

Illi vero, qui penes aliquam personam, quæ non sit de ordine ipso, habent talia deposita, in præsenti injungimus, quod postquam hoc statutum ad notitiam ipsorum pervenerit, ea revocent integraliter infra mensem. Et ut dictum est, illa manifestent, & ordinem ipsum servent indemnem: alioquin sententiæ in vos simili modo latæ, & pœnæ subjaceant supra proxime memoratis. His vero compertis, pastori illos, & diffinitoribus pariter absolvendi concedimus potestatem.

XXII.

De faciendo inventario de bonis pastoris cedentis, vel decedentis, seu depositi.

CLEMENS V.

CEterum ubi pastor monasterii Grandimontis vellet libere cedere regimini monasterii supradicti, diffinitores in capitulo generali possint hujusmodi recipere cessionem.

IDEM CLEMENS V.

DE cetero autem pastore Grandimontis cedente, vel decedente, seu deposito, successor illius inventarium faciat de omnibus bonis prædecessoris sui, & dictæ domus Grandimontis, quibuscumque infra menses a tempore electionis, & confirmationem ipsius, in præsentia trium specialium visitatorum, & seniorum dictæ domus Grandimontis, pastoris, & visitatorum sigillo sigillatum: ac hujusmodi inventarium in loco tuto, ubi privilegia dictæ domus serventur, de cetero custodiatur, ne deinceps dicti monasterii bona valeant deperire.

Aurum quippe, argentum, gemmæ, anuli, libri, pecuniæ, jocalia, & alia notabilites pretiose relicta a prædecessore, & inventa, integraliter conserventur, & ponantur in thesauro monasterii, & non distrahantur, nisi in casibus, & forma a jure concessis, sicut nec immobilia ipsius ordinis bona.

XXIII.

De thesauro Grandimontis custodiendo.

CLEMENS V.

THesaurus etiam ipse custodiatur sub duabus clavibus in aliquo tuto loco: quarum unam teneat pastor, & aliam prior: Et nisi prior ad custodiendam unam de dictis duabus clavibus utilis videretur; speciales visitatores ipsius domus, vel major pars eorum possint de consilio officialium dictæ domus alii fratri sufficienti committere custodiam dictæ clavis.

XXIV.

De receptione novitiorum, & professione eorum.

INNOCENTIUS IV.

LIceat quoque vobis clericos, & laicos, liberos, & absolutos, e sæculo fugientes, dummodo juxta statuta regulæ vestræ vigesimum annum excesserint, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione qualibet retinere; qui per annum stent in novitiorum habitu, qui distinctus sit ab habitu professorum, vestibus, quas secum idem novitii sulerint, donec compleatur probationis terminus, reservatis. Et si tunc firmaverint in religione vivendi propositum, professionem emittant: alioquin receptis eorum vestibus, libere ad sæculum revertantur.

XXV.

Cujusmodi homines sunt recipiendi.

CLEMENS V.

NUllus etiam minor viginti annorum ad habitum novitiatus in dicto ordine recipiatur, sicut idem in regula ipsius ordinis continetur: nec in recipiendo aliquo minoris ætatis pastor dicti monasterii, vel aliquis alius de ordine ipso valeat dispensare. Caveatur tamen, quod recipiendus sit competentis litteraturæ, quod ad minus sciat legere, & cantare, & quod sit bonæ famæ, nec sit notabiliter corpore viciatus.

XXVI.

Qualiter novitii sint tempore novitiatus sui instruendi, & per quem modum debent profiteri.

CLEMENS V.

NOvitiis autem locus, sive cella specialiter deputetur, in qua morentur usque ad caput anni, & addiscant psalterium, & signa: quibus deputetur magister senex bonæ conversationis, qui eos instruat in prædictis, & confessiones eorum audiat, & capitulum eis teneat, & corrigat in loco prædicto omni die, hora, qua sibi videbitur expedire: & in silentio eos informet, & in omnibus aliis, ad quæ professi fratres tenentur.

Iidem vero novitii intersint in ecclesia omnibus horis canonicis diurnis pariter, & nocturnis, & aliis divinis officiis in ecclesia, & alibi in monasterio celebrandis: nec per fratres ad aliquas occupationes vocentur, seu etiam distrahantur: nec signo, nutu, vel verbo alicui fratri loquantur, nisi magistro suo, nec alii fratres eisdem: nec loquantur etiam alicui sæculari, vel alterius religionis fratri, nisi de pastoris, vel ejus locum tenentis licentia; & tunc magistro suo præsente, ac etiam audiente. Nec extra domum Grandimontis, vel domum conventualem, in qua recepti fuerunt, per totum annum probationis audeant pernoctare.

Omni vero die intrans capitulum fratrum, sedentes ultimi in inferioribus locis: & lecto capitulo regulæ, capite suo ob reverentiam sanctæ Crucis, & residentium inclinantes, recta via ad cellam propriam revertantur, nisi sermo tunc fieret in capitulo, cui poterunt interesse.

Magister autem eorum infra hujusmodi annum probationis distincte, & intelligibiliter, totam regulam bis, vel ter ex integro legat eis, & si necesse fuerit, in vulgari exponat eamdem.

Finito vero probationis anno, veniant ad capitulum more solito, & cum aliis, quæ consueverant interrogari, interrogentur a præside, utrum audierint regulam, & velint & pos-

& possint eam tenere. Et si dixerint, quod sic, cum auxilio Dei, & fratrum orationibus, & recipiantur ad professionem modo subscripto, videlicet, ut si sciant scribere, manu propria in cedula verba suæ professionis scribant: vel si nesciant scribere, scribi eam faciant, & scriptam cedulam coram omnibus profiteantur in hunc modum:

Ego frater N. clericus, promitto stabilitatem & conversionem morum meorum, & obedientiam secundum regulam B. Stephani confessoris, coram Deo, & Sanctis ejus, in hoc monasterio, quod vocatur Grandimont, constructo in honorem Beatæ MARIÆ semper Virginis, & præfati B. Stephani confessoris, & omnium Sanctorum Dei, in præsentia Domni N. Abbatis, vel prioris.

Quo facto, si ipse cedulam non scripserit, in fine cedulæ crucem pro signo cum penna & incausto faciat: quam cedulam postea offerat in altari, pastore ipsam recipiente & eam cantori ipsius monasterii tradente, ad æternam rei memoriam in sanctuario ipsius monasterii reponendam. In aliis vero formam professionis tangentibus solemnitas consueta in dicto monasterio penitus observetur: hoc addito, quod postea illa eadem die, vel saltem in crastinum ipsius diei in ecclesia dicti monasterii sibi gradus assignetur post eos, qui ante eum venerant, nisi tam veneranda persona sit, cui per pastorem altior gradus merito deputetur: quem gradum semper tenebit, tam in choro, quam in mensa, capitulo, processionibus, & aliis quibuscumque locis nisi propter culpam suam ab illo contigerit degradari eumdem.

Quibus omnibus sic peractis, per duos menses remanebit sub disciplina magistri sui, qui docebit eum in omnibus, quomodo se habere debeat inter fratres, cellam tamen novitiorum sine licentia post professionem hujusmodi non intrabit.

In receptione autem conversorum, nec in modo professionis eorum solito nihil mutemus, nisi quod observent formam professionis superius jam expressam: qua prolata per se, si sciant, sive alio in locum signum memoratum faciens in sua cedula: & postea cedulam professionis suæ, sicut fratres clerici, offerant in altari.

XXVII.

Quod nullus post votum possit discedere.

INNOCENTIUS IV.

PRohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque pastoris sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem absque communi literarum cautione nullus audeat retinere; quod si quis forte retinere præsumpserit, licitum vobis in ipsos clericos, vel conversos proferre sententiam regulariter.

XXVIII.

Quod nullus habeat propriam, arcam, vel armarium, nisi habeat officium.

INNOCENTIUS IV.

NUllus præterea clericus, vel conversus numquam proprium habeat, nec etiam arcam, nisi administrationem habeat: cui arca sit ad custodiendum sibi commissum officium opportuna.

CLEMENS V.

INhibemus insuper, ne aliquis frater conventualis, vel discipulus forensis sine pastoris, vel proprii correctoris licentia, arcam, armarium, vel capsam propriam habeat, nisi cui ex officio administrationis sibi commisso debetur. Quod si pertinaciter contradixerit, ipso facto tamquam proprietarius censeatur, & proprietarii pœnam incurrat, ac nihilominus evitetur ab omnibus, donec a pastore juxta suum arbitrium regulari pœnitentia sibi imposita, & peracta, absolutionem meruerit obtinere.

XXIX.

Quod deposita non recipiantur.

INNOCENTIUS IV.

DEposita in ordine vestro deinceps recipi prohibemus.

XXX.

De lecto priorum.

INNOCENTIUS IV.

PRior lectum suum habebit in dormitorio, & dormiat cum fratribus, dum sanus fuerit.

XXXI.

De modo, & genere lectorum.

CLEMENS V.

NUllus præterea de ordine ipso in dicto monasterio, vel cellis etiam jaceat in linteaminibus, vel culcitra de plumis, exceptis graviter infirmantibus, qui in infirmitorio commorantur. Transgressores priventur eisdem, & regulari subjaceant disciplinæ.

XXXII.

De silentio in claustro tenendo.

INNOCENTIUS IV.

SIlentium vero, tam in capite, quam in membris, in ecclesia, in claustro, in refectorio, & dormitorio ab omnibus continue observetur, & tam in capite, quam in membris in quibus conventus fuerit.

Claustrum ita servetur, ut nullus exeat, vel loquatur alicui sine licentia pastoris, vel correctoris illius cellæ, in qua moratur, aut ejus, cui idem pastor, vel corrector commisit vices suas. In ipso etiam claustro sub eadem observantia resideant laici diebus festivis, & Dominicis. Transgressor autem in capitulo verberetur, & pane, & aqua sit ipsa die contentus.

Item de silentio.

CLEMENS V.

STatuimus nihilominus, ut in monasterio Grandimontis, & etiam in cellis, in quibus conventus extitit, tam in ecclesia, quam in claustro, dormitorio, refectorio & omnibus aliis locis dicti monasterii a completorio, usque ad primam sequentis diei, ab omnibus fratribus, tam clericis, quam conversis inviolabiliter silentium observetur, sicut alias in regula S. Stephani confessoris, & in privilegio felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri, & quorumdam reformatorum dicti ordinis statutis injunctum extitit, licet modernis temporibus male fuerit observatum.

Et quia dignum est, ut quos Dei timor, & salubria majorum monita a malo non revocant, statim coerceat severitas ecclesiasticæ disciplinæ, statuimus, ut quicumque frater de fractione dicti silentii considerata facta reus inventus fuerit, pro transgressione qualibet sine misericordia, & dispensatione sit una die in pane, & aqua, & in capitulo verberetur, nisi prius completa parte pœnitentiæ potus aquæ, & aliorum ciborum abstinentiæ de vera humilitate pœnitentis, & de ipsius firmo proposito emendandi pastori, vel ejus locum tenenti, fore cum eo super residuo pœnitentiæ videbitur dispensandum. Et si, iterus sic correctus non emendaverit, pro qualibet transgressione per duos dies in solo refectorii, aliis comedentibus, sedens, pane grosso familiæ, & aqua contentus existat, ac illis duobus diebus in capitulo vapulet, nec super his a pastore, vel alio præsidente valeat dispensari, majori pœna per pastorem ulterius puniendus, si hoc meruerit protervitas contumacis.

XXXIII.

Iterum de silentio in domo Grandimontis.

CLEMENS V.

CUm vero horæ canonicæ in ecclesia Grandimontis decantantur, infra subscriptos terminos, vel a Completorio usque post primam diei sequentis, aliquis fratrum cum aliquo non loquatur. Sed si urgens necessitas, vel evidens utilitas monasterii postulaverit, tunc fratres inter se priore, vel ejus locum tenente præsente, & vi-

dente

dente, fina tamen fæculati, vel alterius religionis religiosis, de ipsius priotis, vel ajus locum tenentis liceotie speciali licita loqui poteruor extra ecclesiam, claustrum, dormitorium, & refectorium infre tarmitos, qui sequuntur quos præfigimus, & limitamus eisdem, cidelicar portam, quæ est sub granetio avenæ, & ostium juxta elaemosynariam, per quod itur a majori posta versus hospitiom, & ostium per quod est introitus ed domum, & hortum de Bazas, & passum, qui est post pitautiariam; qui passus tengit ex une paste pitaosarism, & ax alia parte primm pilam refectorii versus cequinam, & portam cellarii, quæ aespicit ad granerium.

Extre vero dictos terminos intar se, vel cum aliis quibuscumque loqui putarunt sina pastoris, vel locum tenentis præsentia, dum tamen specialem Iicentiem ab ais ex aliqua causa legitime habuerine dictos terminos exeundi. Modesta tamen, & ædificative hoc faciant, mulieribus, & aliis personis suspectis peoitus avitatis.

X X X I V.

De signis kabendis.

INNOCENTIUS IV.

ET ut qoæ de silentio præmissa sont, commodias caleent observari, statuimus, ut habeetis de cetero certu signu, quibus cum eapedierit, possit unus alterius sine silentij læsione suam innuara coluntatem.

CLEMENS V.

FRatres si quidem, tam intrinseci, quam axtrinseci sigoe ominis eddicane secundum morem Cistereiensis ordinis, vel alias, siant eis videbitur expedire; quibus signis pro loquela utantur, ut possint sileotium melius observare, sicut suitalias constitutum, & mela observatum, & hoc faciant infra proximum sequens capitulum generele: & interim eo tempore, loco, & causa, loqui poterunt, quibus per Abbates da Salviuiaco, & de Mazeriis, su sive coilegas olim detes reformatores in dicto ordine, auctoritata apostolica extiterit ordinatum.

X X X V.

De cura significandi horas.

INNOCENTIUS IV.

CUram significandi hores in singulis cellis, sicut & in capite alicui fratre clerico committatur: qui ita provideat, ut omnia hores competentibus compleantur, & fratres qui fuerint in laboribus, ad collationem convenire valeant competenter: ad quam collationem, nec non ad refectionem, idem clericus campanam pulset, sicut & in capite Tusco prorsus amoro.

XXXVI.

De custodia vaserum altarium, & sacratum vestium, & librorum.

INNOCENTIUS IV.

VAsorum quoqua alteris, & sacrerum vastium penes clericos erit conservatio, eorum cidelicet, qeæ ad cotidianum usum pertiuent; alia vero vesa, & sacræ veces in custodia unius clerici, & unius conversi consistanr, quos corrector ad hoc magis idoneos elegerit: cui liceat aos ab hujusmodi custodie, cum axpedire viderit, amovare. Aliis, ut prædictum est in aedem custodia protinus subltitutis. Librorum omnium penes clericos erit conservatio.

XXXVII.

De protectione domus Grandimontis, & totius ordinis.

INNOCENTIUS IV.

PRæterea domum, & loca vastra cum omnibus, quæ in præsentiarum juste, & pacifice possidetis, secundum vestræ regalæ instituta, cal in futurum secundum eamdem concessiona pontificum, largitione regum, vel principom, oblatione fidelium, seu ab aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, Beati Patri, & nostra protactiona suscipimus, & præsentis scripti pricilegio communimus: statuentes, ut aa omnia vobis firma, vastrisque successoribus illibata permaneant.

X X X V I I I.

De introitu principum in cellas vestras.

INNOCENTIUS IV.

CEterum si rex, vel erchiepiscopus, aut episcopus, sive aliquis princeps, cellas castri ordinis introire coluerit, secum quatuor viros minime suspectos introducere possit.

X X X I X.

De communitate, & æqualitate in omnibus observanda.

INNOCENTIUS IV.

COmmunitas, & æqualitas sit omoiboe vobis, tam clericis, quem conversis in cibo, in potu, in refectorio, & dormitotio, & da communibus pannis sine differentie vestimentorum.

X L.

De locis in quibus fratres debent comedere, vel bibere.

CLEMENS V.

FRatres atenim, qui de convento eront, in loco aliquo comedere, val bibera, nisi io refectorio, non præsument. Et illi qui erunt in infirmaria solum bibant, & comedant in aadem, nisi pastor in aula sua vel cameaa aliquos secum duxerit invitendos.

X L I.

De refectionibus sumendis, & jejuniis ordinis observandis.

FRatres vero diebue illis, quibus non jajunent, duobus refectionibus sior contenti, debilibus, & infirmis dumtaxat axcaptis. Qui contrarium fecit, proclemetur in capitulo, & regulari subjaceat disciplinæ. Jejunia vero per ragulem, & statuta dicti ordinis instituta, volumus ab omnibus præter debiles, & ægrotos irrefragabiliter observari

XLII.

De stopaciis, & uniformitate vestium.

CLEMENS V.

INhibemus denique, ne aliquis da præfato ordine camisiam deferat de lino, vel da canepo, siva alies delicatam quamcumque, sed grossem de stupis, sicut in ordine ipso eb antiquo extitit consuetum. Transgressores autem verberentur in capitulo, & quamdiu eas portaverint, abstineant a quacumque pitantia, & pulmento.

Statuimus præterea, quod universi, & singuli fratres dicti ordinis, tam intus, quem extra, vestes uniformes deferent, & coloris ejusdem, nec sint nimium pretiosæ, vel notebiliter curiosæ; sed antiquus modus, tam in pauno, quam in colora, scissure, sutura, longitudine, & latitudina, ac aliis vestibus ipsis totalitar observetur, nec excutetur, etiamsi fuerint sibi datæ. Si quis autem contrarium fecerit, privetur dictis vestibus per illum, cui incumbit ejus correctio, & ipsæ vestes per eam in alios pios usus expendantur, ac nihilominus ad ejus arbitrium puniatur. Visitatores autem cum visitabunt, de his diligenter inquirant, & si quos culpabiles repererint, puniantur, ut est dictum. Si vero visitatores ipsi in hujusmodi correctione fuerint negligentes, in generali capitulo proclamentur; & si culpabiles inventi fuerint, ad visitatorum, vel diffinitorum officium per duos annos continuos nulletenus assumantur.

XLIII.

Quod nullus deferat rotundellos, vel vestes sæculares, aut alterius ordinis cujuscumque.

CLEMENS V.

NUllus etiam de dicto ordine itinerando, vel alias quoquomodo portet desuper rotondellos, clochias, tabardos, vel vestes, alias sæculares, seu alterius religionis cujuscumque; & si contrarium fecerit sine causa rationabili, vel legitima, si corrector fuerit, vel aliam administrationem habens, ipso facto sit ea privatus. Et si administrationem non habeat, ad aliquam administrationem infra tres annos minime assumatur.

XLIV.

Quod nulli fratri detur pecunia pro vestitu.

CLEMENS V.

INhibemus insuper, ne deinceps corrector, vel aliquis quispiam administrator, pro vestitu dari fratribus consueto, pecuniam alicui ex fratribus dare præsumat, cujuscumque quantitatis; sed de vestibus ipsis eisdem provideat suis temporibus, sicut ab antiquo est in ordine consuetum. Qui vero contrarium fecerit, pecuniam datam perdat, & nihilominus induere eum, cui pecuniam dederit, sine remissione aliqua suis sumtibus teneatur. Quod si contigerit eum sic vestitum infra annum mutari, ille corrector ad cujus domum transferetur, pro rata temporis satisfaciat correctori, a cujus domo mittitur, qui eum induerit de vestibus memoratis.

XLV.

Cujusmodi liceat Sotulares portare.

CLEMENS V.

DE cetero quidem aliqui de ordine supradicto, non portent sotulares, qui non ascendant pedis cavillam, vel etiam cum nodellis, sed largos, & longos usque prope genu sine curiositate, qualiter secundum modum in dicto ordine antiquitus observatum. Et qui contrarium fecerit, quamdiu eos portaverit, absque misericordia in pane, & aqua existat.

XLVI.

Quod fratres sint ordinati in zonis, bursis, & cultellis.

CLEMENS V.

DE cetero zonas, auro, vel argento ornatas, sive de serico consutas, vel alias pretiosas, aut curiosas, bursas etiam de serico ornatas, cultellos cum manubriis lapidis pretiosi, vel alterius materiæ notabilis, vel pretiosæ, vel cum ornatu auri, vel argenti in ipsis cultellis cum manubrio, sive cum laqueo de serico, nullus de ordine secum portet, nec cultellum cum cuspide, vel ultra longitudinem unius palmi deferre præsumat. Et qui contrarium fecerit, quamdiu prædicta, vel aliquod prædictorum secum detulerit, vel retinuerit, a vino abstineat, & sit aqua pro potu contentus, acrius puniendus, si non emendaverit, sæpius sic correctus.

XLVII.

Quod nullus infra unam leucam a Domo Grandimontis, vel a cella propria comedat aut pernoctet.

CLEMENS V.

INfra unam leucam tamen a domo Grandimontis, vel a cella propria nullus de ordine comedere, vel pernoctare præsumat, nisi de pastoris, vel correctoris licentia speciali. Transgressor autem pro transgressione qualibet, in pane, & aqua abstineat una die, & in capitulo verberetur.

XLVIII.

De cura infirmorum, & debilium.

CLEMENS V.

PRior denique, correctores, & curiosi, & infirmarii monasterii, & cellarum prædictarum, summam curam, & diligentiam habeant de infirmis; & tam in medicis, ac medicamentis, victualibus, lectis, servitoribus, quam aliis necessariis, provideant sufficienter eisdem; alioquin si negligentes reperti fuerint, per vos, ad quos spectat correctio, emendetur, & illi acerrime puniantur.

XLIX.

De anniversariis, & eis, quæ leguntur pro ipsis faciendis.

CLEMENS V.

EA vero quæ legantur, vel donantur a fidelibus pro anniversariis in die obitus alicujus faciendis in dicto monasterio, vel in membris prædictis, communicentur, & distribuantur æqualiter in victualibus, tam conventualibus fratribus, quam infirmis. Et servitium pro eis faciendum sua die commune, & singulare nullatenus a fratribus omittatur. Et si legatum, vel donatum pro anniversario sit viginti solidorum, vel ultra, non conjungantur duo anniversaria, vel plura una, & eadem die ad expendendum, sed sua die eorum quodlibet expendatur. Et hoc Prior, & locumtenens, & visitatores in domibus, quas visitabunt, faciant observari; alioquin in generali capitulo graviter puniatur.

Si quæ vero res mobilis, vel pecunia, sive alias res donentur, vel relinquatur in monasterio, vel in membris ejusdem ad anniversarium faciendum, vel ad emendum reditus, pro illo taliter donante, vel relinquente, prædicta res donata, vel relicta in alios usus minime convertatur, vel etiam expendatur; sed fiat de ea, secundum quod ordinaverat, qui legavit eamdem. Et si quid hactenus sic legatum, vel donatum, distractum, vel in alios usus conversum sine voluntate conventus fuerit, & ipsi conventui non fuerit satisfactum: quam citius commode fieri poterit, emendetur, & deinceps juxta ordinationem donantis, vel legantis sine fraude aliqua observetur.

L.

De eleemosynis recipiendis.

INNOCENTIUS IV.

ELeemosynæ, & eleemosynarum quantitas, earumque datores dicantur publice in singulis, quibus datæ fuerint, cellulis, eo, aut sequenti die, quo datæ fuerint, & tali hora, in qua possint omnes fratres tam clerici, quam laici convenire.

LI.

Quod nullus fratrum exeat primam clausuram a parte interiori domus sine licentia.

INNOCENTIUS IV.

AD hæc nulli clerico, vel converso liceat etiam primam a parte interiori clausuram exire absque licentia correctoris. Attamen curiosus, sed non sine socio, quem sibi corrector deputaverit, exeat libere infra ulteriores dumtaxat metas, cum pro utilitate domus viderit expedire.

LII.

Quod nullus claustrum exeat sine licentia, & de portæ claustralis custodia.

CLEMENS V.

EXtra portas quidem claustrales ex quacumque parte fratres non exeant, præter portam cœmeterii, quam exire poterunt pro mortuis absolvendis: nec intrent coquinam scriptoriam, vel alias officinas, sive habitacula sine pastoris, vel locumtenentis licentia speciali, illis, quibus incumbit ex officio, dumtaxat exceptis. Et qui super hoc reus inventus fuerit, in capitulo verberetur, & pul-

mento,

mento, ac pittantia careat illa die, acrius puniendus, si de hujusmodi evagatione sæpius correctus se noluerit emendare.

In porta claustrali frater maturæ ætatis, & honestæ conversationis ad custodiam assignetur; qui non permittat sæculares, vel alios indifferenter intrare, ipsamque portam clausam teneat, nisi ex causa rationabili eam oporteat aperiri. Et si aliquis, qui de ordine ipso non fuerit, petat aliquem fratrem, loqui volens eidem, vel litteram, seu aliquid aliud sibi portet, custos vadat ad eum, qui tandem inventus, de Prioris, vel ejus locumtenentis licentia ad talem exeat, & valeat sibi loqui; sed litteram sibi missam aperire non præsumat, nisi antea pastori, vel ejus locumtenenti exhibita fuerit, & sibi ab eo legendi eam licentia concedatur. Quod si quid aliud sibi missum fuerit, illud non recipiat, sine pastoris licentia, vel locumtenentis ejusdem.

LIII.

De exitu clericorum ad laborem.

INNOCENTIUS IV.

SI vero clericis placuerit, ut exeant ad laborem, exeant cum conversis, & cum eis pariter revertantur: obtenta tamen, ut dictum est, licentia correctoris. Semper tamen corrector, sive Sacerdos loco ejus dimissus in cella remaneat, ne desit aliquo modo Sacerdos. Quod si forsan clericus, vel conversus contra regulare statutum excesserit exeundo contra eum, vel a clerico, vel a converso in capitulo proclametur; veruntamen non judicetur per laicum, sed per correctorem presbyterum regulariter corrigatur.

LIV.

De mutatione fratrum.

INNOCENTIUS IV.

PRohibemus insuper, ne clerici a cellis, in quibus fuerint, sine causa transferantur honesta. Et hoc ipsum cum fuerit faciendum, fiat provide a priore, habito sine præjudicio auctoritatis ipsius discretorum consilio clericorum.

LV.

Quod fratres mutati nihil faciant sine pastoris licentia.

INNOCENTIUS IV.

SI quando autem ex justa causa fuerint transferendi; nec librum, nec scripturam, nec aliquid penitus secum ferant, nisi quantum eis fuerit de pastoris concessione permissum. Sed nec conversi, cum eos mutari contigerit, aliquid secum ferant sine pastoris licentia speciali.

CLEMENS V.

FRatres vero causa permutationis administrationum suarum, vel translationis, sive definitionis, vel alias per obedientiam de cella ad cellam a priore mutari, nihil secum ferant, sine pastoris licentia speciali, prout in privilegio dicti prædecessoris nostri Innocentii plenius continetur. Adjicimus tamen, quod si contra fecerint, tamquam proprietarii, & fures, ac ulterius, prout pastori videbitur, puniantur.

LVI.

De Decimis.

INNOCENTIUS IV.

SAne laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumtibus colitis, tam de terris cultis, quam incultis, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

INNOCENTIUS IV.

SAne laborum vestrorum, quos infra metas vestras propriis manibus, aut sumtibus colitis, de terris habitis ante concilium generale, nec non de novalibus nullus a vobis decimas exigere, aut extorquere præsumat.

LVII.

De consecrationibus altarium, & ecclesiarum, ac ordinationibus clericorum.

INNOCENTIUS IV.

PRo consecrationibus vero altarium, & ecclesiarum, & ordinationibus clericorum, seu pro oleo sacro, vel quolibet ecclesiastico Sacramento nullus a vobis sub obtentu alicujus consuetudinis, vel alio modo aliquid audeat extorquere. Sed hæc omnia gratis vobis a diœcesanis episcopis impendantur: alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis episcopum catholicum adire, gratiam atque communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, quod a vobis postularint, impendat.

LVIII.

De sententiis latis ab ordinariis in vos, vel mercenarios vestros, vel benefactores vestros non tenendis.

INNOCENTIUS IV.

POrro si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in ecclesias vestras, vel personas inibi constitutas excommunicationi, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod, sicut dictum est, decimas non solvitis, sive aliqua occasione eorum, quæ a benignitate vobis apostolica sunt indulta, seu benefactores vestros pro eo quod vobis aliqua beneficia, vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuvaverint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alii feriantur, sententiam eandem protulerint, ipsam, tamquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam, decernimus irritandam.

LIX.

De pulsatione campanæ tempore generalis interdicti.

INNOCENTIUS IV.

SAne cum locus vester longe sit ab hominum habitatione semotus, vobis pagina præsenti concedimus, ut cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis ejus campanæ pulsatione fratres vestros competentibus horis de laboribus ad ecclesiam convocare. Hoc autem & in aliis locis vestris concedimus observari, quæ a civitatibus, castris, ac vicis adeo separantur, ut in eis sonus campanæ prædictorum locorum minime audiatur.

LX.

De sepultura domorum vestrarum.

INNOCENTIUS IV.

PRæterea sepulturam domorum vestrarum liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se in eis sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, videlicet interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

LXI.

De immunitate locorum & franchisia.

INNOCENTIUS IV.

PAci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra metas domorum vestrarum nullus rapinam, vel furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

L X I I.

De observatione & prima observationis Regulæ.

I N N O C E N T I U S IV.

AD hæc omnibus regulam vestram servantibus laborem loco pœnitentiæ eis in suorum peccatorum remissionem injungimus, quam in ipsa observantia patiuntur.

L X I I I.

Quod nulli liceat ordinem perturbare, aut ejus possessiones auferre.

I N N O C E N T I U S I V.

DEcernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam domum Grandimontis tenere, perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: Sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate.

L X I V.

De constitutione privilegii, & pœna transgredientium.

I N N O C E N T I U S IV.

SI qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei, & Domini Redemtoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni.

L X V.

De servantibus jura ordinis vestri, quam mercedem habeant.

I N N O C E N T I U S I V.

CUnctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

L X V I.

Quod nullus accedat ad curiam Romanam sine licentia.

C L E M E N S V.

COnfirmamus insuper prædicta auctoritate antiquum statutum ordinis memorati, quo cavetur, ne aliquis de ipso ordine accedat ad Romanam Curiam sine summi Pontificis, vel Pastoris Grandimontis, aut Diffinitorum Capituli generalis licentia speciali, ut tollatur fratri suo materia evagandi.

L X V I I.

De his, qui impetrant preces a sæcularibus pro administratione habenda.

C L E M E N S V.

SAne si quis frater dicti ordinis ab iis, qui de dicto ordine non fuerint, pro habenda administratione, vel officio ejusdem ordinis, preces impetraverint, & super hoc confessus fuerit, vel convictus, hujusmodi precibus non pareatur, & fiat usque ad triennium non assumatur ad aliquam administrationem ordinis prælibati: sed si tunc administrationem habuerit, illa careat ipso facto.

L X V I I I.

Quibus non est committenda administratio.

C L E M E N S V.

PRæfato namque pastori sub depositionis pœna præcipimus, ne alicui fratri officium, vel administrationem committat, qui annum XXV. ætatis suæ non compleverit, & professus expresse non fuerit, ac in ipso ordine non steterit quinque annis.

L X I X.

De psalmodia, & aliis officiis ecclesiasticis & nomine JESU CHRISTI.

C L E M E N S V.

POrro psalmodia, & alii cantus ecclesiastici morose, & distincte, & tractim dicantur: & quotiescumque nomen JESU-CHRISTI in missa profertur, inclinet humiliter quilibet caput suum ob reverentiam Salvatoris. Dum vero in ecclesia legitur evangelium, nullus se apponat super stallum, sed semotus aliquantulum a stallo stans, audiat evangelium humiliter & devote.

L X X.

De ferentibus arma, & pœna eorum.

C L E M E N S V.

DE his autem, qui enses, misericordias, costalerios, alenatos, & cutellas, ut vulgari eorum utamur vocabulo, sive alia arma portaverint, vel in cameris suis, lectis, arcis, & alibi tenuerint, irrefragabiliter observetur, quod olim per Abbatem Moysiaci, & collegam suum auctoritate apostolica in dicto ordine super his est statutum, adjecto tamen, quod qui contrarium fecerit, auferantur ei arma prædicta, & verberetur in capitulo omni feria sexta per annum, & singulis dictis sextis feriis pane & aqua contentus existat. Et de hoc visitatores studeant inquirere diligenter. Quod si forte arma hujusmodi reddere noluerint, vel pœnitentiam hujusmodi contemnentes recusaverint adimplere carceri mancipentur, & tamdiu macerentur ibidem, quo usque reatum in hac parte cognoscentes misericordiam, & gratiam meruerint obtinere.

L X X I.

Quod mulieres infra domos regulares non comedant.

C L E M E N S V.

NUlla siquidem de cetero mulier aliquo tempore ingrediatur primam portam clausuræ murorum, quibus cingitur domus Grandimontensis ex aliqua parte, nisi fuerit adeo honesta & reverenda mulier, quod ei sine damno ordinis, & gravi scandalo nequeat introitum denegari. Et tunc de pastoris, vel locum tenentis expressa licentia cum decenti comitiva aliquorum de senioribus fratribus tam intrando, quam morando, & exeundo eam associorum. Et talis mulier solum usque ad altare S. Martialis, & B. Catharinæ, qui sunt in inferiori parte ecclesiæ Grandimontensis post chorum conversorum intrare poterit recta via. Per magnum tamen portale ecclesiæ a parte hospitii, & ultra dicta altaria per aliquam partem, idest ecclesiæ monasterii, non incedat, nec ad alia loca dictæ domus divertat. Et tunc nullus fratrum, exceptis iis, qui in dictis altaribus celebrabunt, & eorum ministris, & prædictis senioribus, sit præsente, ibidem existant. Infra septa tamen dicti monasterii ex quacumque causa nullatenus pernoctabit, nec etiam comedet; sed si comedere voluerit, & sit talis, cui hoc non debeat denegari, comedere possit extra omnes domos regulares in loco ad hoc deputato. Nec aliquis frater præsumat comedere, vel bibere cum eadem, nec sibi loqui, nec associare eamdem, nisi cui injunctum fuerit per pastorem. Et super hoc celerius portarius, aut Conversus caveat sibi: quod si super hoc negligens repertus fuerit, a suo officio amoveatur, & nihilominus tribus diebus continuis vapulet in capitulo, & ceteris fratribus in refectorio comedentibus, ipse prædictum triduum in solo refectorio comedat, absque misericordia, pane & aqua contentus. Hæc

eadem

eadem in cellis forensibus volumus observari, exceptis ecclesiis, in quibus mulieres, si velint, possint audire divina, dum tamen nimium hujusmodi introitum non frequentent, super quo visitatores diligenter inquirent, & puniant transgressores.

LXXII.

Quod nullus ad moniales, vel reclusas causa loquendi, aut pernoctandi divertat, vel cum eis ad eamdem mensam comedat.

CLEMENS V.

INhibemus autem, ne aliqua persona dicti ordinis causa loquendi, pernoctandi, vel alias quomodolibet divertat ad moniales cujuscumque ordinis, vel reclusas; aut in fraudem inhibitionis hujusmodi, ut occurratur eisdem, extra eorum loca in aliquo loco nunciare præsumat, aut comedere cum eis ad eamdem mensam sine pastoris licentia speciali. Et qui contrarium fecerit, verberetur in capitulo duobus diebus pro transgressione qualibet, & per illos duos dies sit pane & aqua contentus.

LXXIII.

Quod nullus turpiter, vel aliae indiscrete juret.

CLEMENS V.

NUllus etiam de Domino, de B. Virgine MARIA, vel Sanctis ejus turpiter juret, nec indiscrete sine causa justa, & de pastoris licentia etiam pro veritate ad sancta Dei evangelia corporaliter juret, vel fide propria se astringat: qui contrarium fecerit, per suum priorem acriter puniatur.

LXXIV.

De eleemosyna in die Cœnæ pauperibus eroganda & candela die sabbati accendenda in capella S. Petri, & S. Stephani confessoris.

CLEMENS V.

CUm autem in die cœnæ cuilibet venienti ad portam monasterii Grandimontis, una roicha panis, & unus denarius currentis monetæ dari consueverit ab antiquo, & a paucis temporibus citra ab erogatione dicti denarii sit cessatum; statuimus dictam eleemosynam integrari, & de cetero dictus denarius cum dicto pane die prædicta singulis pauperibus erogetur.

Ac etiam una candela, quæ consuevit accendi, & accensa teneri omni tempore a completorio cujuslibet diei Sabbati, usque in crastinum hora Primæ in capella S. Petri, & S. Stephani dicti monasterii, ante altaria prædictarum capellarum ad grossitudinem candelarum, quæ ardent in ecclesia ante majus altare, de cetero dictis temporibus accendatur, & accensa teneatur, usque ad horam Primæ prædictam, sicut fieri hactenus consuevit.

LXXV.

De rasuris specialiter clericorum, & tempore radendi.

CLEMENS V.

STatuimus præterea, ut rasuræ fratrum, & specialiter clericorum, propter reverentiam Sacramenti altaris, fiant communiter per totum ordinem die, & temporibus infra scriptis, scilicet a vigilia Paschæ incipiente, usque ad festum S. Crucis mensis Septembris de quindena in quindenam, & deinde a tribus in tres septimanas, usque ad Pascha sequens.

LXXVI.

De tonsuris conversorum.

CLEMENS V.

COnversi vero numquam barbam suam radant, nec tondeant in aliqua parte sui supra, vel subtus, nisi modicum circa labia, & hoc non cum rasorio, sed cum forcipibus; ne pili cibo, vel potui noceant eorumdem. Dictis tamen temporibus capillos capitis sui in rotundum tondeant, & pilos timporum, & colli sui radant, sicut consueverunt facere ab antiquo.

LXXVII.

De illis, qui manus injiciunt temere in priorem, vel alium fratrem puniendis.

CLEMENS V.

ILli vero de ordine ipso, qui in personas ipsius ordinis graviter percutiendo manus injecerint, secundum pastorum, vel priorum suorum arbitrium carceri mancipentur. Officiales vero, & alii defensores, & vel fautores amoveantur a suis officiis per priorem, & ex tunc tam illi, quam omnes alii hujusmodi percussores in ordine nullum officium assequantur, nisi cum eis per pastorem fuerit dispensatum. Si vero aliquis in pastorem, vel priorem etiam leviter manus injecerit temere violentas, absque misericordia carceri mancipetur, & non nisi a summo Pontifice de hujusmodi injectione manuum absolvatur. Si qui vero injuriose leviter alium personam ipsius ordinis a pastore, vel priore percusserit, absolvi poterit per pastorem, vel proprium priorem, & se prosternendo, petita ab eo, quem percusserit, venia, pro satisfactione injuriæ, sex diebus continue verberetur in capitulo, & illis sex diebus in refectorio pane, & aqua contentus existat.

LXXVIII.

De illis, qui malitiose alicui exprobrant emendandum excessum.

CLEMENS V.

QUi vero malitiose alicui de ordine exprobraverit, vel detraxerit, vel super excessu aliquo emendato, vel etiam emendando convitiatus fuerit, sive sit clericus, vel conversus tribus diebus verberetur in capitulo, & in sedibus chori inferioribus sit per mensem. Et si superiori suo quisquam detraxerit, vel modo prædicto exprobraverit, gravius puniatur, secundum quod in gradum peccaverit altiorem; proviso semper, quod exprobrans prostratus coram exprobrato, veniam ab eo prius petat humiliter, & devote. Quod si prædicto modo veniam petere noluerit, tamdiu extra quatuor domos, scilicet oratorium, dormitorium, refectorium, & expensam, in domo inobedientium positus, in pane, & aqua abstineat, quousque humiliter modo prædicto dictam veniam petierit ab offenso.

LXXIX.

De fugitivis ab ordine, & detrusis in carcere, & de diffamatis publice de turpi, & enormi crimine non promovendis.

CLEMENS V.

FUgitivi autem de dicto ordine, si ad ordinem ipsum reversi fuerint, per triennium aliquam administrationem, vel officium in eodem ordine habere non possint, nec prior, vel diffinitores secum super hoc durante triennio valeant dispensare. Et idem fiat de illis, qui pro suis criminibus in carcere detrusi fuerint, & illis, qui publice de turpi, & enormi crimine fuerint diffamati.

LXXX.

Quod pastor non concedat literas nomine suo, & conventus, nisi cum consensu majoris partis conventus.

CLEMENS V.

PRior autem non concedat litteras nomine suo, & conventus, nec sigillet, nisi cum conventu, vel majori parte insimul super contentis in ipsis literis tractatum habuerit, & consensum.

LXXXI.

De amotis ab administrationibus, quale reddere debeant computum successori.

CLEMENS V.

ILLI autem ex dictis correctoribus, qui ex aliqua causa a suis aministrationibus amoti fuerint, de receptis, & expensis, creditis, & debitis, & aliis rebus, & statu domorum, quas dimiserunt, suis successoribus infra octo dies post adventum successorum suorum legale computum reddere non postponant. Quod si forsan hujusmodi computum reddere recusaverint, secundum quod pastor praeceperit, requisiti, aut si convicti fuerint, in dicto computo, sive stato reddendo fraudem aliquam adhibuisse scienter, incarcerentur, gravius, vel levius puniendi ad ipsius pastoris arbitrium, secundum quod in hoc reperti fuerint excessisse.

LXXXII.

De mutatione fratrum Grandimontis.

CLEMENS V.

DIctus vero pastor fratres dictæ domus Grandimontis pro culpis suis, sive ex alia causa ad cellas exteriores libere mittet quando voluerit, sicut fratres exteriores de cellis ad cellas mutare hactenus consuevit, aliqua consuetudine, quæ corruptela est potius, non obstante.

LXXXIII.

Confirmatio regulæ, privilegiorum, exemtionum, & libertatum, ac statutorum reformatorum capituli generalis.

CLEMENS V.

PEr prædicta vero, vel per aliqua de prædictis regulæ privilegiis, exemtionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & statutis, in his, & aliis casibus dicto monasterio Grandimonti, & ipsi ordini ab apostolica sede concessis, & editis statutis, olim per de Miseriis, & de Saviniaco Cisterciensis ordinis monasteriorum abbates, & collagas suos, ac postmodum per abbatem Moysiaci, & priorem fratrum Prædicatorum in Provincia, auctoritate apostolica pro reformatione, & bono statu ipsius ordinis factis, ac etiam statutis sæpedicti Grandimontis ordinis licitis, & honestis: quæ quidem omnia supradicta in suo robore volumus permanere, nisi quatenus his contraria reperta fuerint nullatenus derogetur.

LXXXIV.

De publicatione, registratione, & lectione præsentis privilegii anno qualibet bis in Grandimontis monasterio, & cellis publice facienda.

CLEMENS V.

ET ne aliquis super præmissis per ignorantiam se valeat excusare, volumus, & tenore præsentium præcipimus, quod hujusmodi nostra statuta, ordinationes, præcepta, & inhibitiones in eodem volumine, una cum prædictis statutis scripta, tam in monastario, quam in cellis singulis, ad æternam rei memoriam habeantur; & in capitulo dicti monasterii, & singulorum cellarum prædictarum, præsente conventu, publice anno quolibet saltem bis integre, & complete legantur.

STATUTA

PRO REFORMATIONE

ORDINIS GRANDIMONTENSIS,

Edita ab Abbatibus de Maseriis, & de Saviniaco Ordinis Cisterciensis, & Prioribus de Ligeto, & de Glanderii Ordinis Carthusiensis.

Incipit Prologus in Statutis Abbatum de Maseriis, & de Saviniaco Cisterciensis, & de Ligeto, ac de Glanderiis Carthusiensis Ordinum Priores, factis auctoritate apostolica in Ordine Grandimontensi, mutatis nominibus Prioris olim Grandimontis in Abbatem, & Correctorum in Priores, pro ut Johannes Papa XXII. ipsa mutat in suo privilegio 2. 6., & 10. capitulis.

NOs fratres de Saviniaco, & de Maseriis monasteriorum Abbates Cisterciensis, & de Ligeto, ac de Glanderiis Priores Cartusiensis Ordinum, Visitatores, & Provisores in Ordine Grandimontensi a Domino Papa GREGORIO decimo constituti ad reformationem ejusdem Ordinis, diligenter, & devote secundum modulum nostræ parvitatis intendentes, saluti animarum fratrum ipsius ordinis providere cupientes, statuta sequentia in Grandimontensi ordine præcipimus observari.

Incipiunt Rubrica statutorum prædictorum, & primo de sede prioris conventualis.

IN primis itaque statuimus, ut prior de cetero sedeat in ecclesia, & in capitolo ad collationem in primo loco, & in refectorio in sede mensæ superioris per cellas singulas Grandimontis ordinis. Cum enim ad ipsum pertineat culpas corrigere, honestum est, & rationi consentaneum, ut ibi locum habeat, unde valeat ipsas ennotare.

II.

Qualiter fratres in missa orare, & se habere debent.

STatuimus etiam, ut fratres in canone missæ postquam dictum est *Sanctus* tertio, vel stando orent, si sit solemnitas, vel octava, vel tempus paschale; vel super formas inclinati, ut in diebus videlicet ferialis. Postquam autem Sacerdos dixerit *Orate fratres*, sedeant inclinati super misericordias, assurgentes quando dicitur *Per omnia sæcula sæculorum*, & facies ad altare vertentes. Iterum cum dicitur *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, ad misericordias redeant inclinati: quo finito, assurgant, & prosternant se, secundum quod exigit tota dies. Si vero stantes oraverint, cum Sacerdos dicit *Oremus*, *Præceptis*, iterato sedeant super misericordias inclinati, donec dicatur *Per omnia sæcula*, & *Pax Domini*; quo tempore sive inclinati fuerint super misericordias, sive prostrati oraverint, tunc assurgent. Et postquam dictum fuerit *Agnus Dei* tertio, prosternent se omni die, & non antequam Sacerdos perceperit Sacramentum, assurgant. Antequam incipiat orationes ultimas, semper debent stare versa vice ad altare. Postquam autem inceperit collectam, semper debent super misericordias inclinari.

Quandiu autem dicitur epistola, responsorium, alleluja, & offertorium, fratres resideant humiliter & devote. Ad primas similiter collectas sint super misericordias inclinati; reliquo tempore Missæ semper sint stantes in forma, qua prædictum est.

III.

Quod nullus fratrum audeat peregrinari.

OCcasione peregrinationis nullus de cetero audeat cellam exire, nec Abbas, vel Prior valeat super his licentiam dare, cum propter hoc scandalum suscitetur in evagatione fratrum, & grave periculum immineat animarum. Si autem propter hoc exierit, pro fugitivo habeatur, nec veniens aliquando admittatur nisi per capitulum generale.

IV.

De proprietariis, & pœnis eorum.

COntra autem execrabile vitium proprietatis, quod tantum est detestabile, ut totius religionis professionem destruat, quia nec monachus, nec religiosus est dicendus proprietarius, sed vere apostata; cum ad id redierit, quod expresse renunciavit in ingressu, & non solum voti reus, sed etiam fur, & sacrilegus est dicendus. Statuimus, ut omni anno Dominica in Ramis palmarum Abbas in loco ubi fuerit, & quilibet prior conventualis in cella, ubi præsidet, excommunicet in capitulo omnes proprietarios stolis ad collum appositis, & extinctis candelis, & si quis in fine proprietarius inventus fuerit, in sterquilinio subterretur.

V.

De exitu, & operibus fratrum.

FRatres de cetero, claustro destituto, non audeant nisi bini, & bini nemus intrare, sed velut semper sint in claustro, legendo, vel orando, aut aliquid ibidem laborando; & later orationes dicendo, aut laborem aliquem faciendo, vel simul exeant ad aliquod opus faciendum, secundum quod priori videbitur expedire, nisi forsitan aliquis ad aliquid opus faciendum intra domum deputetur.

VI.

De receptione, & probatione noviciorum.

QUoniam probatio tam in favorem illius, qui convertitur, quam ipsius monasterii est introducta, ut ille videlicet, qui convertitur, mores monasterii, & monasterium mores ipsius experiatur; contrarium est juri, & a sancta consuetudine alienum, ut quis eadem die, qua ingreditur, profiteatur, statuimus, & districte præcipimus, ne alicujus professio ante annuam probationem de cetero recipiatur: hoc moderamine discretionis circa valde litteratas, seu excellentes personas adhibito, quod Abbas, vel Prior conventualis poterit dispensare, ut eorum professio tempore breviori recipiatur, non tamen ante quadrimestre tempus elapsum.

VII.

De visitatoribus, & forma visitandi.

PRovideantur annuatim tempore generalis capituli ab Abbate cum visitatorum consilio, viri idonei, & discreti ze-

ti zelum ordinis habentes, ad visitationem semel in anno faciendam per prioratus ordinis universos. Visitatores vero, quoniam forma quidem, & exemplar eorum, quos visitant, esse debent, præcipue iis intendant, quæ salutem respiciunt animarum, & spectant ad ordinis disciplinam, excutientes manus suas ab omni munere notabili, & suspecto. In visitationibus singulis quorumcumque prioratuum duo capitula teneant, primo die fratribus verbum Dei in capitulo devote proponantes, vel ab alio proponi facientes, & statuta in capitulo generali ipso anno edita in fratrum audientia perlegi, & servari præcipiantur. Deinde fratres ammoneant, rogent, & præcipiant, ut fideliter, & fiducialiter publice, vel privatim, prout melius intellexerint faciendum, quæ corrigenda cognoverint, suggerant, & proponant. Prohibeant etiam, ne fratribus suis aliqua falsa crimina imponant. Ipsos vero visitatores tales esse convenit, ut non credant omni spiritui, sed causam, quam nesciunt, diligenter examinent, & inquirant. Cognita corrigant notabiliter zelo ordinis, & fraternæ caritatis affectu fideliter, & prudenter ea, quæ possunt, diligentia ad corrigendos excessus, & cum observatione religiosæ pacis intendere. Insuper in quantum poterunt, salva ordinis disciplina, animos fratrum ad ampliorem reverentiam Abbatis, & sui Prioris, gratiamque mutuæ in Christo dilectionis, inducere debent. Provideant igitur, tam Prior, quam ceteri fratres visitandi, ut secundum formam ordinis visitatoribus obedientes, & devoti existant. Ad emendationem prioratus sui quantum poterunt, tamquam Deo rationem reddituri intendant. Officinas vero visitatores circumeant universas, ad rescindendas occasiones peccandi, qui statum uniuscujusque prioratus tam in spiritualibus, quam in temporalibus cum debita diligentia audiant, & inquirant, ipsumque scripto recommendent, nec non & personarum excessus, quos per se corrigere non poterunt, similiter scribant, per Abbatem suo tempore, vel capitulum generale juxta formam ordinis corrigendos. Si vero contra præfatam formam temere egerint visitatores, per Abbatem, prout meruerint, castigentur, sive etiam puniantur per capitulum generale.

VIII.

De prædicatione.

ITem, ut provideatur saluti animarum, & in fide ac bonis moribus personæ ordinis utiliter instruantur, tam Abbas, quam Priores frequenter proponant, vel proponi faciant, verbum Dei, dictaque causa fratres Prædicatores, vel Minores, sive alios religiosos, vel sæculares Deum timentes, ac scripturarum peritiam habentes fratribus propter hoc congregatis in sua capitula introducant.

IX.

De confessionibus.

QUoniam vera, & sancta confessio peccatores purificat, & justos reddit purgatiores, morbique frequentia frequens exigit remedium medicinæ, statuitur, ut frater quilibet, tam clericus, quam laicus semel ad minus in septimana salubriter confiteatur: alioquin transgressor aquæ poto continuo sit contentus, quousque de confessione sit locutus. Prior vero quicumque, qui tam necessarium statutum negligere repertus fuerit, quin in se, & aliis ipsam constitutionem cum omni diligentia faciat observari, ab Abbate, vel visitatoribus, sive capitulo, severissime puniatur.

X.

De silentio, & signis.

STatuimus etiam, ut silentium in ecclesie, in claustro, in refectorio, in dormitorio, & a completorio usque mane post Primam sequentis diei in omnibus locis ab omnibus fratribus, tam clericis, quam laicis, sicut in privilegio, quod collatione in XXII. continetur districta, & firmiter teneatur. Frangentes autem silentium scienter, & aperte, donec signa didicerint, secundum morem Cisterciensium, disciplinæ subjaceant, quæ in privilegio continetur. Necessitatem autem suam si quis uno verbo, aut duobus submissa voce in aure non potuit alii intimare, debet ipsum in auditorio convocare, & ibi plenius, quo indiget declarare, nisi sit post completorium; quo tempore omnino est silendum. Cum autem fratres signa didicerint, etiam in locis supradictis volumus, ut omnino abstineant ab omni loquela.

Hæc sunt signa in Ecclesia.

Pro Sacerdote fac signum crucis cum manu dextra.
Pro Diacono fac crucem in fronte.
Pro Subdiacono fac signum crucis in pectore.
Pro clerico duc digitum circa aurem circum circa.
Pro missali excute manum, & fac signum crucis.
Pro evangeliis fac similiter cum signo crucis in fronte.
Pro epistolis fac similiter signum crucis in pectore.
Pro omni libro excute manum similiter.
Pro signo libri responsoriorum, sive antiphonarii excussa manum, & pollicem minutissime per alios digitos inflecte, & tange.
Pro officiorum libro, vel Gradali, præmisso signo libri, fac signum prius crucis, & summitates digitorum contra os anniva inflexas.
Pro *alleluja* leva manum, & summitates digitorum inflexae quasi ad volandum move.
Pro prosa leva manus, & percute manum extentam cum manu altera extenta quasi plaudendo.
Pro signo Tractus tene manum per ventrem deorsum, & contra os applica manum.
Pro Capitulario fac signum libri, & extende manus junctas ad coelum.
Pro psalterio pona manum super caput per similitudinem coronæ, quam rex portare solet.
Pro versiculo articulo anterioris digiti pollicem suppone.
Pro lectione manui, vel pectori digitum junge, & paululum attractum fac resilire, quasi ceram a candela legentis super folium labefactam laborem unguium expungit.
Pro responso, articulo indicis suppona pollicem, & ita fac resilire eum.
Pro antiphona articulo proximi extremi digiti minimi pollicem superpone, & ita fac resilire eum.
Pro signo sequentiæ leva manum inclinatam, & a pectore eam amovendo inverte, ita quod prius erat sursum, sit deorsum.
Pro libro in quo leguntur Dominicales, & feriales lectiones, fac signum libri, & adde prius signum lectionis, & brachium pugno clauso super humerum pone simulans, quasi qui onus portat, propter magnitudinem libri.
Pro libro in quo leguntur lectiones sanctorum, præmisso signo libri adde prius signum lectionis, & ut manum extensam circa collum quasi ensem feras, quia sic olim martyres decollati sunt.
Pro signo libri hymnorum adde, ut pollicem, & digitum et proximum profeias sublimitatibus eorum junctis, per quas præsens tempus significatur.
Pro signo libri regulæ, cum signo libri caput tuum pendentem super aurem apprehende cum duobus digitis.
Pro signo confessoris, pona manum supra pectus.
Pro signo martyrum, pone manum dexteram cervici, quasi aliquid in incidere velis.
Pro signo virginis, & martyris, præmisso signo martyris, adde ut de supercilio ad supercilium manum trahas.
Pro sepulcro, manicam ejus tene cum eisdem digitis.
Pro signo B. MARIÆ, ambas manus ad cœlum extende, adde, ut de supercilio ad supercilium trahas, quod est signum feminæ.
Pro signo festivitatis, fac primum signum lectionis, & profer novem digitos utriusque manus.
Pro calice tene tres digitos in certum apertos, & fac signum crucis.
Pro vestibus ecclesiasticis, tange vestes tuas ante pectus.
Pro candelis, frica manus tuas tamquam eas calefaciendo.
Pro cantore, & cantu, duc manum tuam ante os tuum.
Pro vino ad missas, pone digitum, qui dicitur index, super nasum tuum.
Pro aqua benedicta ostende quinque digitos simul junctos, & fac signum crucis.
Pro cruce, junge duos digitos, qui vocantur indices ad modum crucis.
Pro altari, percute frontem tuam cum digito. Et de omni re dura similiter.
Pro pace pona digitum tuum in erectum.
Pro confessione, pone manum ante os tuum, & postea supra pectus.
Pro viso, appone digitum, qui vocatur index, oculo.
Pro audito, appone similiter auri.
Pro thure, appone pollicem cum indice naso.
Pro brasario in qua sunt carbones ardentes, junge pollicem cum indice, & sufla in palma.
Pro thuribulo, fac de manu, tamquam si thurifices.

Pro ſigno loquendi, pone duos digitos ante os.
Pro hoſpite, duc manum tuam ab humero uſque ad zonam.
Pro magiſtro, oſtende manum clauſam pollicem inerectum tenendo.
Pro ſigno feſtinandi, percute cum manu dextra ſuper brachium ſiniſtrum.
Pro ſigno raucitudinis, duc manum tuam ſubtus mentum.
Pro ſigno mortis, duc manum e zona, uſque ad humerum.
Pro confeſſione, pone manum ſuper pectus.
Pro miſſa, fac ſignum crucis in manu.
Pro ſigno communicandi, junge pollicem indici, & appone ori tuo.
Pro ſigno volendi, ſurge pollicem cum indice, & duc ſubtus mentum tamquam trahendo.
Pro die, & omni re alba, pone indicem ſuper cilium.
Pro nocte, & omni re nigra, pone duos digitos ſuper oculum, eumdem clauſum tenendo.
Pro mortuo, duc indicem ſubtus mentum ante collum.
Pro excommunicato, frica manus, & ſuffla cum ore.
Pro vinegeris (*) flecte indicem ad te.

Hæc ſunt ſigna in clauſtro.

Pro clauſtro, fac circulum cum uno digito.
Pro ſilentio, pone manum ante os.
Pro collatione, pone manum ſuper frontem.
Pro ſigno pulſandi, fac ſignum pulſandi.
Pro Tertia, oſtende tres digitos.
Pro meridie, divide manum ab altera manu.
Pro Nona, oſtende novem digitos.
Pro Veſperis, decem digitos.
Pro omni re ordinata, duc pollicem ſuper alios digitos incipiens ab auriculari uſque indicem.
Pro omni re inordinata, fac contrarium.

Hæc ſunt ſigna in dormitorio.

Pro ſigno dormiendi, pone caput ſuper manum inclinando.
Pro coopertorio pone manum tuam ſuper manum, eam ducendo per totum brachium uſque ad humeros.
Pro omni infirmitate pone manum ſuper pectus.
Pro ſigno ſurgendi, oſtende digitum erectum.
Pro tunica, tange manicam tuam.
Pro ſotularibus, fac circulum uno digito circa pedem.
Pro igne, pone digitum tuum ante os paulum perflando.
Pro horrologio, pulſa cum duobus manibus clauſis utrumque auricularem digitum erectum tenendo.
Pro camera, & omni domo, necte manum cum manu.
Pro paleis, pone indicem ſuper ſummitatem alterius indicis digiti.
Pro litteris, & pro ſigillo, imprime pollicem in medio manus tuæ.
Pro pellicia, accipe cum duobus digitis pellem alterius manus.
Pro omni pelle, & pro omni corio, fac ſimiliter.
Pro pulvinari, ventila cum una manu contra eandem.
Pro linteaminibus, flecte manum contra manum.
Et pro omni mappa ſimiliter.

Hæc ſunt ſigna in refectorio.

Pro pane, junge pollicem cum pollice, indicem cum indice digito.
Pro caſeo, pone manum ſuper manum quaſi ipſum faciendo.
Pro ovis, frica indicem cum indice.
Pro ſale, move manum tuam quaſi pro ſaliendo aliquid.
Pro ſcutellis, oſtende manum apertam pollice intus clauſo.
Pro ſapore, frica cum manu clauſa ſuper aliam manum clauſam quaſi aliquid molendo.
Pro ſynapi, include naſum tuum inter digitos eum eis ſuperius extrahendo.
Pro eſſulis, duc manum tuam ante os tuum quaſi aliquid ſufflando.
Pro omni piſce, extende manum tuam flectendo hinc, & inde.
Pro lucio, præmiſſo ſigno piſcis, pone duos digitos ſubtus mentum, eos in erectum tenendo.

(*) *al.* Vinagrtis.
(**) *al.* trute

Pro pertica, præmiſſo ſigno piſcis percute eum una manu ſuper brachium.
Pro (**) tencha, accipe mentum cum una manu.
Pro ſalmone, præmiſſo ſigno piſcis, (***) percute cum indice frontem.
Pro carpa, præmiſſo ſigno piſcis, percute cum indice frontem.
Pro elecibus, pone indicem ex una parte naſi, quaſi eum pungendo.
Pro anguilis, oſtende ambas manus quandoque clauſas, quandoque apertas, unam ſuper aliam ſæpe, & ſæpius ponendo.
Pro vino albo, pone digitum ſuper ſupercilium.
Pro vino rubro, frica cum uno digito ſuper faciem.
Pro omni re bona, duc manum tuam ſuaviter ſuper faciem tuam.
Pro fabis, pone indicem in prima uncia pollicis,
Pro piſis, pone pollicem uncia indicis.
Pro porris, percute cum manu clauſa in frontem.
Pro oleribus, percute cum manu aperta ſuper calvitium frontis.
Pro ſcypho, oſtende tres digitos in erectum tenendo apertos.
Pro juſta, fac ſimiliter eos in inferius includendo.
Pro racemis, include quinque digitos quaſi eos mulgendo.
Pro pomis, oſtende manum tuam clauſam eam parumper movendo.
Pro piris, oſtende quinque digitos ſimiliter junctos eos inferius promovendo.
Pro nucibus, pone indicem intus dentes.
Pro potu, pone indicem ſuper mentum.
Pro crpis, percute cum manu clauſa ſuper aliam manum apertam.
Pro Abbate, junge indicem tranſverſaliter cum ſummitate pollicis.
Pro Priore, & Subpriore, junge ſimiliter indicem cum indice.
Pro fratre clerico, junge indicem cum indice.
Pro converſo, fac ſimiliter pollice erecto cum mento.
Pro ſigno eſportandi, pone manum tuam ſuper humerum.
Pro ſigno tacendi, pone indicem ante os.
Pro ſigno veniendi, extende manum tuam, & reduc ad te.
Pro cantore, duc manum ante os tuum.
Pro ſacriſta, præmiſſo ſigno fratris, junge, ac ſi orares, manus.
Pro oſtalario, præmiſſo ſigno fratris, duc manum ab humero, uſque ad zonam.
Pro refectorario, præmiſſo ſigno fratris, applica manum ad os tuum.
Pro infirmario, præmiſſo ſigno fratris, pone manum tuam ſuper pectus.
Pro portario, præmiſſo, ſigno fratris, junge manus, & eas poſtmodum expande.
Pro cellario, præmiſſo ſigno fratris, fac cum digito, ac ſi denarios computares.
Pro procuratore, præmiſſo ſigno fratris, fac ſignum levandi raubam circa zonam.
Pro coquinerio, præmiſſo ſigno fratris, oſtende manum tuam apertam, police intus clauſo.
Pro ſcriptore, præmiſſo ſigno fratris, junctis tribus digitis fac ſignum ſcribendi.

Hæc ſunt ſigna neceſſaria ubique.

Pro rege, pone quinque digitos ſuper caput.
Pro milite, fac de manu tua, ac ſi ejicias gladium de vagine, & percute collum tuum cum eadem manu.
Pro armigero, fac ſolummodo de manu tua, ac ſi ejceres gladium de vagina.
Pro garcifero, duc tuum digitum ſuper mentum quaſi tranſeundo.
Pro mendacio, duc manum tuam ſuper mentum quaſi deſcendendo.
Pro latrone, pone duos digitos tuos ſubtus mentum, quaſi ſuicat.
Pro ribaldo, percute cum una manu ſuper cubitum alterius manus.
Pro amico, appone duos digitos ad dexteram partem naſi.
Pro inimico, pone ipſos digitos ex tranſverſo ad ſiniſtram partem naſi.

(***) *al.* pone digitum tuum ſuper ſupercilium.

Pro equo tange pilos frontis.

Pro sella equi, necte digitos unius manus cum digitis alterius.

Pro caoa, percute cum uno digito in auriculari digito.

Pro tumoribus, pone duos digitos super pilos frontis.

Pro signo sciendi, pone digitum super pectus quasi abscondendo.

Pro signo nesciendi, duc digitum tuum ante faciem tuam.

Pro omni carne, tene cum manu dextra carnem sinistræ manus.

Pro bove, pone duos digitos tuos erectos circa quamlibet aurem.

Pro ariete, fac similiter, ipsos tamen digitos de subtus flectendo.

Pro porco, percute pugno in fronte, quia sic occiditur.

Pro gallina, fac signum quasi ipsam plumando.

Pro aliqua re magna, ostende manum clausam pollicem erectum tenendo.

Pro aliqua re minima, ostenda parvum digitum.

Pro episcopo, duc manum tuam ab humero usque ad humerum.

Pro burgense, frica pollicem cum indice.

Pro physico, tange manum tuam cum digito appellato medico.

Pro causidico, percute super manum sinistram cum duobus digitis alterius manus.

Pro patre, junge manum clausam cum alia manu clausa.

Pro matre, fac similiter præmisso signo mulieris.

Pro sorore, junge indicem cum indice addendo signum mulieris.

Pro detractore, bilingui, aut murmuratore, tange linguam tuam aam percutiendo cum indice.

Pro capellano, pone manum tuam apertam super aliam manum apertam.

Pro verbere, adtrahe manum tuam ad te quasi verberando.

Pro rustico, duc manum tuam super mentum quasi descendendo.

Pro signo laborandi, aut aliquod faciendi, flecte indicem contra terram quasi fodiendo.

Pro signo vestiendi, duc digitum ante faciem.

Pro monacho albo, vel nigro, tange caputium tuum ad te trahendo.

Pro fratre Prædicatore, Cartusiensi, Præmonstratensi, Carmelitano, & hujusmodi fratribus, cappam, & scapulare portantibus, tange, & aliquantulum leva inferiorem partem scapularis.

Pro fratre Minore, tange, & aliquantulum leva caput Symoitii. (*)

Pro fratre Augustino, tange, & aliquantulum leva caput zonæ.

Pro canonico regulari, duc digitum circum circa aurem, & post inclina manum dextram apertam versus terram.

Pro hospitalario, fac signum crucis in cubito sinistri brachii.

(*) *al.* Symoycii

S T A T U T A

Edita ab Abbate Moysiaci, & Priore Fratrum Prædicatorum,

Incipit prologus, seu præfatio in statutis per Abbatem Moysiaci, & Priores Fratrum Prædicatorum in Provincia, auctoritate Apostolica factis pro reformatione Ordinis Grandimontensis, mutatis nominibus Priorum olim Grandimontensium in Abbatem, & Correctorum in Priores, prout Johannes Papa XXII. ipsa mutat in suo privilegio I. II. VI., & X. Capitulis,

NOs BERTRANDUS Dei gratia Abbas monasterii Moysiaci, & Frater BERNARDUS GERALDI Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum in Provincia, judices, & reformatores Ordinis Grandimontensis a Domino Papa HONORIO quarto deputati, gratam Deo reformationem, & pacem dicti Ordinis pro desiderio affectantes, statuta sequentia in Grandimontensi ordine præcipimus observari,

INCIPIUNT RUBRICÆ STATUTORUM PRÆDICTORUM,

E X P L I C I U N T R U B R I C Æ

INCIPIUNT CAPITULA STATUTORUM PRÆDICTORUM.

I.

De observatione Regulæ, & Privilegiorum.

SAne quia nonnulli fratrum dicti ordinis, laxatis voluptatum habenis, propriam transgrediuntur regulam, & alia suæ professionis salubria instituta, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, statuimus, volumus, & ordinamus, ut regula per sedem apostolicam eidem ordini sub bulla tradita, & concessa, & alia statuta in privilegiis sedis apostolicæ expressata, quantum commode, & honeste fieri poterit, ab abbate, & prioribus, & aliis fratribus ejusdem ordinis observentur, & ipse abbas ab aliis faciat observari.

II.

Quales esse debent visitatores.

QUia interdum minus sufficientes ad visitandum cellas accipiuntur, statuimus, ut visitatores deputati a diffinitoribus, & abbate ad prioratus ordinis visitandos eligantur viri providi, & honesti, ætatis maturæ, & qui noverint statum ordinis ab antiquo, de quibus sit verisimile, quod debeant fideliter visitare, & referre statum prioratuum diffinitoribus, & abbati.

III.

De visitatione fideliter facienda.

STatuimus etiam, quod visitatores per provincias deputati visitent fideliter, & statum prioratuum, & excessus priorum, officialium, & aliorum fratrum referant plene abbati, & diffinitoribus capituli generalis, nec penes se retineant, vel occultent, nec tradant occulta abbati, vel diffinitoribus, sed simul in communi, vel majori parti eorumdem. Contrarium vero facientes prioratibus suis eo ipso volumus esse privatos. Si vero priores non fuerint, ad prioratum aliquem per quinquennium non valeant promoveri.

IV.

IV.

De diffinitorum officio.

QUoniam excedentium impunita temeritas in ruinosam superbiam erigit delinquentes; statuimus, quod abbas, & diffinitores a capitulo ordinati, statum prioratuum & excessus fratrum per visitatores sibi relatos non occultent, sed examinent diligenter, & corrigant, & emendent, quæ fuerint corrigenda, & diligenter, puniant, non parcentes alicui ob gratiam, vel favorem. Contrarium facientes per mensem ad minus ab ingressu ecclesiæ sint ipso jure suspensi.

V.

De familia priorum.

ITem statuimus ut priores in prioratibus, & cellis sibi commissis familia honesta, & necessaria sint contenti, nec præsumant nepotes inducere, vel nepotes, nec ipsas neptes de bonis prioratus maritare, nec bona prioratus dare parentibus. Et si in prædictis notabiliter excessisse inventi fuerint, suo priorato priventur, & idem in officialibus statuimus observandum.

VI.

Quod nullus ducat saumerium, vel etiam domicellum.

STatuimus insuper, ne priores, vel fratres alii dicti ordinis ducant saumerium, nisi ex justa causa, & licentia abbatis petita, & obtenta, nec ducant domicellos, nisi ex causa necessaria, & ad tempus, de licentia abbatis: ita quod continue eos secum habere non possint. Si vero contrarium fecerint, suis administrationibus priventur, & si administrationes non habeant, volumus, ut ad eas per quinquennium non assumantur.

VII.

Quod nullus faciat compatres, vel commatres.

STatuimus præterea, ne priores, vel fratres ipsius ordinis faciant sibi compatres, vel commatres, nisi super hoc essent ab aliquo principe requisiti. Contrarium facientes regulari subjaceant disciplinæ.

VIII.

Quod fratres soli non vadant, vel soli in villis morentur.

ITem statuimus, ne fratres extra portam ultimam incedant soli, sine socio sui ordinis, nec in villis, vel oppidis soli morentur. Quod si contrarium fecerint, regulari subjaceant disciplinæ, & si sæpius super hoc inventi fuerint deliquisse, a suis administrationibus emoveantur.

IX.

Quod nullus arma portet.

ITem statuimus, quod nullus fratrum, prior, vel alius, sit ausus arma portare, vel in domo, seu camera habere, nisi ex justa, & evidenti causa necessitatis, & licentia abbatis petita, & obtenta; contrarium faciens regulari subjaceat disciplinæ.

X.

De invasoribus domorum, & pœna eorum.

ITem, statuimus, ut si qui fratrum domum alicujus prioris invaserint, vel invadi procuraverint, vel fratres ceperint, vel ligatos tenuerint, ipso facto prioratu, si quem habent, vel aliam administrationem, sint privati, nec ad aliquod officium, vel administrationem ordinis assumantur aliquo tempore; nisi præmissa fecerint de speciali mandato sui abbatis, ex causa licita, & honesta: vel nisi prior conventualis fratrem sibi subditum flagrante crimine, vel de fuga suspectum caperet, juxta Grandimontensis ordinis instituta aliis pœnis nihilominus puniendi.

XI.

De lusoribus.

ITem statuimus, ut nullus fratrum sit ausus ludere ad aleas, vel taxillos. Contrarium facientes, licet secundum statuta ordinis excommunicati dicantur, nihilominus ab officio per annum sint suspensi, & administratione, si quam habent, ipso facto priventur: Si vero administrationem non habent, infra annum ad aliquam administrationem, vel officium nullatenus assumantur.

XII.

De venationibus, & aucupationibus.

ITem statuimus, ut non habeant aves, vel canes venaticos, nec teneant in suis domibus, ut ipsi personaliter venentur, nisi de licentia abbatis, & ex justa causa canes venaticos habeant necessarios ad conservationem juris domus; ita tamen quod hujusmodi necessitas ad voluptatem non trahatur. Contrarium facientes per decem sextas ferias in pane, & aqua jejunent.

XIII.

Quod nullus frater vadat ad convivia nuptiarum.

ITem statuimus, ut nullus fratrum intersit convivio nuptiarum, quod si contrarium fecerit, regulari subjaceat disciplinæ.

XIV.

De pœna incontinentium.

ITem statuimus, ut quicumque in crimen incontinentiæ fuerit deprehensus, vel alias crimen ejus sit notorium, ipso facto ab administratione, vel officio, si quod habeat, sit amotus, nec ulterius ad aliquam administrationem, vel officium assumatur. Si vero aliquis super dicto crimine probabiliter sit suspectus, vel publice diffamatus, inquirat abbas veritatem, solemnitate aliqua non servata, adhibitis bonis viris dicti ordinis, non suspectis. Et si de crimine frater fuerit convictus, vel confessus, pœnam incurrat proxime annotatam.

XV.

De qualitate carcerum.

ITem statuimus, quod secundum conditionem personarum, & qualitatem, & quantitatem excessuum tales sint carceres, ne possint de nimia crudelitate notari, sanctionibus tamen canonicis, & statutis, ac privilegiis ordinis super hoc servatis.

XVI.

De dispensatione in pœnis statutorum.

ITem volumus, ut super pœnis appositis in statutis per nos editis possint abbas, & diffinitores capituli generalis ex causis justis, & necessariis provida deliberatione pensatis in levibus, & mediocribus dispensare. In majoribus tamen pœnis non possint, sine consensu capituli generalis, vel majoris partis ejusdem: ita quod juxta illud B. Augustini, sive plectendo, sive ignoscendo ad hoc intendant, ut vita fratrum ordinis corrigatur. In pœnis autem, quas contra invasores, & fornicatores notorios supra posuimus, capitulo generali, vel abbati, seu diffinitoribus nullam dispensandi concedimus facultatem.

STA-

STATUTA

Priorum, & Diffinitorum capitulorum generalium ordinis Grandimontensis collecta a Guillelmo Pellicerii Abbate Grandimontensi.

INCIPIT PROLOGUS SEU PRÆFATIO IN STATUTIS S. STEPHANI CONFESSORIS PATRIS NOSTRI, ET CETERORUM PASTORUM SIBI SUCCEDENTIUM AC DIFFINITORUM CAPITULI GENERALIS.

NOs GUILLELMUS Abbas monasterii, ac totius ordinis Grandimontensis, & Diffinitores capituli generalis statuta sequentia in nostro ordine Grandimontensi præcipimus observari; quia sicut urbium turres stant secure, dum ad valla, vel propugnacula exteriora non audent appropinquare obsides inimici pro robusta interiorum pugna; sic dum sequentia statuta, qua religionem nostram undique, ne titubet, circumvallant, fideliter observantur, non est dubium de ceteris, quin bene custodiantur; per sequentia etenim statuta docentur fratres abstinere a vetitis, & debito modo gaudere concessis.

INCIPIUNT RUBRICÆ STATUTORUM PRÆDICTORUM.

I.

Quod statuta capituli generalis ad pœnam obligent, non ad culpam.

CUm sine culpa, nisi subsit causa, non sit aliquis puniendus, ut animarum periculis obvietur, in primis statuimos, transgressores statutorum sequentium S. Stephani confessoris, & ceterorum pastorum sibi succedentium, ac diffinitorum nostri capituli generalis obligari ad pœnam in statutis expressam tantummodo, non ad culpam.

II.

De casibus specialiter reservatis Abbati.

SEcundum statuta nostri ordinis, nulla transgressio, quam fratres invicem emendare valeant, pastori debet Grandimontensi referri, nisi tam enormis sit, & notabilis, quod per ipsum, non per alium, deceat emendari, ut patet in istis manifestis transgressionibus, & peccatis; de simonia, conspiratione, incendio, homicidio, & similibus gravibus, & horrendis peccatis. Et de excommunicatione per Abbatem, vel per statuta ordinis lata, & irregularitate occasione excommunicationis contracta, solus Abbas judicat, absolvit, vel ad sedem apostolicam fratrem irregularem ad absolvendum mittit; quia licet Abbas possit fratrem sacrum ordinem in apostasia suscipientem reconciliare, injuncta pœnitentia salutari; fratri tamen non licebit absque dispensatione Sedis apostolicæ in sic suscepto ordine ministrare. Verum cum nullus in ordine nostro, nisi solus Abbas, ubi utilitas evidens est personarum, vel prioratuum, aut priores conventuales ipsa delicta, vel excessus delinquentium, vel excedentium fratrum possit fratrem, seu fratres de conventu ad conventum mutare, seu transferre fratrem mutatum, seu translatum de conventu ad conventum juxta JOHANNIS Papæ XXII. privilegium, si non vult ordinationem Abbatis adimplere, nullus recipere in ordine nostro, vel etiam retinere, aut de tali inobedientia absolvere, sine abbatis licentia speciali. Priores autem, qui contra dicti privilegii tenorem præsumunt mutationem, seu translationem fratrum sibi subditorum de conventu facere ad conventum, non nisi per abbatem de tali possint transgressione absolvi, cujus abbatis auctoritatem in mutatione, seu translatione fratrum hujusmodi priores usurpabunt. Qui quidem priores possessiones ad suos prioratus pertinentes nequeunt vendere, donare, impignorare, de novo infeodare, aut alio modo alienare, inconsulto Grandimontensi abbate. Quia de possessionibus ad monasterium Grandimontense pertinentibus nequit Grandimontensis abbas similiter facere, Romano Pontifice inconsulto, ut in privilegiis JOHANNIS Papæ XXII. super confirmatione, benedictione, & juramento Grandimontensis abbatis indulto cavetur.

III.

De correctione, & disciplina tenenda.

QUia, ut ait Salomon, *melior est manifesta correctio, quam amor absconditus, & meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula*, statutum est, quod in capitulo viræ maneant, cum quibus fratres disciplinam faciant, cum necesse fuerit, & dictis in capitulo, quæ dicenda sunt, & fratribus in locis suis residentibus, continue qui se reos intellexerint, prosternti coram abbate, vel priore, aut deputatis ab eis, veniam petant: & quorum culpa talis est, quæ manualem exigat disciplinam, præparet se ad eam recipiendam absque murmure, & disceptatione, donec eis pœnitentia injungatur. Qui vero aliquem clamaverit, peccantem coram omnibus arguat, nec quærat circuitiones in clamatione sua, sed dicat aperte: Ille fecit hoc. Caveat tamen, ut nullum arguat, cujus crimen non deprehendit. Item, nullus aliquem clamet ex sola suspicione: quia omnis suspicio est potius repellenda, quam suscipienda. Et frater cum clamatus fuerit, mox ut audierit nomen suum, non respondeat in sede sua, sed accedens ante crucem veniam petat. Dum capitulum tenetur, nullus loquatur sine licentia, nisi ille, qui capitulum tenet, & accusator, & accusatus. Et cum frater reprehenditur, reprehendentem se non debet reprehendere, quamvis recte facere posset; quod si faciat, reprehensio sua non est accipienda; ex discordia enim videtur procedere. De quocumque enim reprehenditur frater, debet postulare veniam, si obediens est, non defendendo, sed accusando seipsum, quia dicit Salomon, quod *vir, qui correptionem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus*, & Apostolus dicit: *non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ*. Cum frater offenderit, ostendatur ei, quemadmodum dicit evangelium, primum secreto, postmodum cum duobus, aut tribus. Deinde si emendare noluerit, audiente omni conventu juxta doctrinam apostoli dicentis, *peccantem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant*. Qui publice peccaverit, non nisi publice, & in capitulo veniam petat; & ille frater, qui in refectorio, vel quocumque alio loco aliquid fregerit, dum per alium fratrem cognitum fuerit, continuo ante pastorem, vel congregationem veniet prostratus veniam petiturus: quod nisi fecerit, districtiori subjaceat disciplinæ: & si culpa fuerit latens, pastori, vel ejus locum tenenti pateat, qui primum scire debet peccata sua diluere,

& post

& post eliena detergere, & non publicare. Verum cum *Stultitia sit hominis obsculture per ostium*, ut ait Ecclesiasticus, si frater reprehensus de obsculratione, non se emandet, ante pastorem corripiendus ducatur.

I V.

De divinis officiis, & trina oratione, & supplicatione, & quid dicant ad horas fratres conversi.

CUm signum ad horam sonuerit, omnes fratres illuc pergere debent, præcipue clerici; injunctum autem opus non debet dimitti, quoniam divinum postmodum remaneret officium, sed ibidem suam dicant orationem. Clerici divinum officium prævideant aliqua hora diei: illi autem qui prævidere noluerint, & postea ante Deum in eo deliquerint, emendet audientibus cunctis ibi, qui intellexerit. Cum frater in cellam venerit, cæteri nos non deosculantur, donec ab oratorio exeat, & absolutionem fidelibus defunctis persolvat. In omnibus operibus vide Deus, ut tempus servetur, & locus, ut secundum tempus psalmos dicat aliquis, & de Deo loquatur, auditque loqui, a... oportet, & sic de cæteris: Psalmus. *Orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*. Fratres conversi aliqua necessitate absentes, pro Prima ter dicant *Pater noster*, excepta trina oratione. Pro breve, quando evenerit CCCL. *Pater noster*. Ad primam, completorium, & matutinas trinam orationem facimus, vertendo nos in fine e dextra parte per gyrum in sinistram partem corroborandam, si in nobis a diabolo impugnaretur dicendo: *Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo*. Trinam orationem prædictam facimus ad exemplum Christi, qui ter ante passionem suam, teste B. Matthæo in evangelio, orasse legitur; & quia Christus etiam orasse legitur, primo pro se, ut clarificetur, secundo pro suis, ut conservarentur, tertio pro perfidis Judæis, ut peccatum eis dimitteretur. Per gyrum vertimus nos ante, & retro, humiliter Deo supplicando, qui ubique præsens est, & cujus oculi speculantur bonos, & malos, & in cujus conspectu, & angelorum ejus cum ad legendum, & psallendum accedimus, debemus humiliter præparare, & cum omni humilitate, & puritatis devotione. Et supplicantes, & vertentes nos per gyrum a dextra parte in sinistram dicere possumus: *Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi*; vel, *ab solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini*.

V.

De Simonia penitus vitanda.

QUoniam Salvatoris nostri vestigia, pro gratia, quam ipse nobis largitur, sequi proposuimus; ipsius exemplo a religione nostra Simoniaca hæresis radicitus est evellenda. Omnes igitur in omnibus, & præcipue in suscipiendis fratribus omne genus simoniæ evitantes, omnino damnamus, quod ipse Redemtor damnavit, cum omnes vendentes, & ementes de templo ejecit. Illud autem Domini præceptum, *Gratis accepistis, gratis date* fideliter observantes, & si libera voluntate, & sine nostra inquisitione, & absque omni pacto, sua nobis præsentet, licite possumus accipere. Si quis vero frater hujusmodi præceptum transgredi præsumpserit, & prædictæ simoniæ reus extiterit, per solum pastorem tanta districtione super hoc judicetur, ut disciplina unius sit correctio multorum.

V I.

De relata quantitate debitorum.

ITem, si major quantitas debitorum in domibus inventa fuerit post recessum prioris cujuscumque, quam ipse prior in suo computo reddiderit, recedens teneatur solvere, quod erit residuum, ad quamcumque quantitatem attingat, si fuerit in solvendo: sin autem, puniatur ad arbitrium abbatis, & diffinitorum capituli generalis.

V I I.

Quod nullus frater ordinis nostri accedat ad curiam Romanam sine licentia.

NUllus frater nostri ordinis accedat ad curiam Romanam sine summi Pontificis, vel abbatis Grandimontensis, aut diffinitorum capituli generalis licentia speciali; contrarium faciens ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Nam, ut dicit S. STEPHANUS confessor in libro sententiarum, & rationum suarum, pecuniam illue ferre sine licentia non valet, nisi die cæteris fratribus eam furatus fuerit; postremo quomodo Romam pergeret, & alibi, qui pedes abscidit a sæculo, & qui habet in Regula sub præcepto, quod vagari post sæculum non præsumat?

V I I I.

De furibus, & aliis criminosis incarcerandis, & de rapinis, furtis, & rebus excommunicatorum ad custodiam non suscipiendis.

ITem, si aliquis convictus de furto, vel alio crimine propter quod mereatur mortem, si esset de foro sæculari, captus fuerit, recludatur in carcere usque ad sequens capitulum generale, ubi diffiniendus per abbatem, & diffinitores capituli generalis. Et interim si carcerem fregerit, perpetuo carceri mancipetur. Fratres rapinas, & furta manifesta sine nota nullatenus ad custodiam suscipiant, nisi hac sola intentione, ut qui amiserunt, ea restituantur. Res quoque eorum, quos propria culpa, noverint esse excommunicatos, quos etiam sua non recipit ecclesia, numquam in custodia suscipiantur. Et si visitatores cum visitant aliquem, inveniant convictum tali crimine, propter quod debet gravi carcere mancipari, talem fratrem custodiri faciant per priorem, & fratres domus, ne possit ordinis disciplinam sibi imponendam per capitulum generale evadere.

I X.

De diffamantibus personas ordinis.

CUm in divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli appellantur, ut patet ex hoc, quod in Exodo *præcipit Dominus diis*, idest Sacerdotibus: *non detrahes, & principi populi tui non maledices*, & propheta ait: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Et aliqui fratres ordinis nostri spiritu blasphemiæ, & malitiæ imbuti plura verba de Domino abbate, & aliis probis viris ordinis convitiosa, & opprobrio plena in publicum proferre dicantur, statutum est, quod si quis super talibus culpabilis inventus fuerit, recludatur in carcere, nec inde exeat, nisi per capitulum generale, & quando exiverit, perpetuo vocem amittat, alias puniendus secundum exigentiam culpæ suæ. Sed si sciverit, vel suspectum habuerit de maleficio aliquem, accuset, & legitime denunciet contra ipsum coram abbate, vel diffinitoribus; quod justum fuerit, exequentur.

X.

De matrimoniis in ordine non faciendis, & excommunicatis non sepeliendis.

ITem, fratres qui matrimonia celebrare præsumunt, vel alicui exteriori Sacramentum unctionis extremæ, aut Eucharistiæ ministrant, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali, & illi etiam fratres, qui temeritatis audacia defunctorum corpora non sine contemptu clavium ecclesiæ in cimiteriis interdicti tempore in casibus non concessis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt; necnon & illi, qui inducunt aliquam personam ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum, ut sepulturam apud nostri ordinis ecclesias eligat, vel jam electam ulterius non immutet, excommunicationis incurrat sententiam latam a canone ipso facto, ulterius graviter puniendus ad abbatis, & diffinitorum arbitrium juxta qualitatem excessus.

X I.

De pœna fratrum fugitivorum.

ET quicumque frater ordinis nostri ultra tres vices exiverit de ordine, numquam recipiatur ulterius in ordine, nisi per capitulum generale: novicii, qui infra annum suæ probationis a nostro ordine exiverint, ulterius in nostro ordine minime admittantur, nisi de consensu capituli generalis. Fugitivi ab ordine per annum verberentur in ca-

in capitulo omnibus diebus Dominicis, & omni sexta feria sint in pane, & aqua, & sedeant in solo refectorii refectionis tempore, & in ecclesia ad horas, & in capitulo, dum capitulum tenebitur, inferioribus sedibus stent per annum.

X I I.

De regula, & privilegio in singulis prioratibus habendis.

IN singulis prioratibus nostri ordinis Regula, & Privilegium Johannis XXII. habeantur, & priores, qui in suis commissis prioratibus ea non habent, infra sequentem visitationem habere procurent. In singulis prioratibus nomina librorum scribantur cum principio, & fine librorum, & scripta per visitatores portentur, & priores faciant fieri registrum, in quo scribentur omnes possessiones, reditus, parochiæ, & loca, ubi sunt omnia alia spectantia ad prioratus, quos tenent; quod registrum ostendent quolibet anno visitatoribus, quod nisi fecerint, priores, & procuratores super hoc negligentes verberentur in capitulo, & in solo refectorii comedant durante capitulo generali.

XIII.

De fratrum defunctorum brevibus in Grandim. deferendis.

ITem, quia statuta olim multis modis facta de brevibus fratrum defunctorum per ordinem deferendis servata hactenus non fuerunt, ne defuncti beneficio debito, & necessario defraudentur, statuimus, ut de prioratu, vel cellis sibi unitis, ubi frater obierit, breve ejusdem fratris defuncti infra octo dies a morte ipsius certo tradatur nuncio in Grandimontem deportandum, & de Grandimonte infra alios octo dies dictum breve delatum mittatur per cellas cameræ Domini abbatis unitas; & nihilominus in prioratibus de Castronovo, de Villeriis, de Ravello, & de Castelneto; & de dictis quatuor prioratibus infra alios octo dies ad prioratus viciniores, & exinde ad alios prioratus, & ab omnibus prioratibus in cellis sibi unitis mittatur infra octo dies præfatos.

X I V.

De pœna illorum fratrum, qui exeunt primam a parte exteriori clausuram sine licentia.

ITem statuimus, ut quicumque frater primam prioratus e parte exteriori clausuram, sine licentia prioris, vel superioris deputati ab eo exire præsumserit, solus vel cum socio, nisi exigente magna, & inevitabili necessitate, vel utilitate notoria, pro prima vice, qua exierit, duobus diebus immediate sequentibus, & continuis in capitulo verberetur, & ad terram, sine mappa comedat, ubicumque fratres comedant, pane, & aqua sit contentus. Pro secunda vice diebus tribus similem pœnam sustineat. Et si prædictas pœnas implere recusaverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. Et alius quicumque super hoc sibi dans consilium, auxilium vel favorem publice, vel occulte, eadem pœna puniatur.

X V.

De pœna earum, qui clausuram domorum exeunt de nocte sine licentia.

STatutum est, quod frater quicumque exiens de nocte extra interiorem clausuram prioratus nostri ordinis sine licentia prioris, vel subprioris, priore absente, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

X V I.

De festo Corporis Christi.

STatutum est, quod de cetero fiat festum de Corpore Christi die Jovis infra octavas S. Trinitatis cum novem lectionibus, & tribus candelis, & cum octava novem lectionum per ordinem universum.

X V I I.

De benedictione post missam facienda.

ITem & per totum ordinem post missas fiat a Sacerdote benedictio cum cruce, vel patena calicis super fratres, & populum, qui missas audiverint, vel ad missam venerint.

X V I I I.

Qualiter in causis ordinis procedetur.

ITem statutum est, quod in causis, & litigiis quæ inter fratres nostri ordinis emergent, veritate inspecta, procedatur simpliciter, & de plano, ne propter superfluarum dilationum subterfugia justitia pereat conquerentis. Et quod illi, quibus auctoritate Domini Abbatis, & diffinitorum capituli generalis committetur justitia partibus facere, in causis, quæ inter personas fratrum nostri ordinis emerserint, vel inquirere de aliquibus, quæ ad prædictum capitulum generale delata fuerunt, in prædictis commissionibus, & inquisitionibus procedere valeant simpliciter, & de plano; & quod aliis partibus, quas negotium ipsum tanget, procedatur, sive partes comparuerint, vel contumaciter se absentent. Et nihilominus quod eorum processus, diffinitiones, & sententiæ, ex eo quod in absentia partium processum fuerit, nequeant impugnari, dum tamen partes citatæ fuerint legitime coram eis.

X I X.

De sumptibus Domini Abbatis ordinem visitantis.

ITem statutum est, quod priores visitati per Dominum Abbatem Grandimontis eorum propriis expensis teneantur de priore visitato ad prioratum visitandum ducere, qui propinquior fuerit priorati visitato, vel eidem Domino Abbati quinquaginta solidos Turonenses prior visitatus, a quo recedet, solvere teneatur pro competenti diete, in qua ipsum Dominum Abbatem extra nostrum ordinem in die, & pernoctare oportebit. Et pro sola refectione diei, vel pernoctatione viginti quinque solidos Turonenses prior solvet. Et quod visitatores ordinis ducantur de prioratu visitato ad prioratum visitandum, per domos ordinis cujuscumque prioratus existant, in expensis moderatis dictarum domorum usque ad domum propinquiorem in itinere constitutam.

X X.

De pœna abutentium litteris ordinis conservatorum.

ITem, cum secundum nostri ordinis regulam fratres ejusdem propter aliena placitare, sive in judicio contendere non debeant, nec causas vel controversias aliorum in manu sua recipere, & secundum canonicas sanctiones nequeant unam, & eamdem personam una die coram diversis judicibus citari facere; vel alias indebite, præsertim ad loca remota, vexare: aliquique priores nostri ordinis, & fratres litteris conservatorum, & aliis apostolicis scienter abuti præsumant in causis injustis, ut etiam alienis, pro quo abusu sunt excommunicationis sententia per dictum Abbatem prolata ligati; statuendo diffinitum est, quod priores præmissis litteris abutentes, & dictam sententiam incurrentes, non possint per Dominum Abbatem absolvi, nisi ultima die capituli generalis: in quo siquidem capitulo tales sic priores excommunicati ab omnibus actibus legitimis excludantur, & fratres de præmissis culpabiles ultra dictam sententiam excommunicationis, vocem, & providentiam unius anni amittant, & de dicto abusu per visitatores quolibet anno in singulis prioratibus inquiratur.

X X I.

De Testibus.

ITem, ut audivimus, multi nostri fratres sua crimine palliare volentes, confidunt, & allegare non verentur, quod non possunt de perpetratis ab ipsis criminibus convinci per testes, nisi essent nostri ordinis fratres, sitque justi-

justitiæ consonum, ut undecumque, & quoscumque fide dignos crimina clareant, puniantur; statuimus, ut contra a ltri prædicti ordinis priores, & etiam sæculares personæ fide dignæ, & omni exceptione majores in testimonium admittantur, prout jura canonica permittunt.

XXII.

De mansione, & expensis fratrum leprosorum.

ITem, ne prioratus domorum de Bosco Ratherii, & de Haja indebite fratribus lepra infectis graventur, sicque observarum in nostro ordine ab antiquo, quod de dicto morbo suspecti possint ad examen medicorum per majores locorum nostri ordinis mitti, & probari, & convicti de dicto morbo consueverint tenere extra fratrum sanorum consortium, usque ad sequens capitulum generale, ubi per ea ipsum ordinabatur, ad quem de dictis duobus prioratibus mansuri perpetuo mittentur, statuimus dictam consuetudinem in ordine nostro de cetero observari. Et priores, a quorum prioratibus mittentur leprosi in prioratibus de Bosco Ratherii vel de Haja prædictis, solvent pro expensis necessariis fratris leprosi quolibet anno in capitulo generali XV. libras Turonenses, quamdiu dictus frater leprosus vitam duxerit in humanis. Et propterea ipsius fratris leprosi in utilitate domus sibi ad commorandum deputata convertetur, & priores de Boscho Raherii, & de Haja domus leprosis deputatas tenere in statu debito, & competenti tenebuntur.

XXIII.

De pœna vagantium fratrum.

ET quia inventum est in multis prioratibus nostri ordinis, quod quidam ipsorum prioratuum fratres extra domos prioratuum vagabundi existere non verentur, in nostri ordinis scandalum, & dictorum fratrum periculis animarum; statuendo præceptum est, quod priores nostrorum fratres vagabundos perquirant, & eis tenere factam pœnas contentas in privilegio Clementis Papæ V. Et nihilominus quod quilibet prior possit quemcumque fratrem vagabundum, & ordinem scandalizantem capere, & captum carceri mancipare, & tenere, quousque a priore dicti fratris incarcerati fuerit requisitum, vel a Domno Abbate aliud receperit in mandatis.

XXIV.

De excommunicatis evitandis.

ITem nos Abbas Grandimontis districte inhibemus omnibus nostris prioribus, & fratribus ad monasterium Grandimontis venientibus ligatis nostris sententiis, ut ante absolutionem, vel relaxationem a nobis, seu nomine nostro obtentam, coram nobis non audeant comparere, aut domos regulares ejusdem monasterii introire, cum hoc sit ab antiquo inhibitum in monasterio antedicto.

XXV.

De fratrum defunctorum brevibus ad capitulum generale deferendis.

ITem statutum est, quod visitatores prioratuum ordinis afferant de cetero ad capitulum generale nomina fratrum, quos obiisse a visitatione præterita invenerint in eisdem; & quilibet prior a dicto capitulo reportet, & in libro commisso prioratu conscribat omnium fratrum nomina, quos decessisse illo anno ad capitulum fuerit reportatum, faciens per fratres sui conventus pro obeuntibus fieri suffragia consueta. Et nihilominus prior, qui secum brevia a capitulo non reportaverit, & ea infra duos menses a dicto capitulo in prioratu suo registrare non fecerit, ex tunc elapsis prædictis duobus mensibus ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum, donec brevia prædicta habuerit, & registrari fecerit, ut superius expressatur, & cum isto statuto remanere volumus suprascriptum statutum de brevibus deferendis.

XXVI.

De pannis vestimentarum non alienandis.

CUpientes illos nostri ordinis fratres, quos ad observantiam statutorum virtutum præmia non inducunt, pœnæ abjiciendæ formidine, a temerariis ausibus refrænare, transgressoribus statuti antiqui prohibentis, quod nullus fratrum alii donare, vel vendere, aut cum alio commutare audeat hoc, quod ei traditur ad utendum, nisi sibi immediate majori præcipiatur, pœnam statuendo imponimus, ut providentiam unius anni vestitus amittant. Et si tales transgressores de conventu monasterii existant, ad exteriores domos, seu cellas mensæ Domini Abbatis unius nihilominus transferantur, hoc adjecto moderamine, ut cum licentia prioris claustralis, vel subprioris, priore absente, communicato prius trium fratrum seniorum dicti conventus consilio, dictarum rerum donatio, vel venditio, aut commutatio possit a fratribus fieri in futurum.

EXPLICIUNT STATUTA GENERALIS CAPITULI.

STA-

STATUTUM

Factum in Capitulo generali Ordinis Grandimontensis tempore Guillelmi primi Abbatis Grandimontensis.

De fratribus studentibus, & eorum provisione.

QUia in privilegio Domini JOHANNIS Papæ XXII. ordini nostro concesso nobis præcipitur, ut duodecim fratres nostri prædicti ordinis professos, quos dociles invenimus, mittamus ad studia litterarum, & eis hujusmodi studiis existentibus, in alimentis, & aliis necessariis de bonis dicti ordinis, indicto a nobis prædictis Abbati, & diffinitoribus, vel duabus partibus diffinitorum subsidio, a prioribus nostri prædicti ordinis exigendo, seu levando.

Volentes nos præfati Abbas, & Diffinitores nostri capituli generalis tamquam obedientiæ filii preceptum hujusmodi apostolicum exequi humiliter, ut tenemur, attendentes, quod ad nos Abbatem, & Diffinitores prædictos pertinet auctoritate dicti privilegii antedictos duodecim fratres professos eligere, & an sint dociles, examinare, ac electos, & examinatos ad studia litterarum mittere, & ex causa rationabili, cum oportuerit, ipsos, aut aliquos, vel aliquem ipsorum ad claustrum de studio revocare per nos dictum Abbatem, successoresque nostros, si fratres ad studia missi sunt de Abbatia Grandimontensis monasterii, vel eius priores, de quorum prioratibus fuerint, & per nos dictum Abbatem, & Diffinitores loco revocatorum, vel revocati, aut ad dignitatem promoti, vel mortui, alium seu alios subrogare, & eis studiis insistentibus in alimentis, & aliis necessariis indicto exacto a prioribus nostri ordinis subsidio juxta tenorem privilegii providere, & animadvertentes insuper, quod in modico non potest quis addiscere, nec repente ad scientias summus esse.

Nos in primis ordinasse, & statuisse noveritis usque ad sapientium dicti fratris durare missionem factam ad studia litterarum, præter illorum, quorum, vel alterius, cujus missionem ex aliqua causa rationabili ad claustrum, aut promotionem ad dignitatem de studio, ut prædictum est oportuerit revocare.

Diffinivimus etiam, diffiniendo dicimus summam ducentarum quinquaginta librarum currentium exigendam, seu levandam in subsidium a prioribus nostri prædicti ordinis de cetero annis singulis terminis infrascriptis, & exactum, seu levatum subsidium in alimentis, & aliis necessariis cujuslibet de prædictis duodecim fratribus studentibus pro qualibet annata, usque ad summam viginti librarum monetæ prædictæ a nobis, vel a nostris successoribus, aut alio de mandato nostro, vel successorum nostrorum nomine partiendum.

Et nihilominus statuimus, quod quilibet frater ad litterarum studium, ut dictum est, missus, amplius habeat insistens studio a loco conventus, monasterii, vel prioratus, unde assumetur, libros sibi necessarios ad studendum, & vestiarium, quod anno quolibet dabitur aliis fratribus monasterii, & prioratuum de conventu; libris prædictis post cujuslibet fratris ad studium missi obitum, aut ad dignitatis, si ad eam promotus fuerit, admissionem, vel factam de eo, infra septenium ex causa rationabili de studio ad claustrum revocationem, ad conventus, unde fuerint habiti, libere reversuris.

Ordinamus insuper, quod de dicto subsidio solvet inter duos terminos, scilicet generalis capituli, & cujuslibet festi omnium Sanctorum.

Prior de Fagia Nivernensi cum domibus de Columba, de Fontaneto, & de Fonte Guidonis ejus prioratui unitis vi. libras, xv. solidos.

Prior de S. Mauricio cum domibus de Carboneriis, & de *Charmes* ejus prioratui unitis vii. lib. v. sol.

Prior de Divione cum domibus de Liniaco, & de Trahis ejus prioratui unitis vii. lib.

Prior de Castro-novo cum domibus de Castaneriis, & de Podio Tilhoso, & de Fonte albo ejus prioratui unitis vi. lib. xv. sol.

Prior de Vileriis cum domibus de Sauzeia, & de *Maulinz* ejus prioratui unita cxvii. sol.

Prior de Bosco Raherii cum domibus de Monte-Ausano, & de Clarofolio ejus prioratui unitis viii. lib. x. sol.

Prior de Pomario acri cum domibus de Fonte Moro, & de Boscheto ejus prioratui unitis c. sol.

Prior de Haya cum domo de Cridone ejus prioratui unita viii. lib. x. sol.

Prior de Monte Guidonis cum domo de Primauderia ejus prioratui unita c. sol.

Prior de *Moynes* cum domo de Brolio *Belai* ejus prioratui unita c. sol.

Prior de Bursrio cum domo de Haubandesla ejus prioratui unita vi. lib.

Prior de Quercu Galonis cum domibus de Bella fago, & de Altone ejus prioratui unitis c. sol.

Prior de Bellomonte cum domo de Belleria ejus prioratui unita c. sol

Prior de Rothomago cum domo de Albavia ejus prioratui unita viii. lib. x. sol.

Prior de Bolonia cum domibus de Malinhiaco, & de Clarino ejus prioratui unitis vi. lib.

Prior de Loya cum domibus de Molinellis, de Codra, & de Bosco S. Martini ejus prioratui unitis viii. lib.

Prior de Marnello cum domibus de Belvaco, & de Fontaneto unitis vi. libras.

Prior de Vicenis cum domibus de Bona domo, & de Alacro ejus prioratui unitis vi. libras xv. sol.

Prior de Rosayo cum domibus de Vasino, & de Savinhiaco ejus prioratui unitis cv. sol.

Prior de Machereto cum domibus de Arnito, de Maflone, & Castro-Villani ejus prioratui unitis vii. l. x. sol.

Prior de Podio Caprarii cum domibus de *Entrephine*, & de Altis rupis, & de Spandio ejus prioratui unitis c. solidos.

Prior de Valholia cum domibus de Trofeya, & de Bosro Polverelli, ac *de Lsbres* ejus prioratui unitis cx solid.

Prior de Carta cum domibus de Fonte Crosa, & de Euterna, & de Fonte Adæ ejus prioratui unitis c. solid.

Prior de Bosco Alonæ cum domibus de Chassayo, & de Bona radice ejus prioratui unitis vii. lib.

Prior de Bandolia cum domibus de Osbisterio, & Rupe Saveria, & Dina ejus prioratui unitis vii. lib.

Prior de Salmazia cum domibus de Lansea, & de Barbatorea ejus prioratui unitis vi. lib. vi. sol.

Prior de Jarrico cum domibus de Brolio Xantonensi, & de Yrsia ejus prioratui unitis vi. lib.

Prior de Revello cum domibus Rausero, de Bello santu, de Gandalrico, & de Bosro Jenino ejus prioratui unitis xii. lib. x. sol.

Prior de Fagia Junilhiaci cum domibus de Plana, & Charnisco, de Bofflato, de Bellasilva, & de Podio Gisberti ejus prioratui unitis vii. lib. xv. sol.

Prior de Franconio cum domibus de Caterco, & *de Deganboses*, & de Bosco minori, & de Vaiseriis ejus prioratui unitis viii. lib. x. solid.

Prior de Deffenso cum domibus de Ribasiola, & de Sancta Rosa ejus prioratui unitis vii. lib. x sol.

Prior de Gaigia cum domibus de Dexoairinhaco, de Luto, de Barbar, de Landa, & de Breda ejus prioratui unitis viii. libras.

Prior de Pinello cum domo de Loco Dei ejus prioratui unita ciii. lib.

Prior de Monte Harbedonis cum domibus de Salvatico, de Petroso, & de Montichis Eumichis ejus prioratui unitis vi. lib. xii. sol.

Prior de Uraya cum domibus de Bello joco, & de Gursia, de Blandona, & de Prinihos ejus prioratui unitis vi. lib. xv. sol.

Prior de Chanano cum domibus de Fiaretu, de Grosso bosco, & de Jayaco ejus prioratui unitis vii. lib. v. sol.

Prior de S. Michaela cum domo de Tumba Romalteius prioratui unita lxxv. sol.

Prior de Esprissia cum domibus de Fayeta, & de Brolio Ædunensi ejus prioratui unitis vi. lib. xv. sol.

Prior de Castaneto cum domibus de Porreriis, & de Clausellis, de Majori Gorsia, & de Salmurio ejus prioratui unitis iiii. lib. vi. sol.

Alioquin in Priores non solventes dictum subsidium supra scriptis terminis excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis.

Summa totalis dictæ taillliæ studientium xx XII. ix. lib. xii. denar.

INCI-

INCIPIT PROLOGUS SEU PRÆFATIO
IN EXEMTIONIS PRIVILEGIIS.

CUm privilegia dici non debeant, nisi aliquid indulgeant speciale, privilegiaque dicantur leges privatorum, & a jure communi exemptorum, occasione quorum exemtionis privilegiorum Abbas, Priores, & alii fratres ordinis nostri contra diocesanos frequenter coram suis conservatoribus habent litigare, ut de ipsis per lectionem, & diligentem inspectionem plenior, & frequentior in ordine nostro habeatur notitia, exemtionis, & aliarum libertatum, privilegiorum tenores post statuta regularia merito referuntur.

INCIPIUNT RUBRICÆ PRIVILEGIORUM EXEMTIONIS.

INCIPIT PRIVILEGIUM EXEMTIONIS ORDINIS GRANDIMONTENSIS.

I.

De exemtione, tam capitis, quam membrorum.

CLEMENS Papa III. universis fratribus Grandimontensis ordinis. Religiosam vitam ducentibus apostolicum patrocinium speciali quadam prærogativa debetur, quatenus quanto ampliori fuerint libertate donati, tanto divinis officiis, & sacræ religionis observantiis frequentius sine motu perturbationis insistant. Ut igitur amplius a tumultibus rerum secularium liberi, expeditius valeatis cœlestia contemplari, personas vestras, ac domum Grandimontensem, & cellulas, cum omnibus, quæ in præsentiarum juste, ac pacifice possidetis, vel in futurum præstante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Volentes, ut deinceps ad nos, & successores nostros tam personæ, quam domus prædicta, & cellulæ vestræ, nullo mediante respiciant; & in jus, & proprietatem Sedis apostolicæ transferantur. Adjicimus etiam, ut nullus, excepto Legato Sedis apostolicæ a Romani Pontificis latere destinato, in vos, vel ecclesias vestras, suspensionis, excommunicationis, aut interdicti sententias sine speciali mandato nostro, vel successorum nostrorum audeat promulgare.

Præterea Priori vestro, qui pro tempore fuerit, si tamen sit presbyter, tonsurandi fratres vestros clericos, & priores eorum benedicendi licentiam indulgemus.

Corrigendi etiam, quæ tam in personis, quam observantiis regularibus, quæ fuerint corrigenda cum majoris, & sanioris partis clericorum, & laicorum, consilio, & assensu, salvis tamen institutionibus ordinis, & privilegio Sedis apostolicæ, liberam ei sine appellatione, & contradictione qualibet concedimus facultatem.

Ad indicium autem hujusmodi perceptæ a Sede apostolica libertatis, duas auri uncias nobis, & successoribus nostris annis singulis persolvetis.

Statuimus etiam, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, constitutionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & B. Apostolorum ejus Petri, & Pauli se noverit incursurum. Datum Laterani vi. Cal. Julii, Pontificatus nostri anno primo.

Item de eadem exemtione tam capitis, quam membrorum.

INNOCENTIUS Papa IV. Priori, & universis Grandimontensis ordinis. Cum nuper duxerimus statuendum, ut exemti quantum cumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum ordinariis conveniri, & illi, quo ad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere: Vos dubitantes, ne per constitutionem hujusmodi libertatibus, & immunitatibus vobis, & ordini vestro per privilegia, & indulgentias ab apostolica Sede concessa præjudicari valeat, nobis humiliter supplicastis, ut providere super hoc indemnitati vestræ pia sollicitudine curaremus. Quia vero ejusdem ordinis sacra religio sic vos apud nos digno favore constituit, ut nobis votivum existat, vos ab omnibus, per quæ vobis provenire possint dispendia, immunes libenti animo præservare, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut occasione hujusmodi constitutionis nullum eisdem libertatibus, & immunitatibus in posterum præjudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, constitutionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & B. Apostolorum ejus Petri, & Pauli se noverit incursurum. Datum Lugduni Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno vIII.

II.

De potestate Conservatorum.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Remensi, Rotomagensi, & Turonensi Archiepiscopis, & eorum suffraganeis, & dilectis filiis abbatibus, & prioribus, decanis, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis per Remensem, Rothomagensem, & Turonensem provincias constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, & apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis, & plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, & canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi, & hi maxime, qui per Sedis apostolicæ privilegia majori sunt libertate donati, passim a malefactoribus sui injurias sustineant, & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, & pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii prior, & fratres Grandimontensis ordinis tam de frequentibus injuriis, quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, & pressuris nostro possint præsidio respirare. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum prioris, & fratrum, hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ prædictis priori, & fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos priorem, & fratres, vel eorum aliquem contra Sedis apostolicæ indulta, sententiam excommunicationis, aut interdicti præsumserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante concilium generale, quas propriis manibus, aut sumtibus excolunt, seu de nutrimentis animalium ipsorum spretis apostolicæ Sedis privilegiis extorquere; monitione præmissa, si laici fuerint, publice candelis accensis singuli in ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis. Si vero clerici, vel

cano-

canonici regulares, sive monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio, & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis priori, & fratribus satisfaciant. Et tam laici, quam clerici sæculares, qui pro violenta manuum injectione in fratres jam dictos, vel eorum aliquem anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœcesani episcopi litteris ad Sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona prædictorum prioris, & fratrum, vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi fuerint, interdicti sententiæ supponatis. Datum Perusii 11. Idus Junii, Pontificatus nostri anno nono.

Item de Conservatorum potestate.

JOHANNES Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis S. Genovefæ Parisiensis, & monasterii novi Pictaviensis, & de Moysiaco Caturcensis monasteriorum abbatibus salutem, & apostolicam benedictionem.

Etsi quibuslibet religiosis, & locis de injunctæ nobis servitutis officio assistere defensionis præsidio teneamur; illis tamen specialius, & efficacius adesse nos convenit, qui Sedi apostolicæ immediate subjecti, non habent præter Romanum Pontificem alium defensorem. Sane dilectorum filiorum abbatis, & conventus monasterii Grandimontis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Lemovicensis diœcesis conquestione percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, & alii clerici, & ecclesiasticæ personæ, tam religiosæ, quam sæculares, necnon & comites, & barones, milites, universitates, & aliæ singulares personæ civitatum, & diœcesum, ac partium vicinarum, in quibus dictum monasterium, nec non prioratus, domus, & alia loca, & membra ordinis monasterio Grandimontensi subjecta consistere dignoscuntur, occupaverunt, & occupari fecerunt ecclesias, domos, grangias, molendina, decimas, obedientias, casalia, terras, vineas, possessiones, censes, reditus, & proventus, jurisdictiones, & jura, ac nonnulla alia bona mobilia, & immobilia ad dictum monasterium, & præfatos prioratus, & domos, & alia prælibata ejus membra spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu eadem detinentibus præstant auxilium, & favorem. Nonnulli etiam civitatum, & diœcesum, & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, dictis abbati, & prioribus, ac conventibus monasteriorum, & prioratuum eorumdem in ecclesiis, grangiis, molendinis, decimis, casalibus, castris, terris, possessionibus, juribus, bonis, & rebus aliis ad monasterium, & prioratus, vel domos prædicta spectantibus, multiplices molestias, & injurias inferunt, & jacturas; quare dicti abbas, & conventus ejusdem monasterii nobis humiliter supplicarunt, ut cum valde difficile reddatur eisdem, & aliis prioribus, & membris suis pro singulis querelis ad apostolicam Sedem habere recursum, providere eis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, præsumtores, molestatores, & injuriatores hujusmodi, illo volentes remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis, conservatores, & judices, abbati, & prioribus conventibus, & domibus, & membris prædictis, in illis partibus consistentibus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super his, & quibuslibet aliis indebite molestari, vel sibi gravamine, seu damna, vel injurias irrogari, facturi ipsis cum ab ipsis, vel eorum aliquo, seu procuratore, vel procuratoribus eorumdem, vel aliquibus ipsorum fueritis requisiti de prædictis, & aliis personis quibuslibet super restitutione ecclesiarum, grangiarum, castrorum, casalium, terrarum, possessionum, jurisdictionum, jurium, & bonorum immobilium, & mobilium redituum quoque, & proventuum, & aliorum quorumcumque bonorum. Necnon & de quibuslibet injuriis, & molestiis, atque damnis præsentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, de plano sine strepitu, & figura judicii. In aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, justitiæ complementum, occupatores, seu detentores, molestatores, præsumtores, & injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cujuscumque status, ordinis, vel conditionis, etiamsi archiepiscopalis, episcopalis dignitatis existerint, quantumcumque, & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: non obstantibus felicis recordationis BONIFACII Papæ VIII. prædecessoris nostri (constitutionibus), in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem; & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices, & conservatores, a Sede deputati prædicta, extra civitatem, & diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœcesis eorumdem trahere præsumant, seu quod de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis, & aliis, quæ judicialem indaginem exigunt, pœnis in eos, si secus egerint, & in eos procurantes adjectis, conservatores se nullatenus intromittant; & tam de duabus dietis in concilio generali, dummodo ultra tertiam, vel quartam dietam aliquis extra suam civitatem, & diœcesim auctoritate præsentium non trahatur, quam aliis quibuslibet constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis, & conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ possent vestræ in hac parte jurisdictioni, aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu, si aliquibus communiter, vel divisim a prædicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem; & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, & speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam vestræ jurisdictionis explicatio valeat quomodolibet impediri, & de quacumque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus, & auctoritate apostolica decrevimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data præsentium sit vobis, & unicuique vestrum in præmissis omnibus, & eorum singulis cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris, perpetua potestas, & jurisdictio attributa, eo vigore, & ea firmitate possitis in præmissis omnibus cœptis, & non cœptis, præsentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram vobis cœpta fuissent, & jurisdictio vestra, & cujuslibet vestrum in prædictis omnibus, & singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, Constitutione prædicta super conservatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Avinione Kalendis Martii Pontificatus nostri anno III. Anno Incarnationis Dominicæ MCCCXVIII.

III.

De confirmatione, & benedictione abbatis.

JOANNES Papa XXII. GUILLELMO abbati Grandimontensi. Dudum circa statum ordinis, & monasterii Grandimontensis, ad Romanam dumtaxat ecclesiam pertinentis, quod ejusdem ordinis caput esse dinoscitur, ab olim per priorem solitii gubernari Lemovicensis diœcesis, paternæ considerationis aciem extendentes, apostolicæ sollicitudinis apposuimus studia, ut eradicatis quibuslibet dissensionum anfractibus, quibus retroactis temporibus ordo ipse, ac monasterium fuerant, proh dolor! lacessita, optatæ pacis commodis potirentur, propter quod per alias nostras certi tenoris litteras, inter cetera auctoritate apostolica, & de fratrum nostrorum consilio, & de apostolicæ plenitudine potestatis, duximus decernendum, ut abbas præesset de cetero in monasterio prælibato, ordinavimus etiam, quod visitatores speciales ipsius monasterii, vel major pars ipsorum, cum prædictum monasterium abbatis regimine pro tempore carere contingeret; si electio futuri abbatis infra tempus in ipsis nostris litteris contentum, canonice fuerit celebrata, electionem ipsam auctoritate apostolica confirmare procurent. Et licet juxta morem hactenus per Romanam servatum ecclesiam abbates successores tui, qui per hujusmodi electionem successive pro tempore monasterio præficerentur, eidem pro suæ benedictionis munere obtinendo tenerentur ad Sedem apostolicam personaliter se conferre, nos tamen considerantes attentius, quod eosdem abbates propterea labores, & expensarum onera oportet de necessitate subire, ac eis super hoc de benignitate apostolica providere volentes, præfatis abbatibus successoribus tuis, qui pro tempore fuerint, ut ipsi postquam fuerint ab eisdem visitatoribus, ut præmittitur, confirmati, a quocumque maluerint antistite, gratiam, & communionem apostolicæ Sedis habente, dictum benedictionis munus recipere valeant; ipsique antistiti, ut hujusmodi benedictionis munus impendere possit, eidem plenam, & liberam conce-

dimus

dimus auctoritate apostolica facultatem. Volumus autem, quod idem antistes postquam prædictis abbatibus successoribus tuis, qui pro tempore fuerint, dictum munus impenderit, ab eorum quolibet, nostro, & Ecclesiæ Romanæ nomine fidelitatis recipiat solitum juramentum juxta formam præsentibus annotatam, ac formam juramenti, quod quemlibet dictorem abbatum successorum præstare contigerit, nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo signatas, per proprium nuncium quam citius destinare procuret. Forma vero juramenti, quod quilibet prædictorem abbatum successorem suorum præstabit, talis est: „ Ego N. abbas monasterii Grandimontis ad Romanam „ ecclesiam nullo medio pertinentis, Lemovicensis diœcesis, ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero „ B. Petro, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ, & „ Domino nostro Papæ, suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, „ ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala „ captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per „ se, aut nuncios, sive per litteras ad eorum damnum, „ me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & „ regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, salvo meo ordine, contra omnes homines. „ Legatum apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus „ ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica „ præpeditione. Apostolorem limina singulis bienniis „ visitabo, aut per me, vel per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad meum monasterium pertinentes non vendam, neque donabo, neque „ impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus „ adjuvet, & hæc sancta evangelia. Nulli ergo &c.

I V.

Conclusio totius operis in septem collationes distincti.

EXpletis ad honorem Dei, & Sanctissimæ B. Virginis MARIÆ Matris suæ, atque sanctissimi STEPHANI confessoris, heremitæ sanctissimi, septem collationibus, in quibus quasi VII. columnis sapientia ædificavit sibi domum, & ordinis Grandimontis. Non omittat aliquis Grandimontensis ordinis frater memoriæ commandare, & opere exercere illud, quod Dominus Josue primo capitulo dixit, ut intelligas cuncta, quæ agis, non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Et licet tempus sit quemlibet tunc addicere, quando ex officio animos deberet docere . . . . . . illius ea, quæ tenetur ex officio facere, & docere, penitus ignorare. Illius enim ignorantiæ non est secundum Augustinum &c.

CONFIRMATIO

DOMINI CLEMENTIS PAPÆ VI.

CUJUSDAM CONCORDIÆ INITÆ INTER DOMNOS ABBATEM, ET PRIORES ORDINIS GRANDIMONTENSIS.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum, quo sumus universis obligati ecclesiis, & monasteriis, nos compellit ut eorum intendamus utilitatibus, & in his quæ ipsorum ac personarum in eis degentium bonum statum, & divini cultus augmentum conspiciunt, nos exhibeamus favorabiles, & benignos. Sane petitio dilectorum filiorum PETRI Abbatis monasterii Grandimontis Lemovicensis diœcesis, ac priorum eidem monasterio subjectorum, nobis nuper exhibita continebat, quod dudum cum a nonnullis fide dignis diceretur, quod per quandam ordinationem per Sedem apostolicam in ordine Grandimontensi factam præfatum monasterium, tam in honore, quam etiam in facultatibus erat valde depressum, quodque domus unitæ per ordinationem eamdem præfato monasterio, ac prioratibus eis subjectis, nec religiose, nec salubriter, prout erat expediens, regebantur: nos dilecto filio BERTRANDO tituli S. Marci presbytero cardinali duximus committendum, ut vocatis PETRO Abbate prædicto, & dilecto filio GUILLELMO LA MARCHE Priore de Querco Galonis procuratore priorum ordinis Grandimontensis tunc in Romana curia constituto, induceret abbatem, & priorem prædictos ad tractandum, & concordandum, ipso Cardinali mediante, de modis, & viis, per quos posset salubrius, & utilius præfato monasterio, & domibus provideri. Idem abbas, & prior procurator sæpius in præsentia ipsius Cardinalis propterea constituti, præhabitis diversis tractatibus, & super illis deliberatione habita diligenti, tandem pro utiliori, & meliori regimine, tam monasterii, quam domorum prædictarum, & animarum salute, ipso Cardinali præsente, & interveniente certis modis, & formis curiæ expressis amicabiliter concordarunt: quodque postmodum præfatus Cardinalis de mandato nostro, vivæ vocis oraculo sibi facto, tractatum, & concordiam supradictos in ipsius Cardinalis præsentia, ipsoque mediante, factos, & habitos examinavit diligenter; ac deinde considerans, quod tractatus, & concordia hujusmodi in augmentum cultus divini, regularem observantiam, ac pacem, & tranquillitatem dicti ordinis, & personarum ipsius tendere noscebantur, tractatum, & concordiam præfatos, ac omnia, & singula in eis contenta auctoritate apostolica approbavit, ac rata, & grata habuit, & ipsa habere voluit perpetuam roboris firmitatem, ipsumque mandavit & voluit perpetuis futuris temporibus in eodem ordine inviolabiliter observari, prout in quibusdam litteris sub instrumento publico ipsius Cardinalis sigillo munitis inde confectis, quorum tenores de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum abbatis, & priorum prædicto monasterio subjectorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut tractatum, & concordiam supradictos per ipsum Cardinalem approbatos, ac ratos, & gratos habitos, ut præfertur, auctoritate apostolica cum suppletione defectus, si quis forsitan in præmissis fuerit, fulcire apostolico munimine dignaremur. Nos igitur volentes, ut tractatus, & concordia præfati sub infrascripto nostro moderamine inviolabiliter observetur, hujusmodi supplicationibus inclinati, eosdem tractatum, & concordiam per eumdem Cardinalem, ut præmittitur, approbatos, ratos, & gratos habitos, illos auctoritate prædicta sub eodem infrascripto moderamine ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan in præmissis intervenerit, de apostolicæ plenitudine potestatis. Caeterum quia in dictis litteris, seu instrumento Cardinalis ejusdem super hujusmodi concordia, & ordinatione confectis, inter alia continetur, quod ea tunc cessaret omnis impositio subsidii, nisi in certis exceptis, tunc expressis casibus in ordine memorato, nostræ intentionis extitit, ordinationem, & concordiam hujusmodi, quo ad impositionem dicti subsidii, propter adventum cujuscumque personæ, nisi papæ dumtaxat, nullatenus confirmare. Tenor autem litterarum, seu instrumenti talis est.

BERTRANDUS miseratione divina tituli S. Marci presbyter cardinalis, commissarius deputatus ad infrascripta a sanctissimo Patre, & Domino nostro, Domino CLEMENTE divina providentia Papa VI. venerabili nostro PETRO Dei gratia abbati monasterii Grandimontis, & religiosis viris prioribus prioratuum, & aliis professoribus ordinis Grandimontensis salutem, & sinceram in Domino caritatem.

Pridem prædictus Dominus noster Papa a nonnullis fide dignis audito, quod per ordinationem felicis recordationis Domini JOANNIS Papæ XXII. in dicto ordine dudum factam, monasterium Grandimontensis prædictum, tam in honore, quam etiam in facultatibus dicebatur valde depressum, quodque domus unitæ per ordinationem eamdem dictis monasterio, & prioratibus ipsius ordinis, religionis honestate deposita, nec religiose, nec salubriter, ut erat expediens, regebantur: cupiens pietate paterna dictis monasterio, & domibus, ac personis dicti monasterii consulere, & eis de opportuno remedio providere, mandavit, & commisit ex officio per certas suas certi tenoris litteras; certis personis ejusdem ordinis, quatenus solerter inquirerent, an prædicta ordinatio esset dicto ordini utilis, vel damnosa, & quod invenirent sibi fideliter referre curarent. Qui siquidem commissarii, facta, & recepta per eos informatione, ipsam clausam, & sigillis suis sigillatam ad Romanam curiam deferentes, petierunt eam aperiri, & per præfatum Dominum nostrum Papam sibi circa statum ordinis salubrius provideri. Idem autem Dominus noster vivæ vocis oraculo nobis commisit, ut dictam informationem videremus, & de contentis in ea sibi relationem plenariam faceremus, qua informatione per nos inspecta, & de ipsa eidem Domino nostro relatione facta; quia ipse propter negotia magna, & ardua occurrentia per se non poterat absque moræ dispendio procedere; in negotio memorato, nobis commisit pariter, & mandavit, ut vocatis vobis PETRO Abbate præfato dicti monasterii Grandimontis, & religioso viro fratre GUILLELMO LA MARCHE Priore de Querco-Galonis procuratore priorum ordinis memorati tunc in Romana curia constitutis, induceremus vos, & procuratorem præfatum ad tractandum, nobis mediantibus, & concordandum de modis, & viis, per quos posset salubrius, & utilius præfatis monasterio, ac domibus provideri. Vos vero abbas, & procurator prædicti sæpius propterea in nostra præsentia constituti, præhabitis diversis tractatibus, & super illis deliberatione habita diligenti: tandem pro utiliori, & meliori regimine, tam ipsius monasterii, quam domorum prædictarum, & animarum salute, nobis præsentibus, & intervenientibus concordastis amicabiliter infra scriptis modo, & forma. De qua concordia per nos relatione Domino nostro facta, idem Dominus noster tertio vivæ vocis oraculo nobis commisit, ut tractatum, & concordiam hujusmodi, & omnia, & singula in ipsis tractatu, & concordia contenta auctoritate apostolica approbantes eisdem robur, & firmitatem perpetuam præberemus. Nos igitur factum mandatum apostolicum nobis tamquam obedientiæ filiis volentes exequi, ut debemus; tractatum, & concordiam supradictos in præsentia nostra, nobisque mediantibus factos, & exhibitos examinavimus diligenter: & considerantes, quod tractatus, & concordia hujusmodi inter eos abbatem, & procuratorem prædictos nomine prædicto ad augmentum cultus divini, regularem observantiam, & pacem, & tranquillitatem ordinis Grandimontensis, & personarum ipsius tendere dinoscuntur; tractatum, & concordiam inter eos abbatem, & procuratorem prædictum habitos, & omnia, & singula in articulis infra scriptis contenta nobis mediantibus per Dei gratiam con-

concordata, auctoritate apostolica nobis super hæc, ut preferrur, concessa approbamus, & grata, & rata habemus, ac ipsa habere volumus perpetuam roboris firmitatem ipsamque mandamus auctoritate apostolica, & volumus perpetuis futuris temporibus in ipso ordine inviolabiliter observari.

Tractatus autem, & concordia, & articulorum ipsorum in quodam instrumento publico infrascripto contentorum tenor sequitur in hæc verba.

IN nomine Domini, amen. Anno a nativitate ejusdem MCCC. quadragesimo sexto, XIV. indictione, die VIII. mensis Maii. Noverint universi præsens instrumentum publicum inspecturi, quod in præsentia Reverendissimi in Christo Patris, Domini, Domini BERTRANDI tituli S. Marci presbyteri cardinalis commissarii ad infra scripta a Sanctissimo Patre, & Domino nostro, Domino CLEMENTE divina providentia Papa VI., ut asseruit, deputati, & mei notarii publici, & testium subscriptorum ad hæc vocatorum, & rogatorum personaliter constituti, venerabilis Pater Dominus PETRUS Dei gratia abbas monasterii Grandimontis ex una parte, & religiosus vir frater Guillelmus *La Marche* prior de Querco Galonis Santonensis diœcesis ordinis Grandimontis, procurator priorum ejusdem ordinis in Romana curia deputatus, prout de suo mandato apparuit mihi notario infrascripto per quoddam instrumentum publicum, cujus tenor inferius describitur, ex altera; post factas hinc inde vias diversas, tam super augmento honoris, & facultatum abbatis, & monasterii prædictorum, necnon cultus divini in domibus unitis abbatiæ, & prioratibus ordinis supedicti, & observantiæ regularis, quam etiam super quibusdem aliis, quæ reformationem exebant in ordine memorato; tandem præfato Reverendo Patre domino Cardinali mediante inter ipsas partes pro bono pacis, ut sequitur extitit concordatum.

I.

De numero diffinitorum capituli generalis ordinis Grandimontis.

PRimo, quod quamvis per ordinationem felicis recordationis Domini JOHANNIS Papæ XXII. novem diffinitores computato abbate constituti sint in ordine memorato, de quibus quatuor de gremio monasterii prætextu cujusdam gratiæ a præfato Domino nostro CLEMENTE olim factæ, sunt eligendi, & secundum hoc abbas una cum dictis quatuor de suo gremio in diffinitione majorem partem non absque suspicione, ut dictus procurator asserebat, obtinebat; concordatum est inter dictas partes, quod unus de ipso numero adjungatur diffinitor, qui non sit de conventu monasterii prælibati, qui una cum aliis in generalibus capitulis ipsius ordinis præbentes vocem in electione diffinitorum hujusmodi eligentur, & sic decem diffinitores a modo, abbate computato, existant.

II.

De institutione fratrum in singulis domibus monasterii, & prioratuum Grandimontis.

ITem pro divini cultus augmento, & ut melius in domibus unitis per dictam sedem monasterio, & prioratibus ipsius ordinis vigeat observantia regularis, abbas, diffinitores, vel eorum major pars in generali capitulo ponant, & statuant congruum numerum, & decentem fratrum in singulis prædictis domibus; de numero tamen a prædicto JOHANNE Papa in dictis monasterio, & prioratibus ordinato, consensu adhibito trium de senioribus dicti ordinis in dicto capitulo existentibus, & deliberatione præhabita super domorum ipsarum facultatibus cum abbate, & prioribus, ad quos domus hujusmodi pertinebunt.

III.

De administratorum potestate, & eorum depositione.

ITem, quod abbas in singulis domibus unitis monasterio, & priores in singulis unitis prioratibus suis præficiant administratores idoneos in spiritualibus, qui absentibus abbate a sua, & prioribus a suis commoratibus prælibatis obedientiam fratrum secum morantium habebunt in his, quæ concernunt divinum officium horis debitis in ecclesiis celebrandum, silentium, regularem vitam, modumque vivendi exeundi portas domorum ipsorum nostro, dinque, & alias regulariter conversandi: eorumque confessiones audient, & a peccatis absolvent, eisque injungent pœnitentias salutares, corrigent insuper eos in capitulo pro transgressionibus, pro quibus pœna carceris temporalis, vel perpetui secundum statuta ordinis non debetur. Quibus administratoribus fratres in dictis domibus residentes in præmissis, & præmissorum quolibet obedient absolute. Alioquin pœnis contra inobedientes statutis in ipso ordine involventur, non tamen eos absolvere poterunt a sententiis canonis, vel statutorum ordinis, nisi hoc eis specialiter committatur. Transgressiones vero, quæ incarcerationem vel pœnam majorem requirent, referre suis superioribus tenebuntur, a quibus dictis superioribus dicti administratores amoveri poterunt, quandocumque eis videbitur expedire. Per hæc autem superioritati abbatis, & priorum, quam immediate habent in domibus hujusmodi sibi unitis, & omnibus fratribus sui conventus nullum præjudicium generetur.

IV.

De visitatione domorum prioratibus unitarum.

ITem, licet abbas in dictis domibus nullam visitationem habeat, ipsas tamen, ut melius gubernentur, faciet de triennio in triennium visitari per aliquem de ipso ordine, qui duabus evectionibus sit contentus, vel per illos, qui per ipsum abbatem ad prioratus visitandos deputati fuerint, si essent alias necessario per domos hujusmodi transituri: quo casu per dictos dumtaxat absque alterius missione dicta visitatio peragatur. Visitatores autem hujusmodi ultra unum diem, præter diem, quo venient, in singulis domibus nullatenus habeant remanere. Abbas vero etiamsi prioratus personaliter visitaret, domos hujusmodi per se minime visitabit, quia forsan in expensis nimium gravarentur.

V.

Quot dies potest esse abbas in quolibet prioratu visitando.

ITem, cum propter moram talem dierum, præter diem adventus, quem trahere in prioratibus abbas, cum visitabat per se, vel per alium, consuevit, prioratus hujusmodi in expensis non modicum gravabantur: concordatum est, quod de cætero, nec ipse, nec alius pro eo visitans ultra duos dies in ipsis maneat, die, qua venerit, minime computata.

VI.

De examinatione novitiorum, & de insufficientibus expellendis ab ordine.

ITem, ut meliores personæ de cetero recipiantur, in prioratibus ordinis supradicti, abbas, vel alius loco sui in prioratibus hujusmodi visitationis suæ tempore novitios ibi receptos cum tribus de senioribus ibi existentibus examinabunt, & sufficientes ad professionem admitti: insufficientes vero expelli de ordine declarabunt.

VII.

De mutatione perpetua fratrum ordinis Grandimontensis.

ITem, licet secundum ordinationem prædicti Domini JOHANNIS Papæ absque evidenti causa utilitatis, vel necessitatis non posset fieri perpetua mutatio fratrum de prioratu ad alium prioratum: fiet tamen de cætero dicta mutatio per abbatem de consilio duorum diffinitorum de antiquioribus in capitulo generali: de consensu tamen duorum priorum, quos continget dicta mutatio, nulla alia solemnitate adhibita, & fratrum præscientia, seu consensu minime requisito, ut per mutationes hujusmodi a suis insolentiis valeant emendari.

VIII.

Quibus causis liceat subsidium in ordine Grandimontis imponere.

ITem, ne monasterium prælibatum habeat de cetero materiam passim pro quacumque causa, seu necessitate subsi-

subsidium a prioribus dicti ordinis postulandi, pensiones antiquæ, quas ipsi priores debent annuatim solvere in generali capitulo monasterio prælibato, augentur deinceps de quadringentis libris Turonensibus solvendis una cum antiquis pensionibus eidem monasterio in capitulo generali. Quod si priores, & administratores portiones de dictis quadringentis libris eos contingentes non solverint, ut præfertur, pœnas similes, & sententias statutas contra non solventes pensiones antiquas simili modo, & forma incurrerent. Quæ siquidem portiones considerabuntur juxta modum, & formam, & pro rata impositionis talliæ studentium in ipso ordine dudum factæ. Cessabit autem ex nunc in dicto ordine omnis impositio subsidii, nisi propter adventum Papæ, vel Regis, vel propter servitium cameræ Domini Papæ, si contingeret de abbate eidem monasterio per Sedem apostolicam provideri, vel propter casum utrum magnum, & inopinatum evidentem, & notorium contingeret adeo gravari monasterium prælibatum, quod non posset verisimiliter absque priorum subsidio relevari: in quibus casibus stabitur diffinitorum, vel septem eorum arbitrio; quibus arbitrantibus in casibus præmissis fore subsidium imponendum, ipsi iidem, vel septem ex eis imponere poterunt juxta necessitatem imminentem subsidium moderatum,

I X.

Quod abbas potest conferre quatuor prioratus proxime vacaturos post suam creationem, & in singulis prioratibus cum loca post suam creationem vacaverint, singulos novicios idoneos ponere.

ITem, quod quamvis juxta ordinationem prædictam libera electio priorum pertineat ad conventus prioratuum dicti ordinis, & receptio fratrum in prioratibus ad priores spectet, de consensu tamen sui conventus, vel majoris partis ejusdem; ut tamen abbas, qui nunc est, & qui erit pro tempore, majori prærogativa gaudeat, & ampliori fulgeat potestate, idem dominus abbas, qui nunc est, & qui erit pro tempore, quatuor prioratibus conventualibus sui ordinis proxime vacaturis post suam creationem, nullis aliis de jure debitis semel dumtaxat durante tempore sui regiminis de personis idoneis poterit providere, & in singulis prioratibus, cum loca post suam creationem vacaverint, singulos novicios idoneos, & semel dumtaxat ponere, quos priores ad professionem recipiant dummodo aliquid canonicum non obsistat.

X.

Quid liceat domno abbati recipere de bonis prioratus vacantis.

ITem, licet per jam dictam ordinationem concessum sit abbatibus Grandimontis, quod habere possent unum de quolibet vasis aureis vel argenteis, & jocalibus, ac lapidibus pretiosis extantis, vel decedentis, aut amoti prioris, ac de quolibet jocali unum melius; concordatum est inter dictas partes, quod abbas de cetero de hujusmodi vasis, jocalibus, & lapidibus duo de melioribus ac de quolibet jocali duo meliora, & non ultra petere poterit, & habere.

X I.

De cassatione statutorum obviantium isti tractatui & de confirmatione aliorum non obviantium.

POstremo concordatum est inter prædictas partes, mediatore Domino Cardinali, quod privilegia, & ordinationes apostolicæ, vel aliæ, quæcumque ipsius ordinis, quatenus deviant, seu adversantur tacite, vel expresse præsenti concordiæ, & tractatui, sint cassa, & cassæ, atque nullæ, & pro cassis, & nullis ac irritis de cetero habeantur, ipsisque privilegiis, ordinationibus, & statutis, quatenus sunt contraria hujusmodi concordiæ, partes ipsæ, & qualibet earum renuntiaverunt specialiter, & expresse; iisdem privilegiis, ordinationibus, & statutis quantum ad alia præmissis tractatui, & concordiæ non obviantia, in suo robore, & firmitate mansuris. De quibus omnibus, & singulis, tam præfatus Dominus PETRUS abbas pro se ipso, quam dictus frater Guillelmus *la Marche* procurator nomine procuratorio quo supra, requisiverunt me notarium infrascriptum ut eis, & cuilibet eorum unum, seu plura ejusdem tenoris publica conficerem instrumenta. Acta fuerunt hæc Avinione in hospitio dicti Domini Cardinalis, & in camera majori ipsius, præsentibus venerabilibus, & religiosis viris Dominis Guidone de Servientis licentiato in decreto priore prioratus de Machereto Trecensis diœcesis, Bertrando de Pestilhaco conventuali prioratus de Uyaya ordinis Grandimontensis Aniciensis, Guillelmo de Cadoene canonico Uticensi, nec non Bertrando de S. Jaco S. Johannis de Pinn, & Guillelmo Fabri de Palperingis Nemausensis, & Norviensis diœcesis ecclesiarum rectoribus, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Tenor autem instrumenti procurationis dicti fratris Guillelmi la Marche *talis est.*

„ IN nomine Domini amen. Universis, & singulis hoc præsens instrumentum publicum inspecturis pateat evidenter, quod septima die mensis Maji anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indictione XIII. pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini CLEMENTIS divina Dei providentia Papæ VI. anno IV. in mei notarii publici, & testium subscriptorum ad hæc vocatorum, & rogatorum præsentia personaliter constituti religiosi viri fratres Johannes de Planis de Podio Caprarii, Helias *de Crozant*, de Boloma, Giraldus Vilaur de Vileriis, Geraldus Germani de Razayo, Petrus Lanelhzo de Pomeriovaci, Aymericus de Lacu de Castronovo, Aymericus de Costato de Fagia Jumiliaci, Raymundus Bernardi de Bosco-Alonæ, Geraldus de Penhaco de Vicenis, Johannes, *la Chese* de Espreyssya, Raymundus de S. Privato de Bello-monte, Stephanus Silvani de Borceyo, Geraldus de Solli de Bandolia, Robertus *de Ventador* de Quarra, Ademarus Crispi de Fagia Nivernensi, Hilarius de Tucco de Defenso, Bertrandus de Rupeforti de Valholia, Martinus Judicis de Ravello, Petrus de Manso de S. Michaele, Symon *de Byres* de Castaneto prioratuum priores, & eorum quilibet in solidum grates, & scienter fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt suos veros, certos, & irrevocabiles procuratores, syndicos generales, & speciales, videlicet religiosos viros fratres Bernardum de Castris prioratus de Monnayes, Guillelmum de Marchia prioratus de Quercu Galonis, Guillelmum Vallengani prioratus de Francorio, Arnaldum de Bello Rozen prioratus de Jarrico, Johannem Martini prioratus de Salmazia, Guidonem Fouscheti de Divione, Olivarium de Aita prioratus de Rotomago priores, & eorum quemlibet in solidum, qui etiam procuratores fecerunt, & constituerunt, scilicet unus alium procuratorem, & syndicum: ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod per unum ipsorum inceptum fuerit, per alium, seu alios ipsorum insequi mediari valeat, & finiri, videlicet ad tractandum coram præfato sanctissimo in Christo patre, & Domino nostro, Domino CLEMENTE divina providentia Papa VI., & coram reverendissimis in Christo patribus, & Dominis sacri palatii Cardinalibus, alibi de bona concordia, pace, & reformatione in omnibus, & singulis casibus, in quibus eis videbitur, quod religio Grandimontensis indigebit, nec non ad relevandum monasterium Grandimontense in his, in quibus depressum eis videretur per ordinationem felicis recordationis JOHANNIS XXII., ac tractatum concordatum, & habitum per eos Sedi apostolicæ, & alibi per se, & alios præsentandi, & summi Pontificis voluntatem super tractatu hujusmodi audiendum, & usque in finem debitum prosequendum, & delatum, si quod inter eos esset, in manibus Reverendi patris in Christo Domini BERTRANDI titulo S. Marci presbyteri Cardinalis ponendum, & audiendum ordinationem suam, & si necesse fuerit, appellandum, & appellationem prosequendum, apostolos petendum, unum, vel plures, parem, & similem potestatem habentem substituendum, & substitutum revocandum; nec non & omnia alia, & singula faciendum, quæ in præmissis, & circa præmissa necessaria fuerint, vel etiam opportuna, etiamsi mandatum exigant magis speciale, & quæ veri, & legitimi procuratores, & defensores facere possunt, & debent, & quæ ipsimet constituentes facerent, aut facere possent, si præsentes essent. Ratum, gratum, & firmum habentes dicti constituentes, & eorum quolibet perpetuo habituri, quicquid per dictos procuratores suos, & eorum quemlibet, & substitutum substituendum, substitutos, vel substituendos ab eis, vel eorum altero in præmissis, & circa præmissa, & quolibet præmissorum actum, gestum, tractatum fuerit, seu etiam ordinatum, promittentes, quod dicti constituentes, & eorum quilibet mihi notario publico infrascripto solemniter stipulanti vice, & nomine dictorum procuratorum, & omnium

aliorum

„ aliorum, quorum interent, ac interesse poterit in fu„ turum, prædictis procuratoribus suis, & eorum quoli„ bet, ac substitutis, vel substituendis ab eis, vel eorum „ judicatum solvi cum suis clausulis universis, ac ipsos, „ & eorum quemlibet relevere ab omni onere satis dan„ di, sub obligatione, & ypotheca omnium bonorum suo„ rum præsentium, & futurorum: protestantes dicti con„ stituentes, & ante, & post, quod propter hujusmodi „ procurationem non intendunt alias procurationes per eos „ factas revocare, sed voluerunt eas in suis roboribus du„ raturas. Acta fuerunt hæc apud Grandimontem Lemovi„ censis diœcesis anno, die, loco, indictione, & ponti„ ficatu prædictis: præsentibus religiosis viris fratribus Ni„ colao de Molendinis conventuali monasterii Grandimon„ tis; fratre Johanne de Castro-Ponrit conventuali de Vi„ lerits &c. & pluribus aliis ad præmisse eocatis testibus, „ & rogatis. Et ego Guillelmus de Platee clericus Lemo„ vicensis publicus auctoritate imperiali notarius &c. Ego „ vero Stephanus de Reme clericus Ebredunensis publica, „ & imperiali auctoritate notarius &c. Actum, & datum „ Avinioni in hospitio habitationis nostræ sub anno Domini „ a Nativitate MCCCXLVI. XIV. indictione, die XI. „ mensis Maji pontificatus præfati Domini CLEMENTIS „ divina providentia Papæ VI. anno IV. præsentibus ve„ nerabilibus, & religiosis viris Dominis fratribus Gatdone „ Servicuris licentiato in decretis de Machereto Trecensis „ diœcesis, Guillelmo *la Marche* &c.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cofirmationis, communitionis, & supplicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & B. Petri, & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni XI. Calendas Februarii pontificatus nostri anno V., anno a Nativitate Domini MCCCXLVII.

Sequuntur visitationes prioratuum ordinis Grandimontensis per provincias.

Prima visitatio est in prioratibus.

I. De Vicennis.
II. De Maynello.
III. De Razogo.
IV. De Machereto.
V. De Divione.
VI. De S. Mauricio.
VII. De Fagia Nivernensi.
VIII. De Espeyssia.
IX. De Uyaya.
X. De Chanano.
XI. De Castro novo.

Secunda visitatio est in prioratibus.

XII. De Rothomago.
XIII. De Bellomonte.
XIV. De Querca Galonis.
XV. De Burseyo.
XVI. De Loya.
XVII. De Boloma.
XVIII. De Villariis.
XIX. De Bosco Rahere.
XX. De Pomerio Acri.
XXI. De Monnays.
XXII. De Haya.
XXIII. De Monte-Guidonis.

Tertia visitatio est in prioratibus.

XXIV. De Podio Capratii.
XXV. De Vallolia.
XXVI. De Bandoillie.
XXVII. De Bosco Alonæ.
XXVIII. De Quarta.
XXIX. De Sarmazya.
XXX. De Jarico.
XXXI. De Revello.

Quarta visitatio est in prioratibus.

XXXII. De Monte Herbedonis.
XXXIII. De S. Michaele.
XXXIV. De Pinello.
XXXV. De Francorio.
XXXVI. De Deffenso.
XXXVII. De Garigia.
XXXVIII. De Fagia Jumiliaci.
XXXIX. De Castaneto.

STATUTA
CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS GRANDIMONTIS.

GUILLELMUS miseratione divina abbas ordinis Grandimontis dilectis in Christo filiis universis, & singulis nostri prædicti ordinis prioratuum conventualium prioribus salutem, & illa in terris agere, quæ placeant angelis in excelsis. Cum sit necessarium cuilibet nostrum, constitutiones infrascriptas in nostra matre ecclesia Grandimontis, celebratis ibidem capitulis generalibus pro exuberantiori cultu religionis, & Regulæ S. Stephani patris nostri editas habere, frequenter inspicere, & in eis diligenter studere, ut sciatis quid cavere, & quid agere debeatis. Ea enim, quæ fiunt ad regulam, & constitutionum habent: ideo vita vestra juxta regulam, qua professi estis, & constitutiones religionis vestræ debet esse; & tunc recta est, quando a regula, & constitutionibus non discordat. Unde habere debetis ante oculos mentis, ut & præ manibus præfati S. P. N. Stephani regulam, & constitutiones ecclesiæ Grandimontis, cogitando solicite, si prædictæ regulæ, & constitutionibus conformetur, sequentibus in omnibus vita vestra, & subditorum vestrorum: quia vobis, & ipsorum cuilibet a Salomone Prov, 6. dicitur, *Serva, fili mi, præcepta patris tui*, scilicet S. Stephani almi confessoris; *Et ne dimittas legem matris tuæ*, scilicet constitutiones tuæ matris ecclesiæ Grandimontis; *Ea liga in corde tuo* per jugem meditationem; *Et circumda eam gutturi tuo*, scilicet eam assidue mallicendo, vel recolendo, & de ea frequenter loquendo, seu etiam plenissime subditis tuis omnibus, ut statim sequitur, referando.

HOC STATUTUM SEQUENS FACTUM FUIT IN CAPITULO GENERALI GRANDIMONTENSIS ORD. Anno Domini MCCC.

NE occasio suspicionis male agendi possit contra fratres conventuales monasterii Grandimontis, & prioratuum, & cellarum sibi unitarum ex clausura lectorum dormitorii de cetero suboriri, statuimus, ut nullus frater conventualis de cetero in lecto dormitorii talem clausuram habeat, quin per ostium sui lecti, quod de brasia, seu perforata janua præcipimus fieri, per quod inspici lectus fratris libere absque alio velamine interposito valeat, vel videri.

HOC CAPITULUM SEQUENS FACTUM EST IN CAPITULO GENERALI Anno MCCCXX.

I. NE defuncti beneficio debito, & necessario defraudentur, statuimus, quod in singulis prioratibus nostri ordinis, sicut alias statutum fuit, pro dictis defunctorum brevibus missa semel in septimana celebretur, & quod de cetero brevia fratrum prædictorum defunctorum per priores mittantur ad abbatiam Grandimontis infra quindecim dies post obitum fratrum, & cum oblata fuerint, quilibet Sacerdos nostri ordinis pro quibuslibet tribus brevibus celebret unam missam, quilibet clericus dicat quinquaginta psalmos, & per Dominum abbatem visitationis tempore per ordinem dicta brevia transmittantur. Et priores hujusmodi statutum non servantes in capitulo generali proclamentur, & etiam verberentur.

II. Statutum aliud factum super brevibus fratrum defunctorum renovatum, ut infra octo dies a die obitus priores, & administratores fratrum defunctorum breve deferant in Grandimontem, alioquin priores, vel eorum locum tenentes pœnam quinquaginta solidorum applicandorum sacristiæ Grandimontis ipso facto incurrant, & nihilominus sint suspensi a divinis.

III. Item, præcipitur omnibus, quatinus non recedant a capitulo generali, donec copiam diffinitionum sigillatam habuerint, pro ut tangunt quemlibet eorumdem.

HÆC STATUTA SEQUENTIA FACTA FUERUNT IN CAPITULO GENERALI GRANDIMONTIS ORDINIS Anno Domini MCCCXXIII.

I. ITem, statuimus, quod quilibet prior, vel alii fratres ordinis nostri, semel quolibet mense ad minus juxta constitutionem felicis recordationis CLEMENTIS Papæ V. ad confessionem veniant, & prima Dominica cujuslibet mensis corpus Christi recipere non omittant, & nihilominus quod præmisse faciant in diebus natalis Domini, Cœnæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis Virginis gloriosæ, & aliis festis, ut est in ordine ab antiquo fieri consuetum.

II. Item, ne aliqui de prioribus nostri ordinis remanere de cetero audeant absque excusatione justa, vera, & legitima proprio juramento ipsorum asseverata juxta Domini JOHANNIS Papæ XXII. privilegium, vel statutum, quin veniant ad capitulum generale. Diffinitum est etiam, & statutum, quod quilibet prior ad capitulum generale non veniens personaliter, aut excusationem juratam non mittens, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, a qua non possit absolvi, nisi per Dominum abbatem, nisi in articulo mortis.

III. Item, statuimus ut priores, & alii fratres clerici professi nostri ordinis vocem in electione diffinitorum capituli generalis habentes, eligendos in diffinitores nominent, & in scriptis tradant scrutatoribus, prima die capituli intrantis, antequam hora nonæ fuerit decantata in Grandimonte, qua cantata nullus ad nominationem dictorum diffinitorum admittatur.

IV. Item, quia parum esset statuta nostri ordinis regularia a Sanctissimo Patre nostro Stephano exuberantiori religionis cultu pacifico salubriter edita fuisse, nisi essent, qui ea tuerentur: Nos GUILLELMUS abbas monasterii Grandimontis; & diffinitores capituli generalis volentes nostri ordinis priores, & fratres, quo ad observantiam inhibitionis factæ ab eodem S. Stephano, cujus professi sunt regulam, de viris alterius religionis non recipiendis in nostra religione; virorum præmia facte, quæ professionem indecant, pœnæ formidine a receptione hujusmodi religiosorum professorum ab hac hora in ante refrænare, statuimus quod priores alterius religionis fratres professos in nostra religione scienter recipientes, & fratres talium religiosorum receptioni consentientes, seu culpabiles de dicta receptione, scientes abbati Grandimontis, quam cito commode fieri poterit, aut deputatis ab eo visitatoribus visitationis tempore non revelantes, excommunicationis sententiam incurrere ipso facto, a qua priores absolvi nequeant, præter quam in mortis articulo, nisi ipsis proclamatis, & verberatis in capitulo generali, injunctoque eis, quod sedeant in solo refectorii, pane, & aqua contenti ipso capitulo generali durante. Et nihilominus peracta dicta pœnitentia, juramento ab eis in præsentia dicti capituli corporaliter præstito, quod reversi ad prioratus suos de ordine nostro per eos receptos alterius ordinis fratres professos, tamquam de facto contra regulam nostram existant, regulari nostri ordinis, seu novitiorum habitu spolietos: alioquin priores dictam ejectionem implere omittentes decernimus, ne sic prohibitioni prædictæ regulæ, & censuræ, illudatur ecclesiasticæ, in eamdem excommunicationis sententiam incidere ipso facto, etiam graviter puniendos, ut alii priores exemplo perterriti prosilire ad receptiones consimiles prohibitas merito pertimescant. Fratres vero prioratuum prædictorum reperti culpabiles per abbatem Grandimontis absolvi poterunt, injuncta sibi juxta formam ecclesiæ pœnitentia salutari: quam si implere recusaverint, in eamdem excommunicationis sententiam incidere decernimus ipso facto, acriter pro inobedientia non impletæ pœnitentiæ etiam puniendos.

V. Et ut religiosis ordinum mendicantium transire cupientium ad nostrum ordinem receptionis janua præcludatur in posterum, a prioribus nostri ordinis prædicti ipsis notificetur regularis prohibitio, & nihilominus, quod si de fa-

de facto reciperentur in nostro ordine, administrationes, vel officia, aut locum in capitulo habere, vel vicarios, seu ministros, vel locum aliorum tenentes esse non possent, prohibitione cum ad præmissa inhabiles reddente bonæ memoriæ **Clementis Papæ V. edita** in concilio Viennensi.

VI. Item, fuit præceptum prioribus omnibus, quod ostia cameraturæ dormitorii in prioratibus perforare faciant ad instar briacæ; quod nisi fecerint, puniantur in capitulo generali, & de hoc visitatores Domini abbatis tempore visitationis debent diligenter inquirere, & in defectum priorum fieri facere, aut referre ad capitulum generale.

VII. Item, quia frequenter urgentibus necessitatibus debitorum oportet reditus, proventus, & exitus prioratuum, seu aliquem partem ipsorum, pro utilitate dictorum locorum ad firmam personis sæcularibus tradi; statuimus ut dictam firmam possint priores, cum suis conventibus ex dicta causa personis sæcularibus facere: statuto præfati Clementis Papæ V. de non tradendis domibus, seu cellis, quæ per fratres nostri ordinis regi debent, deinceps aliquibus personis, quæ non sint de nostro ordine, in perpetuum, vel ad tempus, cum pœna ibidem posita prioribus contrarium facientibus, in suo robore duraturo.

VIII. Item, quia quidam nostri ordinis priores literas Domini abbatis ipsis directas non solum videre, sed etiam suis conventibus publicare contumaciter omittunt in elusionem dicti Domini abbatis, & fratrum suorum conventualium animarum periculum; diffinitum est, quod priores, qui de cetero in præmissis reperti fuerint culpabiles, & inobedientes, solvant pro qualibet inobedientia triginta libras ceræ ad luminare Grandimontis, antequam de generali capitulo per dictum Dominum abbatem recedere permittantur.

IX. Item, quia nonnulli nostri ordinis priores ad nostrum, seu deputatorum a nobis abbatis Grandimontis visitationem venire contemnunt, justa præcepta, & mandata nostra in prioribus sibi commissis per nos, vel nomine nostro facta publice in fratrum conventualium præsentia adimplere contemnunt, affectatamque ignorantiam crassam, & supinam ad se excusandam in elusionem dictorum præceptorum, & mandatorum nostrorum quandoque fingunt; monemus in audientia præsentis capituli generalis omnes, & singulos nostri ordinis conventualium locorum a nobis sibi notificatæ ipsis in prioratibus, quorum curam gerunt, cessante impedimento canonico, personaliter intersint, justa præcepta, & mandata nostra humiliter audiant, & executioni debitæ mandaturi: alioquin prioribus volunterie a prædicta visitatione se absentantibus ingressum ecclesiæ interdicimus in his scriptis; donec de transgressione prædicta ad nostri arbitrium satisfecerint competenter, & a dicto interdicto absolutionis a nobis meruerint beneficium obtinere.

X. Item, quia ex relatione visitatorum, & aliorum, tam ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum infinuatione clamosa ad nostrum capitulum generale pervenit, quod nonnulli nostri ordinis priores, & fratres literis conservatorum, & aliis ab apostolica Sede ordini nostro concessis in causis injustis, & aliis indebite abutentes, ex quo ebufa nostri ordinis bona fama multipliciter denigratur, volentes abusum prædictum industria, qua possumus, resecare, statuimus in primis, quod omnes, & singuli priores nostri ordinis suorum prioratuum fratres cogant per censuram ecclesiasticam, & aliis juris remediis ad reddendum eis omnia privilegia, literas apostolicas, processus, & sententias, quæ penes se habent, & habituri sunt, custodiendas de cetero fideliter per priores. Et dicti fratres nullum citare faciant auctoritate apostolica, seu fieri procurent, nisi de licentia suorum priorum, & deliberatione habita cum suis conventibus fratrum residentium, & consensu majoris partis; & quod etiam priores in citationibus, quas in futurum auctoritate apostolica fieri facient, deliberationem cum suis conventibus, vel majori parte ipsorum habeant. Et nihilominus fratres præmissa suis prioribus restituere contradicentes, seu facientes citari, sine licentia suorum priorum, & deliberatione habita cum suis conventibus, ut dictum est, perpetuo vocem amittant, & carceri ad arbitrium suorum priorum, & conventuum mancipentur. Priores vero in citationibus, quas in futurum facient, qui deliberationem cum suis conventibus non habuerint, ut prædictum est, in capitulo generali proclamentur, & verberentur, & sedeant in solo refectorii durante capitulo generali, & nihilominus solvant decem libras ceræ sacristiæ Grandimontis, antequam recedant a capitulo generali.

XI. Item, secundum ordinis nostri regulam fratres iidem propter alieos placitare, seu judicia contendere non debent, nec causas, & controversias aliorum in manu sua recipere, ac juxta canonicas sanctiones, cessiones, seu cessiones litterarum fraudulenter factarum, & simulate, vel causa mutandi judicis in potentiores personas, quæ ex fonte cupiditatis procedere præsumuntur, non tenent; dictæque sanctiones omnibus exemptis personis prohibeant causas, seu lites proprias suorum hominum liberorum, & censualium suo nomine, sive ut actores, sive ut defensores accipere; Diffinitum est, quod nullus prior, vel frater nostri ordinis aliquem in judicio auctoritate apostolica contra prohibitionem prædictæ regulæ, & sanctiones canonicas prædictas, & legitimas trahere præsumat. Fratres vero contrarium facientes, vocem perpetuo amittant, & carceri ad suorum priorum, & conventuum arbitrium mancipentur. Et priores de præmissis reperti culpabiles proclamati in generali capitulo verberentur, & sedeant in solo refectorii capitulo generali durante, & solvant decem libras Turonenses distribuendas in pitantiam expendendas dicto generali capitulo durante. Per præmissa autem non intendimus prioribus interdicere, quin in propriis prioratuum, & cellarum ipsis unitarum, donatorumque ipsorum causis justis, & honestis possint licite auctoritate apostolica trahere obligatos, vel fere factores, eisdem observatis, quæ superius de faciendis per priores citationibus sunt expressa. Excommunicati auctoritate nostri abbatis Grandimontis existant priores, & fratres, qui aliquas personas coram conservatoribus nostris, vel subdelegatis ab eis, vel eorum aliquo vexent scienter, & indebite, vel coram ipsis in judicio trahant pro injustis, vel alienis causis, aut una die ad plura loca notem, & eamdem personam citare faciant, seu procurant contra sanctiones canonicas.

XII. Innovemus, & approbamus, & laudamus antiquum statutum ordinis nostri, cujus tenor sequitur in hac forma. Item cum sit statutum penale in nostro ordine, quod causæ, quæ emergunt inter personas prædicti ordinis, intra ordinem audiantur, & (*) nulli priores, vel fratres dicti nostri ordinis, quantum in se est, nitantur prædictum statutum, seu privilegium violare, statutum fuit, quod nullus prior, seu frater alium priorem, vel fratrem, aut aliam personam de dicto ordine audeat de cetero, sive semper auctoritate apostolica, convenire, seu trahere coram forensi judice cujuscumque auctoritatis, vel conditionis existat, aut sarsinam in præjudicium personarum, & locorum ipsius ordinis cujuscumque jurisdictionis ponere procurent.

XIII. Verum quoniam frater Petrus, & quidam alii ordinis nostri Reverendum Patrem in Christo Dominum Abbatem, & plures alios priores, & fratres nostri ordinis Grandimontis ad forenses judices contra prædictum statutum temere veniendo fecerunt ad judicium avocari, ob quod quam plurima damna, & scandala obvenerunt, prout nobis constat per publica instrumenta, & alia legitima documenta, statuimus, ut si aliquæ personæ nostri ordinis cujuscumque præeminentiæ, vel status existant contra prædictum statutum aliquas personas nostri ordinis ad forenses judices traxerint, citaverint, vel alias molestaverint; præter pœnas in dicto statuto contentas, pœna quæ sequitur, puniantur, videlicet quod si beneficiantur, pœnam viginti librarum luminariæ ecclesiæ Grandimontis applicandarum ipso facto incurrant, damna, expensas, & interesse restaurent; & nihilominus tribus diebus ante Ascensionem Domini in solo refectorii pane grosso, & aqua dumtaxat contenti existant, & in capitulo verberentur. Sed cum beneficium non habuerint, ipso facto, perpetuo vocem amittant, & pœnas proxime dictas præter pecuniariam ipso facto incurrant.

XIV. Item, prohibemus etiam, ne aliquis prior, vel frater se obliget alteri priori, vel fratri, seu se submittat sub sigillis, vel jurisdictione forensium judicum quorumcumque, tam archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum, decanorum, quam archipresbyterorum, in præjudicium exemtionis dicto ordini a Sede apostolica datæ. Contrarium facientes causam amittant, & contractus, vel obligationes nulli sint eo ipso, & ultra puniantur ad arbitrium Domini abbatis, & diffinitorum capituli generalis.

XV. Moniti sint priores, & administratores domorum, ut divinum officium diurnum pariter, & nocturnum debite faciant celebrari, taliter ut visitatores cum venerint tempore visitationis suæ, inveniant sic ordinatum, ne habeant ad capitulum materiam referendi; quod ubi reformatum fuerit, taliter puniantur, ut cedat aliis in exemplum.

XVI.

(*) *f.* nonnulli.

XVI. Ad aures nostras abbatis, & diffinitorum præsentis capituli generalis, quod dolentes referimus, pervenit, quod plerique nostri ordinis priores minus provide, quam expediat, suorum prioratuum, & cellarum suarum negocia procurant, regulares, & alias domos utiles, & necessarias, & cellarum suarum non solum non reparant, sed etiam ob defectum coopertura dirimi permittunt, ac jura, & possessiones ipsarum cellarum negligenter procurant. Idcirco vos omnes, & singulos priores nostri ordinis commonemus attente, quatenus dictas negligentias emendare curetis. Intimantes nihilominus vobis, quod ad prioratus, & cellas, de quibus ad Dominum abbatem talia fuerint de cetero nunciata, mittantur visitatores per capitulum generale, ut sciatur veritas super statu cellarum prædictarum, & qui prædictas negligentias inventi fuerint commisisse, formidare poterunt pœnam dilapidatorum, quæ est privatio administrationis justitiæ rigore.

XVII. Item, inhibemus omnibus, & singulis assentatoribus prioratuum prædictorum, & administratoribus supradictis, ne de assensis prioratuum, & domorum ipsis unitarum prioribus de cetero respondeant, sed eas deferant, seu mittant Domno abbati, seu celerario suo. Nos enim ordinamus, quod dictus abbas dictas assensas recipiat tandiu, donec eidem monasterio deductis pensionibus sibi debitis, tam in principali, quam in expensis, fuerit plenarie satisfactum. Et quia, ut videtur, sic prædicti priores, & administratores Dei sententiam, & censuram ecclesiasticam minime expavescunt, ordinamus, quod dictus abbas eos faciat coram se evocare, & quod possit contra eos procedere super hoc, quod tamdiu dictas sententias sustinuerint, & alias in aliis emergentibus expressis quantum fuerit rationis.

XVIII. Verum quia aliqui nostri prædicti ordinis priores, & alii fratres, cum ipsis ab apostolica Sede committitur, ut si ipsis constiterit, quod prior talis, & alii administratores domorum dicto prioratui auctoritate apostolica unitarum nobis dicto abbati, & conventui nostri monasterii Grandimontis satis fecerint de pensionibus annuis nobis, & dicto conventui debitis, ipsos absolvant a sententiis, quas propter retardationem solutionis dictarum pensionum incurrerunt prædicti priores, & alii administratores, sine congrua satisfactione, & nobis, dictoque conventui minime requisitis absolvere, in nostri, & dicti conventus præjudicium, & de facto, cum de jure non possint, attentant: inhibemus nos prædictus abbas in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, quantum districte possumus, commissariis ante dictis concessis, & concedendis a præfata apostolica Sede, ut nullum virtute, & auctoritate talium commissionum de cetero præsument absolvere sine congrua satisfactione, & absque nostra, dictique conventus, aut procuratoris nostri in jus vocatione, & conscientia, aliisque rite servatis, quæ in absolutione impendenda requiruntur de jure. Et ut de prædictis pensionibus antedicti commissarii notitiam habeant pleniorem, sciant priorem, & prioratum de Vicennis cum domibus sibi unitis debere nobis, & dicto conventui quolibet anno in dicto monasterio celebrando generali capitulo de pensione annuali &c. *ut supra* solvendis nobis abbati, & dicto conventui de pensione annua quolibet anno celebrando in dicto Grandimontis monasterio capitulo generali sub pœnis in dicto privilegio Domni Johannis XXII. ... comminatis, & etiam promulgatis cum aliquorum mensium competentibus intervallis.

XIX. Quoniam, ut ait Apostolus, nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit, & fama publice deferente ad nos pervenit, quod nonnulli nostri ordinis fratres respicientes retro, cupiditatis vitio excæcati, ad mercationes, venditiones, & emtiones more personarum sæcularium se convertunt, contra votum suum, & animarum salutem, scandalizando multifarie nostrum ordinem universum, contractus illicitos, & usuram sapientes faciendo frequenter. Unde nos volentes ipsos e prædictis retrahere, & scandalum contra ordinem nostrum exortum sopire, saluti que animarum ipsorum salubriter providere, innovantes nostri ordinis antiqua statuta, statuimus, ut nullus nostri ordinis frater de cetero proprium teneat, nec ad aliqua negotia sæcularia se convertat, mercationes, emtiones, seu venditiones aliquas sæculares quomodolibet faciendo. Contrarium facientes excommunicati, tamquam proprietarii a suis prioribus nuncientur, ut ab aliis fratribus evitentur. Et nihilominus, quod priores ipsorum bonorum, mercationum, emtionum, seu venditionum per dictos fratres factarum, & faciendarum capiant, in utilitatem prioratuum convertendo.

XX. Ut fratres ordinati in vestibus decurtatis, botonatis, & capuciis strictis, & aliis inhonestis juxta formam suæ matris ecclesiæ Grandimontis se ordinent, & reforment, eis districte est præceptum. Et nisi infra visitationem hoc fecerint visitatores, tempore visitationis suæ, si quos rebelles invenerint, citabunt in capitulo, in quo quidem capitulo non solum de destructione habitus, verum etiam de contumacia graviter puniantur.

XXI. Et quia ad nostrum, quod dolentes referimus, multorum episcoporum conquestione pervenit auditum, quod multi ordinis nostri fratres celebrare præsumunt in locis suppositis ecclesiastico interdicto, & excommunicatos, seu ab officio suspensos, & interdictos ad divina officia, & ecclesiastica sacramenta, ac ecclesiasticam sepulturam admittunt, & matrimonia solemnisant, mulieres quoque ad purificationem partus admittunt, nulla habita super his parrochialis presbyteri licentia speciali, interdicti ingressus ecclesiæ, & excommunicationis sententias generaliter latas in canonibus incurrendo, & irregularitatis laqueo, si dictis interdicto, & excommunicatione durante damnabiliter immiscent se divinis officiis, in suo agentes officio sicut prius, involvendo, a quo non nisi per Summum pontificem poterunt liberari; inhibemus districtu omnibus nostri prædicti ordinis prioribus, & fratribus, ut præmissa, vel aliqua de prædictis facere de cetero non attentent, & de attentatis a Summo pontifice faciant se absolvi, alioquin in generali capitulo pœna depositionis, vel alia gravi pœnitentia punientur de antedictis.

XXII. Item, quia nonnulli priores nostri ordinis reperti sunt frustratorie appellasse, diffinitum est, quod frustratorie appellantes, & in appellationis causa succumbentes, puniantur ad arbitrium Domni abbatis, & diffinitorum capituli generalis, secundum canonicas sanctiones, eorum cessione bonorum non admissa.

XXIII. Item, cum jam dudum fuisset ordinatum in capitulo generali certam quantitatem nemorum reservari in quolibet prioratu, & nunc fama referente intellanimus, quod procurator prioris de Vicennis, & multi alii nostri ordinis vendant, & distrahant prædicta nemora, ut præfertur, pro sustentatione domorum reservata: Idcirco singulis prioribus de ordine, & eorum procuratoribus sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurrant, inhibemus, ne de cetero de prædictis nemoribus vendant, donent, vel aliquo distrahant, sine licentia capituli generalis.

XXIV. Item constat, quod olim multis modis facta statuta de brevibus fratrum defunctorum ferendis per prioratus, & cellas sibi unitas servare hactenus non fuerint. Ne defuncti beneficio necessario defraudentur, statuimus, ut de prioratu, vel cellis sibi unitis, ubi frater obierit, breve ejusdem fratris defuncti infra octo dies a morte ipsius tradatur certo nuncio, qui recto itinere, continuatis dietis, ut brevius poterit, in Grandimonte apporset, & de Grandimonte infra alios octo dies dictum breve ibidem datum, modo infrascripto per cellas mensæ Domni Abbatis unitas mittatur, & nihilominus in prioratibus de Castronovo, de Villeriis, de Canello, & de Casteneto. Et a prioratu de Castro-novo mittetur infra alios octo dies in prioratum de Chanano, & de prioratu de Chanano in prioratum de Ureya, & exinde in prioratum de Faya Nivernensi, &c. Et ex omnibus prioratibus infra idem tempus octo dierum mittatur in cellis unitis prioratibus antedictis; & dies exceptionis, & missionis registretur in quolibet prioratu; & nuncio deferenti tam eundo, quam redeundo in victualibus provideatur; & pro quolibet defuncto, cujus breve detulerit, cum breve portabit, unus denarius sibi detur; & visitatores dilatione, receptione, & registratione, & officia pro iisdem fratribus factis diligenter tempore, quo visitabunt, inquirant, & Domno Abbati ante capitulum generale referant, ut priores culpabiles ibidem proclamentur, & graviter puniantur.

HOC STATUTUM SEQUENS FACTUM FUIT IN GENERALI CAPITULO GRANDIMONTENSIS ORD. Anno Dom. MCCCXXVI.

I. AD hoc, ne fratres nostri ordinis clerici officiales, vel alii propter delicta sua, vel excessus ad pœnitentiam peragendam de commissis incarcerati, vel juxta JOHANNIS Papæ XXII. privilegium de prioratu ad prioratum mutati, seu translati metu pœnæ ad tempus, ut melius arceantur a suis insolentiis; & ne alii eorum exemplo perterriti, prosilire ad similia pertimescant, quibus ante peractam pœnitentiam ad instar relegatorum, non licet a carcere exire, vel ad prioratus, unde sunt mutati, seu translati, redire, quia reatus, omnes honores excludit; statuimus, ut ipsorum fratrum, officialium, vel aliorum consensus,

sensus, tempore, quo injunctam sibi pœnam, vel pœnitentiam peregerit, in electionibus, postulationibus, provisionibus, fratrumque receptionibus, seu aliorum prioratuum tractatibus minime requirentur, vel etiam admittantur; & quod præmissa ratio, ne absentiæ, aut requisitionis consensus ipsum tempore nequeat ab ipsis, vel aliis impugnari, & quod peracta pœna, nequeant repetere officia, quæ ratione delictorum, vel excessuum, pro quibus incarcerati, vel moniti, seu translati fuerint, ipsa diffinimus perdere ipso facto.

II. Cum non deceat, vel liceat, honestate servata, priores ordinis nostri extra monasteria ire solitos, cum etiam secundum nostra regularia instituta non debeant ire soli, & quia tenentur unum fratrem sui conventus ducere secum veniendo ad capitulum generale. Idcirco districte prohibemus, ne aliquis prior nostri ordinis monasteria sui prioratus audeat exire sine uno ordinis nostri fratre socio, præcipientes, quod quilibet prior, prout tenetur secum ducat ad capitulum anno quolibet de conventu suo unum fratrem clericum, & professum, & anno quolibet visitatores inquirant. Si quis prior prædictorum transgressor fuerit super his inventus, graviter puniatur in capitulo generali.

III. Item, quia nonnulli nostri ordinis fratres, qui se asserunt quosdam prioratus a Sede apostolica impetrasse, ad Reverendum patrem Dominum Abbatem Grandimontis venire contemnunt, sibi reddituri, exhibituri, & ostensuri de jure suo, si quid habent: idcirco diffinitum est statuendo, quod omnes talis impetrantes infra tres menses a data litterarum, & possessionis adeptæ pacifice computandos, teneantur venire coram Domino Abbate, inspectori, & ostensuri jus suum, & alterius sibi reverentiam, & obedientiam impensuri: alioquin excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, nisi causam justam, & rationabilem duxerint allegandam.

HOC STATUTUM FUIT IN GENERALI CAPITULO GRANDIMONTIS ORD. Anno Domini MCCCXXVII.

I. QUia in canone unicuique episcoporum injungitur, quod infra sex mensium spatium omnes suæ diœcesis, & civitatis, ubi præest, clericos, & plebem congreget, & coram eis omnia plenissime referat, quæ in eodem anno in concilio provinciali acta, & diffinita fuerunt, sententiam suspensionis duorum mensium in episcopis præmissa non implentibus, sive parvipendentibus proferendo: & multi ordinis nostri priores statuta, & diffinita per nos salubriter, omnes nostri ordinis priores, & fratres astringentia, prioratuum suorum fratribus negligunt, ut intelleximus, publicare. Ex quorum negligentia priores, & fratres ex dictis statutis diffinitis in sequenti anno meritò non verentur frequenter, etiam se per ignorantiam excusando; statuimus, ut omnia statuta, & diffinita per nos omnes, ut dictum est, ordinis nostri priores, & fratres quolibet modo astringentia possunt in sequenti visitatione, in quolibet prioratu conventuali visitatores per nos deputati; & ibidem prioribus, & fratribus publicent, præcipiendo prioribus omnibus, ut dictorum statutorum copiam in suis prioratibus retineant, & quod ante habitam copiam ipsi visitatores de prioratibus non recedant. Et nihilominus priores dicta statuta, & diffinita fratribus omnibus prioratuum conventualium, & domorum ipsis prioratibus unitorum infra sex menses statuenda, & diffinienda auctoritate apostolica in nostris generalibus capitulis de cetero dictos priores, & fratres astringentia infra idem tempus publicent, & plenissime referant, ne quisquam fratrum se valeat per statutorum, & diffinitorum ignorantiam ulterius excusare. Alioquin, si præmissa non compleantur, Domino Grandimontensi Abbati pro tempore ante generale capitulum denuncietur per visitatores, quorum fideli relationi stabitur. Ad finem quod prior culpabilis prima die capituli de prædictis proclamatus verberetur in capitulo, & sedeat in solo refectorii ipsa die.

II. Item per totum ordinem in Missa Dominicali, & alia die cujuslibet septimanæ dicatur oratio pro Domino Papa nostro, cui immediate, & Sedi apostolicæ sumus subjecti, quæ oratio sic incipit: *Deus omnium pastor & rector*.

III. Item statuimus, & ordinamus, quod in diebus, quibus in refectorio comedent, legatur ad mensam, & in ipsis prioratibus diebus Dominicis, & præcipuis festivitatibus fiat processio; & eisdem diebus Missæ major cum diacono & subdiacono celebretur.

IV. Item statuimus, quod dictus Abbas Grandimontis, aut aliquis prior nostri ordinis non possit de cetero, etiam de sui conventus consensu, aut licentia capituli generalis, dare alicui licentiam, aut consensum se obligandi pro annua pensione, aut beneficio personali in perpetuum, vel ad vitam. Et contrarium faciens sibi ingressum ecclesiæ noverit interdictum, donec pensionem, seu personale beneficium revocaverit, & ordinem reddiderit indemnem.

V. Item statuimus, quod litteræ testimoniales, tam abbatiæ Grandimontis, quam prioratuum, nec non & domorum, & cellarum abbatiæ, & prioratibus unitarum, ad abbatiam, & prioratus deferantur, & ibidem sub fideli custodia teneantur; & in uno libro, seu rotulo omnes perpetui reditus abbatiæ, & prioratuum, domorum, & cellarum scribantur infra proximam instantem visitationem, & in abbatia, & prioratibus scripta ad æternam rei memoriam teneantur. Prior vero præmissa non complens verberetur in capitulo generali, & in solo refectorii per unam diem sedeat pane, & aqua contentus.

VI. Item statuimus, quod nullus prior tradat de cetero fratri suo subdito pecuniam pro vestitu, cum hoc sit inhibitum in privilegio CLEMENTIS Papæ V., & aliis nostri ordinis statutis antiquis. Possit autem prior quilibet cum consensu sui conventus unum de fratribus sibi subditis pro distributione facienda in calceamentis, & pannis deputare, usque ad summam in prioratibus per priores in suis conventibus ordinatam.

VII. Item statuimus, quod priores fratribus sibi subditis extra prioratus domos, & cellas euntibus certum terminum redeundi assignent, prout in dicto privilegio CLEMENTIS Papæ V. continetur, & non redeuntibus in constituto termino, pœnas in dicto privilegio contentas, irrefragabiliter faciant observari.

VIII. Item, quod quidam nostri ordinis conventualium fratres sine licentia suorum priorum contra regulæ nostræ votum eligendo obedientiam, de prioratibus ad cellas, & de cellis ad prioratus, se inobedientes transferre præsumunt, ordinationem ipsorum priorum de prioratu ad cellas, & de cellis ad prioratum sequi contradicentes, & locum priorum in prioratibus, & cellis tenentibus obedire contemnunt, quod non est conniventibus oculis absque ultione debita quomodolibet ulterius tolerandum. Diffinitum est, quod sine strepitu de præmissis, vel quolibet præmissorum inquiratur, & frater repertus de præmissis, vel quolibet præmissorum inobediens, fugitivorum incurrat sententiam perennem ipso facto, nisi cum eo per suum priorem misericorditer dispensatum fuerit.

IX. Item, cum in nostri ordinis regulas, & privilegio dicti CLEMENTIS V. caveatur, & per B. Gregorium inhibeatur, ne quis post votum continentiæ promissum cum mulieribus habitare præsumat, & quod mulieres infra septa domorum regularium monasterii Grandimontis, prioratuum, & cellarum nullatenus pernoctent, nec comedant, nisi sit mulier talis, cui infra domos regulares comestio non debeat denegari; præcipimus, ut statuta regulæ, & privilegii prædicti CLEMENTIS irrefragabiliter observentur; & transgressores hujusmodi ad arbitrium diffinitorum puniantur.

X. Item, cum aliqui nostri ordinis fratres non vereantur ire ad divinos, & sortilegas mulieres, (quæ) pro infirmitatis causa brevia infirmis tradunt, scriptis nominibus, & caracteribus, quæ ignorant, & collectionibus herbarum aliud dicunt, quam *Credo in Deum*, & *Pater noster*, diffinitum est, quod in præmissis delinquentes excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, & alias acriter punientur.

XI. Item, quia quidem nostri ordinis priores, & fratres ausu sacrilego Deum præ oculis non habentes, libros ecclesiastici officii, & alios nostri ordinis mutilare, & in marginibus scindere, aut evellere cartas, & sibi appropriare non verentur; diffinitum est, quod talia attentantes, ut sacrilegi sententiam excommunicationis incurrant ipso facto, pœna alia ante absolutionem dotissima puniendi.

XII. Item, quia quidam ordinis nostri fratres cum in prioratibus de numero taxato fratrum ibidem per Sedem apostolicam locos vacat, prioribus volentibus recipere personam idoneam juxta Domini CLEMENTIS Papæ V. & JOANNIS Papæ XXII. privilegia, in loco vacanti, voluntarie, & absque causa rationabili se opponunt, diffinitum est, quod priores conventuales possunt in loco vacanti, non obstante voluntate, & irrationabili contradictione, idoneam personam recipere in novitium monachum, & in fratrem. Si vero aliquid rationabile conventus aliquis, seu aliqui contra recipiendam personam in fratrem proposuerint, infra mensem per se, vel per alium procuratorem suum comparere personaliter coram Domino Abbate, vel instante visitatione coram deputatis ab eo Visitatoribus teneantur, causam rationabilem ostensuri, & probaturi. In qua probatione si defecerint, per triennium vocem amittant. De qua pœna Dominus Abbas, vel deputati ab eo Visitatores nullam possint remissionem facere, vel gratiam specialem.

STA-

STATUTA SEQUENTIA FACTA FUERUNT IN GENERALI CAPITULO ORDINIS GRANDIMONTIS CELEBRATO IN MONASTERIO ABBATIALI

Anno Domini MCCCC.

I. STatuimus, & ordinamus, existentis guerris in regno Franciæ vigentibus, & pluribus aliis causis, quæ nostrum movent animum quod nos diffinitores prædicti habeamus totam, & talem potestatem usque ad proximum sequens capitulum generale in Grandimonte celebrendum, sicut ad præsens habemus in hujusmodi diffinitione.

II. Item statuimus, & ordinamus, quod nos abbas, & diffinitores prædicti, aut major pars nostrorum possumus semel, & pluries facere, facere congregationem, seu congregationes in quacumque villa regni Franciæ, quam duximus eligendam, & quod in dicta ville per nos sic alacta possumus ordinare, tractare, & deliberare de negotiis nostri dicti ordinis, tamquam si essemus in monasterio Grandimontis, durante capitulo generali.

STATUTA SEQUENTIA FACTA FUERUNT IN GENERALI CAPITULO ORD. GRANDIMONTIS CELEBRATO IN MONASTERIO ABBATIALI DICTI ORDINIS

Anno Domini MCCCCV.

I. ET primo statuimus, & injunximus, & per præsentas injungimus, ac etiam sub excommunicationis poene, quam in contrarium facientes canonica monitione præmisse ferimus in his scriptis, omnibus, & singulis prioribus conventualibus dicti nostri ordinis Grandimontis, ne per loca notabilia accedere præsumant sine socio, aut mangone. (a)

II. Item, statuimus, quod quilibet prior in suo conventu pro conservatione pacis Sanctæ Matris Ecclesiæ, & ad laudem, & honorem Dei unam Missam de S. Spiritu, cum collectis: *Deus omnium fidelium pastor. Ecclesiæ tuæ. A cunctis*, & *Ineffabilem*, in quolibet mense prima hebdomade faciat celebrari, nisi propriates, aut aliud impedimentum supervenerit: & tunc in secunda hebdomada, videlicet sexte ferie, sine difficultate celebretur.

III. Item, ulterius statuimus, ut in qualibet Missa pro dicta conservationa pacis Sanctæ Ecclesiæ, ut prædicitur, celebranda dicetur: *Pater noster: Lætatus sum*, cum responsis, & collectis, ut est consuetum.

IV. Item statuimus, & ordinamus, quod quilibet prior, & fratres ad laudem, & honorem Dei, ut pro sui gratia nobis pacem tribuat, in quacumque Missa, quotiens celebrabitur, dum dicetur: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, reverenter sua genua flectant.

V. Item, statuimus, & ordinamus, quod priores, & fratres ordinis nostri prædicti, semper portant habitum suæ professionis desuper manifesta; & ulterius, ut ipsorum aliquis intra quatuor domos cujuslibet loci nostri prædicti ordinis tinte vestimente, nec etiam aperta, seu cordula tota deferre præsumant. Et si aliqui ausu temerario contrarium facere præsumant, ipso facto talia vestimenta visitatoribus acquirantur, & etiam in personis propriis tamquam filii inobedientiæ regulari subjaceant disciplinæ.

VI. Item, statuimus, & ordinamus, ne aliquis prior, administrator, vel frater sit ausus arma invesibilia in camera sua tenere, nec sepie se portare, nisi solam cultellum, seu ensem, dum contigerit eos peregrinari, aut equitare. Contrarium vero facientes, prædicta arma, seu armasere ipso facto amittant, & dicte armasia subpriori dicti ordinis confiscare remaneabunt. Contrarium vero facientes regulari subjaceant disciplinæ.

VII. Item, statuimus, & ordinamus sub pœnis suspensionis, & excommunicationis, quod quilibet priores, vel administratores in prioratu, vel in domo residentiam faciant. Et divina officie celebrari faciant, ut in dicto ordine est consuetum; contrarium facientes, ut supra.

VIII. Item, statuimus, & ordinamus, ut si aliqui ex fratribus fuerint blasphemati, Dei, & ejus Matris, & Sanctorum ejus nomen abnegantes; quod in pana, & aqua in refectorio prioratus, in quo conversantur, ut est mons, pro qualibet vice suam habeant recipere refectionem, ut cedant cæteris in exemplum, & ne sub velamina ignorantiæ se valeant excusare.

STATUTA SEQUENTIA FACTA FUERUNT IN CAPITULO GENERALI ORD. GRANDIMONTIS CELEBRATO IN MONASTERIO ABBATIALI DICTI ORDINIS,

Anno Domini MCCCCVI.

I. ET primo statuimus, & volumus, & ordinamus, quod statute proximi capituli generalis inviolabiliter observentur virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, excepto statuto, quod priores possint, & ipsis liceat essensare proprietates existentes infra monilias dictorum prioratuum, quod est contra statute nostri ordinis, & in præjudicium aliquorum locorum nostri ordinis. Idcirco statuimus, quod priores prædicti non possint acetem essensere perpetuo proprietates infra monilias existentes. Tamen ipsis prioribus, & eorum cuilibet, concedimus, quod possint tradere ad tempus.

II. Item statuimus, & ordinemus, quod quilibet prior conventualis una cum conventu suo faciet, & instituat unum superiorem in prioratu suo, qui in ejus absentia habeat fratres ipsius conventus regere, & corrigere, & divinum officium augmentare.

III. Item statuimus similiter, & ordinamus, quod priores una cum convento suo faciant, & instituant unum procuratorem in prioratu suo ad finem, ut reditus, & litigie colligantur minoribus sumtibus, & expensis.

IV. Item statuimus, quod nullus prior in convento suo imponet suffregia nova, nisi sint in statutis, & ordinationibus ordinis, aut ex fundatione talis prioratus aut domus.

V. Item quia sunt aliqui fratres in ordine ignorantes, qui faciunt fractionem Corporis Christi ad modum sæcularium, statuimus, ut de cetero dictam fractionem faciant ad modum ordinis nostri.

VI. Item statuimus quod portando pacem post *Agnus Dei*, detur pax proximo in dextro choro antiquiori in ordine, vel officio, & deinde in secondo choro.

VII. Item statuimus, & præcipimus omnibus prioribus, & administratoribus, & procuratoribus in præsenti capitulo assistentibus, & eorum cuilibet, ne a dicto monasterio recedant, donec de istis statutis & ordinationibus copiam habuerint, & etiam copiam statutorum proximi præteriti capituli illi, qui non habent; & quod prædicte statuta registrent, & registrari faciant in quolibet prioratu, & domo dicti ordinis.

STATUTA SEQUENTIA FACTA FUERUNT IN GENERALI CAPITULO ORDINIS GRANDIMONTIS CELEBRATO IN MONASTERIO ABBATIALI DICTI ORDINIS

Anno Domini MCCCCX.

I. STatuimus, & ordinamus, ut nullus frater nostræ religionis habeat proprium, nisi prior suus semel in anno visitet. Præcipimus fratribus prædictis, & conversis, & donatis, ut in quacumque hora prior eorum voluerit, demonstrent propria sua, & fideliter revelent; & nisi voluerint revelare, priores possunt amovere, & erit eis acquisitum, & non tenebuntur tales priores e talibus telis habentibus aliquid amovere de sibi juste revelato, nisi justa præcesserit causa.

II. Item statuimus, & ordinamus, ut quilibet Sacerdos ordinis nostri unam celebret missam de S. Spiritu pro reformatione, & conservatione nostri ordinis, & quilibet clericus septem psalmos cum letania semel, & quilibet conversus XL. *Pater noster*.

III. Item statuimus, ut omnes, & singuli religiosi dicti ordinis de cætero jejunent quadragesimam, adventum Domini, & jejunia quatuor temporum, & vigilias sanctorum Apostolorum, prout in regula beatissimi Stephani Patris nostri, & in statutis, & constitutionibus nostri ordinis prædicti, exceptis illis, qui infirmitatem personarum suarum, vel debilitatem patiuntur. Et omnes dicti ordinis e cætero non comedant carnes in quarte ferie, id est diebus Mercurii, nisi festum Nativitatis Domini illa die evenerit.

(a) id est sine famulo.

STA-

STATUTA SEQUENTIA FACTA FUERUNT IN GENERALI CAPITULO ORDINIS GRANDIMONTIS CELEBRATO IN MONASTERIO ABBATIALI DICTI ORDINIS

Anno Domini MCCCCLXXIII.

Confirmata in generali capitulo dicti ordinis in eodem monasterio celebrato anno Domini MCCCCLXXIV.

I. ET primo, quia nos præfati Vicarius une cum diffinitoribus consideravimus, quanta mala, & dispendia atque etiam animarum pericula provenerunt, & in posterum provenire possent ex cessatione, & interruptione hujusmodi capituli generalis, innovando statuta antiqua statuimus, & ordinamus, ac diffinimus, quod de cetero annis singulis capitulum generale ante Ascensionem Domini cum duobus sequentibus opportunis celebretur, & nullatenus omittatur, & domni visitatores dicti monasterii per octo dies ad minus prævenient dictum capitulum ad officium hujusmodi visitationis exercendum; & quod durante commenda prioratus de Defenso, qui ejus ratione prioratus officium visitationis cum aliis exercere deberet, eo quod sæcularis est, minime exercebit; sed loco illius adjungimus priorem de Carta, qui absque præjudicio juris prædicti prioratus, similem cum prædictis prioribus, visitatoribus habebit facultatem.

II. Item statuimus, & ordinamus in publicatione præsentium statutorum, quod priores prædicti ordinis sint adstricti comparere absque alia vocatione, sive requisitione in dicto capitulo generali eis intimando, quatenus quilibet ipsorum habeat intimare suo propinquiori vicino priori nunc absenti, alioquin absentes reputabuntur contumaces.

III. Item statuimus, & ordinamus, & diffinimus, quod quilibet prior in suo conventu, & administratores, & religiosi in suis locis celebrent tres missas pro unione sanctæ matris ecclesiæ, quarum une de S. Spiritu, & altera votiva pro Domino nostro communi de B. Stephano patre nostro, & tertia pro nostris fundatoribus, & familiaribus vivis, & hoc infra mensem, postquam applicuerint in domos suas.

IV. Item considerando, quod obedientia est valde grata Deo, statuimus, & ordinamus in sequendo tenores statutorum præfati ordinis, quod omnes de cetero obedient priori claustrali in monasterio in omnibus, præsertim in choro, claustro, capitulo, dormitorio, & refectorio, & aliis locis monasterii, & ceptarum sub obedientia, & potestate Domini, vel ejus vicarii, ipso præsente, vel absente, & idem in prioratibus.

V. Item quod dictus prior silentium in choro observari faciat, & summopere procuret, & cum pausa in psalmis, responsis, & aliis divinis officiis quibuscumque, & prout decet ad religionis statum, & honestatem prædicta divina officia decantentur in monasterio, & prioratibus similiter. Et quod silentium observetur in ecclesia durante divino officio etiam stricte, & a completorio usque mane post capitulum, in dormitorio, claustro, & refectorio, præsertim durante refectione, nec fratres habeant surgere de mensa, donec prior præceperit: transgressores autem subjaceant regulari disciplinæ.

VI. Item, fratres sedeant in choro, mensa, & aliis locis, secundum quod primo fuerint recepti, & professi religionem, salvis prærogativis priorum, & officialium monasterii prædicti, & quod novicii sedeant in cancellis in sedibus inferioribus, juxta ritum antiquitus observari consuetum.

VII. Item quod de cetero nullus comedat, seu bibat, aut pernoctet in bassa curte Grandimontis sub pœna excommunicationis, quam contrarium facientes ipso facto incurrant; a qua non possint absolvi nisi per eumdem reverendissimum Dominum, aut ejusdem in ordine vicarium.

VIII. Item quod fratres dicti ordinis in monasterio, & prioratibus teneantur interesse horis diurnis pariter, & nocturnis. Statuimus, & ordinamus, quod quando contingat aliquem fratrum, infirmitate, vel alio legitimo impedimento cessante, deficere, seu deesse in una prædictarum horarum, quod pro illa hora privetur vino una refectione. Et si deficiat in duabus horis, pane, & aqua illa die sit contentus.

IX. Item statuimus, & ordinamus, quod ceremoniæ chori cum honestate juxta constitutiones ordinis fiant, & observentur, tam in capite, quam in membris, Transgressores autem regulari subjaceant disciplinæ.

X. Item statuimus, & ordinamus, quod de cetero in antea celebrabitur quotidie une missa de B. MARIA Virgine in capella B. Katharinæ in uno de altaribus immediate post missam de prima; & ante pulsetur hora primæ per domnos de conventu, & pulsabitur modicum campana, ut excitetur populus ad missam, & aperietur porta exterior *de Angleterre* ad sonum primæ, ut possint convenire, quicumque missam audire voluerint; & claudetur porta intermedia, ita ut non intrent mulieres ecclesiam, ad quam aperiendam poterit domnus abbas, aut ejus vicarius, vel prior claustralis interdum dispensare.

XI. Item, statuimus & ordinamus, quod de cetero omnes fratres deferant magnum habitum suum cum pennis, seu scapulari, & zona, seu lizeria, quam *Alsemever* appellamus, quæ non sit de ferro, sed de lana; & quod parvus habitus in eodem ordine portari consuetus nullatenus deferatur, nisi equitando, vel laborando, & quod talis habitus sit honestus, longus, & largus. Sed in locis famosis, & monasteriis semper habitus magnus deferatur. Transgressores autem hujus statuti pro prima transgressione una sexta feria verberentur in capitulo, & pane, & aqua sint contenti illo die: & religiosi quicumque prædicti ordinis tales reperientes teneantur revelare in capitulo, vel majoribus dicti ordinis.

XII. Item, quod fratres corneras de serico omnino non deferant, sed nec de panno, neque capellos, nisi equitando, & in casu necessitatis.

XIII. Item, quod non portent sotulares rostratos, vestes apertas ante, seu retro, etiam strumas in spatulis, nec vestes nimia brevitate, vel longitudine notatas.

XIV. Item statuimus, & ordinamus, quod priores ordinis in prima visitatione Domnis visitatoribus tradant pro se verum valorem suorum prioratuum, & administratores suarum administrationum suis prioribus, ut referatur ad proximum capitulum generale, ut ipsis visis, & consideratis, ordinetur de servitio in ipsis, & earum domibus in antea faciendo, & hoc idem in monasterio, & membris ejus. Et mittentur ad visitandum hujusmodi ordinem viri discreti, zelum ordinis habentes, qui inde referent, & prout alias statutum fuit.

XV. Item statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli priores in suis prioratibus habeant regulam, & privilegium reformationis Domini CLEMENTIS V. necnon privilegium JOHANNIS XXII., & ordinationem CLEMENTIS VI., & hoc infra proximam visitationem sub pœna emendæ arbitrariæ, & visitatores super hoc inquirant.

XVI. Item statuimus, & ordinamus, quod omnes fratres prædicti ordinis, tam intus, quam in foris, jejunent a festo Pentecostes, usque ad festum Paschæ singulis sextis feriis, una cum vigilia Sanctorum apostolorum Philippi, & Jacobi, & aliis jejuniis juratis, & a jure statutis.

XVII. Item statuimus, & ordinamus, quod fratres totius ordinis sint conformes in tonsuris, & coronis, adeoque in anteriori parte capitis pili sint in longitudine trium digitorum, & in rotunditate duorum digitorum.

XVIII. Item considerantes, quod singulæ administrationes singulis personis sint conferendæ, ut materia evagandi penitus evitetur; statuimus, & ordinamus, quod de cetero nullus fratrum dicti ordinis in ipso ordine duas obtineat administrationes, nisi quatenus super his per Dominum abbatem fuerit dispensatum, & hoc de consensu legitimo priorem, & conventuum, ad quos dictæ domus pertinerent.

XIX. Item statuimus, & ordinamus, quod nullus prior, aut administrator recedat ab hoc capitulo generali, donec copiam præsentium diffinitionum in scriptis habuerit.

XX. Item statuimus, & ordinamus, quod si aliqua statuta præterita fuerunt edita, non servata ordinis nostri debita solemnitate, ipsa cassamus, & irritamus, atque cassa, & irrita declaramus.

XXI. Ista autem statuta supradicta, sic facta, & publicata auctoritate nostra diffinitoria, qua fungimur in hac parte, approbamus, decretumque nostrum eisdem tenore præsentium interponendo.

XXII. Item, visis reparationibus ab anno citra factis, & per nos visis, quod non absque sumtibus permaximis fieri potuissent: quia visitatores monasterii nobis vicario une cum diffinitoribus aliquas necessarias reparationes in prædicto monasterio retulerunt fore faciendas juxta eorum visitationis processum, quas ad beneplacitum prædicti reverendissimi patris, & Dom. Dom. nostri communis remisimus. De factis autem, quam plurimum regratiantes, eidem devotissime supplicando, quatenus ad recuperationem jocalium, librorum, & aliorum, atque etiam totalis ordinis restaurationem sua benignissime gratia invigilare dignetur.

XXIII. Nota, quod pro augmento honoris Dominorum pro-

priorum ad capitulum generale venire debentium, fuit avisatum, quod de cetero afferent suos baculos pastorales, & cappas, quæ si non fuerint de panno, saltem sint de sargia nigra fortificata.

XXIV. Item statuimus, & ordinamus, quod de cetero fieri possit mutatio fratrum perpetua utilitatis causa, aut necessitatis de monasterio Grandimontensi ad singulos prioratus, & e contra auctoritate Domini abbatis, & de consensu priorum, quem dicta mutatio tangere poterit, & eo ipso, quo modo præmisso frater fuerit mutatus, habeat vocem in ceteris negotiis monasterii, aut prioratus, ac si professio recepta fuisset in dicto monasterio, aut prioratu, ad quod, vel quem sic fuerit translatus, & similiter cum fiet mutatio de prioratu ad prioratum modo, quo continetur in statuto Clementis Papæ VI. nisi cum facta fuerit mutatio ad corrigendos excessus, quo casu amittant vocem in capitulo, & ceteris negotiis, prout alias statutum fuit; & si retroactis temporibus aliqui religiosi mutati fuerunt de monasterio ad prioratus, & contra de prioratibus ad monasterium, vel de prioratu ad prioratum, nisi pro corrigendis excessibus suis, ex nunc in antea habeant vocem in capitulo, & aliis negotiis quibuslibet in conventu in quo morantur. Per hoc tamen non aufertur Domino abbati, seu ejus vicario, & prioribus in suis prioratibus, quin possint, & valeant libere transferre suos religiosos de cella ad cellam sibi subjectam.

SEQUUNTUR STATUTA ORD. GRANDIMONTENSIS FACTA A DOMNIS DEFINITORIBUS CAPITULI GENERALIS EJUSDEM ORDINIS ET IN EODEM CAPITULO GENERALI

Anno Domini MCCCCLXXV.

I. IN primis statuimus, & ordinamus, quod pro unione, & pace nostræ sanctæ matris ecclesiæ quilibet prior prædicti ordinis in suo prioratu, & quilibet administrator in domo sibi commissa, de cetero in antea in prima hebdomada cujuslibet mensis celebrent, aut celebrari faciant unam missam de Spiritu Sancto, nisi propter festum, aut aliud supervenerit, & tunc in secunda hebdomada, sine difficultate, videlicet in prioratibus alta voce, & in domibus submissa voce celebretur. Celebret etiam quilibet prior & administrator, aut celebrari faciant infra mensem postquam applicuerint in domos suas, unam missam votivam de B. Stephano confessore patre nostro, pro reverendissimo Patre, & Dom. Dom. nostro communi; & unam pro fundatoribus, & familiaribus nostris, & unam pro defunctis, & quilibet clericus unum psalterium integrum.

II. Item statuimus, & ordinamus, quod de cetero ultra duas missas conventuales, videlicet de Prima, & majorem, in hoc monasterio Grandimontensi celebrabuntur quotidie aliæ duæ missæ submissa voce: quarum prima de Beata MARIA, & ad altare solitum, ad horam primi pulsus Primæ, & reliqua vero ad devotionem, dum tamen non sit durante capitulo. Et si super hebdomade supervenerint . . ., aut anniversarium, missa illa reputabitur pro una de quatuor missis supradictis; ita tamen, quod singulis diebus celebrabuntur quatuor missæ continuatim, usque ad sequens proximum capitulum.

III. Item statuimus, & ordinamus, prout alias statutum fuit, quod omnes, & singuli dicti ordinis de cetero jejunent quadragesimam, adventum Domini, jejunia quatuor temporum, vigilias Sanctorum, apostolorum, prout in regula Beatissimi Stephani patris nostri, & in statutis, & constitutionibus nostri ordinis prædicti continetur: exceptis illis, qui infirmitatem personarum suarum, vel debilitatem patiuntur.

IV. Item, quia propter quorumdam hujus sacri monasterii visitatorum specialium negligentiam, visitationis officium sæpius in eodem monasterio omittitur, ob cujus causam quam plurima animarum pericula, dictique monasterii damna, ac etiam scandala provenerunt, & provenire possunt. Idcirco eisdem visitatoribus districte præcipimus sub excommunicationis sententiæ pœna, ut omnes, & singuli visitatores supradicti habeant se statuto tempore, videlicet per octo dies ad minus ante generale capitulum, in ipso monasterio repræsentare ad hujusmodi suum officium fideliter exequendum. Alioquin deficientes ex nunc pro ut ex tunc & ex tunc pro ut ex nunc in decem libras Turonenses condemnamus, applicandas ad opus ecclesiæ prædicti monasterii.

V. Item, attente considerantes, quanta incommoda, & dispendia provenerunt, & provenire possunt ob defectum residentiæ in prioratibus, & domibus hujus ordinis, tam in diminutione divini cultus, quam in ædificiis, & proventibus eorumdem, providendum duximus statuendum, ut omnes, & singuli priores, & administratores prædicti ordinis resideant, & residentiam personalem faciant in prioratibus, & domibus, & non in villis, aut castris, aut alibi, cujuscumque auctoritatis existant, nisi cum ais fuerit legitime dispensatum.

VI. Item, considerantes dictum apostoli dicentis: *Omnia honeste secundum ordinem fiant in vobis*, præcipimus, quod fratres prædicti ordinis, tam devoti, quam deforis, qui per quindecim dies a monasterio, seu prioratu absentes fuerint, regressi ad monasterium, seu prioratum, facta oratione, & defunctorum absolutione, non communicent cum ceteris fratribus, donec licentia primitus præhabita a Domino abbate, aut ejus Domno vicario, vel priore claustrali in eorum, seu alterius eorum absentia, & in prioratibus a priore, seu ejus locum tenente.

VII. Item, attente considerantes, quanta incommoda propter guerras acerrime in hoc regno viventes, & quas in proximo vigere formidamus, prioratibus, & ordini provenerunt, ut periculis obvietur, quæ exinde provenire possent, & ad capitulum generale quilibet prior cum socio venire teneatur, hæc & alia prædicti priores non immerito formidantes, celebrationem hujusmodi capituli generalis prorogamus ab hinc, usque ad biennium proxime venturum, pro hac vice dumtaxat, reservato super hoc beneplacito, & assensu prædicti Reverendissimi in Christo Patris, & Dom. Dom. nostri communis, cui humiliter supplicamus, quatenus hanc præsentem prorogationem ratam, gratam habere dignetur: proviso tamen, quod pendente hujusmodi prorogatione priores pensiones suas solvi consuetas in prædicto capitulo tenebuntur thesaurario, seu receptori ejusdem Reverendissimi Domini in monasterio prædicto in festo Ascensionis Domini, aut intra octavas ejusdem festi solvere sub pœnis excommunicationis, quam ipso facto contumaces, & deficientes in hujusmodi solutione incurrent, & nihilominus tenebuntur ad expensas fiendas in prosecutione hujusmodi pensiones recolligere, sub prædictis pœnis, quas etiam incurrent ipso facto taxatione præcedente.

Item, quia pluralitas statutorum aliquos forsitan nostri ordinis induceret in errorem, statuimus, & ordinamus, quod per prædicta nostra statuta, & alia retroactis temporibus edita, in quantum erunt contraria, seu derogatoria statutis, & ordinationibus, & privilegiis Romanorum pontificum huic ordini concessorum, in quibus amplior declaratio, vel interpretatio foret necessaria, in aliquo non intendimus derogare.

SEQUUNTUR STATUTA ORD. GRANDIMONTIS FACTA A DOMNIS DIFFINITORIBUS GENERALIS CAPITULI EJUSDEM ORDINIS, ET IN EODEM GENERALI CAPITULO CELEBRATO IN MONASTERIO GRANDIMONTIS

Anno Domini MCCCCLXXVII.

I. PRimo, quia multi nostri prædicti ordinis priores negligentia, aut alias in generali capitulo non comparent, nec excusationem legitimam juxta Johannis Papæ XXII. statutum mittunt, in animarum suarum præjudicium non modicum, & ordinis prædicti dedecus, ac grave detrimentum, propterea statuimus, ut omnes ipsi priores in singulis generalibus compareant, aut, prout debent, & tenentur juxta dicti statuti tenorem, per unum fratrem sui conventus expresse professum excusationem legitimam mittant, absentes autem legitime non se excusantes ultra contumaciæ pœnam in decem libras ceræ condemnabuntur ad opus sacristaniæ monasterii convertendam.

II. Item statuimus, & ordinamus, prout alias fuit ordinatum, quod frater quicumque comedens, vel bibens, vel pernoctans in bassa curte Grandimontis, sine licentia Domini abbatis, vel ejus locum tenentis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua poterit absolvere Domnus abbas, vel ejus locum tenens.

I N.

INDEX ONOMASTICUS

Voces exoticas, & minus usitatas explicans.

A

ABSCONSA est tecta laterna, cujus usus frequens erat apud monachos, a verbo *abscondo*, sic dicta, eo quod lumen, sive candela in illa absconderetur.

ACERRA est thuribulum: sed in nostris ritibus vulgo sumitur pro vasculo ad recondendum incensum idoneo: *Naviculam* appellare solemus.

AGENDA est hora canonica, ut videre est in regula S. Benedicti cap. 13. sæpe etiam sumitur pro ipso officio defunctorum.

ALETA sunt Alecet pisciculi Marini, qui & *Arentia*, Gallice *Harenge* appellantur.

AMBO pulpitum, ecclesiæ tribunal, ad quod per gradus ascenditur.

AMBROSIANUM est hymnus, ab Ambrosio, qui primus hymnos in ecclesia cantandos composuit.

AMBROSIANUM RESPONSORIUM est responsorium breve, ut patet in quodam MS. codice S. Martialis Lemovicensis, in quo legitur: *Nonis Aprilis, hic incipiunt parva responsoria, quæ dicuntur Ambrosiana*.

ANALOGIUM, pulpitum.

ANTE ET RETRO. Hujus vocis frequens occurrit mentio in his ritibus, sumiturque ad significandam inclinationem duplicem, quæ fit a dextris, & a sinistris: aliquando pro simplici inclinatione, sive salutatione: unde in quibusdam Burgundiæ partibus hactenus perseveravit vulgaris locutio Gallica, *faire le devant derrier*, pro, salutare.

APOCRISARIUS est nuncius, legatus; sed in nostris ritibus est principalis sacrista, cujus officium describitur apud Udalricum lib. 3. c. 12.

ARENTIA pisciculi, Gallice *Harenges*.

ARMARIUS Bibliothecæ custos. In nostris ritibus cantorem, sive præcentorem, cui etiam librorum ecclesiasticorum cura incumbebat, significare solet.

ARNOSIUM, Gallice, *Arnois*.

ASCENSA pro Ascensione. Usurpatur communiter ad significandum festum Dominicæ Ascensionis.

B

BACILE, BACCILE, ET BACCHILE, est pelvis, seu polubrum.

BACINUM idem significat.

BANCALIA sunt panni, qui super sedes, vel bancos in choro ponebantur, ut docet Durandus in lib. 1. Rationalis cap. 3. nu. 23.

BOTÆ, Ocreæ, Gallice *Bottes*.

BRANDONES sunt faces, tædæ. Sed in ritibus ecclesiasticis significare solent primam jejunii quadragesimalis Dominicam, quod hujus prima die sub Vesperum brandonibus accensis februare solerent. Hinc Dominica in brandonibus, pro Dominica prima quadragesimæ.

BUXA, Buxis, arca, seu pyxis. Buxæ reliquiarum sunt capsulæ, in quibus Sanctorum reconditæ servantur reliquiæ, Gallice *reliquaire*.

BUXUS diptychon, tabella ad scribendum.

C

CADUS, seu CALDUS, apud Columellam, & Martialem est quoddam vasi genus, aut poculi.

CALCIATIO, signum ad indicendum calceos.

CANNA proprie est mensura, qua pannos metimur, sed hic in ritibus sumitur pro virga, qua cum lino cerato ecclesiæ luminaria altius locata accenduntur.

CASSIA est arca, capsa, Gallice *Caisse*.

CEROSTANDA, CEROSTATA, candelabra, quæ per se stant, vel in quibus cerei stant, aut manibus deferuntur.

CHORA, seu CHORÆ, sunt distinctiones psalmorum singulæ cum una antiphona tres psalmos continentes.

CIBORIUM, altaris tegimen, & umbraculum, quatuor columnis innixum, in quo cereos nostri solebant accendere, de quo vide Mabillonii Commentarium prævium ad Ordinem Rom. Musæi Italici tom. 2.

CLASSICUM omnium campanarum pulsatio, quam etiam *Classis* vocabulo significare solebant.

COLLYNDES panis tenuis, & quasi subcinericius.

COLPUS, Ictus, Gallice *Coup*.

CONCHA est labrum, vel concavum, superius patulum.

CONFIRMARE est communicare de Sanguine Domini.

CONVERSUS apud veteres monachos is erat, qui a sæculari vita ad conversionem venerat vitam monasticam professurus, apud recentiores frater laicus. Sed in his ritibus inferiores altaris ministros, quos ceroferarios, thuriferariosque appellare solemus, significat.

CROCHA baculus pastoralis, Gallice *Croce*

CRUCEM SEQUI est processionem agere.

CULPUS, ictus, Gallice *un coup*.

D

DATIUM, tegimen, umbraculum, Gallice *un dais*.

DATARUM, DATARIUM, DATA, est anni, mensis, seu diei scripta annotatio, Gallice *Date*.

DORSALIA, DOSSALIA: Durando lib. 1. Ration. cap. 3. num. 23. sunt panni in choro pendentes e dorso clericorum, aulæa, tapetia. Ita apud Matthæum Parisiem Richardus abbas ecclesiæ suæ legitur dedisse *dossale unum, sive tapetium, in quo passio S. Albani figuratur*.

F

FANULUS est manipulus, quem Subdiaconus ad brachium sinistrum gestat.

FASTERIA est velum vel ligamen.

FAUDESTOLA, FAUDESTOLUS cathedra major, sed mobilis, & throno minor, in qua nunc hic, nunc illic sedetur, Gallice *un fauteuil*, antiquis *un faudesluef*, *& un faudeslueil*.

FILTRUM, FELTRUM lana coacta: Gallice *feutre*.

FINIRE, mori, quia mors vitæ finem facit.

FIOLA, PHIALA, est ampulla: Gallica *une fiole*.

FLATONES Placentæ species: Gallice *flans*.

G

GALILÆA inferior ecclesiæ pars, quam navem appellamus.

GALLICA calceamentorum genus, quo Galli utuntur Gallice *Galoche*.

GASTALLUS panis delicatior: nostris *Gateau*.

GASTRÆ vasa fictilia rotunda.

GAUSAPE mantile, nappa.

GENERALE *appellamus*, inquit Udalricus lib. 2. consuet. Cluniac. cap. 35. *quod singulis in una datur scutella*. Pitantia, quod in una scutella duobus.

GLOCCA campana Gallice: *une Cloche*.

GYRO, GIRO lacinia, idest pars vestis, ac togæ, quæ laxior fit, & in superiori contracta, in largiorem formam in imo se explicat; sic dicta, quod hac parte gyret vestis, id est circuli figuram efficiat.

H

HERCIA, EZZA candelabrum ferreum in modum occæ, seu trigoni confectum, de quo Petrus Venerabilis in statuto 52.

I

INDEX signum, quo fratres vocabantur ad divina officia.

INFULA est fascia in modum diadematis, a quo dependent vittæ ab utraque parte. Est etiam casula, planeta, vestis sacerdotalis, ut videre est apud Hugonem de S. Victore, in speculo ecclesiæ lib. 1. cap. 6. *Casula, quæ alio nomine planeta, & infula dicitur*.

INTERRATIO sepultura e Gallico verbo *interrement*.

JOCALE monile gemmæ, aliudque ad genus pretiosum aliquid.

JUDICIUM apud monachos est *disciplina*. Judicium accipere, virgis cædi, disciplinam accipere.

JUSSUM, JUSUM deorsum, ad terram Jussum deponere, Gallice *mettre en bas, mettre a terre*.

JUSTA, JUSTITIA mensura vini, quæ ministratur fratribus ad refectionem.

INDEX GENERALIS

RERUM, NOMINUM, ET VERBORUM,

Quæ in Tomo Primo, Secundo, & Tertio hujus Operis

DE ANTIQUIS

ECCLESIÆ RITIBUS

CONTINENTUR.

Indicem generalem Tomi Quarti videat Lector in calcem Indicis supradicti.

A

In

In

In

B

Dia-

Cin-

C

Mini-

Sileo-

Ante

D

Vigi-

Domi-

E

Epi-

Ante

Infan-

F

Fra-

G

Ho-

Mo-

K

L

Lai-

Libro-

M

M[illegible]

Manna

Mis-

MI-

N

O

Obla-

P

Necess-

Se com-

Per

Roto-

S

Sex

T

Seme

V

Un-

X

FINIS.

NOMENCLATOR
EXOTICARUM VOCUM,

QUÆ IN TOTO D. EDMUNDI MARTENE OPERE OCCURRUNT.

MONITUM.

Generali rerum Indici, & hunc Exoticarum vocum adjicere voluimus. Qua in re delectum adhibere operæ pretium arbitrati sumus, tum a Græcis vocibus quæ in obviis hujus linguæ Lexicis præsto sunt, abstinentes, cum etiam a plerisque barbaris, quæ ex frequenti Scriptorum, & vulgus usu, familiares jamdudum factæ in omnium notitia versantur. Quamobrem heic exotica tantum vocabula offendet Lector vel raro, vel fortasse numquam a mediæ infimæque latinitatis Scriptoribus usurpata. Du-Cangii glossario a Monachis Congregationis S. Mauri recens insigniter aucto usi ut plurimum sumus, quod non paucæ ad hanc rem nostram voces, quæ in veteri Du-Cangii editione desiderantur, in nova prælaudata congestas explicatasque ex iis monumentis deprehenderimus, quæ vel in altera Martene editione occurrebant, vel in postrema hac a nobis adornata nunc primum lucem aspexerunt.

A*Bigumenos* animarum. T. II. 130. Prælatus animarum curam habens.
Absconsa. T. III. 274. Laterna cœca monachorum.
Acacia. T. III. 73. Agestum auri cujusdam textilis ab Imperatore gestatum in signum humilitatis.
Arca. T. III. 230. Locus in quo vestimenta Sacerdotalia servabantur.
Alfetum. T. II. 332. Caldarium cujus usus erat in probationibus aquæ calidæ.
In *allophiis*. T. II. 353. In vulpibus, nisi legendum sit in *allophylis*.
Almutia. T. III. 182. Amiculum, seu amictus quo Canonici caput humerosque tegebant.
Alasus. T. II. 245. Alatus.
Altarista. T. III. 219. Sacellarius.
Anagolagus, *Anagolaus*, *Anabolagium*, & *Anaboladium*. T. I. 126. Vestis Pontificalis, seu amictus & humerale.
Mitra *anfrefiata*. I. II. 249. Auriphrysiata.
Angolatura. T. III. 307. Pars vestis quæ collum ambit.
Annimissarius. T. III. Presbyter qui per annum integrum quotidie Missam celebrat pro Defunctis.
Annona viridis. T. III. 122. 142. Seges.
Annotinum Chrisma. T. III. 116. Chrisma vetus quod adhuc superest dum novum consecratur
Annotinum Pascha. T. III. 182. Anniversaria paschatis præteriti dies.
Amphibalum. T. I. 10. Casula, indumentum Sacerdotale.
Apocaligus. T. II. 5. Miles caligatus.
Apophoretæ. T. II. 308. Sanctarum Reliquiarum Thecæ, seu vasa ad deferendas reliquias.
Pedagium supra *apra*. T. II. 361. Forte ponticulus supra torrentes, vel canales &c.
Arcentur omnes anguli gulæ. T. II. 341. Forte scrutentur, vel arctentur.
Archium. T. I. 139. Principatus, magistratus, dignitas.
Armarius. T. II. 393. 399. Clericus ad armarii curam destinatus, qui nempe in Monasteriis & Ecclesiis Cantor & Præcentor dictus, librorum præsertim Ecclesiasticorum curam habebat.
Arsenochita. T. II. 31. Masculorum concubitor.
Campus *artus*. T. II. 336. 341. Undique clausus.
Ascenserium. T. II. 305. Locus ascendendis equis paratus.
Auricatl. T. II. 361. Cervicale.

Bacilis. T. II. 84. Malluvium.
Bacinus. T. III. 154 Pelvis, pollubrum, malluvium.
Baia. T. III. 72. Rami palmarum.
Baleatio. T. III. 40. Ludus sic nuncupatus ab actione baleandi hoc est jaculandi e balista.
Ballaturas facere. T. I. 282. Choreas ducere.
Banderarii. T. II. 89. Vexilliferi.
Barillus. T. II. 361. Cadus, dolium, amphora.
Biothanati. T. II. *ibid.* Dæmoniotum genus heic significatur.

Bisan-

Bisancius aureus. T. I. 227. 359. Nummus aureus ab Imp. CPolitanis cusus.
Bordoni. T. III. 72. Virgæ pictæ.
Venditio *bosis*. T. II. 183. Forte venditio bonorum mobilium vel immobilium quæ ex bausia & fellonia reorum in fiscum caduni.
Brasa. T. III. 142. Prunæ.
In cappis *brodatis*. T. III. 180. Acupictis.
Capsa *bruna*. T. III. 226. Fusca, subnigra.
Bubata. T. III. 163. Locus confornicatus, camera, fornix.
Bucillum. T. II. 361. Barillus.
Burdones. T. II. 170. Eremitæ liberi.
Buta. T. III. 96. Vasculum reponendo chrismati.
Buxa reliquiarum. T. III. 71. Thecæ reliquiarum.

Cadafalus; infra *catafalsus*. T. III. 71. Tabulatum.
Cambutta, *Gambuca*. *Cambotta*, *Cambitta*. T. II. 255. 262. 275. Baculus incurvatus, virga pastoralis.
Campobus, seu *Campagis*, vel *Cambagis*. T. II. 31. 53. 72. 81. Episcopales.
Cambellosus. T. III. 221. Pannus ex camelorum pilis confectus.
Canola. T. III. 122. Capsula reliquiis adornata.
Cansarius. T. II. 408. Cantorum pluteus, analogium.
Capiceria. T. III. 131. Monialis cui capitii Ecclesiæ cura incumbebat. Capitium vero est pars ædis sacræ, quæ vulgo presbyterium dicitur: vel etiam sacræ supellectilis custos.
Capicerius. T. III. 56. Vide verbo *Capiceria*.
Capparo. T. II. 220. Tegmen capitis.
Cappula. T. I. 54. Parva cappa. Indumentum minus religiosum quod caput tegat.
Caragii. T. II. 282. Sortilegi, præstigiatores qui characteribus magicis utuntur.
Carraca. T. I 100. Navis oneraria.
Cum *carato*. T. III. 193. Si mendum non sit, cum tabella, vel alia hujusmodi re, in qua descripta erat antiphona decantanda.
Panis *caristiæ*. T. III. 193. Caristia annonæ caritas.
Carubium. T. III. 191. Quadrivium.
Cassa. T. III. 214. Capsa.
Castrum doloris. T. II. 407. Catafalcus, tabulatum super quo pompa funebris struitur.
Absque *causatione* Albarum. T. III. 212. Forte sine comitatu, vel vestitione Albarum.
Cervulus. T. I. 282. Ludus profanus apud Ethnicos & Paganos, in quo pellibus belluarum induebantur.
Chæomata. T. II. 206. Ornamenti genus ex margaritis & unionibus confecti, quod supra scapulas retro sellam, & circa collum ferebat equus Imperatoris in ejus coronatione.
Charbar. T. III. 200. Carnis privinm.
Chinea. T. III. 221. Equus nobilis oblatus a Rege Siciliæ Papæ in festo S. Petri.
Chorerejus. T. III. 82. Clericus de choro.
Chrismal. T. III. 157. 158. Vas in quo Chrisma asservatur, vel Christi Corpus; palla etiam corporalis, vel quævis alia palla, qua sacræ conteguntur reliquiæ. Est etiam vestis candida quæ super caput baptizati ponitur.
Cantare in *Cicadis*. T. III. 41. 100. In certo cantu, seu musicæ modo.
Circata. T. III. 177. Census qui solvitur Episcopo aut Archidiacono ab Ecclesiis pro visitatione.
Clamitellæ. T. II. 361. Parva tintinnabula.
Classicum. T. I. 131. 218. Pulsatio crepitaculi seu lignei instrumenti, campanarum loco, hebdomada sancta.
Classus missæ. T. III. 125. Pulsatio omnium campanarum: campanilis.
Clera. T. II. 335. Cratis.
Electio *Conjugula*. T. II. 313. Unanimis.
Cope. T. II. 261. Littera decimaoctava veteris alphabeti græci.
Corruptores. T. III. 41. Clerici cantores sic vocati.
Corribullus. T. III. 38. Tunica brevior seu Dalmatica, quam gestabant Diaconi, aliique inferiores Ministri.
Cotera. T. III. 257. Vasa lapidea.
Cotta. T. II. 209. 219. Superpelliceum.
Coysia laicalis. T. III. 227. Capitis tegmen ad usum laicorum.
Cresso aquaticus. T. II. 335. Nasturtium aquaticum.
Crocia, *Crocha*. T. II. 167. 368. Baculus pastoralis.

Crossa-

Jacia

Jacia seu *Jacea*. T. III. 285. Sacrificatio.
Illaria. T. III. 168. Festivitas, gaudium paschale.
Impla. T. III. 142. Velum.
Incaustum. T. II. 181. Atramentum.
Infantiones. T. II. 237. Nobiles inferioris ordinis apud Hispanos, quos hodie Hidalgos vocant.
Infula. T. III. 138. Casula, planeta, vestis Sacerdotalis.
Invigari. T. II. 347. Irrigari, ablui.
Inuitatio. T. II. 267. Concentus qui ex campanarum pulsatione exoritur.
Isenbrunum. T. III. 261. Panni species.
Jubilum. T. III. 281. *Et aliis in pluribus locis*: vocis modulatio in decantandis antiphonis.
Justa. T. III. 257. Mensuræ liquidorum species, seu poculum.

Lazarus. T. II. 358. Leprosus.
Lebiton. T. I. 155. Tunica sine manicis ad usum monachorum Ægyptiorum.
Lectreolum. T. I. 132. Pulpitum.
Lettarda. T. III. 200. Vel æs campanum sic dictum, vel signum ære campano datum in festo S. Remigii.
Litium. T. II. 291. Lapis, lapillus.
Litus. T. I. 24. Libertus colonus juxta *Muratorium*, vel servus glebæ juxta *Cangium*, vel qui ingenuitatem suam sponte & pretio addixit servituti.
Lobium. T. III. 259. Porticus aperta ad spatiandum.
Lucibula. T. III. 234. Lucibrum seu parum candelabrum gestatorium, palmatoria.
Luteus. T. III. 110. Species vasis.

Majestas. T. III. 100. Quævis sanctorum imago vel etiam Dei.
Manerium. T. II. 161. Domus rustica, vel habitatio cum certa agri portione.
Manicationes. T. III. 18. Matutinæ accelerationes; manicare enim mane surgere dicitur.
Mantea. T. II. 215. Pallium vel paludamentum regium.
Mappularii. T. III. 57. Clerici Romanæ Ecclesiæ sic dicti.
Marca. T. II. 334. Locus in quo novem pedes finiebant, ab eo dimetiendi qui judicium ferri inire debebat, incipiebantque a staca.
Massicoti. T. III. 33. Minores chori ministri in cathedralibus.
Matta. T. III. 257. Storea, teges.
Matratum ligneum, T. III. 122. Tabula lignea quæ pluribus malleolis pulsatur ad horas divini officii indicandas diebus infra hebdomadam sanctam, quibus campanæ silent, diciturque crotalus in missali Ambrosiano.
Mazconici. T. II. 408. T. III. 191. Ecclesiastici inferioris gradus & subsellii, quorum nomen & ordo adhuc in Ecclesia Cathedrali Mediolanensi viget.
Meragularius. T. I. 233. Æditutus, custos ædis.
Meridæ seu *Margaritæ*. T. III. 98. Minutulæ particulæ Eucharistiæ pro infirmis ad annum servatæ a Græcis.
Metaxæ. T. II. 206. Tibialia.
Metrem vini. T. III. 110. Metretam.
Mica. T. III. 125. Parvulus panis albus.
Mistilago. T. II. 348. Humani corporis pars.
Mixtum. T. III. 311. Jentaculum ex pane & modico vino constans.
Lapis *molatus*. T. II. 331. Lapis molaris.
Mozzetta. T. II. 408. Episcoporum vestis.
Mula. T. II. 348. Humani corporis pars.
Ad usus *muridos* Ecclesiæ, T. I. 92. Forte ad abstergendas manus post sacrorum oleorum contrectationem.
Muscatoria. T. III. 257. Emunctoria candelarum.
Mysticare. T. III. 137. Sensum arcanum includere, vel exprimere.

Nata. T. II. 166. Storea.
Naveta. T. III. 122. Acerra.
Nebula. T. III. Tenuissimus panis ex conspersa farina in ferro caracterato factus.

Ordalii judicium. T. II. 332. Quodvis judicium divinum purgandi criminis causa initum.
Odzum. T. I. 2. Pulpitum ad Evangelium decantandum.
Tradere malefactores in *pala*. T. II. 334. idest in palam seu manifestare.
Palla. T. II. 361. Sattago.

Para-

Paratus. T. III. 217. Suppellex Ecclesiastica pretiosa cujuscumque generis.

Paraphonista. T. III. 149. Cantor.

Parcamenum. T. III. 327. Membrana, seu pergamena.

Parochiata. T. II. 135. Parochia.

Pastelli. T. II. 177. Panificium carne aut alio edulio factum.

Pastophoria. T. I. 123. Atrium Templi.

Patrocinia Sanctorum. T. II. 338. Reliquiæ Sanctorum quorum Patrocinia invocantur.

Paula. T. III. 138. Linteum quo tegitur altare.

Pavonatius color. T. III. 218. Violaceus.

Pelliccia. T. II. 399. Vestis ex pellibus cum pilo.

Parpergula. T. III. 219. Peristillum.

Perla. T. III. *ibid.* Gemma, unio.

Personagia. T. II. 135. Personæ.

Pesbita, vel *Pesita*. T. II. 100. 104. Hymni genus simplex.

Petallum. T. III. Lamina aurea.

Phaina. T. II. 115. Vestis sacra data in ordinatione Presbyteris.

Phanon. T. I. 301. Fanale, laterna.

Officium *phasticæ*. T. III. 292. Forte officium Patroni causarum.

Philactericæ. T. III. 212. Reliquiarum thecæ.

Philacterium. T. III. 56. Capsula Reliquiarum.

Philacterium. T. II. 360. Loricæ genus.

Pigmentum. T. III. 208. Potio ex melle & vino diversis aromatibus confecta suavis & odorifera.

Pisteugis. T. III. 154. Hoc est πιστεύω εἰς: scilicet post symboli recitationem.

Planellæ, T. III. 45. Crepidæ.

Plebisani. T. III. Parochi, vel etiam aliquando Parochiani.

Plenarium. T. I. 236. Missale.

Plumacium. T. III. 212. Idem videtur quod opus plumarium.

Pneuma. T. III. 137. Cantus species, quo non voces sed vocum toni longius cantando diducuntur & protrahuntur.

Paderes. T. II. 34. Superhumerales.

Portionarius, T. III. 142. Beneficiatus in Ecclesiis Cathedralibus qui dimidiam tantum præbendam percipit.

Posus. T. II. 155. Poculum, vasculum.

Tabula *praticans*. T. III. 233. 234. Registrum in quo nomina Clericorum scribebantur.

Presbyterium. T. II. 90. 305. Donativum quod Summi Pontifices Romani distribuere solent, maxime quum inaugurantur.

Pronum. T. III. 24. Præconium, & T. II. 361. Significat familiarem de rebus fidei ad populum expositionem.

Prosellus. T. III. 172. Pars officii canonici, prosula a prosa.

Prostigatio. T. II. 343. Præstigiæ.

Psallentium. T. I. 369. Psalmodia.

Pugillita. T. II. 89. Quantum pugillo continetur.

Punga. T. II. 147. Pera, crumena, sacculus.

Refectuarius Ecclesiæ. T. III. 49. Idem ac *Refectorialis*: vicarius seu beneficiatus Ecclesiæ Saltzburgensis, qui vice canonicorum missas canit, cæterasque horas Ecclesiasticas; ut passim videre est in Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis. Refectioralis inde, ut conjectari potest, dictus, quod communi refectorio oteretur. Is etiam dicitur, cui Refectorii curandi onus incumbit.

Regnarius. T. III. 37. Ecclesiæ Landunensis Clericus cui ad mensam, prandente Episcopo, legere incumbebat.

Regratio. T. II. 168. Gratias ago.

Remiscinarius Subdiaconus. T. III. 139. Et *Remissiviarius*. T. III. 49. qui remisse seu lenta voce canit, ut conjectari potest; ducta voce a ficto *remiscinium*, remissus cantus.

Rennuotb vel *Renuitæ*. T. II. 169. Dicti monachi vagi, alias Sarabaitæ, quasi renuentes jugum monasticæ disciplinæ.

Represia, T. III. 119. Cantus reasumptio, seu responsorii versus decantatio.

Restellus. T. II. 399. Ordo cereorum instar rastri circa Altare.

Retornus. T. III. 229. Pulsatio campanæ qua clerici convocantur ad horas canonicas in Ecclesia decantandas.

Facere *revestitum*. T. III. 225. 229. Vestibus sacris ad officium divinum indui.

Richus

Ribus lioeus. T. III. 219. Rochetum, *quod vide infra*.

Rochetum. T. III. 191. Vestis linea Episcoporum & Abbatum propria, cum manicis strictioribus, quasi parvum Roccum. Est etiam Canonicorum Regularium vestis propria.

Foras *Rugas* Altaris. T. II. 31. Plura de hac voce in Cang. Heic forte est via io ipsa æde sacra ante Presbyterium, qua in illud pergit Pootifex sacra facturus, vel portæ, porticellæ, fenestellæve, quæ tum ad ingressum Presbyterii, tum in vestibulo Altaris, tum intra & extra coofessionem erant, tum denique cancellis intermixtæ; atque hinc vox Italica *Ringhiera*.

Rufellæ. T. III. 290. Etiam Russeola, panis seu placeotæ species.

De paono laoeo *russato*. T. III. 218. Kubro coccineo.

Ssitum. T. II. 133. Pelvis, ut videtur.

Srnitum. T. I. 249. Olosericum.

Sarabaitæ. T. II. 169. Monachi qui nulla Regula approbati, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur, qui ioterdum bini aut terni passim per urbes aut castella pro;rio arbitratu vivunt.

Sartrinum. T. II. 167. Officina sartoris.

Scabini. T. II. 362. Judicum, & Comitum assessores, qui vices judicum obibant.

Scaccarium. T. II. 215. Tabula in qua scacis luditur, alternis quadris albi ac nigri coloris distincta. Hinc eadem nomenclatura donatæ Tabulæ similibus tesserulis aut quadris diversi coloris variegatæ, in quo seosu hic usurpatur.

Scarletum. T. II. 89. Pannus coccineus.

Scena. T. III. 172. Porticus Ecclesiæ.

Scolaces. T. II. 373. Intortitia.

Scolenses. T. II. 89. Scholenses, qni suot iidem ac scholares.

Secretarius. T. II. 393. Qui Ecclesiæ secretum curat. Sacrista.

In *semiccis*. T. III. 129. In semicinctiis.

Serata. T. II. 368. Clausa.

Sion, seu *Syon*, T. I. 143. Cochlear foratum.

Soccus. T. II. 220. Vestis fere in modum cappæ sericæ.

Sofrasta. T. III. 225. Legendum, soffrata, vel sofrayta. Culpa vel mulcta io Ecclesia Lugdunensi dicitur quæ a canonicis ob culpam aliquam vel absentiam a choro, quum aliquid præstandum erat, exsolvi debebat.

Sotulares. T. II. 161. 168. 361. 369. Idem ac *Subtalares calcei*. Pedulium genus, quibus maxime monachi per noctem utebantur in æstate. Ita etiam passim nuncupantur calceamenta Episcoporum sacra peragentium.

Solum. T. II. 250. Pavimentum, stratum.

Species. T. II. 403. Aromata, vel res quævis aromaticæ. Quidquid etiam diebus jejuniorum vespere apponitur, ut bellaria, fructus, cichoreum aceto & oleo conditum, vel etiam nectar, seu vinum pigmeotatum.

Spinata. T. II. 348. Spina dorsalis.

Staca. T. II. 332. Palus, vel fustis terræ infixus, a quo novem pedes, qui judicium ferri ioiturus erat, emetiri debebat.

Stapha. T. II. 305. Stapes, quo quis in equum tollitur.

Stapla. T. II. 332. Lignum vel quid simile super quo ferrum candeos ponebatur in ordalio.

Staminia. T. II. 172. Lanea interula, seu camisia, qua monachi quidam vice cilicii utebantur.

Staulus. T. III. 137. Idem ac *Stallus*. Sedes canooicorum vel monachorum in choro Ecclesiæ.

Staupus. T. II. 354. Scyphus, crater, poculum; mensura liquidorum.

Stauracis. T. III. 212. Collor a storace nuncupatus, idem ac stauracinus, & storacinus. Hinc apod Du-Cangium reprehenduntur Bollandistæ, quod stauracis pannum interpretentur *crucibus insertum*, quamquam Bollandistis accedunt Macri fratres in Hierolex. & Torrigius de Cryptis Vatic.

Stillus. T. III. 163. Candelabrum.

Subformarius. T. III. 225. 226. Lugdunensis Ecclesiæ clericus sub forma, seu stallo positus.

Subbastationes. T. II. 161. Auctiones.

Subregnarius. T. III. 22. Qui Officiales Hebdomadarios in tabula annotabat.

Summissarii. T. III. 76. 234. Presbyteri in Ecclesia Argentinensi inferioris ordinis, quibus ex officio competit majus sacrum seu summam Missam, ut vocant, celebrare; unde vocis origo; id quippe inter eorum officia præcipuum est, etsi alia committantur.

Tabu-

I N.

INDEX RERUM

QUÆ IN TOMO QUARTO CONTINENTUR.

A

ABBAS.

AN-

B

C

De

COLLECTA.

COLOR.

COLUMBANUS.

COMMEMORATIO.

COMMUNIO.

COMPLETORIUM.

COMPROMISSARIUS.

CONCEPTIO.

CONCILIUM.

CON-

Quo

Domi-

Evan-

EUCHARISTIA.

EULOGIA. Vide HOSTIA.

EXAMEN.

EXCITARE.

EXCOMMUNICATIO.

EXHORTATIO.

EXIRE.

EXPOSITIO.

EXTENSIO.

EZECHIEL.

F.

FABA.

FAMULUS.

FEMINA.

FEMORALE.

FERCULUM.

FERIA.

FERRAMENTUM.

FERRARIENSES MONACHI.

FESTUM.

S. An-

HERBA.

HILDEGUNDIS.

HOMILIA.

HOSPES.

HOSTIA.

HUGO.

HYMNUS.

I

JACOBUS.

JANUARIUS.

JEJUNIUM.

LIN-

MIXTUM.

MODIUS.

MOLISMENSES MONACHI.

MONACHUS, MONASTERIUM.

MORS.

MUNDITIÆ.

MUSCA.

MUS-

Item

Operis

Passio-

Pri-

PROCESSIO.

PROCEDENTES.

PROCLAMATIO.

PROPHETIA.

PROFESSIO.

PROSA V. SEQUENTIA.

PSALLO, PSALMUS, PSALTERIUM.

PUER, V. INFANS.

PURIFICATIO.

Q

QUADRAGESIMA.

QUATUOR TEMPORA.
V. JEJUNIUM.

QUINQUAGESIMA.

R

RADEGUNDIS.

RATIO.

RANCO.

RECONCILIATIO.

REFECTIO, REFECTORIUM.

REGULA.

RELIQUIÆ.

REMIGIUS.

RE-

S

Quo-

VINUM.

VIRDUNENSE MONASTERIUM.

VIRGÆ REGIÆ.

VISITATIO VISITATOR.

VITALIS.

UNCTIO EXTREMA.

VOLATILE.

VOMERE.

URBANUS.

URNA.

UVÆ.

WINOCUS.

WITLAPHIUS.

WLSTANUS.

Z

ZACHARIA.

F I N I S.